
BIBLIOTECA NAZIONALE VITT. EMANUELE
S
14 — B
44
ROMA

NECESSARIA
AD
SALUTEM SCIENTIA,
PARTIM
NECESSITATE, MEDII
PARTIM
NECESSITATE, PRÆCEPTI DILATATA, VARIIS, DISCURSIBUS.




OPERA AC STUDIO,

P. CHRISTOPHORI SCHENCK, S. J.

PARS PRIMA,


CONTINENS CREDENDA NECESSITATE MEDII
ITEM EX CREDENDIS NECESSITATE PRÆCEPTI,
SIGNUM S. CRUCIS,
ET SYMBOLUM APOSTOLICUM.



CREMBSII IN AUSTRIA,
TYPIS ET SUMPTIBUS CHRISTIANI WALTER,
ANNO M DC LXXXIX.

Sapient. 13. v. 1. 2. 3.

Vani autem sunt omnes homines, in quibus non subest scientia DEI. Et de his quæ videntur bona, non potuerunt intelligere illum qui est, neque operibus attendentes agnoverunt quis esset artifex; sed aut ignem, aut spiritum, aut citatum aërem, aut gyrum stellarum, aut nimiam aquam, aut solem & lunam, rectores orbis terrarum deos putaverunt. Quorum si specie delectati deos putaverunt; sciant, quanto his dominator eorum speciosior est, speciei enim generator, hæc omnia constituit.




TIBI

SANCTISSIMÆ ET INVIDUÆ

TRINITATI,

DEO PATRI INGENITO
DEI EILIO UNIGENITO
DEO SPIRITUI SANCTO,
Ab Utroque Procedenti,
Omnis Honor Laus & Gloria.



ADrepo ad Divinæ Majeſtatis tuæ pedes velut Laborioſa Formica, vel argumentoſa apis; Ita enim de S. Cæcilia Breviarium Rom. & meos qualescunque labores tenues, quos in colligendo hoc opere impendi, Tibi DEO

meo humillimâ ſubjectione ſubſterno. Cui enim melius laborem & ſudorem meum conſecrem? quam tibi æterno DEO, cui debeo quidquid ſum, habeo, vel poſſum. Tibi enimvero debeo, quod extrà ſtatum poſſibilitatis præ tot infinitis poſſibilibus creaturis longè præſtantioribus poſitus ſim. Tibi proindè Tributum meæ entitatis hoc qualecunque opus tenuiſſimum humillimè inclino & ſubmitto. Labor eſt aliquot annorum, quibus aſceticis tantum intentus curis, varios authores evolvi, & quia nullis terrrenis rebus intentus fui, quidquid temporis habui, totum hoc lectioni ſacræ impendi, & in utilitatem publicam collegi, ut modo in ſolatium publicum piorum fidelium impenderem. Quid enim mihi ſervem? quando unigenitus DEI Filius uſque ad ultimam guttam totum ſuum ſanguinem effudit, dum in arâ Crucis, pro meâ ſalute, vulnerato corde ſuo, fecit promanare

nare ſanguinem & aquam. En novo titulo tibi miſer homuncio obæratus, pro tam immenſo Redemptionis meæ pretio, tibi ſudoris mei guttas aliquot repono. Quia tamen vel hæ ipſæ guttæ tributum ſunt tui divini decreti, quando protoparentem noſtrum tuæ legis prævaricatorem ad ſudorem vultus ſui condemnaſti. Confido hoc ipſum quantumvis exile & modicum laboris mei ſtudium, divinæ majeſtati tuæ acceptum fore; tuæque gratiæ largitate fœcundandum, ut in ſalutem multorum diffundatur. Quod quia tuæ operationis eſt diviniſſime Spiritus, cujus infinitâ fœcunditate, univerſum Eccleſiæ corpus vivificatur & vegetatatur; Tibi inquam ſanctiſſime Spiritus! qui digitus paternæ dextræ diceris, hoc ſcriptionis manuum mearum minimum ſervitium humillimâ mentis demiſſione ſubjicio. Utpotè cujus impulſu, inutilis aliàs creatura, hoc opus ag-

aggressus sum, ut multorum serviret utilitati. Qui dum nesciunt, quid aut qualiter salutariter credere debeant, tibi uni trinoque DEO syncero corde deservire nequeunt. O si! omnes omnino voces; ô si! omnes omnino literæ, & harum apices, in ardentissimas animarentur linguas, quibus æternam gloriam tuam deprædicarent. Quia verò hoc de vilitate meâ præsumere non audeo; à te divinissime spiritus humillimè peto, ut tuæ cœlestis gratiæ irroratus influxu, hoc tenui labore meo influā in corda legentium; ut omnes qui legerint, te DEum trinum & unum agnoscant, & toto corde diligant ac venerentur. Hoc ego dum intimo cordis mei affectu medullitus supplico tibi meipsum ad nihili mei abyssum inclino, & æternum clamabo.

Gloria tibi Trinitas,
Æqualis una Deitas.
Et antè omnia sæcula
Et nunc, & in perpetuum. Amen.

Ad

Ad Benevolum Lectorem.

ANte annos duodecim cum Posonii immensâ penè librorum hæreticorum tempestate circumdatus ingenti plane labore in his evolvendis versarer, inter aliquos quos reperi authores in parvum libellum incidi R. P. Jodoci Andries S. J. quem ille sic inscribit: Necessaria ad salutem scientia partim necessitate medii, partim necessitate præcepti. Hunc libellum ille variis imaginibus illustravit, & vel hac ipsâ iconum varietate curiosæ juventuti fecit amabilem. Ego quia non tantum Christianæ juventuti, sed adultiori quoque ætati prodesse cupio, ejusdem icones, & compendiosam doctrinam fusioribus discursibus dilatare jam tunc statui. Quia verò toto biennio quo ibi moratus sum, vel in Catecheticis, vel controversisticis functionibus occupatus fui, & frequens animarum studium ad ægros frequenter, sæpius ad hæreticos, vel etiam ad Judæos & Paganos erudiendos aut confutandos evocavit, propositum meum implere non potui. Atque adeo non tantum his duobus annis sed & sequentibus quatuor in regendâ juventute detentus, fructuosè me meæ intentioni non potui applicare. Usque dum DEO sic volente asceticis rursus applicatus, inter grassantis penè triennio integro pestis horrores, & ipsius deindè Turcæ nos vallantis non vanos timores, sub finem tandem elapsi anni me operi ordinando accinxi, & hoc anno primam partem hujus mei laboris absolvi. Divido totum opus juxtà tres virtutes Theologicas; Et quia illa quæ necessitate Medii credenda sunt cum notitiâ sanctæ Crucis & Symbolo Apostolorum, ad fidei materiã spectant, hæc ego simul partè hac prima complector. Sic tamen, ut ea quæ necessitate medii credenda sunt, breviter perstringam; fusius vero quæ necessitate præcepti proponuntur credenda velim pertractare. Quæ ad Orationem Dominicam & Salutationem angelicam attinent, cum ad spem referantur, DEO propitio in

secun-

secundâ parte pertractabo. Præcepta DEI & Ecclesiæ observata, cum Christo teste, Charitatis Divinæ sint argumentum: ad Charitatem in tertiâ parte remittam. Dixi in meâ ad sanctissimam Trinitatem dedicatione, me formicam esse aut apiculam, utrumque animal, parvum est, sed argumentosum. Collegi ex variis authoribus, quæ mihi credebam posse esse utilia, tibi vero solatio. Quæ quia forte, in ipso fonte non facile invenies, ego non sine labore excepi, ut tibi breviori compendio, & alio fortassis sensu subjicerem. Quare si hæc in aliis authoribus inveneris, quæ ego ex confidentiâ ad meum propositum accommodavi, scias velim me Hugonis Cardinalis consilium secutum esse, qui observat Christi primam Concionem eandem fuisse, quæ fuit Joannis Baptistæ. De Joanne enim dicitur Mat. 3. v. 1. *In diebus autem illis venit Joannes Baptista prædicans in deserto Judææ, & dicens: Pœnitentiam agite! appropinquavit enim regnum cœlorum. Planè iisdem verbis loquitur.* Mat. c. 4. v. 17. *de Themate Concionis Christi. Exindè cœpit prædicare & dicere: Pœnitentiam agite! appropinquavit enim regnum cœlorum. Ut non confundantur inquit Hugo Prædicatores, aliorum Concionibus uti. Causam adjungit. Quia ipse Dominus non est dedignatus ab eodem incboare prædicationem à quo Joannes, Si verò Eloquentiam requiris & majorem facundiam, fateor; nec Ciceronem, nec Demosthenem pro ideâ habui. Non enim quod dicit* S. Ambros. in Epist. 1. ad Cor. c. 1. *Prædicatio Christiana indiget Pompâ, & cultu sermonis. Quia ut loquitur* S. August. de Doctr. Christiana l. 4. c. 11. *Bonorum ingeniorum insignis est indoles, in verbis verum amare, non verba. Dabo tamen curioso etiam Lectori, undè aliquando intellectum pascat & voluntatem inflammet. Si vero sublimia Theologiæ argumenta volueris, ad Soarez & Vasquez, aliaq; Sacræ Theologiæ lumina te remitto. Ego laboravi, ut altissima fidei mysteria plano stylo Lectori proponerem. Tu boni consule; & meo labore fruere. Vale! & pro me peccatore Deum ora.*

FACUL-

FACULTAS REVERENDI PATRIS PROVINCIALIS.

EGo Adamus Aboed Societatis JESU per Provinciam Auſtriæ Præpoſitus Provincialis, poteſtate mihi factâ ab A.R.P. Noſtro Thyrſo Gonzalez Præpoſito Generale facultatem concedo, ut Tractatus, cui titulus: Neceſſaria ad Salutem Scientia, â P. Chriſtophoro Schenck, è Societate JESU conſcriptus, atque â tribus memoratæ Societatis Patribus de more reviſus & approbatus typis mandetur. In quorum fidem manu meâ ſubſcripſi, & conſuetum Officii ſigillum appreſſi. Styræ 23. Octobris 1687.

ADAMUS ABOEDT.

INDEX



INDEX
CAPITUM ET DISCURSUUM
HUIUS OPERIS.

Caput

Articulus



QUÆ-

QUÆSTIONES PRÆLIMINARES.

QUÆSTIO I.

An ſit Deus? & an plures ſint?

S. Paulus manuducturus hominem ad ſalutem primum eidem fundamentum exhibet, *ad Hebr. 11. v. 6.* Credere enim oportet accedentem ad Deum, quia eſt, & inquirentibus ſe remunerator ſit. Negarunt tamen hanc veritatem Diagoras, & plures apud *Ciceronem lib. 1. de Nat. Deor.* Et verò id faciunt moderni Politici, quibus illud *Pſal. 13. v. 1.* convenit: dixit inſipiens in corde ſuo, non eſt Deus. Et tamen hi athei, velint, nolint, quod neſcire ſatagunt, ſentire & credere coguntur. Quippe dum illos intus in animo, ſtimulis omnibus longè acrior vermis Conſcientiæ mordet, dum vel maximè extinctum cupiunt Deitatis ſenſum, hic invitis licet, ſubindè in conſcientiâ propriâ emergit. Taceo cujusvis hominis licet impudentiſſimi conſcientiam, quæ ad Tonantis cœli fulmina, & nubium fatales tædas, ubi cœlum iratum aſpicit, agnoſcit altius aliquod orbi præeſſe Numen, quod meritò, timere debet & formidare. Expertus hoc eſt Alphonſus Decimus Hiſpaniæ Rex, qui licet Deum non negaret, culpare tamē illum ore blaſphemo auſus eſt, quaſi in orbis molitione Deus multa fecerit, quæ ipſe Sacrilegus longè melius ordinaſſet. Monuit ergo Deus per Angelum Præfectum filij Alphonſi Regis, qui de nocte apparens dixit, quod contra Regem in divino judicio tremenda ſit lata mortis ſententia. Cauſam divinæ iræ ab Angelo Præfectus petiit; cui cœleſtis Genius reſpondit: Al-

Nolentes licet cogimur credere eſſe Deum.

Cœlum Tonans docet dari Deum

Alphonſus Rex Sacrilegus à Deo punitur.

 phon-

phonsus Sacrilegè blasphemat DEI sapientiam, quâ mundum creavit, quasi non pauca meliùs ordinari potuissent. Alterâ die accedit Præfectus Alphonsum Regem, sed cum sarcasmo à Rege elusus est. Quia tamen paulò post supervenit Eremicola, qui à DEO pari visione monitus fuit, ut blasphemum regem compesceret, fecit is quidem, quod jussus fuerat, sed induratus Rex repetitis blasphemijs monentem Eremicolam rejecit. Adfuit ergo eâdem nocte divina Nemesis, & cœlum horrendis mugitibus replet. Horrida toto cœlo exoritur tempestas, & cum ingenti fragore fulmen in ipsius Regis cubiculum eliditur, quod obvia quæque, ipsasque etiam vestes regias incineravit. Excitatus horrifico fragore, & igne undique coruscante tremefactus Alphonsus, aulicos inclamat, atque Eremicolam prius à se reiectum studiosè inquiri curat. Ad cuius ingressum Rex in genua provolutus, blasphemias suas retractavit; Atque illud *Marc. 7. v. 37.* sæpius humillimè ingeminavit: Benè omnia fecit. Et tremenda tempestas sensim remisit, cœlum, quod nihil, nisi ultricia vibrabat fulmina, paulatim resedit. Justus autem DEUS, qui culpam pœnitenti condonavit, pœnam non remisit. Dum enim Alphonsus sperat, se in Romanorum Imperatorem eligendum, & diætæ interest Imperiali, Rudolpus Habspurgicus eligitur, atque Sanctius filius regnum occupavit, ipse verò Hispali mœrore confectus contabuit. Certè *Joannes Corasius lib. 3. miscell. 8. num. 13.* putat huiusmodi atheos, DEUM ipsum vel virtutem divinam tollentes, vivos exurendos, quandò nimirum vel ipsum cœlum Alphonsum Regem trisulco fulmine ad vindictam sceleris pertraxit. Diagoram Milesium quod refert *Cicero lib. 1. de Natur. Deor.* quia nullos Deos esse voluit, urbe pepulerunt Athenienses, pollicentes talentum illis, qui atheum hominem interfecissent. Est enim tam vehemens humanis cordibus inscriptus divinitatis sensus, ut etiam in extremis orbis partibus malint adhuc hodie, ipsa astra, animalia, lapides, lignaque colere, quam concedere, ut nullum planè credantur habere DEUM. Hinc vel ex consensu omnium nationum, quæ à mundo condito fuerunt, sufficienter potest probari DEUS; si enim evidens est esse Romanum Pontificem, quia hoc omnes, qui Romæ fuerunt, narrant; cur non evidens sit esse DEUM? hoc namque omnes gentes, quæ unquam fuerunt, sunt contestatæ. Accedit manifesta naturalis ratio, â productione rerum desumpta. Vel enim quæ sunt in rerum

Natura dictat dari Deum.

Datur Deus ex consensu omnium Nationum.

Natura ex productio-

naturâ, illa facta sunt, vel non sunt facta? Si facta sunt, ergo vel à se ipsis facta sunt, quod repugnat bonæ Philosophiæ, vel facta sunt ab alio. Quod tandem ultimum cum debeat esse à se ipso, necessariò est ens à se, quod est ipse DEUS. Est ergo ens aliquod necessarium ab omnibus alijs independens, quod DEUM esse dicimus. Pulchrè hoc *S. Paulus ad Rom. 1. vers. 20.* docet, dicens: Invisibilia ipsius, per ea quæ facta sunt, intellecta conspiciuntur. Sempiterna quoque ejus virtus & divinitas; ita ut sint inexcusabiles. Quò utique spectavit illud Davidis *Psal. 18. vers. 1.* Cœli enarrant Gloriam DEI. Quod sancti Anachoretæ sæpius versutos licet docuerunt Philosophos, qui cœlum & terram tabulam quandam rudimentariam sibi esse dixerunt, literas verò tot in hac tabulâ annotarunt, quot in his creaturas sunt contemplati. Et sic quidem ibi DEUM legerunt. Ideoque S. Th. expendens verba illa *Genes. 1. v. 26.* Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram, ita loquitur: In inferioribus Creaturis DEUS posuit vestigium sui, in homine verò imaginem. En vestigium! ex quo sagax ingenium humanum, si velit, DEUM investigare, potest. Tardioris fuit ille ingenij, qui obfirmatâ voluntate atheus esse volebat. Tolosæ in Galliâ adolescens illustri prosapiâ natus, in Socios liberiores incidit, à quibus sensim ad atheismum est inductus. Hujus rei ut certum caperet argumentum, sub vesperum urbe egreditur, & in medio campo desperatus juvenis pileum ponit, thoracem exuit, gladium stringit, & quasi ad duellum se accingit. Blasphemo deindè ore, si quod in cœlo, aut in inferno est Numen, provocat. Instat paulò post impudentius: Aut tolle me inquit, si quid potes? aut patere, divinitatem tibi à me tolli. Dixit, & repentè aperitur cœlum, ex quo folium candidissimæ chartæ delabitur, in quo aliud legere non erat, nisi paucula hæc verba: Miserere mei DEUS. Scripturam ubi legit rabiosus hic atheus non tam commoveri, quam compelli se sensit ad agnoscendum DEUM. Quare cœlestes has literas exosculatur, & inter uberes lachrymas sæpius has voces repetit, Miserere mei Deus! ubi sequenti manè dies illuxit, ad Collegium Societatis JESU advolavit, totiusque vitæ dolorosam Confessionem peregit, atque in meliorem hominem mutatus domum rediit. Ipsa animalia, Vespa vilissima hominem perditum docuit, quòd detur DEUS. Blasphemus aleator pecuniâ deperditâ eò vesaniæ pervenit, ut à mensâ lusoriâ rabiosus avolaret, & domum

ne rerum docet dari Deum.

Creaturæ sunt vestigium Dei.

Atheus Deum in duellum provocat.

Vespa docet atheum quod sit Deus.

mum peteret. Hic novis indutus vestibus, priorem enim ludendo amiserat, loricâ & galeâ munitus, equum phaleratum inscendit, atque velut novus Achilles in forum procurrit. Ubi stultissimus mortalium inter horrendas blasphemias, DEUM ipsum, si quis esset, in Certamen evocavit, eique bellum indixit. Quid agat bonus DEUS? loco sui Vespam misit, quæ cassidis aperturam oculis vicinam ingressa, vesanum hominem ita exarmavit, ut ab equo descendens, positis armis professus sit, DEUM esse justissimum blasphemiæ suæ vindicem. I nunc, & DEUM esse nega! quem tamen cœli enarrant, & ipsa animalia muta deprædicant. Scio ego, quod S. Paulus aram ignoti DEI invenerit in Areopago. Sed extirpata jam est ara illa; nemo enim est, qui DEUM ignoret. Dixerunt quidem obstinati Judæi *Joan. 10. v. 22.* Si tu es Christus, dic nobis palàm. Nempe tot prodigijs convicti, id amplius negare non potuerunt; quia tamen a malignâ suâ perfidiâ, non permittebantur acquiescere veritati agnitæ, adhuc dubitabant, & contrarijs jactabantur opinionibus. Ast ubi resurgentem, in cœlum ascendentem, & tanta per Apostolos suos patrantem conspexerunt; quis jam illos à malitiosâ obstinatâque voluntate non credendi excusabit? Quare si etiam post hæc omnia, aliquis ex vobis quærat; Dic nobis palàm; quàm grave peccatum erit, agnitæ veritati repugnare? Dicendum ergo, quod multi agnoscant DEUM, non velint tamen agnitæ veritati, & DEO se subijcere. Eva in tentatione ipsius serpentis, DEI meminit, mandati divini memoriam clarè exprimit, & tamen peccat, atque Adamum ad prævaricationem divini mandati inducit, quia ambitione quadam divinitatis, DEO similis fieri volebat. Sic enim *S. Greg. lib. 6, moral. cap. 12.* dicit, quòd aliqui putent, se humanâ industriâ velle quasi cogere cœlum, ut fiat quod ipsi volunt: sed statim addit: Indè voluntatem DEI peragunt, undè immutare contendunt, atque omnipotentis consilio, dum resistere nituntur, obsequuntur. Quia sæpè & hoc dispositioni ejus militat, quod ei per humanum studium frivolè resultat. Sapientes ergo Dominus in eorum astutiâ deprehendit, quando ejus consilijs humana facta etiam tunc congruè serviunt, cum resistunt. Probat exemplo Josephi Patriarchæ, cui DEUS revelavit, quòd esset futurus Dominus fratrum suorum, quibus dum somnium retulit, odij semen contra se plantavit, ut mortem illi fuerint minati *Genes. 32. v. 19.* Ecce somniator venit, venite occidamus eum. Misericordiâ tamen

Multi agnoscunt Deum, sed nolunt videri agnoscere.

Homo Dei creatura etiam nolens Deo servit.

tamen moti, vendiderunt illum Ægyptiis. Venit Joseph in Ægyptum, ubi cùm serviviſſet fideliter, innocenter mittitur in carcerem; undè tamen dono Prophetiæ eripitur, & Præſes totius Ægypti conſtituitur, fames cogit fratres eò venire, ubi inſcii adorant Joſephum. Exclamat ergo S. Gregorius. Numquid hoc eſt mirabile? ideò à fratribus venditus fuerat Joſeph, ne adoraretur; ſed ideo, adoratur, quia venditus. Sic conſilium dum devitatur, impletur. Timuerunt fratres, ne Joſeph ſuper eos creſceret, ſed hoc, quod divinitus diſpoſitum fuerat, cavendo factum eſt, ut eveniret. Nemo DEO reſiſtit. Expertus eſt hoc Conradus Imperator, cujus iram fugiens Lupoldus Princeps, aulam deſeruit, deſertum petijt, & ibi in vili tugurio latuit. Venatus eſt in illo deſerto Conradus Imperator, & caſu in idem tugurium divertit. Eâ nocte Lupoldo natus eſt filius, & ſimul in ſomno Imperatori vox eſt allapſa, dicens: Accipe! accipe! Territus quidem hac voce fuit Imperator, quia tamen à venatione feſſus erat, rurſus obdormivit. Dormienti iterum allabitur vox altera dicens: Redde! redde! Commovit hoc magis jam ante concitatum animum, interim tamen dum hæc conſiderat, rurſus indormiſcit. Tertio tandem vox audita eſt: Fuge! fuge! Iratus Imperator ſomnum excutit, atque ubi intelligit, in eadem caſâ, illâ nocte natum filium, illum imperio ſuo inſidiaturum credidit, adeoq; per ſatellites natum infantem interfici mandavit, inque ſignum cruentæ necis parvuli exenteratum cor habere voluit. Satellites miſerti parvuli, procul à tugurio infantem deferunt, & cavæ arbori imponunt, à matre commodè alendum, atque loco cordis humani, leporis repentè obvii Cæſari obtulerunt. Audiit interim vagientem ab arbore parvulum primarius quidam aulicus, qui quia uxorem habebat ſterilem, pueri venuſtate captus, eum ſibi à ſuâ uxore natum finxit, eumq; liberaliter educavit. Adultum in aulam Conradi miſit, ubi Henricus, hoc enim vocabatur nomine juvenis, omnibus gratus, ſoli Imperatori fuit odioſus. Occultè ergo illum voluit expedire, utque commodiùs hoc faceret, eundem ſub ſpecie officioſæ legationis ad Imperatricem Conjugem cum literis miſit, in quibus uxori mandavit, ut juvenem occultè interfici curaret. In viâ Henricus ad Eccleſiam divertit, ubi audito ſacro laſſus ſupra ſcamnum indormivit, cùm ecce Sacerdos in burſâ curioſè obſervat literas, qui ſcire volens, quid in illis contineatur, literas illæſo ſigillo dexterè planè aperuit,

Joſeph fratribus reluctantibus adoratur.

Conradus Imperator voluntati divinæ non poteſt reſiſtere.

Miſſæ audita fructus.

ruit, quas ubi legit, juvenis sortem misertus, mortis sententiam mutavit, & ut illum generum suum faciat, inscripsit, atque literas cautè rursus in bursam reposuit. Evigilat juvenis rerum omnium ignarus, & viam prosequitur, atque literas Imperatrici consignat. Adornantur nuptiæ festivè & hilariter, quibus peractis Imperatrix cum gaudio Imperatori suo marito rescribit, omnia juxtà mandatum ipsius & nuptias cum omnium satisfactione factas. Miratur insperatum eventum Imperator, sed ubi à Satrapis res gestas intellexit, divinæ dispositioni, cui non valebat resistere, humiliter acquievit. An non Aman in patibulo, quod Mardochæo paraverat, suspensus est? Et Jonas ausus fuit resistere divinæ voluntati, nec potuit. Jubetur is à Deo, ut iret in Niniven, quo longiùs abiret, conscendit mare, imò ob exortam tempestatem abijcitur in mare; Et hem! adest Cetus, qui Jonam devoret. Exclamat *S. Greg. citatus.* Illuc gestante belluâ pervenit, quò ire spontè contempsit. Et quia authori suo obedire renititur, ad locum quo missus fuerat, suo reus carcere portatur. Donec jubente Deo bellua Prophetam evomuit, & reddidit littori. O Jona! exclamare libet, est ne Deus? Pulchrè *S. Thom. de Villà novâ fer. 4. Dom. 1. Quadr.* Jonas fugit, ne iret, & quia fugit, citiùs iuit. Medium quod assumpsit, ut Domini beneplacitum impediret, factum est medium, ut impleret. Vade mi Jona! puto te jam satis didicisse, quia non est consilium contra Dominum. Quàm aptè planè ad meum propositum *S. Chrys. homil. 51. in Genes.* Vide quomodò sint variæ viæ sapientiæ Dei; & quomodò omnia juxta voluntatem suam faciat, & in inviis viam inveniat, per ipsa illa, quæ maximè adversa videntur. Benè concludit *S. Gregor.* Restat ergo ut in cunctis quæ agimus, vim supernæ voluntatis inquiramus, cui videlicet cognitæ debet nostra actio devotè famulari, & quasi Ducem sui itineris prosequi, ne ei etiam nolens serviat, si hanc superbiens declinet. Rectè enim *S. Chrys. homil. 14. in Genes.* Si nobis curæ fuerint divina, id est, si nos Deo subijcimus, & ipse quoque Deus pro nobis solicitus erit, ut magnâ securitate per pelagus hujus vitæ navigemus. Et tantò erit nobis melius, inquit Oleaster, quantò fuerimus magis ad oculos Domini suspensi. Inter varia Ægyptiorum arcana hoc quoq; notabatur per modum selecti apophtegmatis. Oculum non dividito, neque pungito. Causam cur Ægyptij tanti oculum fecerint, dat *Cyrillus Alexandr. l. 9. adversus Julianum.* dicens:

Jonas frustra resistit divinæ voluntati.

dicens: Ægyptios per oculum significare DEUM, qui omnia intuetur, & quod sit quasi oculus orbis. Oculus inquit propter vestigium suæ excellentiæ nimirum Trinitatis & Unitatis, quas continet, est Symbolum DEI. Oculus enim cùm in suâ circumferentiâ tria habeat, nimirum albumen, pupillam, & Iridem intermediam. Et hæc tria tam arctè sibi devincta, ut nullum sine altero, sine destructione totius oculi separari valeat, bene is Symbolum sanctissimæ Trinitatis dici potest, maximè cùm hæc tria non faciant tres oculos sed unum. Itaque in deitate quæ una est, albugo dici potest connotare Patrem, qui generat Filium; isque ut inquit *Laminez Conc. in Dom. Trinit.* scintillat radio divinitatis æternæ; Iride denique igneâ ardet Spiritus sanctus, qui à Patre Filioque procedit. Et tamen hi tres, non tres Dij, uti neque tres oculi, sed unus oculus, & unus DEUS sunt. Dicente Moyse *Exodi 6. v. 4.* Audi Israël! Dominus DEUS noster, Dominus unus est. Et S. Paulus contra Gentilium superstitiones, hoc veluti fidei nostræ, dogma ponit *1. ad Cor. 8. v. 4.* Nullus est DEUS nisi unus. Hæc tamen Unitas non impedit, quo minus sint plures personæ, sicut nec Unitas obstat tribus potentijs realiter distinctis in una anima, aut tribus entitatibus in uno eodémque oculo. Si dicas cum Novatoribus, hoc nomen Trinitatis non inveniri in scripturâ, dicam ego, reperiri tamen radicem, unde Trinitatis sanctissimum nomen etiam Grammaticaliter derivatur. An non enim *1. Joan. 5. v. 7.* clarè dicitur? Tres sunt, qui testimonium dant in cœlo, Pater, Verbum, & Spiritus sanctus. Ut autem tantò audaciùs, vel potiùs impudentiùs hanc vocem Trinitatis, in postillâ suâ majori rideret Lutherus, & illam consuetam formulam: Sancta Trinitas unus DEUS, ex suis lytanijs eraderet, idem Lutherus citatum S. Joannis Apostoli textum: Tres sunt, qui testimonium perhibent, in suis biblijs planè omisit.

Deus est oculus Orbis.

Oculus est Symbolum sanctissimæ Trinitatis.

Lutherus odit nomen sanctissimæ Trinitatis.

Quia verò de hoc, uti & de eo, quod DEUS Spiritus sit, in Discursu 6. pluribus acturi sumus, eò benevolum Lectorem remitto.



QUÆ-

QUÆSTIO II.

An fides sit actus voluntatis, vel intellectûs? An liber?

Quæ fides sit ad Salutem necessaria? Et an fides aliquando possit amitti?

CAlvinus in Ep. ad Rom. fidem dicit esse firmam, atque efficacem fiduciam. Sed de fide est, quòd fides vera non sit actus voluntatis, seu fiducia pura, sed assensus intellectûs, quo rebus à DEO revelatis firmiter assentimur. Sic enim S. Paulus ad *Hebr. 11. v. 3.* Fide intelligimus, esse aptata sæcula Verbo DEI. Ubi vides, quòd dicatur fides esse verè actus intellectûs contradistinctus à fiduciâ, vel spe. Quod clariùs adhuc præstitit idem S. Paulus *ad Eph. 3. v. 12.* In quo habemus fiduciam & accessum, in confidentiâ per fidem ejus. Hîc manifestè habes quòd ex fide, fiducia velut ex radice enascatur. Et Christus ipse *Joan. 17. v. 3.* confirmat, Hæc est vita æterna, ut cognoscant te solum verum DEUM, & quem misisti JESUM Christum. Per quæ Verba Christus, salutem in fide constituit, utpotè, quæ cognoscit, & est actus intellectûs. Ex quo patet dicere, fidem esse fiduciam, esse idem, ac illam cum spe confundere, quod clarè repugnat Verbis Apostoli *1. ad Cor. 13. v. ult.* Nunc autem manent fides, spes, charitas, Tria hæc. Ex quibus inferes, cùm hæc ex S. Paulo sint tria, debent hæc esse distincta & differentia, cùm numerus ex naturâ suâ arguat in bona Philosophiâ distinctionem. Quare etiam S. Aug. *in Enchir. suo cap. 7. & 8.* dicit: fides est malarum rerum & bonarum; spes non nisi bonarum. Quasi diceret hic S. Ecclesiæ Doctor, fidem non minùs circa res malas quàm bonas posse versari. Sperare autem non solemus, nisi bona, quæ talia revera sunt, vel saltem nobis bona apparent. Et hinc S. Paulus *ad Rom. 10. v. 8.* rationem fidei justificantis per solum assensum, absque ullâ fiduciæ mentione expressit, quando dixit: Hoc est Verbum fidei, quod prædicamus, quia si confitearis in ore tuo Dominum JESUM, & in corde tuo credideris, quòd DEUS illum suscitavit à mortuis, salvus eris. Certè quando Anno Christi 325. in Nicæna Synodo, non solùm convenerunt Episcopi Catholici, sed plurimi etiam Ariani, atque etiam

Fides non est fiducia.

Fides est actus intellectûs.

etiam Philosophi famâ doctrinæ celebres, interque hos quispiam Arianus, varijs de fide quæstionibus Catholicos lacesseret, ut complures Episcopi Catholici metuerent, ne illius sophismatibus confusi, Catholicæ fidei labem aliquam aspergerent, si eum pro debito non confutarent, unus ex simplicioribus assurrexit Spiridion, dicens: In nomine JESU Christi Philosophe audi! Unus est Deus cœli & terræ, qui hæc omnia virtute verbi fabricatus est, & sacrato Spiritûs Sancti afflatu stabilivit: Ubi deinde compendiosè fidei formulam pertexuit, conclusit: Noli ergo in his quæ fide rectè intelliguntur curiosè refutandis laborem frustrà consumere, aut quærere, quomodo ista fieri possint. Quod si credis, mihi quoque sciscitanti responde. Territus his dictis Philosophus, exclamavit, credo! & Christianum Catholicum se professus est. Ubi cernis, fide rectè intelligi fidei nostræ mysteria nec ullam fiduciæ, in hac de fide disputatione, fieri mentionem. Quod vero hic actus fidei liber sit, apparet ex illo *Marci 5. v. 36.* ubi Christus interpellatus à Jairo archisynagogo ut filiam suam sanaret, & interim monitus esset Jairus à domesticis suis, ne ultrà molestus esset Christo, cùm jam defuncta esset filia, his verbis Jairum Christus hortatur: Noli timere! tantummodo crede. Quo dicto ad domum accessit, & filiam resuscitavit Patet hic, quod Jairus liber fuerit, credere & assentiri verbis Christi, vel non credere & dissentire: Et hinc *Luc. 1. v. 45.* Laudat Mariam Dei Genitricem Elisabeth, quod crediderit; Beata quæ credidisti vituperatur verò Zacharias & punitur, quia Gabrieli prædicenti, quod Elisabeth sterilis paritura esset filium, non credidit. Hinc *Luc.1.v.20.* dixit ei Angelus. Et ecce eris tacens, & non poteris loqui usque in diem quâ hæc fient, pro eo, quod non credidisti. Et hac de causa *Joan 8. v. 24.* clarè Christus dixit: Dixi ergo vobis, quia moriemini in pecatis vestris. Si enim non credideritis quia ego sum, moriemini in pecato vestro. Si verò fides, actus liber non esset, sed necessarius, quomodo pœnam mereri posset? quod enim quis necessariò facit, in hoc neque laudem neque vituperium, multoque minus pœnam merebitur.

Spiridion Epis. Philosophum superbum confundit.

Fidei actus est liber.

Quæ autem hæc fides sit, in quâ nos oportet salvari. Disputant Hæretici; Lutherus enim suam Calvinus verò Calvinisticam asserit, ego neutram. Sed illam solam veram & salvificam assero, quam Christus ore suo Sacro Sancto docuit; Apostoli toto orbe prædicârunt;

Sola fides Catholica est vera, & salvifica.

runt; Sancti patres & Ecclesiæ Doctores, suis libris nobis commendarunt; Ecclesia ipsa omnibus sæculis invariatam tenuit, ac docuit; Omnes sancti Martyres sanguine suo subscripserunt; tot sancti Viri Apostolici, tam manifestis miraculis confirmârunt; tot Imperatores, Reges, & Principes, erectis ubique Ecclesijs & monasterijs, veram esse sunt contestati. Quià verò hæc signa & documenta, non habent hæreticorum Synagogæ, neque Lutherani, neque Calvinistæ, neque ulli hæretici fidem, in quâ nos salvari oportet, habere possunt. Occurrit hìc illa puella hebræa, de quâ circa annum Christi 1592. Polonici referunt annales quod cum alijs puellis venerit ad scholam Christianam, in qua Crucem efformare docta, eandem sæpius cum maxima indignatione Parentum domi repetierit, vehementer autē, propter hoc a parentibus percussa, pedibus etiam conculcata: a Crucis tamen formatione non destitit. Cùm ergo die quadam Parentes & omnes penè domestici ad synagogam abivissent, puella ex domo paternâ ad insignes matronas Christianas evolavit, à quibus in fide instructa, sed importunè à parentibus fuit repetita. Res ergo ad Episcopum delata est, qui puellam intorrogavit, cur velit Christiana & Catholica fieri? ideo respondit, quia hæc sola, vera doctrina est, quam Christus docuit. Quod tam insigni constantiâ protulit, ut ei baptismus negari nequiverit. Utique hæc vera est, quia hæc fides Catholica, ubique, semper, & ab omnibus credita & prædicata fuit, ut fusius, Articulo 9. ostendemus.

Puella Judæa veram Ecclesiam Catholicam ostendit.

An vero fides hæc se extendat ad omnia fidei mysteria, quæ vel Deus revelavit, vel Ecclesia ad credendum Proposuit, ut illis assentiamur; quæstio est inter authores. Quia reverâ, non tantum rustici & simplices homines, sed multi etiam docti, vel non reminiscuntur omnium, vel saltem illud *1. ad Cor. 13. v. 12.* fateri debent: Nunc cognosco ex parte: Non est tamen omnium fides eodem modo necessaria, sufficit enim quædam credere implicitè. Credit autem implicitè omnia, qui generatim credit, quidquid credit Ecclesia, licet non sciat totum illud distinctè quod credit sancta mater Ecclesia. Undè licet Calvinus *l. 3. institutionum c. 2. § 2.* fidem implicitam pro cōmento & ignorantiâ habeat, est tamen fides hæc necessaria, quâ quis credit omnia quæ credit Ecclesia implicitè. Confirmat hanc fidē implicitam, & utilem contra Dæmonis tentationes docet celebris illa & nota Patavij historia. Erant ibi insignes duo Theologiæ Profes-

Sufficit ad salutem fides implicita.

sores

sores doctrinâ & virtute eximij, qui singulari amicitiâ conjuncti, vitam vixerunt omnino exemplarem. Ex his cum alter sacramentis omnibus ritè munitus decessisset, socio suo spem optimam felicis sui statûs reliquit. Verum cum die quodam sederet in musæo suo, adest in specie notâ defunctus, flammis velut ex furno erumpentibus circumdatus, qui ab alto suspiria trahens, æternum se damnatum dixit, eò quod in extremis constitutus, dæmonem secum de Trinitate disputantem, rationibus convincere voluerit, à quo tamen ita argu ijs & sophismatibus implicatus fuit, ut primò dubitare, deindè discredere cœperit, atque sic constitutum mors oppresserit, & modo inquit, æternum damnatus sum. Paulò post ægrotavit alter superstes, ad quem moribundum cum venisset dæmon, & interrogasset quid crederet? respondit se credere, quod credit sancta mater Ecclesia, à quâ viâ argumentandi nunquam recessit, & feliciter decessit. Post dies paucos apparuit amicis suis gloriosus; eosque monuit, ut in materiâ fidei, cum dæmone sophistâ pessimo, non disputent, sed fide implicitâ se tueantur, quam ad salutem valdè salutarem esse, suo exemplo monstravit. Sunt tamen aliqua. quæ explicitè credi debent, eaque sunt vel de necessitate medij vel de necessitate præcepti credenda. Inter quæ hæc est differentia, quod illa quæ necessitate medij creduntur, ea sic necessariò credi debeant, ut nisi illa credas, non salveris. Quæ verò necessitate præcepti creduntur, si propter impotentiam, vel invincibilem ignorantiam nescias, apud Deum excuseris. Porrò puncta necessitate medii scitu necessaria, juxta communiorem Theologiam sunt septem, circa quæ solicitè monet, & rogat *P. Jodocus Andries e Societate JESU*, quemcunque cordatum Christianum, ut in re tam periculosâ, nempè salutis animæ suæ, cautè & securè pergat: neque se involuat, in probabiles tantum variorum authorum opiniones. Adeoque potius sequatur opinionem communem probatorum Authorum, quam sententiam paucorum. Et certè videtur omninò consultissimum illa tenere & docere, ultra quæ passim probati authores, nihil amplius ad fidem salutarem requirunt; sunt autem hæc septem sequentia, quæ necessitate medij ab omnibus credi debent.

Cum dæmone de Trinitate non est disputandum.

Fides implicita fuit salutaris morienti.

Necessitate medij credenda sunt septem.

1. Quod Deus unus, & omnium Creator sit.
2. Quod Deus omnia gubernet.
3. Quod Anima hominis, sit immortalis.

 4. Quod

4. Quod Dei gratia, ad salutem sit necessaria.
5. Quod Deus sit omnium Judex.
6. Quod Deus sit trinus in personis.
7. Quod Dei Filius sit incarnatus & passus.

Licet autem aliqui à necessitate medij excludant mysterium SS. Trinitatis & incarnationis, notandum tamen est juxtà S. Thomam mysterium SS. Trinitatis & Incarnationis, saltem quo ad rem, pari necessitate credenda esse.

Necessitate vero Præcepti creduntur omnia illa & sciuntur, quæ necessitate medij ad credendum necessaria proponuntur. Differunt autem etiam hic authores, quia aliqui Crucis signum & salutationem Angelicam excludunt, alij vero inter alia necessitate præcepti scitu necessaria, reponunt; cum quibus & ego sentio, adeoque sequentia septem enumero.

Necessitate præcepti etiam septem credenda sunt.

1. Signum sanctæ Crucis.
2. Duodecim articulos symboli Apostolici.
3. Pater noster, cum septem suis petitionibus.
4. Ave Maria, seu salutatio Angelica.
5. Decem Præcepta Decalogi.
6. Quinque Præcepta Ecclesiæ.
7. Ex septem Sacramentis, tria saltem ab omnibus sunt scitu necessaria, nempè Baptismus, Pœnitentia & Eucharistia; reliqua quatuor, tunc sciri debent, quando suscipiuntur. Differunt autem à necessarijs necessitate medij, quæ hoc habent, ut nisi illa credas saltem implicitè, salvari non possis, quamvis illa inculpabiliter ignores. Hæc autem necessitate Præcepti credenda necessario creduntur, & vi præcepti divini explicitè credi debent, si tamen quis illa inculpabiliter nesciat, salvari tamen poterit, licet illa explicitè non credat. Et hæc est fides illa, de qua S. Paulus ad *Hebr. 11. v. 6.* dixit sine fide impossibile est placere Deo. Quod Christus *Marci 16. v. 16.* confirmat; dicendo: Qui non crediderit, condemnabitur.

Hæc fides à Christo lucerna dicitur *Luc. 11. v. 33.* Nemo lucernam accendit, & sub modio ponit, adeoque a *P. Canisio* dicitur donum DEI ac lumen. Quod *Eusebius Emiss. hom. 2. de Symbolo* affirmat, dicens: Fides lumen est animæ, hanc nobis velut magnam lampadem Christus adveniens, errantibus viám monstraturus, per suum Evangelium exhibuit, in baptismo verò accendit, & per spe-

cia-

cialem gratiam hujus sacramenti sic habituat; ut adultiores, ubi ad usum rationis perveniunt, propositis sibi fidei mysterijs, facilè assentiantur. Benè ergo Cyrillus *Hierosolim. Catech 5. ait:* Fides est lux illuminans omnem hominem. Lux utique illa, de quâ *Joan. 1. v. 5.* Et lux in tenebris lucet. adeoque à S. Lucâ *c. 2. v. 32.* per senem Simeonem dicitur Lumen ad revelationem gentium. Quare benè omnino S. Chrysostomus *in 1. ad Thesal. c. 5.* super illa Verba *v. 19.* spiritum nolite extinguere. Fuimus inquit aliquando tenebræ, sed dedit nobis præclaram lampadem, ut qui spiritûs sancti gratiam in nobis accendit. Deflendum tamen est, quod ab aliquibus in primo rationis usu statim extinguatur. Gratiam enim inquit citatus Chrysostomus extinguit vita immunda, dum videmus teneros infantes à parentibus ad libidinem & voluptatem assuefieri. Pueri solum fertile sunt, in quo si negligatur semen virtutum, in sylvam Veprium degenerat, & in segetem vitiorum hoc solum luxuriat. Undè non frustra queritur Deus *Jerem. 7. v. 18.* Filij colligunt ligna, id est ramos noxiarum cupiditatum, patres succendunt ignem, id est vanam gloriolam subdunt: mulieres conspergunt adipem, id est matres blandicijs suis fovent, ut faciant placentas reginæ cœli, id est Vanitati mundi, & libent dijs, alienis, nempè Plutoni, Baccho, & Veneri. Non sic Patriarcha *Isaac Gen. 27. v. 28.* Qui benedictionem daturus filio suo Jacob, à cœlo exorsus est Det tibi Deus de rore cœli, & deindè inquit, de pinguedine terræ. Esau quià à pinguedine terræ suam accepit, incepitque benedictionem, cum modernis vanitatis filijs, minimè fuit benedictus. Quis obsecro candelam accensam furente vento securus tulerit? quis ubi furit vanitatis Aquilo, ubi cupiditatum procellæ insurgunt, ubi adversitatis irruit Boreas, fidei gratiam in animâ suâ illæsam teneat: Nec tantum validus persecutionis ventus, minimus sæpe per rimnam immissus flatus, fidem exsufflat & extinguit. Testem appello Salomonem, qui per uxorum Gentilium blandicias seductus, à Deo recessit. *3. Reg. 11. v. 4.* Cumque jam esset senex depravatum est cor ejus per mulieres, ut sequeretur Deos alienos, nec erat cor ejus perfectum cum Domino Deo suo. Extinxit hoc lumen fidei in animâ suâ infelix Lutherus. Extinxit Julianus Apostata, qui planè sanguine victimarum perfundi voluit, ut sic fidei gratiam penitus aboleret, ne dicam extirparet. Unde non video, quomodo *Calvinus l. 3. Instit. c. 3.*

Fides in anima per malam vitam extinguitur.

Parentes non educent filios ad vanitatem.

Salomon per mulieres seductus.

c. 3. §. 9. neget, quod fides ſemel habita poſſit amitti. Audite S. Paulum *1. ad Timot. 4. v. 1.* ſpiritus autem manifeſtè dicit, quia in noviſſimis temporibus diſcedent quidam à fide. Quod ibidem *c. 6. Vio.* repetit. Radix malorum omnium eſt cupiditas, quam quidam appetentes, errarunt a fide. Non dicam Lutheranos æque ac Calviniſtas ſuorum verborum immemores, apertè nobis objicere, quod Eccleſia moderna Catholica, non habeat fidem primitivam Eccleſiæ, ſed eam poſt mille primum annos Lutherus & Calvinus ſub ſcamno latentem ſuſcitaverint. Sed quomodo obſecrò hæc cohærent? Eccleſiã Catholicam à fide primævâ, defeciſſe & fidem ſemel habitam amitti non poſſe? Quot eheu! peccata peccatis accumulant, ut ſic fidei ardentem facem in animâ ſuâ extinguant, quò liberius peccare valeant. Fidem omnium gratiarum originem & fontem dixit *Cypr. in expoſ. ſymbol.* Etenim inquit, in illo verbo Credo agnoſcens fidem quam nos profitemur, fons & origo omnium bonorum ponitur, cum dicitur credo in Deum. Nulla enim bona ſunt, quæ non trahat fides. Nobilis ille Reginæ Candacis Eunuchus, quanta gratiarum dona per fidem ſuſceptam accepit? Audit Chriſti baptiſmum ad ſalutem neceſſarium, & ſtatim promptiſſima illi aqua ſubſilit, ad conferendum baptiſmum neceſſaria. Vix Catechumenus jam baptiſmi puritate perfuſus fuit, & ſtatim à fonte aſcendentem ingens illum excepit lætitia, ibat enim per viam ſuam gaudens. Unde obſecrò tanta gratiarum copia? accipite ſcaturiginem, Credo filium DEI eſſe JESUM Chriſtum. Concludit *S. Chryſologus Serm. 6.* Hunc Fides ante rapuit ad gratiam, quam currus ad Indiam. Sicut autem fides fons eſt & origo omnium gratiarum, ita defectus fidei, principium eſt omnium peccatorum. Sic enim *S. Aug. ſuper illa verba pſ. 13. Dixit inſipiens in corde ſuo, non eſt Deus:* Prodeant in medium, qui male vivunt, inſpiciamus facta flagitioſorum ſceleratorumque hominum, quorum magna turba eſt, qui factis in conſuetudinem verſis etiam verecundiam perdiderunt. Et iſti tales ſunt, ut dicant in corde ſuo, quia ore dicere non audent, Non eſt Deus, qui nos videat, qui nos puniat. Undè hæc quærit *S. Chryſologus* citatus iniquitas? Cauſam noſſe vultis? cœpit coruptio á malâ fide, indè itur in turpes mores, inde in acerrimas iniquitates. Ab hac malâ fide ſequitur illud, quod & Apoſtolus dixit: *1. ad Cor. 15. v. 37.* Manducemus & bibamus cras enim moriemur; more peco-

Fides eſt omnium gratiarum origo.

Defectus fidei origo eſt peccatorum.

pecorum, more beſtiarum utique interituri. Unde enim avaris tanta auri cupiditas? tanta pecuniæ fames? audite *Tibullum l. 3. Eleg. 12.*

Auro pulſa fides, auro venalia jura!

Confirmat hoc *S. Aug. Conc. 2. in ps. 36.* Multis fulget aurum; fides non fulget.



QUÆSTIO III.

An homini ad credendum gratia DEI ſit neceſſaria?

Vidit quondam in ſomno Rex Pharao ſeptem boves pulchras & craſſas nimis. aſcendere de fluvio, quæ paſcebantur ad amnis ripas. Vidit quoque & alias ſeptem, quæ erant macilentæ, quæ paſcebantur in eadem amnis parte. *Oleaſter cum Pagnino* obſervat, quod omnes illæ boves in eodem prato à Pharaone viſæ fuerint, & eandem herbam comederint. Quod verò aliæ macilentæ, aliæ craſſæ fuerint, licet eodem pabulo nutrirentur, non campo ſed alterius rei vitio, adſcribunt. Ita planè quod aliqui fidei lumine illuſtrentur, alij verò in tenebris errorum perſeverent, non gratiæ divinæ, ſed noſtræ cooperationi potiſſimum adſcribi debet. Certè DEUS *Iſa. 5. v. 4.* dum dicit, Quid eſt quod debui ultra facere vineæ meæ, & non feci? clarè oſtendit, quod ex parte DEI gratia ſufficiens nulli deſit; ſed quod aliqui non illuminentur, id fit ex eo, quia vel non faciunt quod eſt in ſe, vel quia gratiæ divinæ peccatis ſuis obicem ponunt, quem ſi non ponerent certè illuminarentur. Et hinc dicitur, quod fides ſit donum Dei ac lumen, quo illuſtratus homo firmiter aſſentitur omnibus, quæ Deus revelavit. Ex quo apparet, quod ad credendum ſicut oportet, neceſſaria ſit homini gratia excitans, quâ de myſte-ijs fidei anima interius à Deo illuſtratur, & ad fidem in ſe excitandam, quaſi trahitur, juxta illud *Pauli ad Eph. 2. v. 5.* Gratia ſalvati eſtis per fidem, & hoc non ex vobis, Dei enim donum eſt. Quod Chriſtus ipſe *Joan. 6. v. 44.* aſſerit: Nemo poteſt venire ad me, niſi Pater, qui miſit me, traxerit eum. Quaſi diceret, nemo poteſt venire ad me ſcilicet per fidem, niſi

Gratia Dei ſufficiens nulli deeſt.

nisi Pater qui misit me, traxerit eum scilicet per gratiam suam, & hanc non solum excitantem, sed etiam adjuvantem, qua homo præventus non solum velit credere, sed etiam actu credat. Deus est enim qui juxta *S. Paulum ad Philip. 2. v. 15.* operatur in nobis, & velle & perficere. Licet autem Pelagiani gratiam divinam ad credendum homini necessariam negent; *Trident. tamen, sess. 6. can. 3.* anathema in contrarium sentientes decernit, dicens: si quis dixerit sine præveniente spiritûs sancti inspiratione, atque ejus adjutorio hominem credere, sperare, diligere, aut pœnitere posse, sicut oportet, anathema sit. Est enim de fide, quod ad credendum sicut oportet, gratia divina homini sit necessaria. dicente S. Paulo *2. ad Cor. 3. v. 5.* Non sumus sufficientes aliquid cogitare a nobis, quasi ex nobis. Rogandus est itaque Deus, ut gratiam suam largiatur non credentibus. Pulchrè enim *S. Aug. tract. 3. in Joan.* Si non est intus qui doceat, inanis fit strepitus iste, nempe Concionatorum. Cathedram inquit in cœlo habet, qui corda docet. Hanc Cathedram per Angelum Deus exhibuit Centurioni *Act. 10. per totum*, quando vidit angelum Dei introeuntem ad se, & dicentem sibi, Corneli! Orationes tuæ, & eleemosynæ tuæ ascenderunt in memoriam in conspectu Dei. Et nunc mitte viros in Joppen, & accersi Simonem, hic dicet tibi, quid te oporteat facere, En cathedram erigit & Doctorem ordinat Deus, ut Cornelius fidei lumine illustratus, fidem veram assequatur. Alexandriæ fuit puella nobilis, sed gentilis, maximarum hæres divitiarum, hæc casu pomarium suum ingressa uti refert *Pexenfelder l. 1. Hist. 48.* vidit hominem ab arbore laqueum aptantem, â quâ se suspendere voluit. Ubi puella intellexit, meditati suspendij causam esse æs alienum, quo obæratus fuit homo, illius miserta, omnem illi substantiam suam donavit, ut sic debita sua dissolveret. Ubi verò puella repentè ex divite pauper famere cœpit, & vestibus nudari; ut undè viveret haberet corporis sui questum fecit. Verum dum sic propudiosè nundinatur, in gravem morbum incidit, in quo â divinâ gratiâ illustrata, ad Episcopum mittit, & ab illo baptismum petit. Quia verò Episcopus libidinosæ conversationis illius notitiam habuit, baptismum negavit. Quare moesta puella ad cœlum se convertit, & quæ ab omnibus deserta videbatur, apud Deum auxilium invenit, subitò enim adest Angelus in specie illius, quem à suspendio liberavit; hic interrogat, an seriò baptis-

Eleemosynam liberalem Deus remunerator baptismo.

baptiſmum velit ? reſpondit illa divina jam gratiâ illuſtrata, abundè ſibi ſatisfactum iri pro omnibus, quæ illi donavit, ſi ſibi ab Epiſcopo baptiſmum impetraverit. Abit Angelus, & ſtatim alios duos adducit, qui Purpuratorum Procerum perſonas induti ; puellam ad templum deducunt. Hic noti à vultu proceres, ſacri baptiſmi Miniſtros evocant, & ut puellam baptizent, poſtulant. Annuunt Miniſtri, modo & ipſi ſuſceptores & ſponſores pro puellâ eſſe velint. Spondent liberrimè, & ſacerdotes puellam baptizant. Patrini peracto baptiſmo puellam albis indutam domum deducunt, & diſparent. Populus puellam in albis miratus, rem ad Epiſcopum defert, qui quia puellæ priùs baptiſmum negavit, negotium impenſius examinare decrevit. Vocantur itaque ſacerdotes, qui Patrinos & Sponſores ex aulâ nominant, ad quorum poſtulationem ipſi puellæ baptiſmum contuliſſent. Interrogantur nomine Epiſcopi ipſi aulici, qui nihil de puella aut illius baptiſmo ſe ſcire dixerunt. Undè Epiſcopus perſonatos Angelos fuiſſe credens, puellam vocat, eamque interrogat, quibus meritis à cœlo hanc gratiam obtinuiſſet ! Puella ſe peccatricem eſſe dixit, nec aliud ſe ſcire profeſſa eſt, quam hoc unicum, quod deſperatum hominem omni ſuâ ſubſtantiâ donatum, à laqueo, quo ſe ſuffocaturus erat, liberaverit. Dixit, & ſimul in innocentiâ baptiſmali mortua eſt. An non hæc gratia donum illud DEI fuit, quo de credendis fidei noſtræ myſterijs hæc puella interius à DEO illuſtrabatur, & ad baptiſmum ſuſcipiendum, quaſi pertracta fuit ? dicente ipſo Chriſto ; Nemo poteſt venire ad me, niſi Pater qui miſit me, traxerit eum. Quare *S. Aug. l. de Spirit. & lit. c. 34.* dicit. Neque enim anima poteſt credere, ſi nulla ſit vocatio. Veriſſimum namque eſt ejuſdem Aug. dictum *tract. 81. in Joan.* ſive parum, ſive multum, ſine illo fieri non poteſt. Si proindè quæras, unde fiat, quod aliqui ex Ethnicis vel hæreticis illuminentur, aliqui verò in ſuâ cœcitate perſiſtant ? Reſpondeo id fieri ex eo, quia Deo ſyncerè ſe non credunt, ut inſtar liquidæ ceræ, DEus cordi eorum, ſuam voluntatem imprimat. Quando Saulus Damaſcum abiens fulminatus voce divinâ concidit *Act. 9. v. 6.* Dixit : Domine quid me vis facere ? Statim audivit, ſurge ; & ingredere civitatem, & ibi dicetur tibi, quid te oporteat facere, ecce cor Sauli Ceræ inſtar liquidum, quod ubi Saulus artifici dexteræ DEI obtulit, ſtatim gratia divina Saulum immutavit, & ex Saulo Paulum effecit. Obdurati


Angeli patrini.

verò & in suis erroribus obfirmati homines, audaci planè contumaciâ divinæ gratiæ illuminanti resistunt, & sic obicem ponunt, quò minus ad excitantem gratiam, per conciones vel explanationes mysteriorum fidei, gratia DEI adjuvans concurrat. Undè fit, ut milleni etiam in suâ cœcitate pereant; non perituri, si cœlesti gratiæ parvissent. Exprobrat his meritò Christus illud *Mat. 23. v. 27.* Quoties volui congregare filios tuos, & noluisti? Expertus hoc est ingenti damno suo Radbodus Frisiæ: Dux, de quo Surius *in Vita S. Wolframi Episcopi 20. Martij*, ubi refert, quod S. Wolframus Frisiæ Episcopus, plurimos ad Christum converterit, inter quos fuit filius ipsius Principis, neque ipse Radbodus parens, procul à regno DEI abfuit. Nocte tamen mediâ infernalis impostor dæmon, regio indutus paludamento, hortatur infirmum Radbodum Ducem, nè Sacra Christiana suscipiat. Quod ut Duci facilius persuaderet, promittit illi palatium aureum in sylva proxima, si gentilis permaneret. Ut verò hoc firmius crederet Radbodus, jubet ut Commissarios expediat, qui experimentum capiant promissi à se palatij, qui dum ad sylvam accedunt, & palatium aureum vident, simul vocem audiunt, hæc Domus, est sedes, quam Radbodo DEus suus, post hanc mortalitatem se daturum spopondit. Tunc enimverò Diaconus DEO plenus dixit: si à vero DEO surrexit ista fabrica, æternum precor duret; si autem mali dæmonis opus est, dispereat continuò. Hæc simul ac dixit, crucem fecit, & omnia simul disparuerunt. Redeunt ergo missi legati, ut Radbodo visa referrent, sed illum sine baptismo mortuum repererunt. Quis hic audebit culpare Deum? Tota culpa est in Duce, qui vel ob respectum humanum, vel vanissimas promissiones dæmonis, dum suavi Christi jugo collum non submisit, divinam gratiam à se recedere coëgit. Quid clarius hic dici potest, quam illud *Cant. 5. v. 2.* Aperi mihi soror mea, amica mea, columba mea, immaculata mea! Ecce gratia excitans, quæ ut fortiùs etiam reluctantem sponsam excitet, motiva longæ patientiæ suæ addit, quia caput meum plenum est rore. & cincinni mei guttis noctium. Audiamus modo sponsam vel animam à DEO vocatam. Expoliavi me tunicâ meâ, quomodo induar illa? Lavi pedes meos quomodo inquinabo illos? Quid tunica? nisi exteriora fortunarū nos, circumstantium impedimenta? quibus implicati, verum fidei lumen non amplectimur, maluntque

Vocationi divinæ parendum.

Lutherani

Lutherani aut Calviniſtæ potiùs divites ire ad infernum, quam cum Chriſto paupere, in veritate fidei Chatholicæ DEO ſervire, & æternâ beatitudine perfrui. Verum timendum eſt, ne nobis accidat, quod ſponſa *v. 6.* deflet: Peſſulum oſtij mei aperui dilecto meo; at ille declinaverat, atque tranſierat. Quid deindè? audi ſponſam *v. 7.* Invenerúnt me Cuſtodes, qui circumeunt civitatem percuſſerunt me, vulneraverunt me. Qui hi Circitores ſunt alij, quam illi *1. Pet. 5. v. 8.* Adverſarius veſter diabolus tanquam Leo rugiens circuit, quærens, quem devoret. Heu quot æternum in inferno ardebunt, qui gratiam DEI excitantem audire neglexerunt, & ſic infernali Leoni, truculentiſſimo, nempè dæmoni, æternum heu! in prædam ceſſerunt.



QUÆSTIO IV.

An dentur Traditiones? Et an aliqua fide Divina credenda ſint, quæ ſcripta non ſunt?

Traditiones eſſe triplices, nimirum divinas, Apoſtolicas, & Eccleſiaſticas, communis eſt Doctorum opinio. Et quidem divinæ ſunt dogmata certa fidei, quæ divinitùs tradita habentur à DEO, & pro talibus ſemper ab Eccleſia ſunt habita. Sic quod parvuli ſint baptizandi, nullibi habetur in ſcriptura; ita etiam nullibi habet ſcriptura, quod ſint ſeptem ſacramenta, & tamen utrumque, tanquam certum fidei dogma habemus & credimus. Fundatur hoc in illo *Joan. 16. v. 12.* Adhuc multa habeo vobis dicere, ſed non poteſtis portare modo. Cum autem venerit ille ſpiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem. Hinc etiam poſt reſurrectionem ſuam, *Act. 1. v. 3.* Per dies quadraginta apparens eis JEſus, locutus eſt de regno DEI. Quæ uti S. Joan. *c. ult. v. 25.* fatetur, non ſunt ſcripta, quæ ſi ſcribantur, nec ipſe mundus caperet illos libros. Ex quo oſtenditur, quod Chriſtus poſt reſurrectionem ſuam multa egerit cum ſuis Apoſtolis, quibus eoſdem inſtruxit circa varia, quæ ſacri Hiſtoriographi ſuo Evangelio, non ſunt complexi. Traditiones verò Apoſtolicæ ſunt, quæ ab Apoſtolis nobis ſunt relictæ. Quales ſunt frontem cruce ſignare: Quadragesimam

Traditiones divinæ.

Traditiones Apoſtolicæ.

gesimam servare, Eucharistiam à jejunis sumendam esse, hæc enim ab Apostolis accepimus, & absque speciali præcepto revelantis Dei servamus, licet nec ipsi Apostoli in suis Epistolis Canonicis expresserint. Et ideo S. Paulus *2. ad Thess. 2. v. 14.* monuit: Tenete traditiones, quas accepistis, sive per sermonem, sive per epistolam. Ut propterea *S. Basilius l. de Spir. sanct.* dicat: dogmata, quæ in Ecclesiâ prædicantur, quædam habemus à doctrina scripto traditâ, quædam rursus ex Apostolorum Traditione. Traditiones denique Ecclesiasticæ sunt illæ, quas vel Apostolorum successores Pontifices, vel Concilia ordinarunt & statuerunt. Sic quod altaria & vasa sacra debeant benedici, quod Eucharistia pro infirmis in Ecclesiâ sit asservanda, quod sacrum Chrysma singulis annis debeat renovari; hæc omnia tanquam traditiones sacræ, & consuetudines ab universâ Ecclesiâ receptæ observari debent. Sic enim *Tertul. l. de corona militis* ubi quasdam cæremonias enumeravit, subjungit: Harum & similium disciplinarum si legem expostules, scripturam nullam invenies, traditio tibi prætenditur auctrix, consuetudo confirmatrix. Ut propterea *S. Aug. Ep. 118.* dicat: Illa autem quæ non scripta, sed tradita custodimus, quæ quidem toto orbe servantur, dantur intelligi, ut ab ipsis Apostolis, vel plenarijs Concilijs, quorum in Ecclesiâ Saluberrima est authoritas commendata atque statuta retineri. Quod idem S. Aug. *l. de baptis. contra Donat. c. 7.* etiam ad alias traditiones authoritate Conciliorum non firmatas, extendit, dum inquit: Quam consuetudinem credo ex Apostolicâ traditione venientem; sicut multa non inveniuntur in literis eorum, neque in concilijs posterorum, & tamen quia custodiuntur per universam Ecclesiam, non nisi ab ipsis tradita, & commendata creduntur. Undè Concilium Nicœnum secundum, *Act. 7. tom. 4.* in fine anathema in contumaces & refractarios statuit inquiens: siquis traditionem Ecclesiæ, sive scripto, sive consuetudine valentem non curaverit, anathema sit. Quod *Trident. sess. 4.* his verbis renovavit. Verbum DEI, sive puram Evangelij doctrinam ac disciplinam, contineri tum in sacris literis, tum in non scriptis traditionibus. Ideoque tam has, quam illas pari pietatis affectu ac reverentiâ suscipiendas esse. Si quis autem eas sciens & prudens contemnat, ei anathema denunciat. Unde Iudicrum est anathema, quod impius *Lutherus in commentar. c. 1. ad Gal.* ponit, dicens: Neque alia doctrina

Traditiones Ecclesiasticæ.

in

in Ecclesiâ tradi & audiri debet, quam purum verbum DEI, hoc est sancta Scriptura; Doctores vel authores alij cum suâ doctrinâ anathema sunto. O bellum Doctorem! & verbi divini sacræque legis interpretem! Quomodo ergo fidem habuit Adam, & illius ævi Patriarchæ, qui totis bis mille sexcentis sexaginta septem annis ante Moysem vixerunt? quomodo inquam salvi facti sunt? quia tunc nulla extitit scriptura. Non dicam, quod vel ab ipso Moyse usque ad Josiæ Regis tempora, tam pauca fuerint scripturæ exemplaria, ut quod habetur *l. 4. Reg. c. 22. v. 13.* ægrè fuerit invenire scripturæ aliquod exemplar & volumen. Ite! & consulite Dominum super me, & super populo, & super omni Juda, de verbis voluminis istius, quod inventum est. Taceo quod ab ascensione Christi usque ad tempus, quo S. Matthæus Evangelium scripsit, nulla novi testamenti scriptura fuerit, adeoque in terris septem annis fides in primâ Ecclesiâ non fuisset. Apage! proindè cum ludicris his Novatorum crepundijs Audite S. Paulum *1. ad Cor. 11. v. 2.* Laudo vos fratres, quod per omnia mei memores estis, & sicut tradidi vobis, præcepta mea tenetis. Unde etiam *2. ad Theß. 2. v. 14.* præcipit: Itaq; fratres state, & tenete traditiones, quas didicistis sive per sermonem, sive per epistolam nostram. Sancti Pauli exemplum secuti Pontifices, S. Fabianus Papa & Martyr *in Ep. 2. ad Episcop. Oriental.* ubi præcipit his verbis: Ista à sanctis Apostolis, & eorum successoribus accepimus, vobisque tenenda mandamus. S. Leo primus *serm. de quadrag.* inquit, Apostolica institutio quadraginta dierum jejuniis impleatur. Cujus causam claris verbis assignat, *Serm. de Jejun. Pentec.* dum inquit: dubitandum non est dilectissimi, omnem observantiam Christianam eruditionis esse divinæ, & quidquid devotionis ab Ecclesiâ in consuetudinem est receptum, de traditione Apostolicâ, & de Sancti Spiritus prodire doctrinâ. Quare S. Basil. *l. de Spirit. Sanct. c. 27.* ait: Dogmata quæ in Ecclesiâ servantur ac prædicantur, partim ex conscriptâ doctrinâ habemus, partim ex Apostolorum traditione in mysterio ad nos delato, recepimus. Quæ utraque eandem ad pietatem vim habent, & nemo his contradicit, qui vel mediocrem saltem Ecclesiasticorum jurium experientiam habet. Undè manifestum est Lutherum & Calvinum aliosque Novatores juris Ecclesiastici parum peritos fuisse quia Traditiones propudiosè planè rejecerunt, quas tamen ipse Justinianus *l. cum recta. 5.* jure publi-

co acceptavit. Verba legis sunt: Nos sequentes sanctorum Apostolorum, & eorum, qui post eos in sanctis DEI Ecclesijs conversati sunt dogmata, justum fore existimavimus, cunctis manifestum facere, qualiter de fide, quæ in nobis est sentiamus. Insistentes & adhærentes traditioni & Confessioni Sanctæ DEI Ecclesiæ Catholicæ. Quod in *novel. 6.* repetit: Benè autem universa geruntur & competenter, si rei principium fiat decens & amabile DEO. Hoc autem futurum esse credimus, si sacrarum regularum observatio custodiatur, quam justi & laudandi & adorandi inspectores administri verbi DEI tradiderunt, Apostoli, & sancti Patres custodierunt, & explanaverunt. Ecce Justinianus sanctorum Patrum authoritatem tuetur & commendat; Lutherus *de servo arbitrio tom. 2.* annihilat & conculcat dicens: Patrum authoritas susque deque facienda est. Non ita loquitur Job. *c. 8. v. 8.* Interroga generationem pristinam, & diligenter investiga memoriam Patrum. subdit *v. 9.* Et ipsi docebunt te. Certè si Novatores isti Jobum secuti fuissent, aut Jeremiam, in tam absurdos errores se ipsos non intricassent. Audite Prophetam Jeremiam *c. 6. v. 16.* Hæc dicit Dominus state super vias, & videte & interrogate de semitis antiquis, quæ sit via bona, & ambulate in eâ, & invenietis refrigerium animabus vestris. Quia verò illi non vias antiquas Sanctorum Patrum, sed novas & erroneas opiniones suas secuti sunt, in confusionem seipsos, & perturbationem universam DEI induxerunt Ecclesiam. Aliter planè & diversum à vobis, agnovit Rex magnæ Britanniæ Jacobus, qui ad Cardinalem Peronium sic scripsit: Nemini inquit hodiè fas esse damnare ea, quæ constiterit primorum sæculorum Patres unanimi consensu probasse, tanquam utilia, aut licita. Quia teste S. Paulo ad *Eph. 4. v. 14.* Pastores & Doctores idcirco à DEO sunt constituti, ut non circumferamur omni vento doctrinæ, sed ut permaneamus in unitate fidei, donec omnes occurramus. Et ideo *Deut. 32. v. 7.* dicitur: Memento dierum antiquorum, cogita generationes singulas, interroga Patrem tuum & annuntiabit tibi, majores tuos, & dicent tibi. Hi enim cum Viri sancti fuerint, & DEO placuerint, necessariò in fide verâ florere debuerunt. Non potuissent autem placere DEO, nisi in fide verâ excelluissent; dicente S. Paulo ad *Hebr. 11. v. 6.* Sine fide, impossibile est placere DEO.

SS. PP. authoritas magni facienda.

QUÆ-

QUÆSTIO V.

An aliquando teneamur fidem confiteri? An non liceat illam negare? An, aliam fidem simulare, vel nostram dissimulare?

COmmunis est Doctorum opinio, quod quando id honor DEI exigit, & religionis Catholicæ existimatio, quod omnino teneamur fidem veram confiteri. Sic enim Christus ipse adjuratus à Principe Sacerdotum per Deum vivum, se Dei filium confessus est, licet sciret confessionem illam, futuram mortis suæ causam. Unde *Luc. 9. v. 26.* tam graviter comminatur Christus: Qui me erubuerit, & sermones meos, hunc erubescet filius hominis, cum venerit in majestate suâ. Sed ingerere ultrà nos non debemus, nisi id ex speciali DEI impulsu fiat. Fuit ex familiâ S. Francisci vir religiosus, & Zelo amoris DEI plenus, qui Martyrij desiderio accensus Constantinopolim venit & ad ipsam regiam Sultani penetravit, ibique magnis clamoribus Christum prædicavit, ejusque fidem ad salutem necessariam contestatus est. Pervenit, clamor iste ad aures Sultani, qui inquiri curavit, quid insueto hoc clamore vellet? Respondit vir optimus, se aliud non desiderare ac petere, quam martyrium, & se pro fidei veritate mori paratum esse. Reposuit Sultanus, ut si pro veritate mori vellet, ad Principes rediret Christianos; ijsque veritatem prædicaret, non defuturam occasionem, ut pro veritate martyr occumberet. Majori cum gloriâ fidei veritatem tuitus est Diaconus ille, de quo refert historia Ecclesiastica. Cum enim Ariano cum presbytero disputasset Diaconus alius Catholicus, & ubi defecerunt argumenta, ventum fuisset ad probam miraculosam; convenit inter eos, ut succendatur focus, cui imponatur lebes aquâ plenus, in aquam deindè bullientem immittatur ex manu detractus annulus. Quique ex aquâ bulliente illæso brachio extracturus esset annulum, illius fides pro verâ habeatur. Catholicus non satis firmus, unguento brachium inunxit, quod videns Arianus, arte non fide certari clamavit, & penè contra Catholicos trium-

Fidem tenemur aliquando Confiteri.

Veritas teste Sultano Martyrem facit.

Fides manum illæsam in bulliente aquâ servat.

triumphavit. Litem diremit interveniens alius Diaconus Catholicus, qui nudato statim brachio ex bulliente aquâ extraxit annulum, quem utique parvum, satis diu in bulliente aquâ debuit investigare. Confusus Arianus illud etiam tentare voluit, sed vix manum imposuit, & carnem ad ossa usque nudavit. Hæc Catholicæ religionis existimatio impulit Diaconum, ut diffidentiam alterius corrigeret, & calumniam, quam Ariani paraverant, ab Ecclesiâ Catholicâ averteret. Ità requisitus de fide Catholicâ se Christianum professus est ille, de quo *Eusebius l. hist. Ecclesiast. 5. c. 1.* qui à Tyranno interrogatus, quis esset? respondit constanter, Christianus sum. Cum verò instaret Tyrannus, quod nomen? quæ familia? quæ esset illius condicio? aliud non respondit, quam Christianus sum; & in hac confessione Martyr occubuit. Quam verum est illud Pauli *ad Rom. 10. v. 10.* Ore fit confessio ad salutem.

DEus non facit miracula pro hæreticis.

Fidem negare non licet.

Ex quo deducitur, quod etiam cum vitæ periculo non liceat fidem negare. Gravis enim irrogatur DEO injuria, quasi quæ DEus dixit & docuit, vera non sint, sed falsa. Diffidimus enim veritati divinæ, & hanc mortalem vitam, illi immortali à DEO nobis promissæ anteponimus. Graviter S. Aug. *serm. 18. de verbis Ap.* Times ad modicum mori, & non times in æternum mori? Cur non cogitamus, nos brevi morituros? Cum domus ruinam minatur, ex domo nos subducimus, pretiosa omnia exportamus. Audite *Senecam Ep. 30.* In senili corpore, aliquatenus imbecillitas sustineri & fulciri potest, cum tanquam in putri ædificio omnis junctura dilabitur, & dum alia eripitur, alia discinditur, circumspiciendum est, quomodo exeas. Unde author operis imperf. *hom. 26.* inquit, si ergo post modicum morituri sumus, nullâ DEI causâ proposita, quomodo non antè modicum in causâ DEI cum gloriâ morimur? ut fiat voluntarium, quod futurum est necessarium, atque offeramus DEO pro munere, quod reddendum est pro debito. Cum Christus dicat *Math. 10. v. 32.* Qui negaverit me coram hominibus, negabo & ego eum coram Patre meo. Ut proindè metuendum sit illud Jobi *4. v. 21.* Morientur, & non in sapientiâ. In quem locum S. Greg. Mag. *l. 5. moral. c. 30.* Mortem quidem & sapientiam pariter fugiunt, sed sapientiam penitus deserunt, mortis autem laqueos non evadunt. Et qui quandoque morituri, vivere moriendo potuerunt, dum mortem, quæ procul dubio ventura est, metuunt, & vitam

Pro DEI causa mori decorũ est.

simul

ſimul & ſapientiam perdunt. At contrà juſti in ſapientiâ moriuntur, quia mortem quam evitare funditus nequeunt, cum pro veritate imminet, differre contemnunt; eamque dum æquanimiter ferunt, pœnam propaginis vertunt in inſtrumentum virtutis. Adeoque S. Fulgentius Ep. *2. ad Gall.* inquit Sacra Scriptura nos docet, in hoc ſæculo Chriſtianis fidelibus longam vitam non prodeſſe, ſed bonam. Quæ melior, quam quæ pro Chriſtò terminatur? Pulchrè de S. Martino Severus Sulpitius ſic loquitur: Martinus quamvis adhuc baptizatus non eſſet, nihil tamen eorum, quæ Chriſtianum oſtenderent, intermittebat. Quanti hodiè fidem Catholicam negant, qui ſpe hæreditatis potiundæ, Lutheranam communionem admittunt, ſub utraque ſpecie communicant? Certè Politici plurimi, quacunque ex causâ utili, cum hæreticis diebus prohibitis carnes vorant, eorum ſynagogas frequentant, conciones audiunt, cœnâ imaginariâ, ne dicam phantaſticâ ſe polluunt. Clancularij uſque hodiè dum interrogantur, an ſint Anabaptiſtæ? liberè ſe tales eſſe negant. Qui negaverit me inquit Chriſtus coram hominibus, negabo & ego eum coram Patre meo. Quod ſi ſponſam tuam pretioſis ornes cymelijs, & illa eadem innectat crinibus ſuis, aut ſertis ſuis pretioſis inſerat, quando coram amicis eſt, abſcondat vero coram inimicis tuis, annè placebit tibi? Ornat DEus animam tuam, ſponſam ſuam fide, & cur celet hanc gemmam pretioſam coram inimicis DEI? Non eſt hæc prudentia ſed perfidia, non cautela ſed diffidentia & timiditas. Quis enim à te ſperet fidelitatem, ſi in fide non perſtas apud DEum? S. Martino attribuit hoc Severus Sulpitius, quod propter fidem, & in illa conſtantiam apud omnes acceptus fuerit. Unde omnibus inquit ille, fiebat charus. Aldrovandus *l. 13. Ornythol.* inter proverbia de anſeribus refert, quod juraſſe per anſeres falſum credebatur juramentum, quia anſeres Græci appellant animalia amphibia, ſunt enim modò aquatilia, modò terreſtria. Quid fidas illis? qui modò piſcis, modò caro ſunt; modò catholicos ſe jactant, modò cum Lutheranis tenent. Timeo ne ſicut anſeres aliquando in infernali foco aſſentur, & Plutoni ac Proſerpinæ, in inferno cœnam parent. Tremendum eſt quod *1. ad Tim. 2. v. 12.* dicit Paulus: ſi negaverimus, ille negabit nos. Hinc tantis lachrymis negationem ſuã, expiavit Petrus, ut vel ipſe lachrymarum decurrentium ardor, ipſas genas aduſſerit. Et S. Marcelli-

nus Pontifex, quando immanitate persecutionis territus, Deorum simulachris thus adolevit, tantoperè pœnituit, ut Sinuessam ad Concilium venerit Episcoporum, & inter copiosas lachrymas perfidiam suam sit detestatus. S. Petri tamen exemplo confortatus Romam redijt, Diocletianum tyrannum increpuit, & in Confessione fidei constantissimè perseverans, est capite plexus.

Fidem falsam simulare non licet. Quare neque fidem falsam simulare licet; quia clarè Christus *Luc. 9. v. 26.* dicit: Qui me erubescit coram hominibus, hunc erubescet filius hominis, cum venerit in sede majestatis suæ. Et hinc in antiquo testamento *2. Mach. c. 7.* Eleazarus, cum cogeretur contrà legem carnes porcinas comedere, easdem non admisit, & mori prælegit, quam mandatum divinum violare. Cum verò aliqui iniquâ commiseratione moti, acciperent carnes licitas, ut easdem comederet, & simularet se comedisse porcinas, indignabundus dixit: Non enim ætati nostræ dignum est fingere, ut multi adolescentium, propter meam simulationem, & propter modicum corruptibilis vitæ tempus, decipiantur. Quod etiam nostrâ ætate vir integerrimus Thomas Morus in Angliâ præstitit, qui ne videretur ab Ecclesiæ Catholicæ fide in minimo recessisse, induci non potuit, ut ullâ ratione se Regis postulato simularet assentiri. Hoc ipsum constantissimè fecerunt plurimi Sanctorum Martyrum, quibus Tyranni in manus imposuerunt vivos carbones & thus, cum condicione, ut si ignitos carbones excuterent, dijs sacrificasse censerentur. Quos proindè constantissimè tenuerunt, ne carbones illos excutiendo, suspicionem negatæ fidei incurrerent. Et licet fortè juxta benignam aliquorum opinionem, hos ignes de manibus potuissent excutere, propter doloris magnitudinem, retentâ in corde fide firmâ ad DEum, quia tamen hoc coram Christiani nominis hostibus fuisset injuriosum DEO, utpotè quia erubescere DEum coram hominibus est indecorum; & proximo fuisset nocivum, quia multi hoc malo exemplo ad sequelam potuissent induci, ideò imperturbati maluerunt flammis ignitorum carbonum torqueri ad modicum, ut in cœlo refrigerio recrearentur æterno. Et certè si puer ille, Alexandri Magni Ephœbus sacrificante Domino suo, cum fortè ignitus carbo, ab arâ in manum illius incidisset, ne sacrificij devotionem impediret aut turbaret, carbonem non excussit, quod testatur Valerius Maximus *l. 3. de patient.* Ubi hoc Alexander vidit, pueri

Thomas Morus fidem non simulat.

Ephœbus Alexandri carbonem in manu sustinet.

pueri modestiâ delectatus, diutius quam solitus fuit in sacrificio voluit cunctari, ut amplius pueri eluceret reverentia & constantia. Quid ni hoc Martyribus dabimus amore divino æstuantibus? Et hinc primitivæ Ecclesiæ praxis fuit, graviter punire eos, qui fide in animo retentâ, exterius idolis thus adolevissent.

Per hoc tamen non prohibemur ex justis causis aliquando fidem dissimulare; Si quis nimirum diffideret suæ constantiæ, metueretque ne tormentis impar, inter hæc fidem abnegaret. Vel certè si alicujus salute multi alij in fide conservarentur. Sic passim videmus in hæreticorum & Gentilium partibus, plures versari viros Apostolicos, qui fidem dissimulant, ut Catholicis ibidem sint solatio, iisdem Sacramenta administrent & in fide conservent. Quo casu dissimulare fidem non tantum peccatum non est, sed sæpè magni meriti: Sic pro solatio Christianorum S. Felicem Nolanum presbyterum, DEus ipse custodivit atque occultavit aranearum telâ, quam eidem mirabiliter texuit, ut inimicos falleret, & illum à captivitate tutaretur. Sic S. Athanasius cum à persecutoribus penè jam caperetur, & milites in mari eundem capturi insequerentur, ille obversâ navi iisdem obviavit, cumque interrogaretur, an non procul indè esset Athanasius, respondit indè minimè procul abesse, atque sic insequentium conatus elusit. Cum enim præceptum Confessionis fidei, non obliget pro semper; & interdum sit melius, non confiteri palam fidem, nè si prodatur quis Tyranno, tormentis oppressus fortè fidem neget, Tutius erit aliquando eandem fidei confessionem dissimulare, Et sic S. Antonius crudelitate pœnarum & tormentorum, quibus Christiani afficiebantur territus, eremum petijt; & sanctam vitam Confessor egit, ne fortè martyrio impar, à cœlesti gloriâ excluderetur. Sciebat utique, quia non minus frænando passiones gloriosi Christi pugiles, cum hiscè monstris pugnando, quam Sancti Martyres cum feris & bestijs decertando, victoriam & palmam referre possint. Benè namque S. Aug. *serm. 23. de Sanctis.* Tota Christiani hominis vita, si secundum Evangelium vivat, crux est atque martyrium. Quod confirmatur ex eo, quia martyr, seu testis Christi est, qui mori mavult, quam præceptum DEI violare. Audite nunc S. Ambr. *serm. 20. in Ps. 118.* Quotidiè inquit Testis es Christi. Tentatus es spiritu fornicationis?

Licet aliquando fidem dissimulare.

S. Felix tela aranei tegitur.

S. Athanasius ladit persecutores.

S. Antonius persecutionem fugiens Eremum petijt.

ſed veritus Chriſti futurum judicium, temerandam mentis & corporis caſtimoniam non putaſti, martyr es Chriſti. Tentatus es ſpiritu avaritiæ, ut poſſeſſionem minoris invaderes? indefenſæ viduæ jura temerares, & tamen cœleſtium contemplatione præceptorum, opem magis ferendam, quam inferendam injuriam judicaſti, teſtis es Chriſti. Tentatus es ſpiritu ſuperbiæ, ſed videns inopem atque egenum piâ mente compaſſus es, humilitatem magis quam arrogantiam dilexiſti. Teſtis es Chriſti. Ille ergo teſtis eſt Chriſti, qui adſtipulantibus factis, Domini JESU præcepta teſtatur. Quanti ergo quotidie in oculis divinis Martyres Chriſti ſunt, & JESUM Dominum confitentur! Ecce quotidiani Martyres. His ergò præmiſſis, ad opus ipſum accedamus.

Chriſtiani hominis vita perpetuum eſt martyrium.



CAPUT

CAPUT PRIMUM
PUNCTUM I.
Quod necessitate medij credi debet.
DISCURSUS I.
DEUS est unus, & omnium Creator.

MAnichæi duos Deos finxerunt, bonum unum, malum alterum; quod sacris literis manifestè repugnat, quæ per *Malach. c. 2. v. 10.* expressè dicunt: DEus unus creavit nos; Neque enim ex eo, quia creaturæ aliquæ noxiæ nobis sunt, culpari debet DEus creator; omnes itaque creaturæ à DEO conditæ, bonæ sunt in se, sed per peccatum primorum parentum, & verò etiam nostro, fiunt malæ, id est in pœnam peccati nobis nocivæ. Cœterum quod DEus sit unus, de fide est, & rationi naturali congruit, quia cum DEus sit ens, quod in se continet omnes perfectiones, quæ possunt excogitari, si plures essent dij, vel singuli haberent aliquid perfectionis, quod non habent alij, vel omnes haberent omnem plenitudinem perfectionis? si distinctas haberent perfectiones, dii dici non possent; quia non essent ens, quod complecteretur omnes perfectiones; si verò ejusdem essent perfectionis, cum non haberent undè distinguerentur, omnes reverà essent unus DEus, quod defacto in sanctissima Trinitate videmus, in quâ sanctissimæ tres personæ, sunt unus DEus, dicente ipso Christo apud *S. Joan. c. 10. v. 30.* Ego & Pater unum sumus. Ut propterea *S. Athanasius in suo symbolo* dicat, DEus Pater, DEus Filius, DEus Spiritus Sanctus, & tamen non

DEUS est unus.

non tres dij, sed unus est DEus. Quod confirmatur ex *Deut. 6. v. 4.* Dominus DEus noster, Dominus unus est. Et S. Paulus *1. ad Cor. 8. v. 4.* clarè dicit: Nullus est DEus nisi unus. Quod verò prisca gentilitas infinitos penè DEos confinxerit, fuit illud inventū astutissimi dæmonis, ut Deorum nomina sceleratissimis quibusque imponeret. Causā hujus dat vel ipse *Seneca de brev. vit. c. 16. & de vit. beat. c. 26.* ut darent morbo vitiorum, exemplo divinitatis excusatam licentiam. Graviter proinde Gentiles *S. Greg. Nazianz.* perstrinxit, dum dixit: DEos vitiorum patronos effecerunt, ut peccatum non modò crimine careat, sed præclarum quid, & divinum etiam censeretur, ad ea scilicet, quæ pro dijs adorantur confugientes. Deploravit hanc Gentilitatis coecitatem *Jer. 23, v. 12.* Idcircò via eorum erit quasi lubricum in tenebris, impellentur enim & corruent in eâ. Quis enim pudicus erit, si ipsi Dij lasciviant?

Deorum multitudo, vitiorum origo.

Licet proindè Arius impiè senserit DEum Patrem creasse Filium, Filium verò creavisse Spiritum Sanctum, hunc deinde creavisse angelos, illos verò fuisse Creatores mundi. Repugnat hoc tamen S. Paulo *ad Rom. 11. v. 36.* Quoniā ex ipso, & per ipsum, & in ipso sunt omnia, ipsi gloria in sæcula. Quod clarius adhuc David *Ps. 145. v. 6. affirmat*: Spes ejus in Domino Deo ipsius, qui fecit cœlū & terrā, mare, & omnia, quæ in eis sunt. Priscillianistæ vix non stolidius volebant visibilia hujus mundi creata à Deo malo, invisibilia verò à Deo bono. Cum tamen Psalmista regius, invisibiles æque ac visibiles creaturas pari ardore ad laudandum DEum excitet *Psal. 148. v. 2.* Laudate eum omnes angeli ejus; & statim *v. 3.* visibiles creaturas ad laudandum DEum evocat; Laudate eum Sol & Luna, laudate eum omnes stellæ & lumen. Causam dat: *v. 1.* Quia ipse dixit & facta sunt, ipse mandavit, & creata sunt. Undè huic errori Piscillianistarum contradicit ipsum Symbolum Apostolicum, quod expressè dicit, DEum factorem cœli & terræ visibilium omnium & invisibilium. Ideoque de fide est, quod unicus DEus ter optimus Maximus ex infinitâ suâ misericordiâ totum mundum creaverit se solo, & sine auxilio ullius creaturæ. Dicente David *Psal. 148. v. 5.* Ipse dixit & facta sunt, ipse mandavit & creata sunt. Cui consonat illud *Gen. 1. v. 1.* In principio creavit DEus cœlum & terram. Ubi bene notandum est verbum creavit, scilicet non ex materiâ præexistente, sed ex nihilo. Est enim creatio, productio rei ex nihilo, sic

sic ut cum antea nihil omninò esset, DEus verbo virtutis suæ, id est per omnipotentiam suam dixit, & facta sunt. Nos homines ex lapidibus domum, ex ligno statuam facimus, DEus ex nihilo cœlum & terram creavit, quæ Creatio juxta SS. PP. sic solius DEI est, ut nulla creatura neque angelica hoc facere possit. Cæterum quasi per gradus DEus mundum creavit, ut præter immensam illius omnipotentiam, etiam infinitam sapientiam miremur. In principio enim creavit DEus cœlum & terram, exindè germinavit terra, aquæ vero dederunt pisces & aves, terra autem jumenta, & omne reptile terræ in genere suo. Tandem vero hominem *Gen. 1. v. 27.* Creavit DEus hominem ad imaginem suam. In quem locum *S. Greg. Nyss. hom. de Opif. mundi c. 8.* Moyses inanimes res primum, quæ animatorum tanquam primus gradus essent, deinde naturali vitâ præditas, ortas esse ostendit, post hæc eorum quæ sensu agitantur, originem commemorat. Causam dat; Idcircò natura convenienter quosdam quasi per gradus, ad id quod perfectum esset, progressa est. S. verò *Hier. tom. 9. in Regul. monach.* In creatione mundi, charitatem & uninoem nobis commendat dicens: Quod omnes creaturæ DEO easdem creanti bonæ visæ sint, prout seorsim separatæ sunt; ubi tamen uno nexu inter se sibi subordinatæ sunt, visæ sunt valdè bonæ, juxta illud *Gen. 1. v. 31.* viditque DEus cuncta, quæ fecerat, & erant valdè bona. De quo *valdè* sic differit. Omne secundum Philosophos tantum habet bonitatis, quantum habet unitatis, in exordio verò mundi vidit DEus cuncta quæ fecerat, & erant valdè bona simul. Sic enim flores singuli habent odorem & colorem suum, colligati tamen in fasciculum, gratiam habent longè majorem. Si ergo valdè bona vidit DEus quæ fecit, falsa est Manichæorum opinio, qui volunt molesta & nociva homini animalia à DEO creata non esse. Licet enim DEus creaverit serpentem, hic tamen neque Adamo neque Evæ nocere potuisset, nisi eidem curiosa Eva collocuta fuisset, & in peccatum prævaricationis consensisset, ut contra mandatum divinum comederet de fructu vetito, post peccatum enim homini creaturæ rebellarunt. Vidimus hoc factum cum S. Macario Eremicolâ, cui, uti ait *Pexenfelder p. 1. hist. 26.* parentes per vim sponsam dederunt, ipse verò die nuptiarum inter saltantium choros fugit, & Angelo duce Eremum petijt. Ingressus hic antrum leænam mortuam reperit, cujus binos catulos, ipse deinde

DEUS mundum per gradus creavit.

Creaturæ seorsim sunt bonæ, simul sunt valdè bona.

non tres dij, sed unus est DEus. Quod confirmatur ex *Deut. 6. v. 4.* Dominus DEus noster, Dominus unus est. Et S. Paulus *1. ad Cor. 8. v. 4.* clarè dicit: Nullus est DEus nisi unus. Quod verò prisca gentilitas infinitos penè DEos confinxerit, fuit illud inventū astutissimi dæmonis, ut Deorum nomina sceleratissimis quibusque imponeret. Causā hujus dat vel ipse *Seneca de brev. vit. c.16. & de vit. beat. c.26.* ut darent morbo vitiorum, exemplo divinitatis excusatam licentiam. Graviter proinde Gentiles *S. Greg. Nazianz.* perstrinxit, dum dixit: DEos vitiorum patronos effecerunt, ut peccatum non modò crimine careat, sed præclarum quid, & divinum etiam censeretur, ad ea scilicet, quæ pro dijs adorantur confugientes. Deploravit hanc Gentilitatis coecitatem *Jer. 23, v. 12.* Idcircò via eorum erit quasi lubricum in tenebris, impellentur enim & corruent in eâ. Quis enim pudicus erit, si ipsi Dij lasciviant?

Deorum multitudo, vitiorum origo.

Licet proindè Arius impiè senserit DEum Patrem creasse Filium, Filium verò creavisse Spiritum Sanctum, hunc deinde creavisse angelos, illos verò fuisse Creatores mundi. Repugnat hoc tamen S. Paulo *ad Rom. 11. v. 36.* Quoniā ex ipso, & per ipsum, & in ipso sunt omnia, ipsi gloria in sæcula. Quod clarius adhuc David *Ps. 145. v. 6. affirmat*: Spes ejus in Domino Deo ipsius, qui fecit cœlū & terrā, mare, & omnia, quæ in eis sunt. Priscillianistæ vix non stolidius volebant visibilia hujus mundi creata à Deo malo, invisibilia verò à Deo bono. Cum tamen Psalmista regius, invisibiles æque ac visibiles creaturas pari ardore ad laudandum DEum excitet *Psal. 148. v. 2.* Laudate eum omnes angeli ejus; & statim *v. 3.* visibiles creaturas ad laudandum DEum evocat; Laudate eum Sol & Luna, laudate eum omnes stellæ & lumen. Causam dat: *v. 1.* Quia ipse dixit & facta sunt, ipse mandavit, & creata sunt. Undè huic errori Priscillianistarum contradicit ipsum Symbolum Apostolicum, quod expressè dicit, DEum factorem cœli & terræ visibilium omnium & invisibilium. Ideoque de fide est, quod unicus DEus ter optimus Maximus ex infinitâ suâ misericordiâ totum mundum creaverit se solo, & sine auxilio ullius creaturæ. Dicente David *Psal. 148. v. 5.* Ipse dixit & facta sunt, ipse mandavit & creata sunt. Cui consonat illud *Gen. 1. v. 1.* In principio creavit DEus cœlum & terram. Ubi bene notandum est verbum creavit, scilicet non ex materiâ præexistente, sed ex nihilo. Est enim creatio, productio rei ex nihilo, sic

ſic ut cum antea nihil omninò eſſet, DEus verbo virtutis ſuæ, id eſt per omnipotentiam ſuam dixit, & facta ſunt. Nos homines ex lapidibus domum, ex ligno ſtatuam facimus, DEus ex nihilo cœlum & terram creavit, quæ Creatio juxta SS. PP. ſic ſolius DEI eſt, ut nulla creatura neque angelica hoc facere poſſit. Cæterum quaſi per gradus DEus mundum creavit, ut præter immenſam illius omnipotentiam, etiam infinitam ſapientiam miremur. In principio enim creavit DEus cœlum & terram, exindè germinavit terra, aquæ verò dederunt piſces & aves, terra autem jumenta, & omne reptile terræ in genere ſuo. Tandem vero hominem *Gen. 1. v. 27.* Creavit DEus hominem ad imaginem ſuam. In quem locum *S. Greg. Nyſſ. hom. de Opif. mundi c. 8.* Moyſes inanimes res primum, quæ animatorum tanquam primus gradus eſſent, deinde naturali vitâ præditas, ortas eſſe oſtendit, poſt hæc eorum quæ ſenſu agitantur, originem commemorat. Cauſam dat; Idcircò natura convenienter quoſdam quaſi per gradus, ad id quod perfectum eſſet, progreſſa eſt. S. verò *Hier. tom. 9. in Regul. monach.* In creatione mundi, charitatem & uninoem nobis commendat dicens: Quod omnes creaturæ DEO eaſdem creanti bonæ viſæ ſint, prout ſeorſim ſeparatæ ſunt; ubi tamen uno nexu inter ſe ſibi ſubordinatæ ſunt, viſæ ſunt valdè bonæ, juxta illud *Gen. 1. v. 31.* viditque DEus cuncta, quæ fecerat, & erant valdè bona. De quo *valdè* ſic differit. Omne ſecundum Philoſophos tantum habet bonitatis, quantum habet unitatis, in exordio verò mundi vidit DEus cuncta quæ fecerat, & erant valdè bona ſimul. Sic enim flores ſinguli habent odorem & colorem ſuum, colligati tamen in faſciculum, gratiam habent longè majorem. Si ergo valdè bona vidit DEus quæ fecit, falſa eſt Manichæorum opinio, qui volunt moleſta & nociva homini animalia à DEO creata non eſſe. Licet enim DEus creaverit ſerpertem, hic tamen neque Adamo neque Evæ nocere potuiſſet, niſi eidem curioſa Eva collocuta fuiſſet, & in peccatum prævaricationis conſenſiſſet, ut contra mandatum divinum comederet de fructu vetito, poſt peccatum enim homini creaturæ rebellarunt. Vidimus hoc factum cum S. Macario Eremicolâ, cui, uti ait *Pexenfelder p. 1. hiſt. 26.* parentes per vim ſponſam dederunt, ipſe verò die nuptiarum inter ſaltantium choros fugit, & Angelo duce Eremum petijt. Ingreſſus hic antrum leænam mortuam reperit, cujus binos catulos, ipſe deinde

DEUS mundum per gradus creavit.

Creaturæ ſeorſim ſunt bonæ, ſimul ſunt valdè bona.

inde solicitè educavit, qui cicures planè eidem blandiebantur, & licet adultiores jam essent, ipsi colludebant. Exacto biennio dæmon sponsæ formam mentitus, primò Macario strophiolum, deindè etiam fœmineum gratiosum calceum objecit, quæ inventa dum ille miratur, & se circumspicit, videt saxo insidere puellam speciosam, quæ manantibus lachrymis questa fuit se Macario desponsatam fuisse, cum verò intellexerit illum Eremum incolere, dixit, etiam se pari sancto ardere desiderio, sed modo desertam se esse, nec antrum habere, ubi à feris imunis foret. Misertus puellæ sponsæ eandem in cellam suam inducit, cibo reficit, & alloquio. Ubi persolutis vespertinis precibus Macarius quietem capere voluit, & non procul à puellâ decubuisset, dæmon in Macario flammas suscitare, & libidinis faces accendere cœpit, quibus ubi incaluit, atque jam in amplexus ruere tentavit Macarius, puella disparuit, atque dæmon illusisse visus est. Et ecce Leones, qui antè Macario subjecti erant, in illum insiliunt, usque dum pœnitentiæ seriæ decretum fecit. Jejunavit ergò quadraginta diebus, quibus exactis ante casulæ suæ ostium terram egessit, factaque fossâ se in illâ usque ad humeros sepelivit, nec alio vixit nisi radicibus, quas circa fossam enatas, brachijs suis attingere potuit. In hac tam durâ pœnitentiâ vixit triennio, victurus ulterius, nisi Christus ipse, qui illi apparuit, severitati modum ponere jussisset. Et tunc Leones qui à lascivo Macario rebelles recesserunt, rursus ad obsequium pœnitentis redierunt. Digna sunt ponderatione verba *Eccles. 39. v. 30.* Bona, bonis, creata sunt ab initio, sic nequissimis bona & mala. *Glossa* dicit: Omnia homini ante peccatum obediebant post peccatum verò, pugnant contra eum. *Hugo* verò *Cardinalis & Origenes* pari sensu sic loquũtur: Peccatori omnis creatura hostis est, justo serviunt omnia. Ita vidimus nostro etiam sæculo, obedivisse aves P. Josepho Anchietæ, quando in mari navigavit, & socio febricitanti umbram facere jussæ sunt. Tam denso enim agmine volabant, ut navem à Solis ardore inumbrarent, æstumque illius arcerent. Illi neque serpentes neque Tigrides nocuerunt, quando hos impunè manibus tractavit, illis ut se propius sisterent aspecturis mandavit, lenique manu blanditus eisdem benedixit. Tacco S. Xaverium cui ex mari Cancer crucifixum, qui incauto ex manibus elapsus fuerat, retulit. Eugubij lupum civibus mire infestum S. Franciscus Seraphicus

S. Macario peccanti Leones rebellant.

Peccatori creaturæ rebellant.

P. Anchietæ aves obediunt.

S. Xaverio cancer crucem refert.

phicus cicuravit, cum quo pactum fecit, ut nullum Civium læderet, sed ipse vicissim à Civibus alimentum caperet. obedivit lupus, & toto quo vixit biennio, per urbe læso nemine ambulavit, cibumq; domatim à Civibus accepit. Cives verò viso cicure lupo Deum laudarunt, & sancti Francisci sanctitatem venerati sunt. Pergit ulterius citatus *Origenes*. Hæc omnia sanctis in bona, sic & impijs & peccatoribus in mala. Sunt enim spiritus, qui ad vindictam creati sunt, & in furore suo confirmaverunt tormenta sua, in tempore consummationis effundent virtutem, & furorem, qui fecit eos placabunt. Ignis, grando, fames, & mors, omnia hæc ad vindictam Creatoris creata sunt. Bestiarum dentes, scorpij, & serpentes, & romphæa vindicans in exterminium impiorum. Expertus est hoc Abbas Pœmen vir religiosissimus, ad quem venit Agathonicus Præses cœnobij S. Sabæ, quem nocte appetente ubi prius cibo & alloquio recreavit, ad proximum spelæum duxit. Sæviebat interim atrox hyems, & hospes vix non frigore perijt. Alterâ die hospitem invisit Pœmen, cui ille questus est, quod vix non obriguerit. Subjunxit Pœmen Ego verò nihil frixi, quia Leo mecum accubuit, & me calefecit, enimverò ab hoc Leone discerpendus sum. Nam cum pastorem ovium agerem, vidi peregrinum à canibus invadi & discerpi, cui cum potuissem, non succurri. Decretum ergo divinitus est, ut ego pari mortis genere occumbam, quod per eundem Leonem post triennium factum est, quando ab illâ sibi tam familiari bestiâ est dilaceratus. Quam verum est illud *Sap. 5. v. 18.* Armabit Creaturam ad ultionem inimicorum. Cum enim omnes creaturæ fuerint instrumenta, quibus DEus nobis benefecit; dum nos abutimur DEI bonitate, in furorem & pœnam vertentur. Quæres fortassis cum *Jeremia c. 47. v. 6.* O mucro Domini, usquequo non quiesces? Respondebo ego, usquequò peccatores non agent pœnitentiam: Vultis vos ut Dominus dicat: O mucro ingredere in vaginam, refrigerare, & sile. Volo ego, ut ad DEum convertamini & pœnitentiam agatis. Ubi Macarius pœnitentiam egit, Leones rebelles eidem se stiterunt, & innoxij fuerunt. Unusquisque ergo nostrum ad pœnitentiæ lamenta confugiat, levemus corda nostra & manus ad DEum, & mucro punientis vindictæ divinæ ingredietur in vaginam. Quemadmodum in vaginam reconditus est gladius ille Romæ in sævissimâ peste, quæ tempore S. Gregorij grassabatur,

S. Franciscus lupum cicurat.

Pœmen Abbatem Leo familiaris lacerat.

E batur,

batur, quando S. Pontifex ipso die Paschatis supplicationem instituit, in quâ imaginem B. Virginis à S. Luca pictam solenniter circumferri curavit. Quacunque enim imago B. Virginis ferebatur, pestilentiæ vis infracta, & salubritas aëris est insecuta. Ipsi vero de cœlo angeli, Regina cœli canere auditi sunt, quod ubi cum Clero complevit S. Gregorius dicendo: Ora pro nobis DEum alleluja, visus est Angelus evaginatum & cruentum condere gladium. Ponamus nos arma, & Deo amantissimo Creatori nostro non rebellemus. tunc nullam creaturam Deus armabit in ultionem peccatorum. Quare creaturæ omnes à DEO creatæ, bonæ fuerunt in se, sed per peccatum primorum parentum, factæ sunt malæ, id est nobis in pœnam, nocivæ. Sicut terra, quæ principio suâ sponte omnem fructum dedit, deindè in pœnam peccati spinas & tribulos germinavit. Quanta ergo hæc DEI est bonitas, qui tantam creaturarum copiam, in solius hominis utilitatem condidit? quatenus ei vel cibum, vel vestitum, vel etiam delectationem parerent, ut sic homo conservaretur, & ad finem creationis suæ tenderet, nempè ut DEum laudaret, eidem serviret, & tandem salvus fieret. Quare si Creaturis abutimur, cogimus creaturas contra DEI ordinationem agere. Teste *S. Th. 1. 2. q. 79. art. 1. ad 2.* qui tuetur creaturas & dicit, quod hæ non in malum & laqueum hominis creatæ sint, nisi fortè per suam insipientiam homo creaturis utatur ad aliud, quam ad quod factæ sunt. Sic in India factum est cum quodam saxo, quod Rex volebat pro altari suorum idolorum transferre, ut pro illorum sacrificijs deserviret, sed dum saxum moveri loco debuisset, loqui cœpit dicens: non movebitis me hinc, quia sacrificia vestra DEO creatori meo displicent. Ubi verò Rex eodem loco super illud sacrificari voluit, exclamavit saxum altius; jam dixi ista sacrificia displicere DEO creatori nostro, abeste hinc! Ptolomæus Rex Ægypti turrim elegantissimam ædificari mandavit, adeoque Sostrati ædili celeberrimo præcepit, ut eam sumptu planè regio educeret; ac tandem superbissimæ huic machinæ nomen regium inscriberet. Fecit hoc jussus Sostratus, sed nequiter, quia lapidi solido suum, crustæ verò super inductæ nomen regis inscripsit, quod deinde per cœli injurias abrasum, solius Sostrati nomen Spectantibus exhibuit. Fidelis DEus est, qui quando creavit cœlum & terram, creaturis omnibus nomen suum inscripsit, ut propterea *David Ps. 8. v. 10.* dicat: Domine:

Orante S. Gregorio Angelus gladium condit.

Saxum eloquens.

Sostratus nomen turri regiæ solidè inscribit.

mine Dominus noster, quam admirabile est nomen tuum in universâ terrâ. An non S. Antonius multique Eremi Patres, libris alijs usi non sunt, sed cœlum aliasque creaturas contemplati, ex earum consideratione in cognitionem sui Creatoris devenerunt. Adeo Sol & Luna, stellæ, cœlique sidera omnia à DEO nobis posita sunt in signa, ut ex his cognoscamus bonitatem DEI, qui omnia propter hominem creavit, ut eum ad consecutionem salutis juvarent. Quare par est, ut etiam nos diligamus DEum, confiteamur corde & ore, quia DEus est Creator omnium. S. Valerianus sponsus S. Cæciliæ à S. Urbano Pontifice baptismum petijt, pro quo Pontifex oravit, ut DEus oculos illius aperiret, quod DEus fecit; adfuit enim illi statim vir venerandus, cum libro in manu, quê dedit ei ad legendum. Scriptum autem fuit, Unus DEus, una fides, unum baptisma. Unus Pater omnium, qui benedictus est in sæcula. Credis hoc? interrogavit S. Paulus, & ubi dixit Valerianus se omnino credere, disparuit Paulus, & Valerianus baptizatus est. Dicamus & nos, Unus est Creator omnium qui benedictus est in sæcula. Unus est Pater, qui creavit cœlum & terram, & omnia quæ in eis sunt; Cui laus, honor, & gloria, in sæculorum sæcula. Amen.

Creaturæ liber sunt qui Deum refert.

S. Valerianus certus à S. Paulo, quod sit unus Deus.



CAP. SECUNDUM
PUNCTUM II.
Quod necessitate medij credi debet.
DISCURSUS II.
DEUS est gubernator omnium.

DEus omnia gubernat.

THucidides *l. 4.* asserit multos ex antiquis Imperatoribus, quidquid prosperè egissent fortunæ attribuisse, cujus arbitrio, hæc omnia regi credebant. Nec tantum Gentiles, verum etiam veri DEI cultores ad hanc devenerunt vesaniam. Ut merito Isaias *c. 65. v. 11.* questus sit de populo Israelitico: Et vos, qui dereliquistis Dominum, qui obliti estis montem sanctum meum, qui ponitis fortunæ mensam, & libatis super eam. Quæ verba *Glossa* explicat: Omnes qui Ecclesiam deserunt, tradentes se spiritibus erroris, & doctrinis dæmoniorum, parant fortunæ mensam, nihil ad DEum pertinere credentes. Quod expressè divinæ scripturæ repugnat, quæ clarè *Eccles. 11. v. 14.* dicit: Bona & mala, vita & mors, paupertas & honestas à DEO sunt. Adeoque athei acriter à Davide perstringuntur *Ps. 74. v. 5.* Dixi iniquis, nolite iniquè agere, & delinquentibus, nolite exaltare in altum cornu vestrum; nolite loqui adversus DEum iniquitatem. Causam subjungit: Quia neque ab Oriente, neque ab Occidente, neque à desertis montibus, quoniam DEus judex est. Hunc humiliat, & hunc exaltat. Explicat *Agelius* mentem Davidis sic: Ne putetis hæc mala adversosque casus, aut è contrario bona commodaque casu aut temerè, & nullâ

Fortuna est fabula.

vi

vi intelligente contingere, ideoque licere vobis fine ullo metu securè delinquere, quasi hæc ab Oriente & occidente, ab Aquilone, hoc eft fatis cœleftibusque caufis pendeant, cum DEus ipfe fit judex, & æquiffimo judicio pro merito cuique tribuat. Quare S. Paulus 1. *ad Cor.* 4. *v.* 7. Quid habes inquit, quod non accepifti? fi autem accepifti quid gloriaris? quafi non acceperis? Quæ verba Pauli *Cajetanus* expendens ait: Quamvis nec affectu, nec verbo fentiat fe non accepiffe fapientiam à DEO, facto tamen gloriationis, illam non refert in authorem, dum non quærit gloriam relativè ad DEum, ficut habet in veritate fapientiam relativè ad DEum. Recordemur obfecro illius angelici Cantus, *Luc.* 2. *v.* 14. Gloria in altiffimis DEO, & in terrâ pax hominibus bonæ voluntatis. Quæ verba explicat S. Bern. *ferm.* 13. *in Cant.* Ita quæfo, ita fit gloria in excelfis DEO, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis. At vero fubdit *S. Bern.* non bonæ fed planè iniquæ voluntatis eft, qui nequaquam pace contentus, fuperbo oculo, & infatiabili corde inquietus ambulat ad gloriam DEI, nec pacem proindè retinens, nec gloriam apprehendens. Unde Ecclefia *Dom.* 7. *poft. Pentec.* debitâ cum fubmiffione DEO fe fubmittens precatur: DEus, cujus providentiâ in fui difpofitione non fallitur, te fupplices exoramus, ut noxia cuncta fubmoveas, & omnia nobis profutura concedas. Mirabile videri poffet illud *Cant.* 7. *v.* 7. ftatura tuâ affimilata eft palmæ, fed pulchrè explanat S. Ambr. *l.* 3. *Hexam. c.* 3. Videas palmam, quæ dactylos generat, inclinantem ramos fuos & fubjicientem ei arbori, quam marem arborem appellant. Sciendum enim eft, quod naturaliftæ inter palmas conjugij fpeciem referant, in his fœmella dactylos nullos producet, nifi propè ob oculos habeat palmam marem, ad cujus præfentiam, uti dicit S. Ambrofius, dum dactylos generat, inclinat ramos fuos, & illi fubjicit. Quod ergo divinus Sponfus dicat, ftatura tua affimilata eft palmæ, eft idem, ac eam commonere, ut palmæ inftar omnes fructus fuos cœlefti Sponfo fubmittat. Omnis enim anima, DEO tanquam fonti originali, à cujus providentiâ omnia accepit, referre debet. Hinc fpeciali DEI providentia factum eft, ut homo in paradyfo conditus, ab arboribus & earum fructibus vitæ fuftentationem caperet, non verò ex fe ipfo (quod DEus facilè facere poterat) fuftentaretur. Vult enim Dominus inquit Nyff. *in polit. cœli p.* 1. *l.* 7. *c.* 5. ut omnibus modis ipfum, cau-

DEO detur gloria tunc nobis pax manebit.

Palma fructus fuos mari fubjicit.

Homo in paradyfo cur fructibus nutritus fuiffet.

sam & authorem omnium agnoscamus. Ut verò DEus amabilem suam providentiam commendaret *Mat. 6. v. 28.* ad lilia agri nos remittit. Considerate inquit lilia agri quomodo crescant, neque laborant, neque nent. Dico autem vobis, quoniam nec Salomon in omnia gloriâ suâ coopertus est, sicut unum ex istis. Nativam scilicet liliorum vestem, comparat cum eâ, quæ erat artis in lilijs, quibus aspersa erat vestis Salomonis, quæ etsi niteret auro, micaret gemmis, floreret lilijs opere phrygio intertextis, cedebat tamen nativæ liliorum vesti atque candori. Quia hæc erat à naturâ, illa ab arte. Quod si ergo rosas, lilia, & reliquos flores sic vestit, & ornat DEus, quanta erit cura DEO de homine? cui indita est anima rationalis, quæ Christi Sanguine est redempta? quæ illius sanguine purpuratur & ornatur in baptismo? quæ DEI perpetuæque beatitudinis capax est? Hinc S. Catharinæ Senensi DEus promisit: Filia cogita de me, & ego cogitabo de te; firmabo super te oculos meos. Experti sunt hanc DEI providentiam duo ex S. Dominici familiâ religiosi, quos D. Dominicus ad prædicandum misit, qui cum totâ die pagos & vicos obijssent, neque ab ullo hominum hospitio excepti fuissent, sub vesperum mœsti in cespite consederunt. Cum ecce adsuit illis vir proceræ staturæ, qui illorum diffidentiam arguit, eosque ad vicinum pagum abire jussit, ubi dum templum ingrediuntur & orant, illos parochus ad domum suam invitat. Dum ergò simul pergunt, præclarus illis miles obviat, qui eosdem ad se pertrahere nititur. Dum pia hæc pro hospitalitate controversia durat. Toparcha loci Dominus supervenit, & utrique Religiosos eripit, atque cum Parocho & Milite secum ad arcem suam perduxit, ibique hospitio liberali excepit. Sic S. Francisci binos Socios famelicos Angelus pane refecit. Ibant aliquando duo ex ordine fratres, sed fame penè defecerunt in viâ. Hi dum inter se queruntur de necessitate suâ, & pusillanimes in viâ procedunt, fit illis obvius juvenis, qui causam tristitiæ postulavit? respondent illi Christi promissionem non stare; Inediâ enim, inquiunt illi, perimus. Audijt hoc juvenis, & tantisper eos in viridi cespite considere jussit, ac abijt. Paulò post tamen redijt, & panes attulit recentissimos optimique saporis. Simul autem monuit, ut memores essent viatici à S. Francisco dati. Jacta cogitatum tuum in Domino, & ipse te enutriet; quod ubi dixit, evanuit. Quid quod DEus ipsos etiam divites cogat, ut providentiæ

S. Cathar. Sen. DEus suam providentiam promittit.

Providet DEus religiosis S. Dominici.

S. Francisci religiosos angelus pane reficit.

videntiæ divinæ ministri, servis suis provideant. Frontonius Alexandriæ Abbas, septuaginta secum in eremum traxit fratres, ubi cum omni auxilio humano destituti fuissent, murmurantes adversus Abbatem relictâ Eremo redire volebant. Sed adfuit angelus qui opulentum hominem à somno excitavit, & monuit, ut S. Frontonio & socijs necessario alimento, subveniret. Surgit ergo de lecto, & de S. Frontonij Eremo, quæ indè quatuor milliaribus aberat, inquirit; quia verò neque à suis domesticis, neque alijs vicinis, quidquam de S. Frontonio rescire potuit, rursus se alterâ nocte ad quietem componit. Cum ecce rursus adest angelus, & non tantum monet, sed etiam flagris morosum cædit, adeò ut relictæ vibices, universæ familiæ, non somnij sed voluntatis divinæ fuerint argumentum. Quarè aliquis de familiâ suasit, ut septuaginta duos quos habuit Camelos, partim cibarijs, partim pabulo pro animalibus instrueret, futurum, ut qui cibum petit, etiam Camelos cum pane & cibarijs deducat. Onerantur ergò Cameli & apertâ portâ in viam quà lubet emittuntur. Præit primus cum tintinabulo, & rectâ ad Eremum abit. Dum hic in Eremo fratres orant, audivit Abbas, uti & Janitor tintinabuli sonum, apertâque porta vident camelos, sed neminem hominum. Vocantur ergo fratres, qui camelos exonerant, & à viâ lassos reficiunt. Alterâ verò die, superfluâ dimidiâ annonâ rursus onerant, & camelos cum benedictione dimittunt. Expectabat interim herus camelos suos per dies aliquot, & mœstus rei exitum præstolabatur, cum ecce repentè adsunt cameli omnes, corpore vegeto & robusto, quos ubi cum remissâ dimidiâ annonâ exonerarunt famuli, tunc enimverò, omnes simul laudaverunt Dominum, & ejus providentiam deprædicarunt. Ipse verò Dominus anniversarium illum diem in futurum decrevit, quo S. Frontonio annuatim annonam in Eremum misit, & suos Camelos semper felicissimè recepit. En quam verum est illud *Psal. 54: 23.* Jacta super Dominum curam tuam, & ipse te enutriet. Experientiâ felici hoc didicit Eremita ille, de quo *St.gelius p.1. c. 18. §. 2.* cui cum panis defecisset, & ipse ad civitatem abire vellet, ut sibi panes compararet, in viâ obvium habuit militem, qui eum ad cellam suam redire jussit, in cujus portâ corbem reperit cum recentibus uvis & ficubus atque pane, undè duobus mensibus vixit. Patuit hæc DEI providentia singulariter in populo hæbræorum, quem in manu forti eduxit DEus ex Ægypto, & in

Divites sunt divinæ providentiæ ministri.

S. Frontonium cum suis alit DEUS.

Cameli sine viæ duce cibaria deferunt.

Eremitæ DEus provideat de pane.

ad honestam corporis refocillationem serviunt, DEI amantissima providentia procurat. P. Petrus Canisius S. I. stomachi nauseâ laborans, sæpius ab infirmario interrogatus, quid tandem appeteret? dixit se aviculam quandam, quam nominavit appetere, quam cum obsonator curiosè indagans non invenisset. circà vesperum ipsa avicula in cubiculum per fenestram involans se stitit, seque ut in cibū veniret capi passa est. Etiam ad delicias vel cupedias servit bonus DEus. Ægrotabat agricola & terra nivibus cooperta rigebat, cum ægrum invasit cupido comedendi fraga, & hem inter candidas nives, in solatium pij agricolæ reperta sunt purpurascere fraga, quæ infirmo ingenti cum solatio animi exhibita fuerunt. An non verum est, quod providus DEus escam det omnibus in tempore? Certè magnum hujus providentiæ habemus argumentum in Eliâ, cui DEus 3. *Reg.* 17. *v.* 3. Recede hinc, & vade contra Orientem, & abscondere in torrente Carith. Quis verò ibi victum præstabit? Audite DEum; præcepi corvis, ut pascant tè ibi. Quid agis Domine? ovem lupo commisisti? panem aut carnem corvo? Non ait DEus. Præcepi! Ne timeas! non violabunt verbum meum. Ubi verò potus? Ibi de torrente bibes. Sed si torrens exsiccetur? Vade in Sareptha Sidoniorum. Præcepi ibi mulieri viduæ, ut pascat te. *S. Chrysostomus hom.* 1. *in Eliam* putat DEum de nocte Eliæ formam & figuram viduæ monstrasse. Prævenit inquit eum DEus, & ei Prophetam ostendit. Usque adeò solicitè DEus suis providet! Fuit sacerdos, qui in montibus peregrinus, nivium ac ventorum necessitate adactus, in vallem profundiorem desilijt, in quâ muscosam rupem reperit, in quam se recepit; cum verò viam indè eluctandi non reperisset, neque ad vitam sustentandam ulla media suppeterent, quasi moriturus se composuit. Dum sic sub vesperum quiescit, videt complures per nives serpentes adrepere, qui in illâ speluncâ lapidem quendam lambebant, & iterum ad suas foveas revertebantur. Hoc ternis noctibus ab illis intactus vidit, tandem & ipse accessit & linxit, atque inter lingendum, ita sibi vires restitui sensit, quasi cibo refectus fuisset. Totâ hyeme sic se sustentavit, usque dum solutis in vere nivibus, viam invenit, & incolumis evasit. Benè omnino S. Ambrosius indecorum est homines curare de cibo, qui militant regno, regno utique cœlesti, cujus uti Rex est DEus, sic & ejus familia, mundus. Cujus proindè est providere, quomo-

P. Canisio DEus aviculam mittit.

Fraga DEus misit ægro.

Eliam pascit DEus per corvos.

Serpentes sacerdotem alunt.

quomodo eum pascat, alat, vestiat. Præstitit hoc DEus abundanter in populo Israëlitico ex Ægypto egresso. Erant in illis facilè vigesies centena millia hominum, præter equos, boves, aliaque animalia, quos omnes in deserto sterili, coplosè DEus aluit, & insuper eorum vestes curavit. Imo effecit, ut illæ cum pueris sensim æqualiter crescerent, nec passus est vel calceos deteri in tam longinquâ peregrinatione. In hoc deserto cum siti premeretur, eaque penè enecaretur populus, jubetur Moyses virgâ percutere petram, & ecce de petrâ copiosa fluxit aqua. Nec satis erat illis aperuisse fontem, panem dedit illis, angelorum confectum manibus, quando illis de cœlo copiosè manna pluit. Cùm verò etiam manna nausearet populus, volucres de cœlo dedit, nempè coturnices, quæ in medio castrorum Israël deciderunt, ut famem levarent. Neque nostra tempora carent tam benignâ DEI providentiâ. In Hiberniâ rupes est S. Michaelis, ad cujus ædem sacram multi confluunt peregrini, ut verò providus DEus illis prospiciat, ingens ibidem reperitur copia avium, quæ teste Saliano cubito uno aut altero à terrâ circumvolant sic, ut à peregrinis facilè omnino capi queant, & in escam parari. Mirabilius est quod Petra Sancta refert de freto illo, quod inter Hispaniam & Hiberniam est, ubi tanta copia est Salmonum, ut licèt plurimis peregrinis serviant in cibum, nunquam tamen deficiant. Hi ut semper recentes hospitibus adsint, DEus non patitur, ut illos incolæ fumare aut salire valeant, scatent enim quam primum vermibus. Capti verò recentes, si in diem alterum serventur, emoriuntur & putrescunt, ut sic evidentius habeatur divinæ providentiæ argumentum. Quin sic jubente & providente Deo, ultrò se stitit piscis Lucæ Juniori cognomento Thaumaturgo, ad quem cum Româ venissent duo monachi, nihil verò is haberet in cellâ, quod gratissimis apponeret hospitibus, in littore considentes mutuis interim se sermonibus occuparunt. Ubi dum suam paupertatem excusat Lucas, ex mari ingens piscis exilit, & pinnis velut alis in aërem sublatus, ad illos quasi advolans, ante pedes eorum constitit eosque ad opportunum epulum invitavit. Sic ad Alferium Abbatem venerunt hospites septem, in penu autem non erant nisi ova quinque. Penuria hæc Abbatem solicitum tenuit, adeoque Deo supplex factus obtinuit, ut ex quinque ovis septem fierent, quibus hospites suos tractavit. Meritò dicit David *Ps. 33. v. 16.* Oculi Domini

Peregrinis DEus aves ministrat in Hibernia.

Salmones DEus peregrinis providet.

Piscis ultro sistit in cibum Lucæ monacho.

Hospitibus DEus ova multiplicat.

mini

batur, quando S. Pontifex ipso die Paschatis supplicationem instituit, in qua imaginem B. Virginis à S. Luca pictam solenniter circumferri curavit. Quacunque enim imago B. Virginis ferebatur, pestilentiæ vis infracta, & salubritas aëris est insecuta. Ipsi vero de cœlo angeli, Regina cœli canere auditi sunt, quod ubi cum Clero complevit S. Gregorius dicendo: Ora pro nobis DEum alleluja, visus est Angelus evaginatum & cruentum condere gladium. Ponamus nos arma, & Deo amantissimo Creatori nostro non rebellemus. tunc nullam creaturam Deus armabit in ultionem peccatorum. Quare creaturæ omnes à DEO creatæ, bonæ fuerunt in se, sed per peccatum primorum parentum, factæ sunt malæ, id est nobis in pœnam, nocivæ. Sicut terra, quæ principio suâ sponte omnem fructum dedit, deindè in pœnam peccati spinas & tribulos germinavit. Quanta ergo hæc DEI est bonitas, qui tantam creaturarum copiam, in solius hominis utilitatem condidit? quatenus ei vel cibum, vel vestitum, vel etiam delectationem parerent, ut sic homo conservaretur, & ad finem creationis suæ tenderet, nempè ut DEum laudaret, eidem serviret, & tandem salvus fieret. Quare si Creaturis abutimur, cogimus creaturas contra DEI ordinationem agere. Teste *S. Th. 1. 2. q. 79. art. 1. ad 2.* qui tuetur creaturas & dicit, quod hæ non in malum & laqueum hominis creatæ sint, nisi fortè per suam insipientiam homo creaturis utatur ad aliud, quam ad quod factæ sunt. Sic in India factum est cum quodam saxo, quod Rex volebat pro altari suorum idolorum transferre, ut pro illorum sacrificijs deserviret, sed dum saxum moveri loco debuisset, loqui cœpit dicens: non movebitis me hinc, quia sacrificia vestra DEO creatori meo displicent. Ubi verò Rex eodem loco super illud sacrificari voluit, exclamavit saxum altius; jam dixi ista sacrificia displicere DEO creatori nostro, abeste hinc! Ptolomæus Rex Ægypti turrim elegantissimam ædificari mandavit, adeoque Sostrati ædili celeberrimo præcepit, ut eam sumptu planè regio educeret; ac tandem superbissimæ huic machinæ nomen regium inscriberet. Fecit hoc jussus Sostratus, sed nequiter, quia lapidi solido suum, crustæ verò super inductæ nomen regis inscripsit, quod deinde per cœli injurias abrasum, solius Sostrati nomen spectantibus exhibuit. Fidelis DEus est, qui quando creavit cœlum & terram, creaturis omnibus nomen suum inscripsit, ut propterea *David Ps. 8. v. 10.* dicat: Domine:

Orante S. Gregorio Angelus gladium condit.

Saxum eloquens.

Sostratus nomen turri regiæ solidè inscribit.

mine Dominus noster, quam admirabile est nomen tuum in universâ terrâ. An non S. Antonius multique Eremi Patres, libris alijs usi non sunt, sed cœlum aliasque creaturas contemplati, ex earum consideratione in cognitionem sui Creatoris devenerunt. Adeo Sol & Luna, stellæ, cœlique sidera omnia à DEO nobis posita sunt in signa, ut ex his cognoscamus bonitatem DEI, qui omnia propter hominem creavit, ut eum ad consecutionem salutis juvarent. Quare par est, ut etiam nos diligamus DEum, confiteamur corde & ore, quia DEus est Creator omnium. S. Valerianus sponsus S. Cæciliæ à S. Urbano Pontifice baptismum petijt, pro quo Pontifex oravit, ut DEus oculos illius aperiret, quod DEus fecit; adfuit enim illi statim vir venerandus, cum libro in manu, quē dedit ei ad legendum. Scriptum autem fuit, Unus DEus, una fides, unum baptisma. Unus Pater omnium, qui benedictus est in sæcula. Credis hoc? interrogavit S. Paulus, & ubi dixit Valerianus se omnino credere, disparuit Paulus, & Valerianus baptizatus est. Dicamus & nos, Unus est Creator omnium qui benedictus est in sæcula. Unus est Pater, qui creavit cœlum & terram, & omnia quæ in eis sunt; Cui laus, honor, & gloria, in sæculorum sæcula. Amen.

Creaturæ liber sunt qui Deum refert.

S. Valerianus cedocetur à S. Paulo, quod sit unus Deus.



E 2 CAPUT



CAP. SECUNDUM
PUNCTUM II.
Quod necessitate medij credi debet.
DISCURSUS II.
DEUS est gubernator omnium.

THucidides *l. 4.* asserit multos ex antiquis Imperatoribus, quidquid prosperè egissent fortunæ attribuisse, cujus arbitrio, hæc omnia regi credebant. Nec tantum Gentiles, verum etiam veri DEI cultores ad hanc devenerunt vesaniam. Ut merito Isaias *c. 65. v. 11.* questus sit de populo Israelitico: Et vos, qui dereliquistis Dominum, qui obliti estis montem sanctum meum, qui ponitis fortunæ mensam, & libatis super eam. Quæ verba *Glossa* explicat: Omnes qui Ecclesiam deserunt, tradentes se spiritibus erroris, & doctrinis dæmoniorum, parant fortunæ mensam, nihil ad DEum pertinere credentes. Quod expressè divinæ scripturæ repugnat, quæ clarè *Eccles. 11. v. 14.* dicit: Bona & mala, vita & mors, paupertas & honestas à DEO sunt. Adeoque athei acriter à Davide perstringuntur *Ps. 74. v. 5.* Dixi iniquis, nolite iniquè agere, & delinquentibus, nolite exaltare in altum cornu vestrum; nolite loqui adversus DEum iniquitatem. Causam subjungit: Quia neque ab Oriente, neque ab Occidente, neque à desertis montibus, quoniam DEus judex est. Hunc humiliat, & hunc exaltat. Explicat *Agelius* mentem Davidis sic: Ne putetis hæc mala adversosque casus, aut è contrario bona commodaque casu aut temerè, & nullâ

DEus omnia gubernat.

Fortuna est fabula.

vi

vi intelligente contingere, ideoque licere vobis sine ullo metu securè delinquere, quasi hæc ab Oriente & occidente, ab Aquilone, hoc est fatis cœlestibusque causis pendeant, cum DEus ipse sit judex, & æquissimo judicio pro merito cuique tribuat. Quare S. Paulus 1. *ad Cor. 4. v. 7.* Quid habes inquit, quod non accepisti? si autem accepisti quid gloriaris? quasi non acceperis? Quæ verba Pauli *Cajetanus* expendens ait: Quamvis nec affectu, nec verbo sentiat se non accepisse sapientiam à DEO, facto tamen gloriationis, illam non refert in authorem, dum non quærit gloriam relativè ad DEum, sicut habet in veritate sapientiam relativè ad DEum. Recordemur obsecro illius angelici Cantus, *Luc. 2. v. 14.* Gloria in altissimis DEO, & in terrâ pax hominibus bonæ voluntatis. Quæ verba explicat S: Bern. *serm. 13. in Cant.* Ita quæso, ita sit gloria in excelsis DEO, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis. At vero subdit *S. Bern.* non bonæ sed planè iniquæ voluntatis est, qui nequaquam pace contentus, superbo oculo, & insatiabili corde inquietus ambulat ad gloriam DEI, nec pacem proindè retinens, nec gloriam apprehendens. Unde Ecclesia *Dom. 7. post. Pentec.* debitâ cum submissione DEO se submittens precatur: DEus, cujus providentiâ in sui dispositione non fallitur, te supplices exoramus, ut noxia cuncta submoveas, & omnia nobis profutura concedas. Mirabile videri posset illud *Cant. 7. v. 7.* statura tuâ assimilata est palmæ, sed pulchrè explanat S. Ambr. *l. 3. Hexam. c. 3.* Videas palmam, quæ dactylos generat, inclinantem ramos suos & subjicientem ei arbori, quam marem arborem appellant. Sciendum enim est, quod naturalistæ inter palmas conjugij speciem referant, in his fœmella dactylos nullos producet, nisi propè ob oculos habeat palmam marem, ad cujus præsentiam, uti dicit S. Ambrosius, dum dactylos generat, inclinat ramos suos, & illi subjicit. Quod ergo divinus Sponsus dicat, statura tua assimilata est palmæ, est idem, ac eam commonere, ut palmæ instar omnes fructus suos cœlesti Sponso submittat. Omnis enim anima, DEO tanquam fonti originali, à cujus providentiâ omnia accepit, referre debet. Hinc speciali DEI providentia factum est, ut homo in paradyso conditus, ab arboribus & earum fructibus vitæ sustentationem caperet, non verò ex se ipso (quod DEus facilè facere poterat) sustentaretur. Vult enim Dominus inquit Nyss. *in polit. cœli p. 1. l. 7. c. 5.* ut omnibus modis ipsum, causam

DEO detur gloria tunc nobis pax manebit.

Palma fructus suos mari subjicit.

Homo in paradyso cur fructibus nutritus fuisset.

ſam & authorem omnium agnoſcamus. Ut verò DEus amabilem ſuam providentiam commendaret *Mat. 6. v. 28.* ad lilia agri nos remittit. Conſiderate inquit lilia agri quomodo creſcant, neque laborant, neque nent. Dico autem vobis, quoniam nec Salomon in omnia gloriâ ſuâ coopertus eſt, ſicut unum ex iſtis. Nativam ſcilicet liliorum veſtem, comparat cum eâ, quæ erat artis in lilijs, quibus aſperſa erat veſtis Salomonis, quæ etſi niteret auro, micaret gemmis, floreret lilijs opere phrygio intertextis, cedebat tamen nativæ liliorum veſti atque candori. Quia hæc erat à naturâ, illa ab arte. Quod ſi ergo roſas, lilia, & reliquos flores ſic veſtit, & ornat DEus, quanta erit cura DEO de homine? cui indita eſt anima rationalis, quæ Chriſti Sanguine eſt redempta? quæ illius ſanguine purpuratur & ornatur in baptiſmo? quæ DEI perpetuæque beatitudinis capax eſt? Hinc S. Catharinæ Senenſi DEus promiſit: Filia cogita de me, & ego cogitabo de te; firmabo ſuper te oculos meos. Experti ſunt hanc DEI providentiam duo ex S. Dominici familiâ religioſi, quos D. Dominicus ad prædicandum miſit, qui cum totâ die pagos & vicos obijſſent, neque ab ullo hominum hoſpitio excepti fuiſſent, ſub veſperum mœſti in ceſpite conſederunt. Cum ecce adfuit illis vir proceræ ſtaturæ, qui illorum diffidentiam arguit, eoſque ad vicinum pagum abire juſſit, ubi dum templum ingrediuntur & orant, illos parochus ad domum ſuam invitat. Dum ergo ſimul pergunt, præclarus illis miles obviat, qui eoſdem ad ſe pertrahere nititur. Dum pia hæc pro hoſpitalitate controverſia durat. Toparcha loci Dominus ſupervenit, & utrique Religioſos eripit, atque cum Parocho & Milite ſecum ad arcem ſuam perduxit, ibique hoſpitio liberali excepit. Sic S. Franciſci binos Socios famelicos Angelus pane refecit. Ibant aliquando duo ex ordine fratres, ſed fame penè defecerunt in viâ. Hi dum inter ſe queruntur de neceſſitate ſuâ, & puſillanimes in viâ procedunt, fit illis obvius juvenis, qui cauſam triſtitiæ poſtulavit? reſpondent illi Chriſti promiſſionem non ſtare; Inediâ enim, inquiunt illi, perimus. Audijt hoc juvenis, & tantiſper eos in viridi ceſpite conſidere juſſit, ac abijt. Paulò poſt tamen redijt, & panes attulit recentiſſimos optimique ſaporis. Simul autem monuit, ut memores eſſent viatici à S. Franciſco dati. Jacta cogitatum tuum in Domino, & ipſe te enutriet; quod ubi dixit, evanuit. Quid quod DEus ipſos etiam divites cogat, ut providentiæ

S. Cathar. Sen. DEus ſuam providentiam promittit.

Providet DEus religioſis S. Dominici.

S. Franciſci religioſos angelus pane reficit.

videntiæ divinæ ministri, servis suis provideant. Frontonius Alexandriæ Abbas, septuaginta secum in eremum traxit fratres, ubi cum omni auxilio humano destituti fuissent, murmurantes adversus Abbatem relictâ Eremo redire volebant. Sed adfuit angelus qui opulentum hominem à somno excitavit, & monuit, ut S. Frontonio & socijs necessario alimento, subveniret. Surgit ergo de lecto, & de S. Frontonij Eremo, quæ indè quatuor milliaribus aberat, inquirit; quia verò neque à suis domesticis, neque alijs vicinis, quidquam de S. Frontonio rescire potuit, rursus se alterâ nocte ad quietem componit. Cum ecce rursus adest angelus, & non tantum monet, sed etiam flagris morosum cædit, adeò ut relictæ vibices, universæ familiæ, non somnij sed voluntatis divinæ fuerint argumentum. Quarè aliquis de familiâ suasit, ut septuaginta duos quos habuit Camelos, partim cibarijs, partim pabulo pro animalibus instrueret, futurum, ut qui cibum petit, etiam Camelos cum pane & cibarijs deducat. Onerantur ergò Cameli & apertâ portâ in viam quà lubet emittuntur. Præit primus cum tintinabulo, & rectâ ad Eremum abit. Dum hic in Eremo fratres orant, audivit Abbas, uti & Janitor tintinabuli sonum, apertâque porta vident camelos, sed neminem hominum. Vocantur ergo fratres, qui camelos exonerant, & à viâ lassos reficiunt. Alterâ verò die, superfluâ dimidiâ annonâ rursus onerant, & camelos cum benedictione dimittunt. Expectabat interim herus camelos suos per dies aliquot, & mœstus rei exitum præstolabatur, cum ecce repentè adsunt cameli omnes, corpore vegeto & robusto, quos ubi cum remissâ dimidiâ annonâ exonerarunt famuli, tunc enimverò, omnes simul laudaverunt Dominum, & ejus providentiam deprædicarunt. Ipse verò Dominus anniversarium illum diem in futurum decrevit, quo S. Frontonio annuatim annonam in Eremum misit, & suos Camelos semper felicissimè recepit. En quam verum est illud *Psal. 54: 23.* Jacta super Dominum curam tuam, & ipse te enutriet. Experientiâ felici hoc didicit Eremita ille, de quo *Stengelius p. 1. c. 18. §. 2.* cui cum panis defecisset, & ipse ad civitatem abire vellet, ut sibi panes compararet, in viâ obvium habuit militem, qui eum ad cellam suam redire jussit, in cujus portâ corbem reperit cum recentibus uvis & ficubus atque pane, undè duobus mensibus vixit. Patuit hæc DEI providentia singulariter in populo hæbræorum, quem in manu forti eduxit DEus ex Ægypto,

Divites sunt divinæ providentiæ ministri.

S. Frontonium cum suis alit DEUS.

Cameli sine via duce cibaria deferunt.

Eremitæ DEus provideat de pane.

& in horridâ solitudine per annos quadraginta mirabiliter educavit. Et hinc varijs pientissimæ confidentiæ nominibus olìm appellatus fuit DEus, inter quæ fuit hoc nomen Sadai, quod est mamma seu mammeus, eò quod DEus sit homini, quod est mamma infanti. Sic cum Belisarius agrum Picenum contra Gallos tueretur, ingens terror invasit loci illius incolas, ut ait Baronius circa an. 527. quarè dum in oppido quopiam fugâ dilabuntur homines, mulierquæ filium peperit, & pannis involuit, oblita infantis sui, profugit. Vagientis infantis miserta est capra, quæ & ipsa recenter partum suum effuderat, hæc enim penes capreolum suum, infantem lactavit, & contrà canes aliaque animalia puerum defendit. Post dies pauculos ubi loci Cives redierunt, adfuerunt fœminæ aliquæ, quæ infantem à terrâ elevarunt. Inter has dum alia ubera porrigit, alia sinu & oculis puero blanditur, humanum lac omne puer renuit, usque dum capra advenit, quæ cum balatu suo ostenderet ægrè se habere, quod mulieres puerum sibi acceperint, ad locum, undè illum levarunt, deposuerunt, atque dum modicum recedunt, statim capra ubera sua puero applicat, eumque lactat. Quod ubi viderunt mulieres puerum à caprâ nutriri passæ sunt. Quam verum est illud *S. Chrysostomi*, cum humana spem omnem negant, tunc divina dispensatio clarius fulget. Unde *S. Aug. l. 4. de Civ. DEI c. 11.* refert fabulam de Rumino DEO naturæ, quem Gentiles sic depinxerunt. Finxerunt illum in formâ humanâ, sed ubique repletum uberibus, ita ut à capite usque ad calcem redundaret mammis, à quibus pendebant Leones, ursi, Tigrides, oves, vituli, hominem tamen ex speciali affectu inter brachiorum amplexus fovebat. Quarè non sine causâ dixit *Isaias c. 66. v. 11.* Replemini ab ubere consolationis ejus, ut mulgeatis & delicijs affluatis ab omnimodâ gloriâ ejus. Ab hoc ubere divinæ providentiæ totus pependit S. Cajetanus Theatinorum Fundator, qui ubi Venetijs sui Ordinis jecit fundamenta, in summâ rerum inopiâ, vixit tamen liberaliter. Cum verò indè cogitaret Coloniam sui ordinis Neapolim ducere, ab amico monitus fuit: non eadem locorum omnium esse ingenia; respondit is pulchrè monenti, velle se experiri an alius DEus esset Venetijs, & alius Neapoli? an non, & hic & ibi fidem suam servaret, quam liliorum & volucrum fideijussione confirmavit. Dixit, & ordinis sui incrementa feliciter auxit. Hanc ego Evangelicam fidei jussionem dum expendo,

Capra infantem derelictum nutrit.

Ruminus DEUS mammeus.

S. Cajetani in DEum fiducia.

pendo, observo Christum dicti sui gratiosam dedisse rationem *Mat.6. v.36.* Scit enim Pater vester, quia his omnibus indigetis. Atque hinc nihil videtur aliud cogitare, & quasi rerum omnium oblitus esset, totam curam in hominem transfundere. *Exodi 3. v. 6.* manifestat se DEus Moysi in rubo dicens: Ego sum DEus Patris tui, DEus Abraham, DEus Isaac, & DEus Jacob. Aliqui putant cum S. Basilio, hic repeti hoc verbum DEus, ad docendum mysterium SS. Trinitatis. Cornelius tamen á Lapide, in hunc locum ait, ut ostendat inquit, quantum singulorum habeat curam, quod scilicet singulorum sit DEus, id est provisor & benefactor. Confirmat hoc *S. Th. p. 1. q. 13. art. 8.* dicens: Hoc nomen DEus, est nomen operationis, imponitur enim ab universali rerum providentiâ. Cum ergò dixit: Ego sum DEus Abraham, DEus Isaac, DEus Jacob idem est, ac si dixisset: tantam habeo cujusque curam, & providentiam, ac si illius solius DEus essem, & totus ipsius. Sic enim explicat illa verba Exodi Origenes. Significabat se singulorum esse totum. Intelligo jam illud *Cant. 2. v. 16.* Dilectus meus mihi, quod Pagninus ex hæbreo legit. Dilectus meus, est meus. Meritò S. Bern. *serm. 68. in Cant.* hunc modum loquendi miratur: Insolens inquit verbum, Dilectus meus est meus. Pulchrè tamen sic explicat: Quia mihi intendit. Audiamus proindè S. Petrum *1. Petr. v. 7.* Omnem solicitudinem vestram projicientes in eum, quoniam ipsi cura est de nobis. Meritò profecto sibi David in hac DEI providentiâ complacet & dicit: *Psal. 39. vers. 18.* Dominus solicitus est mei. Glorietur etiam S. Paulus ad *Galat. 3. v. 20.* Qui dilexit me, & tradidit semetipsum pro me. Fatetur *S. Aug.* O tu bone! omnipotens, qui sic curas unumquemque nostrum, tanquam solum cures, & sic omnes tanquam singulos. Mensam Solis Æthiopia prisca coluit, quam cibis regijs instructam viatoribus patere voluit gentilitas. Fabula hæc est, hoc verum est, quod David *Ps. 103. v. 27.* dicit: Omnia à te expectant, ut des illis escam in tempore. Neglexit tempus debitum B. Michaël Magottus ex ordine S. Francisci, qui culinæ præerat, hic quadam die Dominicâ in templo absorptus, culinæ suæ & officij oblitus fuit, sed prandij tempore ad culinam vocatus (refert hoc P. Nadasi S. I. *in anno angelico hebd. 33. n. 10.* cuncta reperit manibus Angelorum ordinatissimè disposita, quæ citò fratribus dedit ad necessariam sustentationem. Non tantum necessaria, sed etiam quæ

DEus est quasi singulorum DEus.

Mensam Solis Deus nobis ponit.

Angeli pro coco cibos coquunt.

ad honestam corporis refocillationem serviunt, DEI amantissima providentia procurat. P. Petrus Canisius S. I. stomachi nauseâ laborans, sæpius ab infirmario interrogatus, quid tandem appeteret? dixit se aviculam quandam, quam nominavit appetere, quam cum obsonator curiosè indagans non invenisset. circà vesperum ipsa avicula in cubiculum per fenestram involans se stitit, seque ut in cibû veniret capi passa est. Etiam ad delicias vel cupedias servit bonus DEus. Ægrotabat agricola & terra nivibus cooperta rigebat, cum ægrum invasit cupido comedendi fraga, & hem inter candidas nives, in solatium pij agricolæ reperta sunt purpurascere fraga, quæ infirmo ingenti cum solatio animi exhibita fuerunt. An non verum est, quod providus DEus escam det omnibus in tempore? Certè magnum hujus providentiæ habemus argumentum in Eliâ, cui DEus *3. Reg. 17. v. 3.* Recede hinc, & vade contra Orientem, & abscondere in torrente Carith. Quis verò ibi victum præstabit? Audite DEum; præcepi corvis, ut pascant tè ibi. Quid agis Domine? ovem lupo commisisti? panem aut carnem corvo? Non ait DEus. Præcepi! Ne timeas! non violabunt verbum meum. Ubi verò potus? Ibi de torrente bibes. Sed si torrens exficcetur? Vade in Sarepta Sidoniorum. Præcepi ibi mulieri viduæ, ut pascat te. *S. Chrysostomus hom. 1. in Eliam* putat DEum de noctè Eliæ formam & figuram viduæ monstrasse. Prævenit inquit eum DEus, & ei Prophetam ostendit. Usque adeò solicitè DEus suis providet! Fuit sacerdos, qui in montibus peregrinus, nivium ac ventorum necessitate adactus, in vallem profundiorem desilijt, in quâ muscosam rupem reperit, in quam se recepit; cum verò viam indè eluctandi non reperisset, neque ad vitam sustentandam ullà media suppeterent, quasi moriturus se composuit. Dum sic sub vesperum quiescit, videt complures per nives serpentes adrepere, qui in illâ speluncâ lapidem quendam lambebant, & iterum ad suas foveas revertebantur. Hoc ternis noctibus ab illis intactus vidit, tandem & ipse accessit & linxit, atque inter lingendum, ita sibi vires restitui sensit, quasi cibo refectus fuisset. Totâ hyeme sic se sustentavit, usque dum solutis in vere nivibus, viam invenit, & incolumis evasit. Benè omnino S. Ambrosius indecorum est homines curare de cibo, qui militant regno, regno utique cœlesti, cujus uti Rex est DEus, sic & ejus familia, mundus. Cujus proindè est providere, quomo-

P. Canisio DEus aviculam mittit.

Fraga DEus misit ægro.

Eliam pascit DEus per corvos.

Serpentes sacerdotem alunt.

quomodo eum pascat, alat, vestiat. Præstitit hoc DEus abundanter in populo Israëlitico ex Ægypto egresso. Erant in illis facilè vigesies centena millia hominum, præter equos, boves, aliaque animalia, quos omnes in deserto sterili, copiosè DEus aluit, & insuper eorum vestes curavit. Imo effecit, ut illæ cum pueris sensim æqualiter crescerent, nec passus est vel calceos deteri in tam longinquâ peregrinatione. In hoc deserto cum siti premeretur, eaque penè enecaretur populus, jubetur Moyses virgâ percutere petram, & ecce de petrâ copiosa fluxit aqua. Nec satis erat illis aperuisse fontem, panem dedit illis, angelorum confectum manibus, quando illis de cœlo copiosè manna pluit. Cum verò etiam manna nausearet populus, volucres de cœlo dedit, nempè coturnices, quæ in medio castrorum Israël deciderunt, ut famem levarent. Neque nostra tempora carent tam benignâ DEI providentiâ. In Hiberniâ rupes est S. Michaelis, ad cujus ædem sacram multi confluunt peregrini, ut verò providus DEus illis prospiciat, ingens ibidem reperitur copia avium, quæ teste Saliano cubito uno aut altero à terrâ circumvolant sic, ut à peregrinis facilè omnino capi queant, & in escam parari. Mirabilius est quod Petra Sancta refert de freto illo, quod inter Hispaniam & Hiberniam est, ubi tanta copia est Salmonum, ut licèt plurimis peregrinis serviant in cibum, nunquam tamen deficiant. Hi ut semper recentes hospitibus adsint, DEus non patitur, ut illos incolæ fumare aut salire valeant, scatent enim quam primum vermibus. Capti verò recentes, si in diem alterum serventur, emoriuntur & putrescunt, ut sic evidentius habeatur divinæ providentiæ argumentum. Quin sic jubente & providente Deo, ultrò se stitit piscis Lucæ Juniori cognomento Thaumaturgo, ad quem cum Româ venissent duo monachi, nihil verò is haberet in cellâ, quod gratissimis apponeret hospitibus, in littore considentes mutuis interim se sermonibus occuparunt. Ubi dum suam paupertatem excusat Lucas, ex mari ingens piscis exilit, & pinnis velut alis in aërem sublatus, ad illos quasi advolans, ante pedes eorum constitit eosque ad opportunum epulum invitavit. Sic ad Alferium Abbatem venerunt hospites septem, in penu autem non erant nisi ova quinque. Penuria hæc Abbatem solicitum tenuit, adeoque Deo supplex factus obtinuit, ut ex quinque ovis septem fierent, quibus hospites suos tractavit. Merito dicit David *Ps. 33. v. 16.* Oculi Domini

Peregrinis DEus aves ministrat in Hibernia.

Salmones DEus peregrinis providet.

Piscis ultro sistit in cibum Lucæ monacho.

Hospitibus DEus ova multiplicat.

mini super justos. Si Rex quispiam ex solio suo regio procedat, & oculos suos in pannosum mendicum convertat, omnes id mirantur, quantò magis mirari debemus nos, quod DEus in hominem miserum suos defigat oculos. Enimverò miratus est hoc Job *14. v. 3.* Et dignum ducis super hujuscemodi aperire oculos tuos. His oculis dum nos DEus respicit, certissimè necessitatibus nostris consulit. Expertus est hunc DEI benignum oculum civis ille de DEI providentiâ optimè confidens, qui cum socio de cibo & potu anxio iter fecerat. Inter eundum dum de varijs discurrunt, quærit nimis sollicitus alter, quomodò quis lætus vivere possit? Respondit socius ego otiosè vitam agere non cogitavi, sed statui manum movere cum DEO. Quid hoc est inquit alter, manum cum DEO movere? Reponit socius, fideliter artem quam didici exerceo; cœtera DEO committo. Cui anxius cum risu dixit; Vidi equidem multos DEO fretos, deceptos esse; subitaque illum invadit anxia cogitatio, quod si cœcus fieret, quid ageret? tentat proindè an cœcus ambulare posset? hic dum spatio aliquanto oculis clausis progreditur, sic cœcus auro fartum marsupium prætergreditur, quod DEO confidens alter apertis oculis vidit, & sustulit, dicens: solicitudine nimiâ excœcatos, divinæ providentiæ largitatem non videre. Hinc Christus supersluam curam vitæ nostræ sustentandæ reprehendens, ad corvos nos ablegat, quos suâ providentiâ DEus, alit, dum juvenes suos relinquunt parentes. Et non sine causâ Eliæ DEus suæ providentiæ ministrum Corvum constituit. Joanni Generali Franciscanorum in sylvâ horridâ die totâ per avia & devia erranti, ipsos corvos infernales ordinavit, qui eundem hospitio exciperent & tractarent. Cum enim in sylva cogeretur noctem cum socijs transfigere, quæsiverant fratres, quid agendum esset? Respondit imperterritus Generalis, recurrendum esse ad divinum auxilium. Quare ad preces conversi officium B. V. cum collectâ ad S. Franciscum recitarunt. Finitis precibus audiunt pulsari campanam, cuius sonitum secuti ad Abbatiam perveniunt, quam ubi attigerunt, benevolè excepti deducuntur ad focum, lavantur pedes, exsiccantur vestes, apponitur cœna, sternuntur lecti. Dum verò absolutâ cœnâ cubitum pergunt, & fessi somnum capiunt, post primam Vigiliam evigilat Generalis, & auditâ campanâ surgit, relictis socijs monachos ad chorum properantes insequitur. Cum verò in choro hebdomadarius

Cœcus solicitus perdit, alter invenit marsupium.

Cura superflua sustentationis DEO non placet.

Dæmones debent alere DEI famulos.

darius neque Ordinem, neque consuetas cæremonias observaret, Generalem perplexum reddidit, ut quæreret ex vicino monacho in virtute passionis Christi, ut ediceret, qui nam sint hi, qui chorū faciunt? Qui gessit vices Abbatis, dixit se omnes esse dæmones, sibi verò à beatissimâ Virgine Mariâ præceptum fuisse, ut ipsis sine omni nocumento inservirent, & de necessarijs providerent. Quibus dictis monasterium unà cum monachis disparuit, & ille cum socijs se humi in densâ sylvâ reperit, ubi reliquum noctis in oratione transegerunt; primâ vero luce surgentes, ad sui ordinis monasterium pervenerunt. Quam meritò exclamem ego cum S. Bern. *de inter. domo c. 8.* Sicut nullum est momentum, in quo non utimur vel fruimur DEI bonitate & misericordiâ, sic nullum debet esse momentum, in quo eum præsentem non habeamus. Quarè occinamus nobis illud *Tob. 4. v. 6.* Omnibus diebus vitæ tuæ in mente habeto DEum.

Ex quo intelligitur evidens illud principium fidei, quod DEus nobis ubique præsens sit, & omnia videat. Ut propterea dicat S. Aug. *Ep. 3. ad Fortunatum.* DEus totus oculus, totus manus, totus pes est, quia omnia videt, omnia operatur, & ubique est. Providentiam divinam symbolicè repræsentaturus Trismegistus posuit Sceptrum, in cujus cuspide est radiosus oculus, quo indicare voluit, DEum omnia videre & scire. Confirmat hoc Cantipratanus *l. 2. apum c. 20.* Ubi narrat cuidam scelerato obviasse Christum peregrinum & rogasse, ut sibi caput lavaret, si eum aliquis salutis propriæ teneret amor; misertus itaque peregrini caput lavat, sed hem inter crines in occipite oculum invenit lucidissimum. Hæret hic rei novitate attonitus peccator, quem tamen Christus sic est allocutus: Iste oculus est, qui te in abscondito peccantem vidit, quem nullum scelus latere potest. Hic profectò ille DEI oculus est, quo omnem abyssum penetrat omniscius DEus, ut nos tantò magis à peccato deterreat. Ægyptij DEum dixerunt mundi oculum. S. Bonaventura non oculum sed globum lucidissimum dixit. Refert enim quod tempore S. Francisci in quodam monasterio noctu in ambitu apparuerit currus igneus, & in illo lucidissimus globus, qui totius monasterij cubicula sic illustravit, ut quivis religiosus videret, quid alij agerent, Imo quid cogitarent. Erravit ergo Theodora matrona Alexandrina à juvene impudico adamata, atque à Sagâ ad adulterium soli-

DEus est nobis ubique præsens.

DEus oculum habet in occipite.

DEUS mundi oculus est.

DEus etiam de nocte videt adulteria.

ſolicitata, hæc enim impudentiſſimæ ſtrygi reſpondit, quod erubeſceret, ſi vel ipſum ſolem talis flagitii teſtem haberet. Arripuit hoc dictum trivenefica, & dixit, fiat igitur à te poſt Solis occaſum, & nullus erit, qui te noſcat aut videat. Quo reſponſo ita perplexa facta eſt, ut crederet neque DEUM adulterium nocturnum viſurum. Quare in nocturnum conſenſit concubitum, & adulterium divinis oculis manifeſtum commiſit. Aſt ubi poſt ſcelus admiſſum, DEI oculum etiam in tenebris lucidiſſimum agnovit, inconſolabilis virilem habitum induit, & à marito ad monaſterium mentita veſte profugit, ibique in ſumma pœnitentia ſub ſpecie Viri, vitam egit ſeveriſſimam. Audite S. Aug. *ep. 3. ad Fortunatum.* DEUS timendus eſt in publico, ipſe & in ſecreto. Lucerna ardet? videt te; Lucerna extincta eſt? videt te. Ipſum time, cui cura eſt, ut videat te. Et vel timendo caſtus eſto, aut ſi peccare vis; quære ubi te non videat, & fac quod vis. Quare concludit de ſe ipſo loquens: Cum illum mihi ubique præſentem & omnia videntem intueor, timore pariter & ingenti rubore confundor. Hujus opinionis fuit S. Greg. *in c. 16. Job.* Si DEum præſentem & omnia videntem, judicaturum de omnibus crederemus, vix, aut nunquam peccaremus. Quia benè dixit Clemens Alexandrinus: Hac ſolum ratione fit, ut quis nunquam labatur, ſi ſemper ſibi DEum adeſſe exiſtimet. Utinam nobis ſæpius occineretur illud *Joan. 11. v. 28.* Magiſter adeſt. Sic ſororem ſuam Magdalenam allocuta eſt Martha, neque enim præſentius contra omnia peccata eſt remedium, quam DEI præſentia. Novit hoc Paphnutius vir religioſiſſimus, qui deſerta Eremo Alexandriam venit, ubi proſtibulum ingreſſus à famoſiſſima Thaide locum petijt ad peccandum ſecretiſſimum, dicens ſe nolle in peccato à quopiam videri: Inducit ergo illum ad cubile ſuum, negat ille eſſe locum ſatis arcanum. Itur ergo in interius conclave, ſed nec hoc placuit. In intimum penetrale abducitur, & Thais ad Paphnutium converſa, ſcio inquit, quia hic nemo nos videt, nemo audit, niſi DEus, vel dæmon. Tunc ille, credisne DEum? Credo ait illa. Ergo reponit Paphnutius hæc credimus, & in illius oculis facere volumus, quod non eramus facturi coram hominibus? Judicem DEum, accuſatorem dæmonem, non times? Ingemuit altum Thais, & ſtatim omnem mundum muliebrem combuſſit, atque in extremum Eremi angulum ſe condidit, ubi peractâ ſeveriſſimâ pœnitentiâ, à S. Paulo ſimplice in

Theodora admiſſo per errorem adulterio pœnitens.

Præſentia DEI certum contra peccata remedium.

Paphnutius vult peccare ſi neque à DEO videatur.

in cœlum abire visa est. Pulchrè S. Hieronymus omnium speculatorem DEum crede, & cave, ne quid, quod divinis oculis indignum sit, aut opereris, aut cogites. Ideoque hoc velut medium singulare, S. Bern. *l. de modo benè vivendi c. 29.* commendat. Ibi pecca, ubi nescis DEum. Nihil enim celatur ante DEum. Videt occulta, qui fecit abscondita, Dominus ubique præsens. Et Cassiodorus *in Ps. 50.* illa verba: Tibi soli peccavi, & malum coram te feci. Quia inquit ubique illum esse noverat, jure coram ipso se malum fecisse deplorabat, arguens dementiam suam, qui non expavit coram tanto judice peccare. Benè proinde monet S. Dorotheus *doctr. 11.* Nunquam à corde tuo excidat DEus. Cogita DEum tibi semper præsentem, & te coram illo stare. Confundit nos S. Ambrosius *in Ps. 118.* Hominem vereris præsentem, DEI præsentiam non vereris? sed cum tibi dicitur, quia DEus novit occulta hominum, ideo non vis audire, ne incipias scire quod timeas, & timere ne pecces. Sed an putas, quia in lupanari te Christus non videat, quem videt lupanar ingredientem? in flagitio te non deprehendit, quem videt flagitium cogitantem? Instat S. Chrysostomus *in Ep. 1. ad Cor.* In sceleribus DEO contempto homines formidamus, homine præsente nemo fornicaretur: Apologus est Cervum à Venatoribus fugatum, pro asyllo recurrisse ad stabulum, hic ille rogavit mulum, ne se proderet. Vix se abscondit Cervus, adest famulus, sed minus observans rursus exit, nec Cervum in stabulo vidit. Paulò post adest Dominus, qui longè oculatior cornua Cervi advertit, quarè statim clausis bene portis, servos convocat, & cervum jugulat. Oculatissimus est DEus, & ubi humani caligant oculi, ille perspicacissimè videt omnia. Certè hinc omnia orta sunt mala, quòd in rebus turpibus, non DEI oculos, sed homines timemus. Quam verum est illud *Eccles. 23. v. 28.* Oculi Domini plus lucidiores sunt super solem, circumspicientes omnes vias hominum, & profundum abijssi, & corda hominum intuentes in absconditas partes. Fabula est quod stultus quidam interrogaverit Solem, quis esset? alius quispiam latitans respondit, sum dexter DEI oculus. Conversus deinde ad Lunam petijt quis esset? respondit idem, se DEI sinistrum oculum esse. Jàm non miror inquiebat stultus, quòd DEUS omnia sciat, cum habeat tam magnos & claros oculos, quibus, omnia perspicit. Oculi hujus omniscij DEI, conservarunt illæsum innocentissimum.

Cervus non est à famulo sed ab Hero visus.

Stultus credit Solem esse DEI oculum.

tissimum Josephum; Scimus in quantum periculum lasciva mulier inducere volebat castissimum juvenem *Gen. 39. v. 8.* Qui nequaquam acquiescens operi nefario dixit ad eam. Ecce Dominus meus omnibus mihi traditis, ignorat, quid habeat in domo suâ, nec quidquam est, quod non in meâ sit potestate, vel non tradiderit mihi, præter te; quæ uxor ejus es. Quomodo ergo possum hoc malum facere, & peccare in DEum meum? Quærunt hic Sancti Patres, cur beneficia heri sui in se collata referens, non concluserit, quomodo possum peccare in herum meum? utpote à quo beneficia enarrata accepit. Cur obsecro relicto Domino respectu sui tam benefico, DEum sibi proponere maluit? quomodo possum peccare in DEum meum? Causa certè alia non est, nisi quia res fuit in lubrico, & ideo Joseph relictis alijs omnibus obligationibus, recurrit ad DEum. Benè ad rem nostram D. Basil. *Seleuc. orat. 8.* Certamen tale erat, luctator adolescentulus; ætas ejusmodi, quæ temperantiam prodat, servitij humilitas, Dominæ adulationes perpetuæ. Taceo externas mulieris artes, fucum, verba, vestes. Per omnes sentiendi vias ibat, quidquid illecebrosum. Verùm qui totundique jaculis petebatur, unum contrà omnia tela, memoriam tenuit Creatoris. Maxmilianus Imperator contra Venetos bellum susceperat, & ideò pecunia comparabatur, quæ in aulâ Cæsareâ super mensas effusa jacebat. In hanc aulicus manum injecit, dum Cæsar conclave interius ingreditur. Quia verò portæ, & verò mensæ objiciebatur lapis sphingites, Cæsar velut in speculo vidit, quidquid cum aureis ageretur exterius. Brevi ergò regreditur, & aulicum interrogat, an non placeret hæc pecunia? placere respondit aulicus. Benè inquit Cæsar, accipe manu unâ quantum placet. Hìc aulicus modestè manum extendit, & aureos colligit, quos dum sacco suo vult immittere, paret aulicus & numerat. Jam inquit Cæsar, numera etiam priores, quos furatus es, qui longè plures erant, quos tamen illi reliquit, sed simul aulâ excesse jussit. DEus Sphingite non eget aut speculo, omnia ille infinitâ suâ providentiâ videt & prævidet. Unde hanc DEI providentiam nobis commendat *S. Augustinus Ep. 111.* Hoc nempè servulorum linguas cohibet & manus, ut nec flosculum carpant, nec pomum ex horto rapiant, nec frustulum panis sublegant, si nullam sibi herilis absentiæ securitatem polliceri possint. Hinc crebriores illæ querelæ, Dominus meus mihi semper à tergo hæret, loco

Josephum servat in castitate DEI præsentia.

Maxmilianus in Speculo videt furem.

quo

quo minime formido, deprehendor. Benè proindè concludit S. Bernardus *de inter. domo c. 8.* Sicut nullum momentum est, in quo non fruamur vel utamur DEI pietate & misericordiâ; sic nullum debet esse momentum, in quo eum præsentem non habeamus in memoriâ. Hoc ut faceret Alexander Sextus Pontifex, de collo semper gestabat globum aureum, & in illo Sanctissimam Hostiam, ut sic semper DEum præsentem veneraretur. Sic DEI omniscij oculus custodivit innocentem Susannam, quæ à sceleratis senibus solicitata *Dan. 13. v. 23.* exclamavit: Melius est mihi incidere in manus vestras, quam peccare in conspectu Domini. Et verò cur David tam solicitè custodiverit vias Domini, ipse dat causam *Ps. 118. v. 168.* Servavi mandata tua & testimonia tua, quia omnes viæ meæ in conspectu tuo. P. Alphonsum Cartesium vidit P. Joannes Sebastianus, quod latus illius stiparet Christus cum eodem per ambitum ambulans. Interrogavit P. Sebastianus P. Cartesium, an tunc de DEO cogitaverit? fassus est P. Cartesius, sibi videri, quod Christum ad latus semper habeat, & ejus conversatione mirè delectetur. Non frustrà Job dixit *c. 31. v. 4.* Nonne ipse considerat vias meas, & cunctos meos gressus dinumerat? Prudenter omnino Lacæna mulier filio ex vulnere in bello accepto claudicanti dixit: Macte fili! non gradum pones sine memoriâ virtutis, verus Christianus cum Jobo, non ponet gradum sine memoriâ DEI. Angelos enim nos esse oportet, qui quidem in terris conversamur, à DEO tamen nunquam averti debemus, cum nec ille avertatur à nobis, qui suâ infinitâ providentiâ tam solicitè nos gubernat.

Alexander VI. Papa Venerabile in collo portat.

Susannam à lapsu servat Dei præsentia.

P. Joannes Cartesius Christum ad latus habet.



CAPUT TERTIUM
PUNCTUM III.
Quod neceſſitate medij credi debet.
DISCURSUS III.
Anima hominis eſt immortalis.

Vita hominis in corde reſidet.

Sacerdos Dalmata ſine corde Lauretum pergit.

Celebris eſt inter Medicos quæſtio, an in cerebro potius, an verò in corde principaliter reſideat anima, cum non minus videamus tolli vitam læſo vel exempto corde, quam ſi cerebrum lædatur. Eſt tamen communior opinio, quod magis in corde, omnes ſuas operationes, in reliquum corpus diffundat. Si dicas Lauretanam hiſtoriam mirabilem memorare experientiam, nempè quod Sacerdos Dalmata à Turcis captus in ſuâ captivitate ſemper quaſi, JESUM & MARIAM inclamaverit; Cum verò Turcæ cauſam poſtularent, quarè inceſſanter hæc nomina invocaret? reſpondit illa eſſe cordi ſuo inſcripta. Quod illi volentes experiri, vivo ſacerdoti pectus aperuerunt, & cor exemerunt. Ille verò in vitâ ſervatus, cor ſuum Lauretum detulit, ubi Sacramentis omnibus ritè munitus, paulò poſt piè deceſſit. Verum hic caſus miraculoſus communi ſententiæ derogare non poteſt, cum enim naturæ vires ſuperet, conſuetum illius ordinem ſupergreditur. Cœterum experientia eſt certiſſima, quod ſicut corde benè conſtituto, vita noſtra ſibi conſtat, ita cerebro læſo vita noſtra fatiſcit. Vita animæ eſt gratia, hac ſublatâ, fatiſcat neceſſe eſt vita ſpiritualis. Gratia enim cor eſt animæ, quâ vegetata, reliquum corpus Chriſtiani hominis animatur. Ut verò propius ad rem accedamus, certum eſt, quod

quod anima nostra sit imago DEI, dicente Scriptura *Gen. 1. v. 26.* faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram. Otiosum itaque censere non debemus illud *Mat. 22. v. 20.* quod Christus interrogatus à discipulis Pharisæorum & Herodianis; an licet tributum dare Cæsari? petierit numisma census; quo inspecto interrogavit, cujus est imago hæc, & superscriptio? ubi illi responderunt esse Cæsaris; nummos Christus adjudicavit dandos Cæsari. Quid ni benè inferam ego animam DEO deberi, quia est imago DEI. Quarè impiè planè egit Causidicus ille opum iniquus corrasor, & turpissimum Bacchi ac Veneris mancipium, qui à viris religiosis de animæ salute commonitus respondit, ad duplex, DEI nimirum & dæmonis provoco tribunal! Vos decernite Judices, an cœlo, an inferno mea debeatur anima? Quibus dictis longiori tempore conticuit. Tandem quasi evigilans, ipse dœmoni causam adjudicavit. Tolle inquiens animam meam, quia dicendo vicisti, atque sic inter diras & blasphemias infelicem evomuit animam. Certè S. Aug. *l. de Civ. DEI c. 4. ex Varone* dicit fuisse utile Civitatibus, ut se homines ex dijs progenitos crederent, ut divinæ stirpis similitudinem affectantes, majori solertia res magnas aggrederentur. Unde Plutarchus in Alexandro observat, quod ubi se Dijs genitum recordatus fuit, toties in barbaros ferocius & insolentius pugnaverit. Quia scilicet filius refert Patrem, cujus est imago, ac proindè talem se gerere debet, cujus est ectypon. Et hinc ferè est quod tot homines DEI obliti terrenis adeo inhæreant, cujus causa alia non est, quam quod non meminerint cujus sint imago. Pulchrè Eusebius Emissenus *hom. 2. de symbol.* Nobilem & generosam vult vitam tuam, qui tibi commisit imaginem suam. Meritò proindè D. Leo increpat somnolentos mortales: Expergiscere ô homo! & dignitatem tuæ naturæ agnosce. Quondam Demetrius Rhodum obsederat, sed ubi in mœnibus vidit imaginem Thalesij Philosophi, urbem immunem reliquit, & recessit. Quid quod Plinius *l. 2. c. 38.* asserit. Et Leo nobilitatem hominis agnoscit. Subdit Emyssenus citatus. Non prævalebit in homine fœda impugnatio passionis, dum fortitudinem administrat attributæ dignitatis conscientia. Profectò si expavit hostis Thalesij imaginem violare, formidabit dæmon lædere imaginem DEI. Porrò hæc imago & similitudo consistit in eo, quod anima, quæ una eademque est substantia, distincta tamen sit in tribus potentijs, ut sicut

Causidicus animam suam addicit dæmoni.

Demetrius Rhodum non oppugnat visa imagine Thalesij.

 Pater

perdidisti, non recepisses. Pendebat ergo deformis in Cruce, sed deformitas Christi, nostra pulchritudo erat. Quare S. Bernard. *Ep. 54.* Magna res anima, quæ Christi sanguine est redempta. Gravis est casus, qui nisi cruce potuit reparari. Gravius adhuc S. August. *in Ps. 102.* factus est bonæ fidei contractus, nemo fallit Redemptorem tuum, egit hic commercium, jam pretium solvit, sanguinem fudit. Sanguinem inquam fudit unigenitus DEI filius pro nobis. O anima! erige te, tanti vales! Serio proindè monet S. Chrysostomus *orat. 3. contra Jud.* Perpende igitur quanta sit dignitas animæ, cujus saluti consulitur, & ne contempseris illius curam, quam pretioso sanguine suo emit Christus & redemit. Hujus pretij valorem Eusebius Emiss. desumit ex eo, quia est imago DEI. Sic enim *hom. 6. de Pascha* loquitur. Maximum quidem circa hominem divini amoris insigne est, quod inter ipsa mundi principia, imaginem ac similitudinem DEI sui, servus accepit. Sed penè amplius est, quod nunc personam & formam servi DEus author assumpsit. Grandi quidem dignatione primo homini spiraculum vitæ, de suo pius formator infudit; sed nunc penè majori charitate pro eodem homine non jam sua dedit, sed seipsum impendit ac tradidit. Magnum quidem mihi est de eo, quod esse me sentio opus suum, sed multò plus est, quod transiisse ipsum video in pretium meum, quandoquidem tam pretioso munere ipsa redemptio agitur, ut homo DEum valere videatur. Bene omninò S. Aug. *in suo l. Medit. c. 5.* O immensa pietas! ô inæstimabilis charitas! ut liberares servum, filium tradidisti. DEus factus est homo, ut perditus homo de potestate dæmonum erueretur. Quarè merito idem S. Aug. *Soliloq. c. 13.* Dilexisti me Domine plus quam te, quia mori voluisti pro me. Et tamen tam pretiosam animam tam parum curamus. Sollicitè planè exclamat S. Bern. *l. 4. de Consid.* Cadit asina, & est qui sublevet eam; perit anima, & nemo est qui reputet. Pulchrè S. Chrysostomus *hom. 11. in Mat.* observat, quod Christus in concursu dæmoniaci & mulieris febricitantis, prius sanaverit dæmoniacum, posteà verò febrim in muliere. Causam hujus dat, quia videlicet major ei cura est de animâ, quam de corpore. Quod ipsum in alio Christi facto Chrysologus *serm. 63. super illa verba Joan. 11. v. 22.* Domine si fuisses hic advertit, ubi miratur Christum, quod sic occuparetur cum Marthâ qui ad Lazarum suscitandum venerat.

Anima est pretiosa.

Scilicet ut ante ista in fide surgeret, quam ille resuscitaretur in carne. Et hac de causâ putant multi, omnes à Christo sanatos in corpore, prius fuisse sanatos in animâ, cum sæpe peccata morborum causæ sint. Sic enim Christus Joan. 5. *v. 14.* Ecce jam sanus factus es, jam noli amplius peccare, ne quid deterius tibi contingat. Refert Plinius *l. 36. c. 9.* Thebis viginti millia hominum laborasse in columnâ seu obelisco erigendo, sed cum vereretur Rex, quod machinæ erigendo operi non sufficerent, licet illum operis Magistri assecurarent, ut illis majorem curam imponeret, Rex filium suum obelisco alligari curavit, ut cum in unius Regis filij, vita omnium & capita periclitarentur, omni conatu ac industriâ, casum omnem & ruinam columnæ avertere conarentur. Haud aliter est cujusque anima, cui cœlestis Pater pretium filij alligavit, ut illa ubi omni obelisco præstantior assurgere cœperit, tu id omni studio satagas, ne rursus collabascat. Sic solicitus fuit ille Mercator Catholicus, qui cum Genevæ in gravem incidisset infirmitatem, instantissimè petijt Confessarium Catholicum; at ecce Ministellus adfuit Calvinista, nec spes fuit ulla Catholici Sacerdotis. Ubi ergo Mercator vidit, sibi ad Sacramenta viam omnem interclusam, toto corde se ad Christum & ejus sanctissimam Matrem convertit, cujus imaginem à collo pendulam cum ante se haberet, eamque tenerrimo affectu sæpius deoscularetur, infirmo ministellus oganijt, meram hanc esse idololatriam. Ubi tamen vidit Mercatorem valde angustiari, solaturus infirmum dixit: Quid mihi dabis? si animam meam pro salute tuâ oppignoravero? Respondit Mercator, lubens bonis omnibus cedam; Nimis multum hoc esset, reponit Ministellus. Quærit ergo quantum apud te habes? trecentos inquit mercator habeo aureos; Hos da, dixit ministellus, & satis mihi erit. Vocatur itaque Notarius, conficitur contractus, ministellus accipit pecuniam, & cum socijs diei reliquum, lætus inter pocula transegit. Moritur interim Mercator, & hem inter tripudiantes combibones, ingreditur armatus eques specie horrendâ, qui ubi de obside mercatoris indagat, ministellum apprehendit, equo suo imponit, & simul cum impio animæ suæ nundinatore per auras evanescit. Turpius adhuc egit ille, qui ad rogum damnatus, ante mortem edixit, quod ex balneo redux vehementer sitiverit, cum verò pecuniam non haberet, undè sibi haustum vini emeret, dæmoni animam suam devovit, qui eidem pro

Peccata sunt sæpè morborum causâ.

Columna feliciter erigitur cui regis filius alligatur.

Calvinista Mercatori animã suam oppignorat.

Animam suam pro 6. cruciferis vendit aliquis.

pro haustu sex Cruciferos dedit. Erratis turpissimè miserandi nundinatores! longè aliter de pretio animæ æterna sentit sapientia. Audite S. Joan. *c. 3. v. 16.* ubi DEus in unâ stateræ lance ponit dilectum & Unigenitum filium suum, in alterâ hominis animam, eamque amoris æquipondio exæquat dicens! Sic DEus dilexit mundum, ut filium suum unigenitum daret. Novit hoc probè bonus ille sacerdos qui in eodem diversorio cum Mercatore & nobili equite pransus, æquissimum de animæ pretio tulit judicium. Cum enim assiderent mensæ, & in hac incideret quæstio, quæ in humanis jactura esset gravissima? Mercator qui mercium suarum jacturam recensuit, tantarum pecuniarum jacturam putavit esse gravissimam. Adeoque dixit perdere pecuniam est multum perdere. Sed statim Nobilis interpellans, ad comparativum assurrexit,& honorem divitijs prætulit, adeoque dixit, qui honorem perdit, plus perdit. Definitivam optimam dedit Sacerdos dicens: Qui perdit animam, perdit omnia. Christus certò animam universo mundo prætulit. *Mat. 4. v. 8.* dæmon in monte excelso omnes mundi thesauros Christo offert. Hæc omnia inquit tibi dabo, si cadens adoraveris me. Verum Christus id non fecit, sed dixit vade Sathanas. Ut se vindicaret Sathanas,& faceret filium DEI ante se genua flectere, intravit in cor Judæ, ut saltem tunc, cum erat loturus pedes suorum discipulorum, coram Judà, in cujus corde ille residebat, genua curvaret. Quarè quod in monte Christus non fecit pro pretio totius mundi, coram Judâ,qui vel ipse juxta sacrum Evangelium diabolus erat, vel saltem dæmonem in corde fovebat, prosternitur. Contemplare exclamat Petrus Chrysologus divinitatem genuflexam ante dæmonem, ut animam Judæ lucri faciat. Quasi diceret, animam Judæ totius mundi pretio præposuit, quando pro illo non voluit genu in monte flectere, flexit tamen hic, ut sic animam Judæ lucraretur. Benè proindè exclamat Neotericus quispiam, Grande homo! & pretiosus vir. Quod pulchrè declarat S. Ambr. *serm. 10. in Ps. 118.* Disce homo, ubi grandis & pretiosus sis. Vilem te terra demonstrat, sed gloriosum Christus fecit, fides rarum, imago DEI pretiosum. Unde tam graviter pretium hominis deprædicat Eusebius Gallicanus *hom. 2. de symb.* In trutina crucis non aurum vel argentum, non corpus aliquod angelicum, sed semetipsum passus est author salutis appendi, ut homini naturæ suæ dignitatem ipsa ostenderet pretij magnitudo. Mirabile

Animæ jactura est gravissima.

Christus pro anima Judæ coram dæmoni flectat.

rabile est illud *Mat. 26. v. 38.* quando Christus questus est: Tristis est anima mea usque ad mortem, adeo quidem ut ab angelo debuerit confortari *Luc. 22. v. 43.* Apparuit autem illi angelus de cœlo, confortans eum. Et tamen in cruce ubi majora passus est tormenta, sustinet illa, nec ab angelo confortatur; sed insuper à Patre desertum se queritur *Mat. 27. v. 46.* DEus meus, ut quid dereliquisti me? Cur hic obsecro inter tormenta majora à Patre deseritur? ibi verò inter voluntaria & minora ab angelo confortatur. Egregriè Eusebius Emiss. *serm. 3. de latrone* advertit, ad illa verba Domine memento mei. Gloriosâ inquit hac voce præsentes Christi temperat cruciatus. Scilicet non opus fuit Angelo confortante, ubi salus animæ ipsius latronis, in Cruce Christo fuit solatio. Tanti nimirum DEus fecit animam latronis.

Anima hominis non dormit usque ad diem judicij.

Sed quorsum hæc omnia, si anima est mortalis, & nobis eadem cum pecoribus est moriendi condicio? Malum omnino facit argumentum Galenus, asserendo hominis animam esse mortalem, quia exit de corpore nostrò, ob aliquam verbi causâ magnam inflammationem; quia hoc idem facit dæmon recedens ex corpore alicujus obsessi, quem tamen nemo propterea dicit esse mortalem. Sic pariter falsum est, quod dicunt Anabaptistæ, quod animæ à morte hominis dormiant, usque ad diem judicij. Clarè enim Christus dixit *Luc. 23. v. 43.* Latroni in cruce pendenti, hodie! hodie mecum eris in paradyso. Quis verò ibi vel dormire, vel mortuam credat animam latronis? Profectò nôn dormivit Samuel quando *1. Reg. c. 28. v. 12.* Saul ad Pythonissam venit mutatis vestibus, & petijt ab illâ, sibi suscitari Samuelem, ut eum consuleret, qui etiam comparuit illi & mortem prædixit, atque excidium popul Israël. Sic enim *v. 19.* loquitur; Et dabit Dominus tecum Israël in manus Philistym: Cras autem tu & filij tui mecum eritis. Sic in novo testamento Christo in monte Thabor transfigurato *Mat. 17. v. 3.* apparuit etiam Moyses & Elias cum eo loquentes. Certè neque mortuus neque dormiens benè loquitur, adeoque animæ defunctorum neque extinctæ penitus, neque dormire credi debent. Quid quod in Symbolo Apostolico habeamus animam Christi descendisse ad inferos. Quid ergo manifestius, quàm quòd anima in morte hominis non extinguatur, neque obdormiat aut soporetur. Profectò non dormiunt aut intereunt animæ, quæ viventes non solum monent, sed etiam per literas

ras

ras & epistolia de futuris rebus assecurant. Accidit Genuæ quod mater intelligens filium suum à pyratis captum, trecentorum aureorum litro posset eliberare, magno cum fletu urbem obierit, ut eam summam emendicaret. Occurrit illa in viâ honesto presbytero, à quo stipem mendicat, intelligit autem illũ ipsum quærere aliquem, qui missam petat, ut habeat undè die illâ vivat. Offert illi pia mater sex asses, ut pro defunctis sacrum dicat. Dixit ille Requiem, adfuit illa, & pro defunctis DEum devotè orat. Die alterâ dum civitatem mendicando obit, obvium habet virum valdè honestum, cui cùm sortem miseram captivi filij sui exposuisset, dedit illi vir præfatus schedam Cambialem ad certum Mercatorem, in tali plateâ & domo habitantem, is inquit dabit tibi trecentos aureos, quibus filium tuum libera. Ubi vidua Mercatori schedam dedit, acceptam diligenter inspicit Mercator, & parentis ante annos octo defuncti manum advertit. Quarè pauperem viduam interrogat, Quis? qualis formæ? quo loco? & quando? tibi hic vir epistolium hoc dedit? illa ut potuit hominis lineamenta descripsit, ut mercatorem in manifestam suspicionem defuncti sui parentis induceret. Mecum ergo veni, inquit, & ad vicinum cubiculum viduam deduxit dicens, si in picturâ videres, nosceresnè virum illum? cum subitò illa oculos reflexit, & intento in contrafacturam parentis digito, dixit, hic ipse inquit est, qui mihi hanc schedam tradidit. Intellexit ergò Mercator animam parentis illo sacrificio liberatam, adeoque cum gratiarum actione viduæ trecentos aureos numeravit, quibus illa filium suum à captivitate liberavit. Nisi fortassis dicas, illam animam dormivisse, quæ multis annis de die & nocte altum suspirans in publico hospitio assedit hospitibus. In Imperio namque ante paucos annos in publico Lutherano hospitio, fuit hospes seu inquilinus spiritus, qui quotidiè palã assedit mensæ, visus est ab omnibus cubiculum intrantibus, qui altum gemebat, & suspirabat. Duravit hæc visio cum molestiâ cauponis & hospitum multis annis, nec tamẽ ulli terrori aut damno fuit hic spiritus, usque dum ingressus quidam Catholicus viator, spiritui benè precatus dixit; Requiem æternam dona ei Domine. Quibus dictis spiritus complosis prægaudio manibus, hoc se expectasse dixit, & gratijs actis videri desijt. Quis hanc animam interijsse aut somno sepultam dixerit?

Anima parentis filio Cambium inscribit.

Anima publico in hospitio per unum requiescat in pace liberatur.

Quæritur ergo in præsenti, an anima hominis sit immortalis?

Anima hominis est immortalis.

Quod de fide esse docemur ex illo *Mat. 10. v. 28.* Nolite timere eos, qui occidunt corpus, animam autem non possunt occidere. Ubi Christus manifestè immortalitatem animæ docet, eamque claris verbis asserit. Et verò cùm homo in hac vità repleatur plurimis & penè innumeris corporis animæque miserijs, nisi altera supersit vita, certè feliciora homine erunt cœtera animalia, quæ tot carent molestijs. Quod sciens S. Symphoriani mater, sic filium inter tormenta allocuta est *o* Nate! Nate! memento æternæ vitæ, cœlum suspice, & ibi regnantem intuere. Sic Stephanus lapidatus cœlum respicit, & Christum stantem, non jacientem Judæum videt. Filius qui à Patre hæreditatem sperat, castigationem sustinet. Nostra hæreditas cœlum est, an non feramus, quas optimus parens stringit virgas! Audite Paulum *2. ad Cor. 4. v. 17.* Leve tribulationis nostræ, supra modum in sublimitate æternum gloriæ pondus operatur in nobis. Vita momentum est, quid ergo erit omnis tribulatio nostra! Age mi Christiane, si filius DEI esse non vis? servus saltem DEI non recusabis esse. David adulter & homicida, malus utique servus, hic cæsus à Domino *Ps. 22. v. 4.* exclamat: Virga tua, & baculus, ipsa me consolata sunt. Si quæras in quo? certè non in alio, quàm quia anima immortalis, hic pressuras passa & calamitates, in cœlo à justissimo DEO remuneranda æternum gaudebit. *Oleaster in c. 6. Gen.* tradit arcam habuisse fenestram vitream in summitate, cum aliæ naves habeant illas ad latus. Ut scilicet in illo aquarum diluvio, haberet cœlum spectabile, à quo in horrendo illo cataclysmo traheret solatium. Ut & nos collotenus immersi mari mundi hujus, erigamus in cœlum animum nostrum, dicamusque cum Davide *Ps. 85. v. 4.* Lætifica animam servi tui, quoniam ad te Domine levavi animam meam. Scilicet in terrâ erat David, & tribulationum gravi pondere premebatur, ne in amaritudine hac animæ suæ contabesceret, ne oneri succumberet perturbationum, levavi inquit animam meam ad te, quia in omnem æternitatem apud te ô DEus jucundabor. Et ideò S. Bern. *serm. 4. de ascens.* dixit: Levemus corda cum manibus, & ascendentem Dominum sequi, velut quibusdam passibus devotionis contendamus. Erit enim verò tempus, cum fine morâ, sine difficultate obviam illi in nubibus resurgemus. Superest ergo altera vita, in quâ anima, quæ in hac mortali, vitâ innumeris repleta fuit miserijs, consolationem recipiet. Sic S. Euthymius vidit, quomodo

Si anima non esset immortalis pecudes essent feliciores.

Superest altera vita in qua anima consolationem accipiet.

do animam cujusdam pauperis nudi & laceri, in terrâ sub dio jacentis, angeli qui adstabant, reverenter & amicè à corpore avocaverint. Vidit insuper in hoc angelico Choro adfuisse Davidem Regem, qui dulcis suæ Cytharæ sono morientem recreavit. Injustus profectò videri posset DEus, si bonis & probis animabus in hac vitâ tot ærumnis fatigatis, in alterâ non recompensaret perpessas injurias. Ostendit hanc pijssimam DEI æquitatem Christus ipse in paupere Lazaro, ubi pauper Lazarus neque micas de mensâ divitis lapsas colligere permittebatur, dum dives continuis epulis & ebrietatibus replebatur. Quis autem horum fuit exitus? mortuus est Lazarus, & delatus est ab Angelis in sinum Abrahæ, mortuus est etiam dives, & sepultus est in inferno.

Anima pauperis per angelos cælo importatur.

Quidam immortalitatem animæ adstruunt ex appetitu naturali æternitatis, quo laborant homines apud alios celebres fieri, & sic memoriam in annos & annos educere. Hinc vel per arma, quod fecit Alexander Magnus, & ipse apud Ethnicos deos Hercules, ad nominis sui immortalitatem evadere conati sunt, quæ nunquam homines tanto studio auderent, nisi animam immortalem crederent, & in vitâ alterâ præmiandam, cùm in hac condignam non habeant remunerationem. Et verò si homo potest à DEO mereri aliquam gratiam, quemadmodum sacræ & profanæ testantur historiæ, cur non etiam mereri poterit durationem, quod in Ezechiâ Rege vidimus; quam novis gratiarum incrementis extendere valebit in æternum? maximè cum S. Dionys. Arcop. *de divin. nomin. c. 9.* dicat, quia DEI dona semper habent plenitudinem, & non minorantur participationibus, sed magis supereminent. Quidquid infundas, & quibuscunque virtutibus adimplebis animam, semper tamen eandem ad majus incrementum recipiendum aptam reperies. Quia bene docet S. Thom, semper charitate excrescente, super excrescit stabilitas ad ulterius augmentum. Quarè erudite dixit P. Eusebius Nirenbergius S. I. Homo ad imaginem DEI creatus est, quæ similitudo etiam in eo consistit, quod homo sit capax DEI, nec allâ re nisi DEO expleri possit. Et hinc naturalis est ergà summum bonum propensio & desiderium. Cor inquit nostrum triangulare est, quid mirum. si orbis illud nequeat explere. Cor parvum est inquit Hugo Victorinus *l. 3. de anim.* & magna sapit. Vix ad unius milui refectionem sufficere potest, & totus mundus ei non sufficit. Est namque

Anima naturaliter perennare desiderat.

Anima mereri potest durationem ulteriorem.

Anima est capax DEI, nec alio expleri potest.

que triangulare, nullâ sphærâ aut quadrato explebile. Causam dat S. Bern. *serm. in dedic.* Ad imaginem DEI facta est anima rationalis. Cœteris omnibus occupari potest, repleri non potest. Capacem enim DEI, quidquid DEO minus est, non replebit. Accedit quòd *Joan. 4. v. 24.* dicatur, DEus autem spiritus est, in quo etiam anima hominis similitudinem quandam DEI refert, utpotè quia est spiritualis. Hinc sicut spiritus carnem & ossa non habet, ita anima nihil est corporeum, nihil oculis nostris visibile, ideoque anima nec videri in se oculis nostris potest, nec ullis angustijs coërceri, sed sicut Christus in corpore jam glorioso portis clausis ingressus est, ità anima quidvis penetrare, nulloque loco constringi, nisi solâ divinâ potentiâ potest. Expertus est hoc juvenis ille Machiavelli discipulus, quem suis præceptis instructum eò deduxit sceleratus Magister, ut de animæ immortalitate parùm vel nihil crederet. Quarè totus in voluptates effusus, ea solùm animo voluit, quæ vel ad gustum, vel ad libidinem deservirent. Apparaverat ille lautum convivium, inquit Pexenfelder *p. 3. hist. 140.* & vel animi causâ, vel appetitûs ciendi, deambulabat cum socijs. Casu transivit cœmiterium, ubi in calvam, quæ in viâ jacebat incidit, ille verò pede eandem protrusit, & joculariter nugando ad cœnam suam invitavit, ut super mensam pluribus de statu animarum agant. Abit domum, cumque mensæ assideret cum socijs, & multa ludicrè de alterâ vitâ inter se disputarent, adest tremebundus totus domesticus famulus, vultuque pallido refert, mirabilem adesse hospitem. Mittuntur cordatiores famuli, qui spectrum submoveant, dum alij interim portas pessulis obfirmant, & quisque hospitem osseum excludere conatur. Sed non obstante quocunque conatu, portis clausis ingreditur invitatus hospes & Leontio, sic enim vocabatur, assedit: Dixit deindè adesse se jussu DEI, cujus providentiam ipse hactenus tam turpiter exsibilaverat, adesse inquam, ut ipsi demonstret, cum homine non omnia emori, atque animam esse superstitem, pro ratione meriti, bonorum vel malorum capacem. Et ut videas hanc veram & firmam esse veritatem. Ego sum inquit avus tuus, qui modò inferni ignibus uror, & nunquam exuror, sed in æterna supplicia semper renascor. Et tu propter impietatem tuam, justo DEI judicio mecum in æternum ardebis. Arripuit deindè Leontium, & vicino parieti tam validè illisit, ut muro dispersum adhæserit cerebrum, triste peractæ tragædiæ

Anima est spiritus, est spiritualis.

Calva invitata docet animã esse immortalem.

Osseus conviva.

diæ argumentum. Didicit, sed suo malo Leontius, animam esse immortalem & spiritualem. Quam immortalitatem pari penè fato edoctus est ille, de quo Thomas Cantipratanus *l. 2. Apum c. 36.* in Franciæ inquit loco quodam, nobiles juvenes in hospitio egregiè epulabantur, nec segnius potitabant, cùm verò vino incalescerent, & varia miscerent colloquia, de animâ sermo incidit; dum unus protervior, in clericos & religiosos insolentiùs invehitur, quòd suis figmentis hominibus imponant, animam post mortem hominis vivere. Risus hic ingens inter socios, dum verò cachinantur & rident, quidam staturâ procerus, aspectuque tremendus ingreditur, & se ipsis adjungit, paulò pòst & ipse vinum infundi jubet, & assidentibus propinat. Tum inquit, de quo vestra est disputatio. De animâ inquit procax aliquis, & addit: Si quis meam vellet emere, illam vendere paratus essem, pretiumque darem in communem compotationem. Magnus rursus exoritur risus inter socios, & ipse etiam hospes arrisit, simulque dixit, se velle emere. Quare ut pretium animæ suæ statuat, petijt. Tanti vendo replicabat impius, & pretium nominavit; quod statim hospes ille exsolvit. Risus hic rursns auditur communis, & nova potandi jura resumuntur. Bibitur laboriosè, ut animæ pretium perpotaretur. Imminebat interim nox, cùm emptor ad socios conversus dixit: Adest modo tempus, quo quisque ad suas ædes revocatur, priusquam tamen conventus noster dissolvatur, novum quæso dubium dissolvite si quis inquit equum emerit fræni vinculo alligatum, numquid cum equo cedit emptori etiam frænum? Rident hic reliqui, & inter cachinnos annuunt, unus nundinator expallescere cœpit, sed nihil motus emptor, nundinatorem in auras sublatum eò tulit, ubi suo damno æternum discet, quid miseris peccatoribus post hanc mortalem vitam accidat, & quo loco animæ in pœnis sempiternis subsistant.

Infelix anima nundinator cum corpore & anima perit.

Cum verò multi à morte ad vitam sint revocati, plurimi ab obitu suo se hominibus spectabiles præbuerint, indubitatum & de fide est, animas nostras esse immortales. Erratis namque inquit Christus *Mat. 23. v. 29.* nescientes Scripturas, neque verbum DEI. Et paulò pòst *v. 31.* Non legistis, quod dictum est à DEO dicente vobis. Ego sum DEus Abraham, DEus Isaac, & DEus Jacob. Non est DEus mortuorum, sed viventium. Quod ut DEus manifestum faceret,

Plurimi à mortuis sunt resuscitati, ergo anima non perit.

ceret, tam in veteri, quàm novo testamento, fecit DEus ad vitam revocari plurimos, qui manifesta de immortalitate animæ darent argumenta. Sic *3. Reg. 17. v. 19.* Viduæ defunctus est filius, illa pro mortuo interpellavit Eliam, qui conversus ad viduam dixit: Da mihi filium tuum, tulitque eum de sinu ejus, & posuit super lectulum suum, & clamavit ad Dominum, & dixit: Domine DEus meus, etiamnè viduam, apud quam ego utcumque sustentor afflixisti, ut interficeres filium ejus. Et expandit se atque mensus est super puerum tribus vicibus, & clamavit ad Dominum; & ait: Domine DEus meus revertatur obsecro anima pueri hujus in viscera ejus. Et exaudivit Dominus vocem Eliæ, & reversa est anima pueri intra eum, & revixit. Tulitque Elias puerum, & deposuit eum de cœnaculo, in inferiorem domum, & tradidit matri suæ, & ait illi: En vivit filius tuus. Eliam magistrum suum pari virtute secutus est Elisæus, & puerum resuscitavit. *l. 4. Reg. c. 4. v. 33.* Et ecce puer mortuus jacebat in lectulo ejus, ingressusque clausit ostium super se, & super puerum, & oravit ad Dominum. Et ascendit, & incubuit super puerum, dosuitque os suum, super os pueri, & oculos super oculos ejus, & manus super manus ejus, & incuravit se super eum, & calefacta est caro pueri. At ille reversus deambulavit in domo semel huc atque illuc, & ascendit & incubuit super eum, & oscitavit puer septies aperuitque oculos. At ille vocavit Giezi, & dixit ei, voca Sunamitidem hanc. Quæ vocata, ingressa est ad eum. Qui ait tolle filium tuum; venit illa, & corruit ad pedes ejus & adoravit super terram, tulitq; filium suum, & egressa est. Verùm non solũ vivens sed etiam mortuus Elisæus Propheta virtutes super naturam operatus est Sic enim *4. Reg. 13. v. 20.* Mortuus est ergo Elisæus, & sepelierunt eum. Latrunculi autem de Moab venerunt in ipso anno. Quidam sepelientes hominem, viderunt latrunculos, & projecerunt cadaver in sepulchrum Elisæi. Quod cum tetigisset ossa Elisæi, revixit homo, & stetit super pedes suos. Certè si mortalis esset anima hominis, & unà cum vitâ illius interijsset, nunquam amplius revocari potuisset; quæ tamen virtute divini imperij, etiam post tempus aliquod perpessæ mortis, se rursus stiterunt. Hanc in Mortuos potestatem in novo testamento exercuit Christus ipse *Mat. 9. v. 23.* Et cùm venisset JEsus in domum Principis, & vidisset tibicines & turbam tumultuantem dicebat, recedite! non est mortua puella, sed dormit,

DEus est DEus non mortuorum, sed viventium

Christus in mortuos exercet suam potestatem.

dormit, & deridebant eum. Et cùm ejecta esset turba, intravit, & tenuit manum ejus, & surrexit puella. Pergit S. Lucas *c. 7. v. 11.* ibat in civitatem quæ vocatur Naim, & ibant cum eo discipuli ejus, & turba multa. Cùm autem appropinquaret portæ Civitatis, ecce defunctus efferebatur filius unicus matris suæ, & hæc vidua erat, & turba civitatis multa cum illâ. Quàm cum vidisset Dominus misericordiâ motus super eam, dixit illi. Noli flere! & accessit, & tetigit loculum, hi autem qui portabant, steterunt, & ait: adolescens! tibi dico: surge, & resedit qui erat mortuus, & cœpit loqui, & dedit illum matri suæ. Mirabilius est quod Lazarus jam quatriduanus ex monumento progrediatur, & anima quæ per mortem separata fuerat integris jam quatuor diebus, se rursus corpori univerit. Audite Joan. *c. 11. v. 43.* Hæc cum dixisset, voce magnâ clamavit: Lazare veni foras. Et statim prodijt qui fuerat mortuus, ligatus manus & pedes institis, & facies illius sudario erat ligata. Dixit eis JEsus solvite eum, & sinite abire. Quis horum animas cum corpore interijsse dicat? quis adeò profundo somno usque ad diem judicij sopitas credat? quas vel unius vocis imperio, corpori suo rursus restituit Christus. Hanc virtutem Salvator noster sanctis suis Apostolis communicavit, quando *Act. 9. v. 40.* Petrus ejectis omnibus foras, ponens genua oravit, & conversus ad corpus dixit: Tabitha surge; at illa aperuit oculos suos, & viso Petro resedit. Dans autem illi manum, erexit eam, & cum vocasset Sanctos & viduas, assignavit eam vivam. Quod idem S. Paulus præstitit *Act. 20. v. 9.* Sedens autem quidam adolescens nomine Euthychus super fenestram, cùm mergeretur somno gravi disputante diu Paulo ductus somno, cecidit de tertio cœnaculo deorsum, & sublatus est mortuus. Ad quem cùm descendisset Paulus, incubuit super eum, & complexus dixit; Nolite turbari! anima enim ipsius in eo est. Et paulo post: Adduxerunt autem puerum viventem, & consolati sunt non minimè. Infinitus essem si hanc virtutem sanctis à DEO concessam enumerare vellem. De S. Martino Ecclesia testatur in *Respons. 1. Lect. in 1. noct.* Hic est Martinus electus DEI Pontifex, cui Dominus post Apostolos, tantam gratiam conferre dignatus est, ut in virtute Trinitatis Deificæ, mereretur fieri trium mortuorum suscitator magnificus. Huic adjungam nostri temporis Thaumaturgum S. Xaverium Indiarum Apostolum, quem licet plurium mortuorum

Etiam Sancti Apostoli mortuos excitant.

Sancti varij suscitant mortuos.

S. Martinus tres mortuos excitat.


tuorum suscitatorem legamus, sedes tamen Apostolica in bullâ Canonizationis, ut eum Christo Magistro suo magis assimilaret, in numero & modo suscitandi penè fecit æqualem. Verba illius sunt: Puer quidã Mutani in Orientali Indiâ pestilenti febri ex vitâ sublatus, & linteo insutus, demore gentis viginti quatuor horis asservatus, flentibus parentibus ferebatur ad sepulchrum, quos ut vir DEI vidit, misericordiâ motus super eos, DEum omnipotentem, ut puerum vivificaret flexis genibus precatus fuerat, atque aquâ benedictâ aspersum rescisso linteo Crucis signo signaverat, apprehensâque manu ejus, in nomine Domine JEsu Christi vivum atque incolumem parentibus restituerat. Successive inquit bulla apud oppidum Combature in orâ piscariâ, puer alius in puteum delapsus suffocatusque maximo cùm matris cognatorumque ejulatu efferebatur, cumq; ex proximâ Ecclesiâ Franciscus occurrisset, misertus eorum, ingenua provolutus, oculisque in cœlum fixis, DEum pro vitâ pueri precatus, eum apprehensâ manu in nomine Domini JEsu Christi surgere jusserat, & confestim puer surrexit vivus, quem sanctus vir reddiderat matri suæ. Apud Commorinum Promontorium, cum servus DEI infidelibus concionaretur, ac propter duritiam cordis eorum nihil proficeret, factâ oratione jussit sepulchrum, in quo pridiè sepultus fuerat, aperiri, ac populo significans ad comprobandam fidei veritatem, rursus victurum, linteo quo cadaver involutum fuerat rescisso, ac rursus precibus ad DEum fusis, mortuus ut viveret imperaverat, qui statim stupentibus omnibus surrexerat vivus. Quid dicam de innumeris alijs, qui ab obitu suo se alijs spectabiles præbuerunt. Christus ipse *Mat. 27. v. 57.* in cruce pendulus, mortuos ex tumulis evocavit. Monumenta, inquit, aperta sunt, & multa corpora Sanctorum, qui dormierant, surrexerunt, & exeuntes de monumentis post resurrectionem ejus, venerunt in civitatem sanctam, apparuerunt multis. Ita planè apertis tumulis Abbatem quendam Cisterciensem, qui quoties cœmiterium transibat orationem pro amimabus fundere solitus fuit, aliquando tamen negotijs distractum & orationis oblitum monuerunt animæ, quæ ex tumulis suis se levaverunt clamantes: Et non benedixerunt, qui præteribant, benedictio Domini super vos. Et Abbas ad eas conversus conversus, prosecutus est psalmum, & dixit: Benediximus vobis in nomine

Plurimi mortui se vivis spectabiles exhibuerunt.

Abbatem monent animæ, ut pro se oret.

mine Domini. Quo contentæ animæ ſtatim ſe rurſus compoſuerunt in tumulis ſuis. Simile quid accidit Lioberto Cameracenſium Epiſcopo, in cœmiterio Parochiæ S. Nicolai, qui cùm altâ voce conſuetum Eccleſiæ verſiculum pro animabus dixiſſet: Fidelium animæ per miſericordiam DEI requieſcant in pace, clarâ diſtinctâque voce ex tumulis reſponderunt animæ; Amen. Quàm ſuavis eſt ergo ſomnus eorum, qui in Domino obdormiunt, quorum cor vigilat, dum noſtra ſuffragia audiunt? Quis niſi veſanus dicat animam eſſe mortalem, cùm illæ poſt mortem ſuffragia noſtra expetant, & noſtra charitatis obſequia tam citò percipiant; quibus dum benè precamur, & requiem optamus æternam, lux illis perpetua lucebit in regione vivorum.

Animæ clare reſpondent Epiſcopo oranti.



CAPUT QUARTUM
PUNCTUM IV.
Quod necessitate medij credi debet.
DISCURSUS IV.
Gratia DEI ad Salutem est necessaria.

Necessitatem gratiæ divinæ nobis claris verbis ostendit S. Paulus *1. ad Cor. 12. v. 3.* Nemo potest dicere Dominus JEsus, nisi in Spiritu sancto. Quam insufficientiam dictus Apostolus planè extendit ad ipsas cogitationes salutares *2. ad Cor. 3. v. 5.* Non quòd sufficientes simus cogitare aliquid à nobis, sed sufficientia nostra ex DEO est. Porrò hæc gratia semper parata est, modo etiam anima parata sit ad illam excipiendam sic *1. Reg. 16. v. 13.* jubetur Samuel ungere oleo filium Isai, ubi adverto, quod cornu olei manserit clausum, quousque non venit David. Quamprimum David venit. Tulit Samuel cornu olei, & unxit eum. Bulliebat oleum, ubi subjectum aptum accessit. Dicente S. Basilio *orat. 12.* Gratia statim ad unctionem movit manum, nondum cornu invertebatur, & oleum properanter effluebat. Testis est hujus *Luc. c.19. v.5.* Zachæus, qui præcurrens ascendit in arborem, à Christo statim audivit: Zachæe festinans descende, quia hodie in domo tuâ oportet me manere. Paratus erat animus Zacchæus ad gratiam divinam suscipiendam, adeòque etiam Christus illi se obtulit. DEus enim quemadmodum loquitur Hugo Cardinalis *in 1. ad Cor.* quantum in se est, dat omnibus gratiam sufficientem, sed tamen quando unus plus aperit os cordis,

Gratia DEI ad salutem est necessaria.

quàm

quàm alter, majorem dat ei gratiam, juxtà illud *Mat. 25. v. 15.* Unicuique secundum propriam virtutem, id est, secundum quod magis vel minus præparat se. Cui conformiter loquitur Cornelius à Lapide *in illud ad Eph. 4.* Unicuique vestrum data est gratia, secundum mensuram donationis Christi. Ubi ait, sæpè DEum mensuram gratiæ suæ, metiri juxta mensuram dispositionis nostræ; ut quò major vel minor fuerit dispositio nostra, eò majorem vel minorem det gratiam. Quod confirmat S. Hieronymus dicens; DEus cujus magnificentiæ non est numerus, non dat ipse ad mensuram, sed juxtà mensuram vasculorum infundit liquorem; tantum muneris largiens, quantum potest ille, cui donatur accipere. Pulchrè id declarat similitudine: Sicut inquit mare, per se immensum est, sed quisque ex eo haurit quantum capere potest & portare; Sic Spiritus sanctus immensus est in se, sed cuique ex eo datur tantum, quantum expedit, & capere potest. Ne quis autem, cui unum tantum talentum concessum est quæratur, aut alteri invideat, solatio esse debet quod ait S. Paulus, quod divisiones gratiarum sint, & unum talentum, sæpè alio compensetur. Docet me hoc S. Greg. *in illa verba Job. c. 38.* Ubi eras, quando ponebam fundamenta terræ? Indica mihi, si habes intelligentiam, quis posuit mensuras ejus, si nosti? super quæ verba ille *l. 28. moral. c. 10.* moralem hunc facit discursum. Quis nisi conditor noster hujus terræ mensuras ponit, qui interno judicij secreto moderamine, alij sermonem sapientiæ, alii sermonem scientiæ, alii plenam fidem, alii gratiam sanitatum, alii operationem virtutum, alii prophetiam, alii discretionem spirituum, alii genera linguarum, alii interpretationem sermonum tribuit, quatenus in uno eodemque spiritu, iste verbo sapientiæ polleat, nec tamen sermone scientiæ, id est doctrinâ fulciatur. Concludit deindè discursum suum. Sic itaque Creator noster atque dispositor cuncta moderatur, ut qui extolli poterat ex dono quod habet, humilietur ex virtute, quam non habet. Interim tamen benignissimus DEus, in omnes liberalissimus, gratiam suam effundit in omnes. In cuius liberalitatis consideratione expendo ego verba illa Christi *Joan. 20. v. 22.* quando Apostolis suis tradidit potestatem dicens: Accipite Spiritum sanctum, quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, ubi adverto, quòd Spiritum sanctum non infuderit in forma lucis sed aëris: expressè enim dicitur insufflavit, & dixit eis: Accipite Spi-

Gratia datur juxta dispositionem nostram.

Gratia uni concessa, sæpè compensatur in alio.

 ritum

ritum sanctum. Credo ego quia lux non pertingit ad omnia loca sicut aër, ut patet in specubus & clausis cameris, quo lux non penetrat, pertingit verò aër: Ita divina gratia, quæ se omnibus communicat, aëris instar, ubique se communicat & insinuat. Sic penetravit mirabiliter specum illam, in qua duo histriones salutem seriò sunt consecuti. Ex his unus lascivæ vitæ pertæsus, vitam suam emendare volens, in sylvam exivit, ubi in petra cavernam reperit, quæ superius lapide clausa agendæ pœnitentiæ locum aptum præbuit. Huc itaque recessit, eoque in loco se abdidit & modico accolarum pane & aquâ subministratâ, in seriâ pœnitentiâ vitam aliquamdiu traduxit. Socium suum dum alter solicitè inquirit, accolarum indicio in sylvam, in ipsam imò specum penetrat; in quâ ubi socium invenit, saxum revoluit, sociumque ad reditum solicitavit. Suadet isècontra similem pœnitentiam sed frustra, adeoque pio dolo illum ludere decrevit, fingit itaque se velle exire de caveâ & se à socio extrahi rogat, extractus etiam iter se capere simulat, sed repentè dolenti similis inquit, se pecuniam in angulo absconditam reliquisse, hanc ne pereat, tollendam. Redeunt ergo ad specum, & alter promptissimum se ad descendendum offert, ut nummos tollat. Dimittit ergo socius inventus alterum per funem, dumque ille pecuniam quærit, iste funem extrahit, & os loci proximo lapide obturat. Inde ad fenestellam digressus illum monet, ut & ipse pœnitentiam agat. Clausus ubi se delusum vidit, miris conviciis & blasphemiis socium est persecutus. Solatur interim clausum alter, & ad pœnitentiam agendam hortatur. Triduò in foveâ furebat clausus, triduo pro illo DEum deprecatus est socius, usque dum aura divinæ gratiæ specum penetrans hominis mentem immutavit: ita, ut seriò vitam pristinam defleret. Reversum ergo socium rogavit, ut sibi sacerdotem adduceret, cui peccata sua inter lachrymas confessus, ultrò caveæ suæ inhæsit, & cum socio vitam in pœnitentiâ transegit laudabiliter. Dum ego hunc Ludionem in specum per funem immissum considero, gratiam divinam velut artificiosam trochleam contemplor. Ingeniosum certè inventum excogitavit humana industria, quo per varias intortas rotas, homo potest vel uno digito, non unum sed plurimos centenarios elevare, & in turres altissimas evehere. Ostenderunt hoc Antuerpienses architecti, qui ante annos aliquot, per puellam duodennem maximam in urbe Campanam, in tur-

Histriones serio pœnitentiam agunt.

Gratia divina est trochlea.

turrim elevarunt, dum illa vel uno digito rotam circumegit. Huic trochleæ P. Ludovicus de Ponte divinam gratiam assimilat, qua ingentia pondera in sublime elevantur. Quis Matthæum, inquit, velut plumbi massam à telonio movendum putasset? quis latronem velut gravissimum truncum quercinum in paradysum transferendum credidisset? Quis Saulum vas iræ & furoris in cœlum elevandum? Quis Davidem instar saxi limo profundi immersum extraxisset? nisi trochlea divinæ gratiæ Matthæum quasi Angelum armasset alis, latronem in paradysum avis instar gratiæ pennis transtulisset, in cœlum tertium rapuisset Paulum, Davidem velut columbam in cœlum avolare fecisset. Sine hac nec Matthæus à telonio, nec latro à patibulo, nec Saulus persecutor ab insano furore, nec David ab infami adulterio aut funesto homicidio recessisset. Nimirum effatum est *Joan. 6. v. 66.* Nemo potest venire ad me, nisi fuerit ei datum à Patre meo. Neque enim sine speciali DEI auxilio, potest quis à statu peccati aut damnationis resurgere. Ut proindè de fide sit quod Paulus *ad Eph. 2. v. 8.* dicit: Gratia enim estis salvati per fidem; & hoc non ex vobis, DEI enim donum est. Expertus est hanc DEI misericordiam desperatus ille peccator, qui ut studiosè DEum offenderet, deliberato in DEum odio, summam Navarræ emit, & cum studio sacrilegè confiteri vellet, sciens sic DEum gravissimè offendi, verè contritus peccata sua est confessus. Non minus mirandum est illud, quod de puellâ cum proprio parente incestuosa referunt historiæ. Hanc cum mater propterea severiùs increpuisset, illa monitionis impatiens absente patre, matrem veneno extinxit. Redux parens ob id puellam acriùs reprehendit, at illa iram parentis tolerare non valens, eundem noctu dormientem securi contrucidat. Exindè cum optimâ supellectile à DEO & domesticis profuga, in omne scelus liberrimè proruit. Post multum temporis in Ecclesiasten de misericordiâ DEI ergà peccatores disserentem incidit, à quo solutâ concione veritatem dictorum exquirit, pœnitet, & confitetur. Imposuit illi sacerdos, ut sequenti die ad Concionem redeat. Redijt, & inter dicendum ex contritionis magnitudine felicissimè emoritur. Simile huic est quod Platus *de statu relig. l. 2. c. 32.* refert de S. Vincentio concionante. Hic ad populum verba facturus vidit duos reos ad furcam duci, quos rogavit obstinatos licet ad concionem

Sacrilegè confiteri volens, verè pœnitet.

Puella incestuosa & parricida derepentè pœnitens.

duci, & eorum vultus linteolo contegi. Exindè de peccati turpitudine & malitiâ, atque inferni cruciatibus tantâ vi sermonis dixit, ut illi duo patibularij sudare primum, deindè fumare, ac denique accendi viderentur & ardere. Ubi finitâ concione velum remotum fuit, facies illorum fuerunt sicut carbones, & illi in contritione ardentissimâ expirare visi sunt. Meritò ergò hìc exclamem cum Davide *Ps. 76. v. 11.* Hæc mutatio dexteræ excelsi.

Gratia cur in uno fructuosa, in altero sterilis.

Quòd verò hic à gratiâ divinâ mutetur, ille in peccatis suis hæreat, id à nostrâ dependet dispositione, quæ sicut in multis inæqualis est, ita inæqualem etiam gratiam producit. Sicut enim pluvia terram irrigans, non potest culpari ex eo, quòd, licet eadem sit, diversos tamen effectus producat, nempè in uno loco frumentum, in altero spinas & tribulos; ita neque gratia divina taxari debet, quòd in uno fœcunda, in altero sterilis maneat. Benè namque S. Aug. *l. de Esau & Jacob.* Simul pluit Dominus super segetes & spinas, sed segeti pluit ad horreum, spinis ad ignem; & tamen una est pluvia. Sic gratia DEI omnes compluit, quidam tamen spinas, alii spicam producunt. Adumbravit hoc DEus *Exod. 7.* Quando DEus percussit aquam fluminis, quæ versa est in sanguinem, ita ut Ægyptii bibentes aquam sanguineam miserrimè interirent. Ubi hoc erat miraculum maximum, quod eandem aquam sine nocumento biberit populus Israëliticus. Sic enim *Sap. 11. v. 5.* pœnas passi sunt inimici illorum in defectione potus sui, & in eis, cùm abundarent filii Israël lætati sunt. Quem locum Lyra sic intelligit: Quando hauriebant Hebræi de flumine, statim quod haustum fuit, redibat ad naturam potabilis aquæ, & sic lætabatur Israël de divino beneficio, sic ut ex eodem flumine reficerentur filii Israël, Ægyptii autem punirentur. Agit ergo DEus ita, ut auxilium quidem conferat, ita tamen ut adjuvandus cooperetur. Neque adjuvantis culpâ sed propriâ interiret, qui restim quæ porrigitur in puteum prolapso, non pprehenderet. Licèt enim cuique rei præstandæ solus sufficeret DEus, tamen omnia sua dona ita ordinat, ut eadem hominibus non largiatur, nisi humana subserviat cooperatio. Sic *Exodi 32.* post longum sermonem cum DEO habitum, reversus est Moyses de monte portans duas tabulas testimonii scriptas manu DEI. Cùm verò Moyses appropinquasset ad castra Israël, vidissetque vitulum & choros, iratus projecit de manu tabulas, quas fecit DEus, & confregit. *Exodi 34. v. 1.* Non amplius

Gratiæ divinæ cooperari debemus.

plius DEus tabulas lapideas fabricat, sed inquit Moysi, Præcide tibi duas tabulas lapideas instar priorum, & licet DEus dixerit v. i. Et scribam super eos verba, quæ habuerunt tabulæ, quas fregisti. Tamen *v. 27.* dicit Dominus Moysi: Scribe tibi verba hæc, quibus tecum & cum Israël pepigi fœdus. Ubi habemus primas tabulas fuisse opus DEI, factas & scriptas manu illius; secundas verò fuisse opus Moysis, quas excidit & scripsit manu suâ S. Aug. *q. 166 in Exod.* inquit; Magna oritur quæstio, quomodo illæ tabulæ, quas Moyses facturus erat, opus DEI dicatur? Respondet idem S. Doctor, quòd in prioribus tabulis significabatur gratia DEI, in posterioribus autem significabatur gratia DEI homini data, sed non sine DEO operantis, quia Moyses in tabulis à se excisis legem scribere debebat, quam ore suo dictabat DEus. Sic enim sunt disposita dona DEI ut quamvis in illis conferendis sit largissimus DEus, soleat tamen expectare cooperationem & industriam hominis. Mirabile est illud Pauli *Act. 27.* ubi Paulus in mari navigans Romam meditabatur, repentè autem exorta tempestas, vix non omnes de salute desperare coëgit. Ubi verò hoc advertit Paulus, eos solatus est visione Angeli, qui nullum omnino interiturum prædixit. Quia verò nautæ Paulo assensi non sunt, sed de navi exilire volebant, & ad portum natando pertingere. Paulus Centurionem & milites his verbis allocutus est: Nisi hi in nave manserint, vos salvi fieri non potestis. Quæ obsecro hæc est loquendi ratio? Quid nautis opus est, si angelus omnes salvos futuros prædixit? an sine nautis DEus Paulum, & suos salvare non potest? Imò verò potest, sed sine nautis non vult. Hinc laborarunt nautæ, & difficultatem superarunt, usque dum navis illisa scopulo dissoluta sic est, ut singuli in arreptis tabulis enataverint. Si quæras quid opus fuit tabulis his, qui angelicâ revelatione salvandi erant? Dicam ego collaborandum fuisse divinæ pollicitationi. Sic planè vult DEus nos eripere æternæ damnationis naufragio, offert nobis tabulam pœnitentiæ, sed necessarium est, hanc tabulam arripere. Evolvamus scripturam, neminem reperiemus fecisse aliquid magni, vel etiam parvi sine DEO. Sic prælia Israëlitarum DEO præliante victoriosa fuerunt. Neque enim Josue dejecit muros urbis Jericho, aut Amalecitas cæcidit, quando in monte oravit Moyses. Manifestum hoc est in illo, quando Josue ad Hai urbem ascendit, ut eandem oppugnaret. Vertit enim terga Israël, quia anathema fuit

Sine gratia DEI nihil possumus.

furti

furti ab Achan commissi, uti legitur *Josue 7.* Ubi verò populus expiatus fuit à scelere, DEus Josue instruxit, quomodo urbem caperet, & ad pugnam animavit. Sic planè DEus numerum militum diminuit Gedeoni, & trecentos solùm elegit, quibus victoriam dedit. Eamus modò ad novum testamentum *Joan. 9.* Christus sanaturus cœcum postquam lutum fecit ex sputo, & oculos ejusdem linivit, mandavit illi; Vade! lava in natatoriâ Siloë. Christus cœcum illum de industriâ ad aquas Siloë misit, ut aliquid ex parte suâ faceret sanitatis consequendæ causâ. Per hoc nos docere volens, quantum propria industria conferat ad salutem. Calendaria nobis sæpè prædicunt fertilem annum; ergone propterea vinicola in vineis, agricola in agris non laborabit? imò verò tantò libentiùs laborabunt, quia spem messis & vindemiæ habent. Sic servus diligentiùs laborat, quia mercedem certam sperat. Sic æger avidiùs medicinam sumit, quia Medicus sanitatem promittit. Merces est cœlestis gloriæ, sed nos priùs laborare debemus, ut nobis dici possit: Euge serve bone & fidelis intra in gaudium Domini tui. In quæ verba Theophylactus: Vocare enim est DEI, electum autem fieri, aut Electum esse, etiam est nostrum. Et ideo monet S. Petrus *2. Ep. c. 1. v. 10.* Satagite ut per bona opera vestra, certam faciatis vocationem vestram, Glossa interlin. habet: Benefaciendo, facitis vos certos de præmio vocationis vestræ. Hinc licet efficacissima sit Passio Christi in se, efficax tamen non est nisi illi, cui applicatur per Sacramenta, & requiritur, ut homo præventus gratiâ supernaturali, se disponat & capacem reddat divinæ gratiæ. Sic medicina habet virtutem pellendi morbos, si æger illâ utatur. Sol potest illuminare cubiculum, si fenestræ aperiantur. Ignis calefacit, sed illos, qui accedunt. Et hinc dicit Paulus: Ego adimpleo, quæ desunt, id est ut explicat S. Thomas: Christus Dominus pro me mortuus est, ego addo mensuram meam, facioque facienda. Sic Christus sine dubio est omnium nostrûm Redemptor, & sine illo nemo salvabitur. Sed hoc non sufficit, quia quisque insuper solicitus esse debet, ut cooperetur. Hinc benè advertendum est, quod dicit S. Paulus *2. ad Tim. 4. v. 7.* Bonum certamen certavi, cursum consummavi, fidem servavi. In reliquo, id est, propterea reposita est mihi corona Justitiæ, quam reddet mihi in illâ die justus judex. Certè non est illa corona tantùm misericordiæ, sed est meriti & Justitiæ, id est, quam justè meruⁱ

Gratiæ divinæ cooperari debemus.

merui, ut inquit S. Anselmus super hæc verba; quam non dabit sed reddet mihi, quia justus judex est. Undè clarè Christus *Mat.* 20. *v.* 4. in persona Patrisfamilias dixit: Quod justum fuerit, dabo vobis. *Et v.* 8. Voca operarios, & redde illis mercedem. Pulchre hoc S. Chrysostomus *hom.* 66. *in Evangelia* hac similitudine declarat: Fingamus inquit, si duo primarii Cæsaris amici ad locum certaminis, quo multi & celebres Athletæ confluxerunt, veniunt; & antè omnem pugnam & meritum à Cæsare peterent, ut se victores proclamaret, & velut tales coronaret, an non responderet illis, non est meum hoc facere, sed illis competit, quibus peracto felici certamine, hoc statutum fuerit. Annè ideò hunc Cæsarem non potentem condemnabimus? sic DEus potest cœlestem gloriam largiri velut coronam gratiæ, sed non vult, reddit autem velut coronam Justitiæ. Ut propterea S. Paulus ad *Titum c.* 2. *v.* 14. dicat: Qui dedit semetipsum pro nobis, ut nos redimeret ab omni iniquitate, & mundaret sibi populum acceptabilem sectatorem bonorum operum. Quasi diceret, non est satis ad salutem vestram, quòd vos Christus redemerit, quòd pro vobis sanguinem suum fuderit, necessè est prætereà ut sitis sectatores bonorum operum. Quod explicat S. Chrysostomus *hom.* 34. *in Imperf.* Scitote, quia mercenarij sumus conducti; Mercenarius autem sine operâ non potest esse. Opera autem nostra, sunt opera Justitiæ. Sicut autem operarius erubesceret intrare domum, & petere sibi panem die illa, quâ opus non præstitit, quomodo tu non confunderis, petere à DEO cœlestem gloriam? quando nihil boni in conspectu DEI egisti? Quarè benè S. Basilius? Opera ostende, & exige retributionem. Quamobrem neque sine causâ miratur S. Chrysologus factum Christi, quod cum domum S. Petri intraret, & socrum ejusdem sanare vellet, apprehenderit ejusdem manum *Mat.* 8. *v.* 15. Tetigit manum ejus, & dimisit eam febris. An non suffecisset sola voluntas Christi, ut eam sanaret? Respondet benè S. Chrysologus Christus tenuit manum mulieris ad vitam, quia Adam de manu mulieris accepit mortem. Quemadmodum enim ad perditionem Adami duo concurrerunt, Eva tentando, & ille consentiendo: Ita quoque ad salutem hominis; DEI excitantis, hominis verò consentientis. Benè omnino concludit S. Bonaventura: In omni opere bono socij, DEus & homo.

Gratia Dei est merces.

Quâ de causâ benè observare debemus, ut DEO excitanti respondeamus, nec gratiam nobis à DEO oblatam negligamus. Docet enim Concilium Milevitanum *super illa verba Cant. 5.* Aperi mihi soror mea. Quod sicut sponsus ante ostium stetit & pulsavit, ita DEus suâ gratiâ stat antè ostium cordis nostri, & pulsat, ut aperiamus. O quoties pulsat amantissimus DEus, non unâ nocte, non unâ hebdomada, non uno mense, non uno anno; Audite ipsum Davidem *Psal. 94. v. 10.* in personâ DEI; Quadraginta annis proximus fui huic generationi, & dixi semper, hi errant corde, ipsi verò non cognoverunt. Sed timete, ne quod sponsæ accidit, etiam nobis eveniat. Quid illa morosa queritur? Quæsivi inquit & non inveni; Invenerunt me Custodes, percusserunt me & vulneraverunt me. Inveniunt nos infernales custodes, qui nos pessimis suis tentationum jaculis vulnerant, & in peccatum inductos contrucidant, ut æternum damnemur. Tremenda est de Canonico Toletano gratiam rejiciente historia. Hic enim ab Episcopo amicis & Consanguineis, imò verò ipso DEO monente intus conscientiam, sæpius monitus fuit, ut vitam emendaret, sed neque DEUM, neque Episcopum, neque alium Monitorem audire voluit. Ubi infirmitas invaluit, & Medicus de vitâ conclamatum jam esse dixit, instat vehementius Episcopus, qui cum monendo nihil proficeret, cum adstantibus ad preces conversus psalmum de profundis recitat, & ubi ad verba illa; Fiant aures tuæ intendentes deveniunt. Crucifixus ligneus, qui in mensâ stabat, manus à cruce refixit, & aures sibi obstruxit, altaque voce inclamavit: Quia vocavi te, & renuisti, ego quoque in interitu tuo ridebo. Alterum non minus tragicum, quam horridum est, quod S. Francisco Borgiæ cum nobili Hispano accidit. Hujus enim Consanguinei, ubi desperatum viderunt cum vitâ Illustrissimi Dynastæ, evocant S. Borgiam, ut moribundum ad Confessionem disponat. Juit S. Borgias, prius tamen ante Crucifixum prostratus, pro infirmo suppliciter gratiam exorat. Mandat Borgiæ Christus, ut ad ægrum pergat. Ego inquit in personâ Medici præcedam, & omni obsequio ægro assistam, eique gratiam meam non negabo. Juit spe plenus Borgias, & apud ægrotum Christum personatum Medicum jam invenit. Excipitur humaniter Borgias. Fit sermo de ratione morbi,

Crucifixus apud Canonicum Tolet. aures obstruit

Crucifixus S. Borgiæ sanguine suo Dynastam extinguit.

morbi, de remedijs adhibitis, de sedulitate Medici, probantur omnia. At ubi de confessione mentio facta est, hic indignari infirmus, vultumque immutare ac avertere cœpit. Recedit ergo cœlestis Medicus, Borgiam verò ulterius reliquit. Instat ergo Borgias, hortatur ad pœnitentiam, rogat, ut cum DEO se componat, esse adhuc tempus misericordiæ obtinendæ monet, sed frustra. Quarè domum, undè venerat revertitur, & rursus coram Crucifixo prostratus misericordiam pro infirmo rogat. Agè inquit Crucifixus, adi infirmum, hanc Crucifixi imaginem meam tecum defer, ipsius oculis obverte. Si fortè ad hujus aspectum resipiscat. Fecit Borgias, quod Christus mandavit, ardentissimè infirmum alloquitur; Christum Crucifixum devotissimè exhibet, at saxo durior obrigescit æger. Christus ipse in manu Borgiæ copiosum cœpit sudare sanguinem, at nihil movetur infirmus. Hortatur, & guttas sanguineas ostendit, sed omnia frustrà. Tandem Christus ipse suam refixit dexteram, & lateri hianti immittit, atque plenam sanguine in faciem desperati hominis effundit, tot linguis illius damnationem locutus, quot guttas ex sanctissimo suo latere desumpsit. Ex quo concludes, quod licet nostris viribus nihil operari possimus ad salutem, quia tamen semper DEI gratiam paratam habemus, necessarium esse, ut eandem toto cordis affectu amplectamur. Non moremur cum sponsa; non tardemus cum invitatis ad nuptias cœlestes. Quibus licèt *Mat. 22. v. 4.* dicatur: Ecce prandium meum paravi, Tauri mei & altilia occisa sunt, & omnia parata. Venite; observat tamen *Nyss. tom. 2. Dom. 3. post. Penteost.* quia nec elixa, nec assa nunciavit, mirum videri non debet, si morati sunt, qui ad nuptias invitati fuerunt, quia se in tempore adhuc venturos speraverunt Ast non est hoc convivium materiale, sed sub hujus typo, repræsentantur nobis inspirationes divinæ, quibus animam, ut ad se veniat, seque sequatur, Christus vocat. Ast ubi tantum nunciat occisa, non verò assa, ostendere voluit, perindè ac si dixisset: Novi ego tantas moras tracturam animam, ut interim usque dum veniat, omnia elixari aut assari queant. Justa proindè est querimonia S. Petri Chrysologi *serm. 114.* Quando tantum DEO, quantum mundo? Quando tantum cœlo, quantum terræ? quando tantum virtuti, quantum vitijs humana fragilitas famulabitur? Totus homo miser sic

bus excitatis successit. Quarè magnâ cum solicitudine expendenda sunt verba illa *Isa. 5. v. 3.* Judicate inter me & vineam meam. Quid est, quod debui ultra facere vineæ meæ? Hactenus palmites innumerabiles excisi sunt, qui modo in inferno ardent, & ardebunt in omnem æternitatem. Sed judicate inter hos & DEum, an vinicolæ, an palmiti exciso, imputari debeat hæc ruina. Severa hæc est prædicatio exclamat Didacus stella, quam omnes qui Christiani sumus, sæpè contemplari debemus, ut videamus, quid in nobis operetur agnitio Christi, dicam ego, quid operetur gratia DEI semper parata? An cum hâc ad meliora pergamus? an verò ad deteriora ruamus. Etenim horrendum est illud *Isa. 8. v. 14.* Dominus in lapidem offensionis, & in petram scandali domibus Israël, in laqueum & ruinam habitantibus Jerusalem. Et offendent ex eis plurimi, & cadent, & conterentur, & capientur. Non intentione divinâ inquit citatus Stella, sed malitiâ propriâ.



CAPUT QUINTUM
PUNCTUM V.
Quod necessitate medij credi debet.
DISCURSUS V.
DEus est omninm Judex.

CUncta quæ fiunt adducet DEus in Judicium inquit Ecclesiastes *c. 12. v. 14.* adeòque de fide est, quod Christus secundum humanitatem, in comitatu omnium Angelorum summâ cum majestate in nubibus comparens, sententiam in justos & injustos sensibiliter pronunciabit. Quod licèt neget Calvinus, & olim id negaverint Albanenses, verum tamen est, & indubitatum ex Concilio Nicœno, & ipsorum SS. Apostolorum atque S. Athanasij Symbolis, ubi clarè habetur, quod sit venturus judicare vivos & mortuos. Taceo, quòd Christus ipse, *Mat. 16. v. 17.* dicat: Filius hominis venturus est in gloria Patris sui, cum angelis suis, & tunc reddet unicuique secundum opera ejus. Hinc ubi resurrexerint mortui, gloriosè Christus aderit, ut tunc adimpleatur illud Pauli *1. ad Cor. 15. v. 26.* omnia enim subjecit sub pedibus ejus. ideoque ad *Philip. 2. v. 10.* dicit: Ut in nomine JEsu omne genu flectatur cœlestium, terrestrium & infernorum. Tunc enim ad judicium Christum comitabuntur omnes angeli ejus, quod dicit S. Judas Apostolus in *Epist. suâ Can. v. 15.* Ecce venit Dominus in sanctis millibus suis, facere judicium contra omnes, & arguere omnes impios de omnibus operibus impietatis eorum, quibus impiè egerunt, & de omnibus duris

duris, quæ locuti sunt contra DEum peccatores impij. Quibus verbis perstringere videtur Apostolus singulariter omnes impios blasphemos, quos DEus etiam in hac vitâ adhuc, horrendis fulminibus est persecutus. Horrendum est, quod Cuevæ blasphemæ accidit in Hispania. Cùm enim Alunrado Regis Hispaniarum Minister, in prælio cum populis Xalisce infeliciter pugnans occubisset, & cladis nuncium accepisset Beatrix de Cueva uxor illius, blasphema dixit: Nullam esse in DEO omnipotentiam, qui maritum suum non potuisset servare. Et ecce subitò oborta tempestas, ex vicino monte, tanto diluvio civitatem à marito ædificatam inundavit, ut adactis in muros grandibus lapidibus, omne ædificium dejecerit, & ad ipsius blasphemæ palatium penetraverit. Ubi illa saniore quidem consilio, ad preces confugit, vindictam tamen divinam effugere non potuit. Quia eluvio rapta secum saxa in domum illidens, eandem oppressit, totamque civitatem momento quasi evertit. Quid tunc facturus est peccator, quando severus Judex juxta illud *Mat. 24. v. 30.* veniet. Tunc parebit signum filij hominis in cœlo, & plangent omnes tribus terræ. Et videbunt filium hominis venientem in nubibus cœli, cum virtute multâ & majestate. Utpotè ex cujus sacratissimis vulneribus, in Justos soles, in impios fulmina vibrabuntur. Tunc enimverò videbunt in quem transfixerunt. Toto corpore contremisco, dum recogito quod Henricus Muser Charthusianus in Helvetiâ sacra nempè anno Christi *1392. 7.* Junij in Helvetiâ Willisonij accidisse narrat. Quod quidam perditâ in lusu pecuniâ pugione mensam confodiens dixerit: Audi Christe Mariæ fili! si etiam hunc jactum tesseræ fallant, ego pœnas à te repetam; ego pugionem hunc, per latus tuum transadigam. Jacit deindè infortunatè aleas; & ille pugionem arripiens dixit: Audis sis Christe fili Mariæ! hic mucro tibi tuum pectus transverberet. Simul pugionem in altum projicit, & continuò spectantibus omnibus, in subjectam mensam quinque guttæ sanguinis decidunt, duo verò horrendi Æthiopes blasphemum in auras abripiunt. Guttæ sanguineæ deleri non potuerunt, & usque hodiè in mensæ excisâ parte, eo in loco extructo templo videntur & asservantur. An non verum est illud *Ps. 36. v. 14.* Gladium evaginaverunt peccatores. Sed audite quod sequitur *v. 15.* Gladius eorum intret in corda ipsorum. Scilicet peccatis nostris armamus DEum, quibus deindè cæsi, æternum perimus. Primum

Cueva blasphema civitatem evertit.

quidem

DEus acerrimè puniri. Quomodo inquis? audi scripturam. *v.72.* Filij ejus percusserunt eum gladio. Occisus est à filijs ait Tostatus, à quibus maximè diligi debebat. Et hinc David ex observatione S. Ambrosij *in Ps. 118.* hunc psalmum insignivit literâ Schin. quod idem est, ac super vulnus, ubi persecutionem filij deplorat. Quia non potuit DEus sæviorem armare gladium, quam per manum filij. Julio Cæsari unius Bruti gladius sævissimus fuit. Et tu fili mi Brute? Modo peccatori Christus est scutum, at ubi vulnera sua pandet, & parebit signum filij hominis, hæc eadem erunt horridorum telorum officina. Heu nimium verum est, quod dicit Rupertus Abbas: Veneranda Domini vulnera, æterna futura incendia. Seriò proindè monet S. Aug. *in psal. 102.* Quod tibi parcit DEus, putas, quod places ei? hæc fecisti inquit, & tacui. Tacui semper, *Is. 42. v. 14.* silvi; patiens fui; sicut parturiens loquar, dissipabo & absorbebo simul. Sed quid obsecro loquitur? nisi triste illud: Vocavi, & renuisti. O vox tremenda! Tonitru terror Orbis dicitur; terret enim fortissimos quosque, & cœlo tonante coronata capita præ metu se inclinant. De Augusto Suetonius refert: Tonitrua & fulgura paulò infirmius expavescebat. adeò quidem, ut semper & ubique pellem vituli marini circumferret pro remedio, atque ad omnem majoris tempestatis suspicionem in abditum locum se recipiebat. Tiberius turbato cœlo coronam lauream in capite ferebat. Non timuit an rupes? an homo? nescio; qui cùm iratum cœlum horridè tonaret, ex domo suâ progressus bombardam accepit, eamque vehementissimè oneravit, ac quoties cœlum tonuit, toties ipse contra cœlum audacissimè est jaculatus. Tenuit hoc certamen modico tempore, cum elisum ex nubibus fulmen, hominem protervum horrendè planè fulminavit, & extinxit. Tonitru licet sonus tantum sit, timetur, & terret eos, qui tenent orbem. At istud, quod à supremo audietur Judice, velis, nolis, ita feriet; ut dejiciat in semper duratura inferorum incendia. Et hinc timor & tremor, ut vel ad solam illius memoriam, contremiscerent ipsæ Ecclesiæ columnæ Augustinus & Hieronymus. Hic de se *in Ep. ad Cromatium* scribit: Ego in sepulchro meorum criminum jacens, & peccatorum vinculis colligatus, dominicum de Evangelio expecto clamorem. Hieronyme veni foras! S. Aug. verò *l. 6. Confess.* Non me revocabat à carnalium profundiore voluptatum gurgite, nisi metus mortis & futuri judicij,

Vulnera Christi in judicio erunt terrori,

Vox Christi Judicis tonitru.

Augustus timet fulmina.

Cœlo tonante quidam bombardam explodit.

Sancti timent divini Judici tonitrus

judicij, qui nunquam recessit de pectore meo. Undè idem S. Aug. *l.6. Offic.c.6.* Nihil est, quod magis proficiat ad vitam honestam, quàm ut credamus, eum Judicem futurum, quem & occulta non fallunt, & indecora offendunt, & honesta delectant. Bogaris Bulgarorum Rex homo barbarus, Methodium Monachum evocavit, ut sibi in grandi palatio depingeret imagines aspectu horridas. Pinxit is extremum judicium penicillo planè formidando. Quo viso ita motus est Rex, ut superstitionem & idololatriam ejuraret, & Christi fidem amplecteretur. Tantum potuit oculis proposita nuda imago extremi Judicij. Quid si etiam solicitâ mentis trutinâ expendatur? an non justos in animo motus ciebit? suasit hanc salutarem judicij memoriam S. Joan. *Apoc.v.4.* Qui dum bene precatur Ecclesiæ Dei, Gratia vobis & pax ab eo, qui est, & qui venturus est inquit. Quibus verbis nos frequentem memoriam judicij habere commonet. Si enim juxtà Grammaticæ leges loqui voluisset, dixisset, qui futurus est, & non qui venturus est. Maluit tamen dicere, ab eo, qui est, qui erat, & qui venturus est, ut nobis extremi judicij inculcaret reminiscentiam. Sed magna est dæmonis astutia, qui plurimum laborat, ut extremi judicij memoriam ex mentibus nostris tollat. Advertit hoc divinus Psaltes, qui *ps.9. v.5.* de peccatore dicit: Inquinatæ sunt viæ illius in omni tempore, auferuntur judicia tua à facie ejus. Pro quo loco explicando, Philippus Diez, citat S. Antonium de Padua, qui appositâ similitudine in hac materiâ utitur. In locis inquit, ubi fit sericum, tonare sæpè ac fulgurare contingit, ne verò vermes territi, moriantur, tympana & cymbala aliaque instrumenta musica pulsantur, & ita distrahuntur, ne ex Tonitrui strepitu, aliquod in eis damnum fiat. Hoc eodem artificio utitur diabolus, cum enim homines mortis & judicij recordantur, statim ille has cogitationes abolet voluptatum mundanarum musicâ, & cupiditatum illecebris obstrepit. Quarè de his tam grandibus salutis nostræ mysterijs, non aliter agimus, quàm si somniaremus. Et utinam saltem somniaremus. Palladio teste uti habetur *in historiâ Lausiacâ, c.52.* Princeps quidam latronum, homo à naturâ truculentus, & multis latrociniis infamis, visus est sibi in somno ante tribunal Christi consistere. Movit hæc somni species adeò hominem, ut toto corpore contremisceret, atque in hoc terrore expergiscens ad meliorem vitam se accinxit. Quod si hoc ab evanidâ unius somni imagine? quid à re ipsâ futu-

Judicium extremum pictū terret.

Judicij divini memoriam salutarem dæmon impedit.

Tonante cælo vermes qui sericum faciunt, moriuntur.

Judicium somniatum emendat.

futurum est, si seriò oculis mentis nostræ, hæc dies tremenda objecta fuerit.

Quæri meritò potest, cùm dicant Theologi DEum ab homine videri non posse, quomodo tamen DEus videbitur à peccatore? Respondet S. Hieronymus quòd licet scriptura dicat. Tollatur impius, ne videat gloriam DEI, dicit tamen Isaias. Videant, & confundantur. Undè concludit: Visuri sunt illam formam servi & hominis, quam suscipere dignatus est de nostrâ humanitate; sed illam gloriam, quam Sancti habent, nec habebunt, nec videbunt. Et Godefridus Cardinalis S. Priscæ *serm. 6.* inquit: Videbunt humanitatem, ut DEus in eâ formâ in quâ judicatus est á mundo, judicet mundum. Et tunc verificabitur illud *Ps. 111. v. 10.* Peccator videbit & irascetur. Unde Didacus Celada *in illud Mat. 25.* Et ibunt hi in supplicium æternum, curiosè observat particulam Ibunt. Ire inquit, est actus libertatis, quis autem ad supplicium liberè & spontè pergit? Trahi videmus eos, qui destinantur ad supplicium. Audiamus Celadam. Ibunt; non rapientur, non trahentur, quia minacem Judicis vultum ipsis inferni pœnis horribiliorem ferre non poterunt. Olim Augusto Imperatori sistebatur reus, qui terram profundius solitò contuens, interrogatus est, cur sic in terram defixus Cæsarem non contueretur? respondit, quia fulmen oculorum tuorum ferre non possum! Quis feret tunc irati DEI oculos? verè exclamare debeo cum Malach. *c. 3. v. 2.* Quis stabit ad videndum eum? *Joan. 18. v. 5.* Cùm discipulos in horto finitâ oratione reviseret Christus & inimicis suis obviam processisset, Judas armatus cohorte hortum ingreditur. Quærit Christus quem quæritis? respondent illi, JEsum Nazarenum: Nihil aliud dixit JEsus, quàm hoc. Ego sum; & inquit textus: Ceciderunt retrorsum. Dionysius Carthusianus in hunc locum putat, tunc Christum Judæ & militibus exhibuisse vultum illum, quem exhibiturus est damnatis in die judicij, ideòque terrore exanimatos cecidisse. Christus, inquit, ostendit vultum suum Judæis, in terrore & majestate suâ, egredientibus ex oculis igneis radiis, atque sic divino quodam fulgore irradiante, exterruit & prostravit. Quare S. Aug. *in c. 18. Joan.* quærit, ubi cohors armata? ubi sacerdotes & ministri? namque una vox dicentis: Ego sum sine ullo telo tantam turbam percussit, repulit, stravit. Et paulò post: Quid judicaturus faciet, qui judicandus hoc fecit? Quid regnaturus poterit,

Damnati in judicio DEum hominem videbunt.

Damnati ibunt in supplicium.

Augusti irati oculi, fulmina.

Vox Christi in horto terruit, quid in judicio.

terit, qui moriturus hoc potuit? Exclamare cogor cum S. Thoma de villa nova *Conc. 1.* Columnæ cœli contremiscunt ad nutum ejus. Respicit terram, & facit eam tremere. Montes & rupes liquescunt sicut cera, à facie ejus; & poterit stare coram eo debilis & putrida caro? Terret me S. Chrysostomus *orat. 2. de orando DEO.* Qui in illud Isaiæ ubi vidit Seraphinos stantes in conspectu DEI, qui alis suis tegebant faciem & pedes, & duabus volabant. Quærit quomodo si volabant, steterunt? & si steterunt, quomodo volâsse dici possunt? Unde non volâsse putat S. Chrysostomus, sed motu trepidationis alas suas movisse autumat. Verba illius sunt: faciem quidem & pedes ob ingentem reverentiam tegebant, volatu verò dum non valent in quiete permanere, tremorem declarantes. Hoc est illud quod Mat. 17. v. 6. dum Discipuli sunt cum Christo, in monte Thabor, & vident illum loqui cum Moyse & Eliâ dicitur: Ceciderunt in faciem suam, & timuerunt valdè, ita ut à Christo animari debuerint: Surgite, & nolite timere. Quæ obsecro hujus timoris causa? cum paulò ante Petrus dixerit; Domine bonum est nos hic esse? S. Basilius Selevciensis dicit timoris causam fuisse, quia viderunt nubem, dicente Evangelista, Et ecce nubes lucida obumbravit eos: Recordati nimirum sunt discipuli, quando dixit, se in nubibus cœli ad iudicium venturum. Videbunt *Luc. 21. v. 27.* filium hominis venientem in nube cœli, Concludit: Qualis futurus est in die iudicii, talis Apostolis apparuit. Non miror ego iam S. Hilarionem, qui postquam in Eremo septuaginta annis sanctam vitâ egit, in agone tamen trepidavit, dum dixit; Egredere anima mea quid times? septuaginta annis servivisti DEO; & mortem times? Timuit Hilarion, & non timebimus nos? qui vix septuaginta dies, vix tot horas servitii nostri apud DEum numerare possumus? Non miror iam quòd *1. Reg. c. 28.* timuerit Samuel à Pythonissa suscitatus. Cum enim magiis suis usa Pythonissa inclamâsset Samuelem, mirum dictu! exclamat Pythonissa DEos video ascendentes de terrâ. Quid agis ô mulier? Samuelem evocas, & DEos vides ascendentes? Quis alium petiit, quàm Samuelem? Dicunt Rabini hanc vocem Pythonissæ penetrâsse limbum, & credidisse Samuelem, evocari se ad iudicium, proindè Moysem evocâsse in consortium & patrocinium coram Judice. Ita enim Adrianus Fini *in flagel. Judæor.* Samuel non surrexit solus, sed Moyses cum eo; dicunt enim hebræi, quòd Samuel

Angeli timent faciem DEI, quid ni peccator?

Discipuli in monte Thabor timent diem judicij.

S. Hilarion judicium timet.

Samuel à Pythonissa suscitatus timet judicium.

muel tunc non surrexerit virtute magicâ sed divinâ, nam Samuel timuit, ne ad iudicium divinum vocaretur, & ideo Moysem rogavit, ut secum veniret. Hinc non absque reflexione est illud *Mat. 25. v. 31.* ubi descripturus adventum Christi Evangelista, utitur his verbis: Cum venerit filius hominis in maiestate sua &c. paulò post *v. 34.* inquit: Tunc dicet Rex his, qui à dextris eius erunt &c. In quæ verba S. Hieronymus: Quando invitabat ad nuptias & agebat opera clementiæ, hominis nomen appositum est. Quando ad ultionem venitur; homo siletur, & Rex tantum dicitur. Quiâ ira regis, nuncius mortis. An non ergo meritò cum Job exclamet peccator *c. 14. v. 13.* Quis mihi hoc tribuat, ut in inferno protegas me? & abscondas me, donec transeat furor tuus? Seneca Tragœdus finxit, quòd vultum Herculis nimium furentis viderit filius, & præ timore expiraverit; dicit enim: Periit tremefactus infans aspectu Patris. Quomodo vultum irati iudicis videbit peccator? cum dicat Habacuc *c. 3. v. 6.* Aspexit & dissolvit gentes. Tantum manum in pariete vidit Rex Balthasar *Dan. 5. v. 5.* & dicit Textus: Tunc facies Regis immutata est. Theodoretus *orat. 5. in Dan.* sic infert; si Balthasar Rex duorum tantum digitorum in pariete scribentium visu, tantum concepit timorem, quam non formidinem concipiet peccator, videndo faciem irati DEI iudicis. Si Adam *Gen. 3.* ad vocem DEI, propter unius solum inobedientiæ reddendam rationem, tanto correptus est timore? Quid dicent peccatores innumerabilium rei peccatorum? audituri non vocem vocantis, sed fulminantis in æternam damnationem? Si Paulus ad tam benignam vocem: Ego sum JEsus, quem tu persequeris, exanimis & quasi mortuus corruit, & tremens ac stupens dixit, Domine quid me vis facere? Quomodò damnati ferent illam vocem Christi: Ego sum ille JEsus Nazarenus quem tantâ cum protervià blasphemâstis. Benè concludit Eusebius Emiss. *hom. 4. de symb.* Qui clamantem Dominum ferre non possunt, iratum ferent? qui ad pœnitentiam revocantem perhorrescunt, terroribus omnia replentem poterunt sustinere? Certè S. Vincentius Ferrerius *Dom. 1. Adv. hom. 1.* dicit: Tunc eligerent peccatores potiùs ad infernum duci, quàm Domini præsentiam ferre iudicantis. Quod confirmat S. Aug. *serm. 120. de Temp.* Maius tormentum malis erit, furorem vultûs divini tolerare, quàm cruciatus infernales perpeti. Causam dat Eusebius Cæsar. *in Ep. ad Rom.*

Tantus terror invadet illâ die malos, ut nisi essent immortales effecti, iterum morerentur. Non miror iam amplius illud Mat. *24. v. 28.* Virtutes cœlorum commovebuntur. Quia sicut S. Aug. *serm. 130. de Tem.* ait: Tam terribile erit Judicium illud, ut etiam ab angelis timeatur. Et quid mirum? quando coram toto mundo peccator confundetur. Omnes enim nos inquit S. Paulus *2. ad Cor. 5. v. 10.* manifestari oportet ante tribunal. Christi. Græcus legit fient lucidi & vitrei. Quasi diceret illo momento cor peccatoris convertetur in vitrum, in quo omnes intuebuntur clarissimè omnia acta totius vitæ, & cogitata. Hoc modo loquendi utitur S. Joannes *Apoc. 4. v. 6.* Et in conspectu sedis mare vitreum simile crystallo, Pulchra hic latet similitudo: In aquâ turbidâ latent nec apparent pisces, saxa, aut arena. Cor hominis mare turbidum est, in quo multis annis latent pisces putridi turpissimarum libidinum. Quoties fit, ut gravis peccator, dum in vitâ, vel etiam agone monetur de Confessione, dicat nihil se confessione dignum habere. Sed adest tandem Judex divinus, in sede maiestatis suæ, & eccè in conspectu illius ponitur cor peccatoris tot annis turbidum, quod fit in momento vitreum & simile crystallo. Accidit nobis quod pictoribus, qui velo labores suos publicos obtegunt & obvelant, ubi opus absolverunt, tunc enimverò telam removent, & picturam omnium oculis exponunt. Ubi mors velum corporis nostri detraxerit, quidquid latet, apparebit, nil inultum remanebit. Liber scriptus proferetur, in quo totum continetur, undè mundus iudicetur. In fine enim hominis inquit Siracides *Eccles. 11. v. 29.* Denudatio operum illius. Quod explicat S. Chrysostomus, sicut inquit illi, qui ex carceribus educuntur, cum iisdem catenis quibus vinciuntur, ad iudicium protrahuntur: Sic animæ cum hinc emigraverint, variis peccatorum catenis implicitæ, ad terribile illud ducentur tribunal. Meritò proindè exclamat David *Ps. 118. v. 120.* à Judiciis tuis timui. Super quæ verba S. Augustinus: Fratres nimis timidus esse volo, meliùs est enim vobis non dare securitatem malam. Non dabo, quod non accipio, timens terreo. Securos facerem vos, si securus fierem ego; Ignem æternum timeo. Undè audiendus est S. Bernardus *Ep. 85.* si negligis, incidis, si paves, caves, securus es.

In judicio extremo erimus vitrei.

In judicio velum vitæ nostræ removebitur.

CAPUT



CAPUT SEXTUM
PUNCTUM VI.
Quod neceſſitate medij credi debet.
DISCURSUS VI.
DEUS eſt trinus in perſonis.

INter ſigna amoris præcipua, eſt revelatio ſecretorum. Hinc *Judic. 16. v. 15.* Dalila dixit Samſoni; Quomodo dicis, quòd ames me, cum anima tua non ſit mecum, noluiſti mihi utique ſecretum roboris tui pandere. Adamavit Chriſtus humanam naturam cujus amorem conteſtatus dixit *Joan. 15. v. 15.* Omnia quæcunque audivi à Patre, nota feci vobis. Unum tamen adhuc deerat myſterium SS. Trinitatis, quod tamen etiam manifeſtavit, priuſquam à mundo exiret *Math. 28. v. 19.* Docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filii & Spiritûs ſancti. Jacebamus omnino miſeri, jam à creatione mundi cum paupere Lazaro ad januam cœleſtis filius divitis, & cupiebamus de micis divinæ notitiæ ſatiari nec dabatur, niſi fortè ex pauculis quibuſdam veſtigijs aliquid de Sanctæ Trinitatis myſterio conjicere. Quam enim obſcurum fuit illud *Gen. 18. v. 2.* ubi Abraham Tres vidit & unum adoravit. Quòd niſi explicaret S. Auguſtinus quis enimverò hoc de altiſſimo SS. Trinitatis myſterio intelligeret? Dicit ergo S. Aug. In hoc quod tres vidit, Trinitatem perſonarum intellexit, quod autem quaſi unum adoravit, unum DEum in tribus perſonis confeſſus eſt. Quàm occultum fuit *Iſa 6. v. 3.* ubi Propheta videns maieſtatem DEI, Vidi inquit Dominum

Trinitatis myſterium revelatum, eſt amoris ſignum.

num sedentem super solium excelsum & elevatum, & ea quæ sub ipso erant, replebant templum, Seraphim stabant supra illud; sex alæ uni, & sex alæ alteri, duabus velabant faciem ejus & duabus volabant. Et clamamat alter ad alterum, & dicebant; Sanctus! Quis hic Oedipus Patrem, aut Filium, aut Spiritum sanctum conjecturâsset? Quis illa tria A. à propheta repetita SS. Trinitatem significare credidisset? Quando *Jer. 1. v. 6.* dixit A! A! A! Domine DEus nescio loqui. Quis ostensam SS. Trinitatem diceret in illo ardente camino *Dan. 3. v. 92.* Ubi tres viros misit Rex Nabuchodonosor compeditos, & in medium ignis projectos in caminum. Qui ubi laudarunt uno ore DEum, visi sunt quatuor, qui soluti ambulabant in igne, & species quarti similis filio DEI. Novissimis tandem temporibus panem angelorum manducavit homo, quando ea quæ prius fuit esca angelorum, per Christum intellectui humano concredita & revelata est de Trinitate notitia. Unde hoc sublime mysterium, quod in antiquo testamento semper fuit occultum, non nisi per conjecturam ab antiquis potuit cognosci, modo propter incredibilem profunditatem à nobis non nisi per vestigium, vel imaginem aut speciem potest comprehendi.

Mysterium SS. Trinitatis Judæis fecit occultum.

Varia in natura sunt media ad cognoscendam Trinitatem.

Cùm enim quælibet res tribus potissimum modis possit cognosci, nimirum per vestigium, vel imaginem vel speciem, ideo etiam huius ipsius SS. Trinitatis cognitio taliter nobis communicatur. Per vestigium quidem in rebus creatis, & maximè in Sole, quem unum esse nemo ambigit. Quia tamen tria in se continet ignem nimirum, lumen & calorem, ita quidem ut nullum altero sit prius aut posterius, cognoscimus hinc quomodo aliquid possit esse trinum & unum. Per imaginem cognoscimus, si animam nostram attentius consideremus; hæc enim unica est, & tamen nihilominus tres in se continet potentias, intellectum, memoriam & voluntatem, realiter inter se distinctas. Si verò per speciem velimus, quam meliorem habemus, quam ipsum filium DEI, qui veniens in hunc mundum, mysterium SS. Trinitatis nobis exhibuit; Est enim imago DEI & figura substantiæ eius. Hæc tamen omnis cognitio tam obscura semper fuit, ut licet Christus tanto tempore cum suis Apostolis fuerit, Philippus tamen *Joan. 14. v. 8.* dixerit: Domine ostende nobis Patrem, ut propterea Christus dixerit *v. 19.* Philippe, qui videt me, videt & Patrem meum. Quid mirùm ergò, si quod Epictetus dixit de DEO, ego de hoc profundissimo mysterio dixero. Si omnino ego DEum declararem, vel

ego

ego DEus essem, vel ille DEus non foret. Quare meritò Job dixit *c. 28. v. 21.* Absconditus est ab oculis omnium viventium, volucres quoque cœli, id est, ut explicant SS. Patres angelos latet. Ut propterea, citatus Jeremias *c. 1. v. 6.* A! A! A! Domine DEus; nescio loqui. Id est ut dicit S. Bernardus *serm. 2. in Dom. Trinit.* Propheta clamat ter A! A! A! quasi dicat: A! Justissimus Pater DEus, A! Justissimus Filius DEus, A! justissimus Spiritus sanctus DEus. Vel quasi diceret, A! Pater, non capio tuam omnipotentiam. A! Fili, non capio tuam Sapientiam. A! Spiritus sancte fugit me tua bonitas. Quid mirum ergo, si Augustinus hoc mysterium contemplatus, nec eloqui, nec mente concipere tantam potuit majestatem; adeoque cùm illud profundâ speculatione expendit, à tenero puerulo edoctus fuit, faciliùs vastissimum mare absorbendum in fossulâ minima quam ab intellectu humano divinam Trinitatis majestatem comprehendendam. Meritò itaque dictus Augustinus *in Ps. 85.* exclamat; si DEus in cor hominis non ascendit, quid ergo quæris, ut ascendat in linguam? Fecit tamen amantissimus nostri DEus, ut in tanto tamque arcano mysterio aliquis saltem radius humano intellectui illaberetur, & vel ipsis Gentilibus aliqua ipsius umbra innotesceret. Sic enim S. Aug. *l. 7. Confess. c. 9.* ait, se in libris Platonis legisse illa verba *Joan. 1. v. 1.* In principio erat verbum. Mercurius enim Trismegistus hæc habet: Monas genuit Monadem, & in se suum reflexit ardorem. Non minus videtur aliquid cognovisse Aristoteles, qui naturæ pervestigatione eò pervenit, ut in libro de cœlo dicat: Tria sunt omnia, & ipsum ter in omnem partem se diffundit. Quid quod ipse Ovidius inter copiosas metamorphosis suæ fabulas *l. 3.* inducat Narcissum seipsum in fonte contemplantem, & amore sui exardescentem: Uror, inquit, amore meî: Benè proindè Andreas Cretensis: Hinc ergo fratres aliquid percipere de sublimi mysterio potestis. Nam Pater æternus seipsum in purissimo substantiæ suæ speculo intuitus perfectissimam impressit imaginem id est Filium, de quo *Sap. 7. v. 26.* dicitur: Candor est enim lucis æternæ, & speculum sine maculâ DEI majestatis, & imago bonitatis illius. S. Paulus verò vocat figuram substantiæ ejus. Cujus agnoscens summam & æqualem sibi pulchritudinem, summèquoque eam dilexit, quæ dilectio juxta Theologos est Spiritus sanctus, ab utroque Patre nimirum & Filio procedens. Habemus autem vel in ipsis Creaturis quædam hujus

S. Augustinus hoc mysterium non capit.

Plato aliquid de SS. Trinitate agnovit.

Aristoteles aliquid de Trinitate dixit.

Sol vestigium SS. Trinitatis.

SS. mysterij vestigia, quæ observantes sancti Patres ad altissimam Trinitatis contemplationem assurrexerunt. Sic Augustinus contemplatus Solem exclamat. Videmus Solem in cœlo currentem, fulgentem, & calentem. Conversus deindè ad Arianos inquit: Divide ergo si potes Ariane Solem, & hinc demum divide Trinitatem. D. Cyrillus autem Alexandrinus in Sole Patrem generantem, in radio Flium genitum, in calore Spiritum sanctum ab utroque procedentem cognoscit. Nam ut sol ab alio Sole non gignitur, ita Pater est ingenitus, & à nullâ alia personâ generatur. Deindè sicut radius est in Sole, illi autem coævus, & non prior aut posterior Sole: sic Filius à Patre genitus est, non tamen posterior, sed essentialiter & realiter coævus est ipsi Patri. Denique sicut Sol à cœlo nunquam discedens, suam diffundit lucem in terram, eamque suis radiis illuminat sic Pater de cœlo misit suum filium, qui sicut lux mundi orbem universum luce suæ doctrinæ illustravit. Ab utroque autem Spiritus sanctus procedit, qui increatus calor est. Sicut autem calor à Sole æque ac radiis illius diffunditur, & sic orbem calefacit, ita Spiritus sanctus à Patre Filioque procedens, missus est in terras; & non otiosè in linguis igneis apparuit, utpotè qui suo amore divino mundum universum inflammavit. Occurrit hìc P. Caspar Schotus qui in suâ opticâ per varias reflexiones, soles sic multiplicat, ut ab uno realiter Sole, terni beneficio speculi producantur. Si enim sic appendamus speculum, ut solis radios excipiat, & refringat iterum in vicinam aquam, tunc apparebit Sol unus & trinus. In hoc enim casu tres soles repræsentantur, unus nimirum in cœlo, alter in speculo, tertius in aquâ. Et tamen realiter non est nisi unus. Primus lucem habet à seipso, secundus à primo, & tertius à primo & secundo. Exclamare hìc libet cum Andrea Cretensi, Sol est Pater, Sol est Filius, Sol est Spiritus sanctus. Primus sol lucem habet à se, Filius sol alter, lucem habet à Patre, Spiritus sanctus sol tertius, procedit & spiratur à Patre & Filio. Et tamen hi tres unum sunt. Non recedamus a Sole, audiamus S. Basilium *Ep. 43. ad Greg. Naz.* qui SS. Trinitatem cum Iride explicat & declarat. Hæc inquit & una est & tricolor, viridis nempè, cœrulea, & purpurea. Sic DEus unus est in essentiâ, & trinus in personis. Hoc lumine naturali instructus Mercator quidam Christianus & Zelosus de mysterio SS. Trinitatis cum Judæo acriter disputavit, cui sum satis claris argumentis unitatem in Tri-

Trinitate veram demonstrâsset, Judæus verò assentiri nollet, mercator curavit sibi in Scaphio afferri aquam, in quam cum inspectante Judæo immisisset glaciem & nives, dixit: nix non est glacies neque aqua, glacies realiter distinguitur ab aquâ, & nive, denique aqua nec nix est, neque glacies. Ita Pater in divinis non est Filius, neque Spiritus sanctus; & Filius ab utroque distinguitur, uti & Spiritus sanctus. Applicato interim ad fornacem calefactam Scaphio, resolutâ jam nive & glacie, dixit rursus Judæo, hæc tamen tria in unam aquam coaluêre; ita in divinis tres sunt personæ, & tamen non nisi unus DEus. Quia tamen neque sic credere voluit obstinatus Judæus, indignatus Mercator, arreptum cum aquâ scaphium super caput infudit, atque disputationem diremit. Ridicula hæc fuit controversia, declarat tamen vel in ipsâ naturâ, quomodo substantia eadem, per naturalem ejusdem alterationem diversa esse possit, & rursus ad nativam redire unitatem. Videtur hoc ipsum DEus ostendisse in tribus distinctis guttis, spontè suâ rursus unitis, quæ divinitus de cœlo delapsæ fuerunt. Tempore enim quo Vasatensis urbs à Chunis obsidione premebatur, omni nocte sacerdos circuibat mœnia, & urbem DEO commendabat. Interim DEus varijs ostentis Chunorum Regem ab obsidione deterruit, sic ut hostes urbem liberam deserverint. Solutâ obsidione Sacerdos populum evocat ad templum, & DEO in gratiarum actionem sacrificium obtulit. Sub hoc vidit Sacerdos, ab alto descendere in patenam tres guttas omni crystallo lucidiores, quæ paulò post conjunctæ in unam gemmam cojuerunt, quæ gemma aureæ Cruci inclusa, nullas alias gemmas passa est, sed solitaria in aquam immersa, & deinde pota, miraculosè omnes morbos apud ægros dispulit & curavit. Quod ipsum etiam in sacris paginis DEus videtur monstrâsse in vite quam vidit pincerna Pharaonis *Gen. 40. v. 10.* videbam inquit coram me vitem, in quâ erant tres propagines crescere paulatim in gemmas, & post flores uvas maturescere. Per hanc vitem S. Dionysius Areopag. Sanctissimam Trinitatem intelligit ejusque divinas processiones. Accepimus inquit ex sacris eloquijs, Patrem quidem esse fontanam ut ità dixerim Deitatem, Filium verò & Spiritum sanctum esse fœcunda divinitatis Germina divinitùs pullulantia. An non hanc ipsam Trinitatem DEus ostendit Davidi, quando in spiritu dixit *Ps. 66. v. 8.* Benedicat nos DEus, DEus noster benedicat nos DEus. Ubi per primam vocem

Mercator Judæo SS. Trinitatem probat.

Tres guttæ in unam coeuntes Trinitatem docent.

SS. Trinitas in vite Pincernæ Pharaonis adumbrata.

DEus Psalmista Patrem, in secundâ Filium, in tertiâ voce DEus, Spiritum sanctum intelligit. Ubi benè notandum est, quia sequitur: Et metuant eum omnes fines terræ. Dum enim dicit eum, non eos, ostendit se præter Trinitatem personarum, unitatem naturæ venerari. Quod observavit Remigius Antisiodorensis *in Psal. 66.* dicens: Benedicat nos DEus Pater, DEus Filius, & DEus Spiritus sanctus, ut tandem metuant eum Omnes fines terræ, & tota terra Creatorem colat, non verò creaturas.

In novo Testam.ento Trinitas clariùs innotescit. Ubi verò ad novum testamentum ventum est, jam manifestioribus indicijs arcanissimum hoc mysterium nobis est declaratum. Sic enim in monte Thabor, tribus discipulis se se exhibuit Sanctissima Trinitas. Dum *Mat. 17. v. 1.* dicitur; Assumpsit JEsus Petrum & Jacobum & Joannem fratrem ejus, & duxit illos in montem excelsum seorsum, & transfiguratus est ante eos. In hac transfiguratione licet Spiritus sancti mentio non fiat, expressè tamen Patris vox auditur *v. 5.* Ecce nubes lucida obumbravit eos, & vox de nube dicens: Hic est filius meus dilectus, in quo mihi benè complacui; ipsum audite. Ubi in nube Neoterici Spiritum sanctum, in voce Patrem innotuisse volunt. Clariùs id fecit Christus *Mat. 3. v. 16.* Baptizatus autem Christus confestim ascendit de aquâ, & ecce aperti sunt ei cœli, & vidit spiritum DEI descendentem, sicut columbam, & venientem super se. Et eccè vox de cœlis dicens. Hic est Filius dilectus in quo mihi complacui. Ubi disertis verbis & Pater, & Filius, & Spiritus DEI exprimitur & declaratur. Clarissimè tandem manifestavit se *Mat. 28. v. 19.* Docete omnes gentes baptizantes eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti. Occurrit hìc mihi *Gen. 30. v. 37.* Patriarcha Jacob cum Labano pacifcens, de quo textus divinus. Tollens ergò Jacob virgas populeas virides, & amygdalinas, & ex platanis, & ex parte decorticavit eas, posuitque eas in canalibus, ubi effundebatur aqua. Cùm autem contractus inter Labanum, & Jacob intercessisset, ut nascituras variegatas oves Jacob, unius autem coloris Laban haberet, factum est ut ex aspectu virgarum variegatarum oves conciperent, ferè omnes varij coloris agnos, sic ut scriptura dicat, ditatusque est homo ultrà modum, & habuit greges multos. In ovibus ego Christianas animas, in Jacob Christum incarnatum contemplor, qui in baptismo id est gratiarum cœlestium fonte ternas virgas, id est Sanctissimæ Trinitatis personas posuit, ut in earum con-

Virgæ variegatæ Jacob SS. Trinitatem adumbrant.

templatione

templatione cœlestium gratiarum partus produceremus. Pulchrè id S. Ambr. *l. 2. c. 4.* me docet, cum dicit: Quo concupiscentes Beatæ Trinitatis mysteria, haud quaquam decolores fructus mentis conceptione formarent. Docuit nos hoc ipse DEus fœcunditate suâ ad intrà, qui divinæ suæ essentiæ similem omnino imaginem produxit Verbum. Quare ut aliquali saltem fœcunditate etiam nos excellamus, in nominatis virgis, has divinas personas contemplemur? Prima virga eaque populea ac viridis, spes est, quâ animo concipere debemus in personâ Patris. Sic enim *Luc. 15.* filius prodigus *v. 15.* in hujus nominis memoriâ resipuit: Quanti mercenarij in domo Patris mei abundant panibus? Tertullianus *l. 8. de spectac.* Quis nobis intelligendus est ille pater; DEus utique. Tam Pater nemo, exclamat ille, tam pius nemo. Secunda virga erat amygdalina & ex parte decorticata. Hæc teste experientiâ sub cortice subrubra est. Quarè in aquas immersa, secundam in Trinitate Personam exhibet. Hujus sanguine lavacrum hoc regenerationis nostræ erubuit. Hæc virga quantum erubuerit Christiane mi, intelliges ex cœlestibus illis apud Isaiam spiritibus, qui dum quærunt; Quarè rubrum est indumentum tuum? causam intelligunt ab ipso filio DEI *Isa. 63. v. 3.* Torcular calcavi solus. Nimirum in amoris nostri prælo, amor nostri tantum illi sanguinem expressit & vitam. Ite nunc Poetæ, & amorem vestrum rubris induite! amor meus JEsus vix benè natus in circumcisione à cruore suo & sanguine purpuratur. In horto Gethsemani, sanguinis purpurâ toto corpore tingitur, ad columnam sui cruoris murice perfunditur, in coronatione dolorosâ magis sanguine, quam purpurâ circumdatur, in cruce denique ipse sanguini suo innatans emoritur. Tertia virga ex Platano erat, eâque decorticata & sic albissima. Olim Catechumeni albis induebantur, ut Spiritum sanctum, quem in baptismo accepturi erant, significarent. Quarè si oves Christi sumus, potæ ad fontes sacri baptismi, in quos divina bonitas sanctissimæ Trinitatis mysterium, velut suavissimos misericordiæ suæ frondes demersit, debemus ex illius contemplatione, in Patre spem, in Filio charitatem, in Spiritu sancto vivam fidem concipere, ut indè fœcundo bonorum operum partu, animam nostram locupletemus. O si cor nostrum in contemplatione hujus sanctissimi mysterij, eo ardore moveretur, quo æstuat cor S. Augustini, quod crystallo inclusum & altari in festo SS. Trinitatis impositum movetur & subsultat,

Cor S. Augustini in præfat. de Trinitate movetur.

quando in sacro Præfatio de SS. Trinitate cantatur. Felix omnino fuit Puer ille, de quo Baronius ad annum Christi 446. refert, quod cùm urbs tota Constantinopolis terræ motu concuteretur, sic ut Imperator, Patriarcha, senatus & omnis populus urbe totâ excederet, atque in agris starent, repentè ex sinu multitudinis totius, raptus sit puer innocens, & in aërem fuerit elatus, ubi in sublimi cœlorum regione audivit ab angelis cantari: Sanctus DEus! Sanctus fortis! Sanctus immortalis! Dum interim in terrâ universus populus, sæpius tristi & lugubri voce ingeminaret Kyrie eleison. Descendit deindè rursus per aërem molliter puer, & populum omnem cohortatus est, ad hoc Trisagium sacrum cantandum, quo facto omnis terræ motus cessavit. Puer autem ad hoc trisagium cum angelis decantandum in cœlum est avocatus. Non sic ad astra abijt, sed tristissimo imo trisulco fulmine extinctus est impius ille & Sacrilegus Arianus Episcopus Olympius nomine, qui ut refert Sigebertus & Paulus Diaconus *l. 2. Ennead. 2.* cum Carthagine se in publico balneo lavaret, horrendis blasphemiis sanctissimam Trinitatem lacessivit, dum ecce è nubibus statim terna erupère fulmina, trinoque vulnere impium & sacrilegum hominem interfecerunt. Negavit ille SS. Trinitatem & sacrilego ore blasphemavit, quam deindè pari sacrilegio turpissimus Calvinus *l. 1. instit. c. 13.* penitus conculcavit, quando toto cordis sui sceleratissimi affectu optavit, hoc nomen Trinitatis perpetuâ oblivione deleri. Lutherus verò planè propudiosè & scurriliter in *Tom. 7. Ihen. An. 1581.* impresso, cum tribus furibus ab uno patibulo pendulis pro scelus! Sanctissimam Trinitatem comparavit, dicens: Hoc esse tres personas in unâ essentiâ. Non hominis sed bovis aut asini fuit illa vesania, quæ licet Crucem Salvatoris nostri venerata sit, planè tamen vesanè de SS. Trinitate sentiebat. Cum enim sub Phoca Imperatore, Chosroës mirâ celeritate orbem inundâsset pene universum, inter cætera venit Hierosolymam, ubi à sepulchro Domini territus, recessit quidem, crucem tamen Sanctam, quam S. Helena in ventam ibi reliquit, abstulit, & penes se superstitiosâ religione in throno regio collocavit, atque sibi à dextris statuit, à sinistris verò gallum gallinaceum coordinavit, stultâ ambitione se Patrem, in Cruce verò filium, & in Gallo gallinaceo Spiritum sanctum mentitus, sic ab hominibus voluit adorari. Hanc vesaniam justus superbiæ vindex DEus manifestè ultus est, quando Heraclius Phocæ successor victor

Puer in terræ motu ad Trisagium Sanctus elevatur.

Arianus Episcopus in Trinitatem blasphemus ter fulminatur.

Lutherus in SS. Trinitatem sacrilegus.

Chosrois impia Trinitas & vesana pietas.

ctor, in hoc throno suo obruit Chosroëm, quem stricto gladio aggressus, sic est allocutus. Quia tuo modo honorâsti sanctam Crucem, si baptismum & sanctam Crucem suscipere volueris, ego tibi vitam & regnum cum certis condicionibus donabo. Sed cum acquiescere nollet, suo illum gladio confodit, & miserum Chosroem mortalem, non DEum fuisse ostendit.

DEus est Unus & Trinus.

Est ergo de fide, & de necessitate medii credendum DEum esse unum & trinum. Unum quidem in naturâ, trinum autem in personis, dicente S. Joanne in sua *1. Ep. c. 5. v. 7.* Tres sunt qui testimonium dant in cœlo, Pater, Verbum & Spiritus sanctus, & hi tres unum sunt. Ut propterea Athanasius in Symbolo suo dixerit. Fides Catholica hæc est ut unum DEum in Trinitate, & Trinitatem in unitate veneremur. Neque confundentes Personas, neque substantiam separantes. Alia est enim Persona Patris, alia Filii, alia Spiritus sancti. Sed Patris & Filii & Spiritus sancti una est divinitas, æqualis gloria, coæterna majestas. Qualis Pater, talis Filius, talis Spiritus sanctus. Quid enim aliud significant voces illæ. *Gen. 1. v. 26.* Faciamus hominem? *Et Gen. 11. v. 7.* Descendamus & confundamus? quam quod DEus, quando de se quasi consilio habito loquitur, non de unâ solâ personâ sed pluribus loqui intelligendus sit. Unde licet Lutherus in postillâ suâ majore impiè rideat hanc vocem Trinitatis, & consuetam formulam Ecclesiæ dicentis: Sancta Trinitas unus DEus, miserere nobis ex Lytaniis suis sustulerit, atque in impressione suâ illud *1. Joan. 5. v. 7.* Tres sunt qui testimonium dant in cœlo Pater, Verbum & Spiritus sanctus omiserit, tamen & Symbolum S. Athanasii à Concilio Nicœno approbatum, & ipsa Confessio Augustana *artic. 1.* clarè confitetur Tres esse in Trinitate Personas, quod ex Christi mandato *Mat. 28. v. 19.* manifestum est, dum dixit: Docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Fili, & Spiritus sancti, Et hæ tres Personæ sanctissimæ non solùm collectivè sed etiam distributivè & seorsim sumptæ, sunt verus DEus. Dicente *S. Joan. c. 6. v. 27.* De Patris personâ, Hunc enim Pater signavit DEus. Et de Persona Filii in suâ *1. Ep. Joan. c. 5. v. 20.* Scimus quoniam Filius DEI venit, & dedit nobis sensum, ut cognoscamus verum DEum, & simus in vero Filio ejus. Hic est verus DEus. De Personâ verò Spiritûs Sancti *Act. 5. v. 4.* Non es mentitus hominibus sed DEO. Ex quo hæc Catholica deducitur Conclusio. Quod hæ tres divinæ Personæ sint

Lutherus ex Lytaniis expungit nomen Trinitatis.

sint unus DEus. Sic enim diserte *S. Joan. c. 10. v. 30.* Ego & Pater unum sumus. Quod clarius adhuc asserit S. Athanasius *in Symbolo:* DEus Pater, DEus Filius, DEus Spiritus sanctus, & tamen non tres Dii, sed unus est DEus. Quod licet intellectui humano sit inconceptibile, omnipotentiæ divinæ & infinitæ essentiæ est proprium. Quia cum essentia sit infinita, una etiam eademque in omnibus tribus personis esse & intelligi debet. Quod in humanis fieri non potest, quia Petrus & Joannes, & Jacobus non possunt habere unum corpus & unam animam, sed quisque separatim corpus suum & animam suam habet, adeoque etiam quisque naturam suam humanam separatam ferunt. Quæ tamen omnia non tenemur intelligere, sed credere. Expertus est hanc sanctissimæ Trinitatis in Personis differentiam juvenis ille Parisiensis, de quo Stengelius *in Exempl. suis Tragic. c. 7.* qui magis libidini quam literis addictus, licentiosam planè vitam duxit. Repentè verò à DEO in gravem morbum dijectus, ad extremum vitæ periculum devenit, in quo dum de multitudine suorum peccatorum cogitat, saluti suæ diffidens, desperat. Desperato juveni illâ nocte apparuit grandævus & venerandus senex, qui lecto assistens contestatus est se DEum Patrem esse, qui ipsum creâsset; quia verò hoc creationis beneficium, nihil ad salutem ipsius desperati conferret, in eum damnationis sententiam pronunciavit, & disparuit. Par erat alterâ nocte Filii Dei apparitio, qui cum interrogaret an se nosset? respondit se non nosse, multum tamen hesterno similem esse. Benè inquit dicis, quia ego sum JEsus Filius DEI, qui te meo sanguine redemi, quiá verò hactenus peccatis tuis tu meum sanguinem conculcâsti, sanguinem sacratissimi lateris sui manu arripiens in faciem desperati juvenis projecit dicens, hic sanguis sit in tuam perditionem, & his dictis evanuit. Tertiâ verò nocte, cum rursus tertius apparuisset, ac mitissimis oculis desperatum juvenem respexisset, juvenis animatior ultro interrogat, quis esset? cumque responderet se Spiritum sanctum esse, simul illum ad debitum dolorem, seriamque vitæ suæ emendationem est cohortatus. Cùm verò juvenis veniam suorum peccatorum sperare non auderet, ad confessionem illum animavit, & veniam promisit, quam ubi inter lachrymas dolore plenas se facturum promisit, juvenem & fiduciâ & misericordiæ spe plenum reliquit, & recessit. Juvenis verò ubi primum dies illuxit seriam peccatorum suorum confessionem fecit, & felicissimè

Juvenis à Patre & Filio rejectus à Spiritu sancto receptus.

simè expiravit. Non minorem expertus est gratiam ob sanctissimam Trinitatem devotè cultam miles ille, qui Imperante Friderico fuit suspensus, & integro triduo in patibulo vivus pependit, quia sanctissimam Trinitatem in vitâ suâ devotè & assiduè veneratus est. Ubi enim magistratus hominem vivere vidit, eum à furcâ deponi jussit, qui peccata sua confessus & sacrâ communione refectus in manibus Sacerdotis animam exhalavit. Quarè benè S. Nilus *in instit. Monach.* Noli scrutari, sed crede; & adora; ac trisagium illud Sanctus! sanctus! cum beatis mentibus adorabundus frequenter repete. Dicamus ergò sæpius cum Ecclesiâ, & quidẽ cum profundissimâ animi humilitate Gloria Patri, & Filio, & Spiritui sancto. Ad quæ Verba cœli Regina visa est se inclinare. Vidit enim quidam Vir sanctus, quod aliis in Ecclesiâ psallentibus, Beata Virgo se toties profundè inclinaverit, quoties hic versiculus Gloria Patri &c. caneretur. Causam verò sciscitanti, respondit Maria. Quoties versus ille in laudem & honorem SS. Trinitatis in Ecclesiâ cantatur, toties se totam cœlestem curiam sanctissimæ Trinitati profundissimè inclinare. Et verò si in cœlis sancti tantâ devotione sanctissimam Trinitatem adorant & venerantur; quid nos facimus miseri mortales? qui hujus sanctissimæ Trinitatis misericordiâ vivimus movemur & sumus? an non manè dum surgimus, aut vesperi quando decumbimus, vel denique orationi vacamus, aut alteri pio operi nos impendimus, cruce nos muniamus, dicentes: In nomine Patris & Filij & Spiritus sancti. Quam fructuosè autem (cruce se muniendo) sanctissimam Trinitatem confessus sit juvenis ille, qui magicis illusionibus erat seducendus; de quo testatur Raderus in aula sancta Theodosii, hic enim Mauritio imperante, innocenter & inscius operam suam addixerat. Mago causidico, quem Herus dæmoni devovere volens die constitutâ sub vesperum Constantinopoli eques egressus, secum pariter Equitem famulum suum accepit. Dum tamen sub noctem solitudini appropinquant, visa est arx elegans portis bene munita, ad quam dum pulsant, admittuntur ambo, & in fanum magnificentissimum deducuntur, ubi omnia luminaribus instructa auro & argento radiabant. Regem Æthiopem, atrati similiter circumstabant ministri, qui Causidicum officiosè exceptũ ad Regem deduxerunt, quem statim Rex penes se considere fecit. Ubi post humanæ salutationis officia, Causidicum interrogavit Rex, cur juvenem hunc secum adduxisset?

Miles devotus SS. Trinitati in patibulo non moritur.

S. Nilus in instit. monach.

Ad Gloria Patri se B. V. inclinat.

Cruce nos munientes SS. Trinitatem confitemur.

SS. Trinitatem confessu Christus crucifixus honorat.

duxisset? dixit Magus, ut tuus pariter famulus fiat. Itanè puer inquit Rex, tu meus esse famulus optas? Ego reponit juvenis famulus sum DEI Patris, & Filii & Spiritus sancti; simulque se sanctâ Cruce munivit. Et ecce subitò Rex cum aula tota imò & Magô Hero disparuit, solusque juvenis cum equis relictus est, qui statim ad urbem reversus, rei seriem enarravit. Hic statim alium Herum nactus hominem scilicet nobilem & virtuosum, cum quo Basilicam S. Salvatoris ingressus ad Heri sui orantis sinistrum latus constitit, Cùm subitò imago Christi Crucifixi, vultum suum ab Hero ad juvenem convertit; quod ubi Herus advertit, juvenem ad dexteram suam vocat, & effigies sacra, rursus vultum suum in dexteram reflexit. Tunc enimverò territus Dominus, in terram coram Crucifixo lamentabili cum planctu se abjicit, & quærit, cur vultum suum amantissimus JEsus à se avertat? Tu, inquit inter lachrymas, Christe mihi es testis, quòd ego vultum meum à nullo unquam paupere averterim. Et statim à Crucifixo vox prodijt, Tibi quidem gratias habeo, pro obsequio in meis mihi præstito; sed huic famulo tuo plus debeo, quia in summo terrore me non negavit, sed palam me cum Patre & Spiritu sancto est professus. Confiteamur & nos, atque toto corde benedicamus Patrem & Filium cum sancto Spiritu, quem laudemus & super exaltemus in sæcula. Dicamus centies & millies Gloria Patri, & Filio, & Spiritui sancto. Ex quo omnia, perquem omnia in quo omnia, ipsi gloria in sæcula sæculorum

Amen.



CAPUT

CAPUT SEPTIMUM
PUNCTUM VII.
Quod necessitate medij credi debet,
DEI Filius incarnatus, & passus.
DISCURSUS VII.
Filius DEI Incarnatus.

ETsi absolutè non fuisset necessarium, ut DEus homo fieret, potuisset enim hominem sine remedio relinquere, sicut de-facto fecit cum lapsis Angelis, quos non redemit. Sic e-nim ipse *Sap. 12. v. 12.* Quis tibi imputabit, si perierint nationes, quas tu fecisti. tamen quemadmodum docet S. *Thom. 3. p. q. 1.* dum quærit utrum necessarium fuerit divinum verbum incarnari? respondet id totum factum esse ad charitatem in nobis inflammandam, quæ maximè per Incarnationem Filii DEI inflammatur & excitatur. Quod clarè asserit *S. Aug. l. de catech. rud. c. 4.* dum quærit, quæ major est causa adventus Domini, nisi ut ostenderet DEus dilectionem suam in nos. Gravis namque est illa sententia S. Joan. Damasc. *l. 1. orthod. fid.* Non potest DEus majus aliquid facere, quam DEum fieri hominem. Unde S. Thomas vocat Christum verbum non qualecunque, sed spirans amorem. Ut propterea S. Bernardus *serm. de dilig. DEO.* graviter nos perstringat dicens: Tantam dulcedinem exhibuit in carne, ut durissimi cordis sit, quisquis eum toto affectu non diligat. Quod pridem dixit S. Paulus *1. ad Cor. 16. v. 22.* Si quis non amat Dominum JEsum Christum sit anathema. Viderunt olim

Incarnatio, divini amoris excessus.

Judæi

Judæi Christum ad sepulchrum Lazari lachrymantem *Joan. 11. v. 36.* Et exclamaverant : Ecce quomodo amabat eum? Dicant hoc Angeli, qui DEI Filium de cœlo descendentem; dicant hoc ipsi etiam infernales spiritus qui in cunis vagientem; dicant hoc animalia, quæ inter bovem & asinum conspiciunt jacentem; Dicat homo ipse qui DEum immortalem carne mortali indutum videt: Ecce quomodo amabat eum? Audite S. Bern. *serm. 2. Dom. 1. post Epiph.* Vide quibus brachijs vicariæ charitatis redamandus & amplectendus sit, qui tanti te æstimavit, imò qui tanti te fecit. Propter te à DEO Patre exivit, & Matrem Synagogam reliquit, ut adhæreas ei, unus efficiaris cum eo spiritus. *4. Reg. 4.* Cum esset mortuus filius Sunamitidis illa apprehendit pedes Elisæi, eique cum lachrymis plurimis exposuit mortem filij sui. Quarè motus misericordiâ Propheta, conversus ad Giezi puerum suum, dixit illi: Accinge lumbos tuos, & tolle baculum meum in manu tuâ, & vade, & ponas baculum super faciem pueri, si fortè vita redeat. Pergit Giezi & mandata fideliter exequitur, sed non erat vox neque sensus, & non surrexit puer. Ingressus est ergo domum ipse Elisæus, & ecce puer mortuus jacebat in lectulo ejus, & clausit ostium, & oravit, & incubuit super puerum, posuitque os suum super os pueri, & oculos super oculos, & manus super manus, & incurvavit se super eum, & calefacta est caro pueri, & aperuit oculos, & revixit. Ubi vides quod licet Giezi illo baculo aliàs mira patraverit, puerum tamen excitare non potuit, sed debuit Elisæus ipse venire, qui tandem operosè & magno labore puerum excitavit. Quid verò impedit, quo minus per puerum genus humanum intelligamus, quod per peccatum mortuum invenit filius DEI, nec erat, qui illud ad vitam revocaret. Miserat DEus in veteri testamento varios Patriarchas & Prophetas, sed nihil effecerunt, unus hoc potuit Christus verus Elisæus, qui incurvavit se, paulò nimirum minoratus ab Angelis, humiliavit se usque ad mortem crucis, & genus humanum quod mortuum fuit, per Christum revixit. Hujus mentis est S. Aug. *serm. 206.* dicens Puer Elisæi, typum habuit Moysis, hunc inquit misit DEus cum baculo in Egyptum, sed baculus sine Christo flagellare Ægyptum potuit, à peccato autem liberare, vel suscitare non valuit. Quid quod potuerit DEus nulla interveniente satisfactione homini liberaliter condonare offensam, non tamen id fecit, sed ut ostenderet peccati offensæque gravitatem, rigorosam

Christus incarnatus amat nos.

Christus alter Elisæus mortuum genus humanum resuscitat.

gorosam voluit à peccatoribus satisfactionem; nec aliter quàm ab homine, ut qui peccaverat idem ipse lueret, & satisfaceret. Quia verò hanc satisfactionem dare non poterat purus homo, necessariò requirebatur aliqua persona, quæ simul esset DEus & homo. Cum enim satisfactio requirat submissionem debitam erga offensum, DEus verò non habuit cui se submitteret, purus DEus illam dare non potuit. Sic pariter gravitas offensæ crescit ex dignitate personæ offensæ, quæ utpote DEus est infinita, purus ergo homo, qui tantùm est finitus, satisfactionem condignam præstare non valuit. Ut ergò satisfieret decreto divino, quo voluit sibi perfectè satisfieri, DEus homo fieri debuit, ut DEo homo reconciliaretur. Hinc gratiosè S. Augustinus dum agit de Evangelico illo cœco, qui fuit à Christo illuminatus dicit: Pertinuit ad Evangelistam, ut commendaret nobis nomen piscinæ, dum ait: quod interpretatur missus. Nisi enim ille fuisset missus nemo nostrum esset ab iniquitate dimissus.

Christus ut DEUS & homo satisfacere debuit.

Si quæras quomodo factus sit homo, ille, qui fuit DEus? Respondent Theologi, id factum esse modo novo & ineffabili, nimirum per unionem substantialem naturæ humanæ cum personâ divinâ Filii DEI. Quæ unio non est immediatè naturæ cum naturâ, sed naturæ humanæ cum Personâ divinâ. Curiosè quærit Tertullianus. Cur Verbum æternum, antequam temporaliter nasceretur, jam indè ab ipsius mundi incunabulis, cœperit humanorū sibi lineamentorum aptare figuram, ut eorum quodam experimento probaret, quàm decenter post longas sæculorum ætates, illam naturam vestire posset, cujus effigiem tantò antè induisset. Unde in illâ est sententiâ, quod DEI filius, personatus fuerit ille homo divinus, qui omnia in lege veteri locutus, aut mandasse legitur. Cur ergò toties, & tam diu antè induit humanæ carnis speciem, & non carnem ipsam? Respondet dictus Tertullianus: alloqui, & liberare, & judicare humanum genus discebat in carnis habitu nō natæ adhuc. Ubi adverte, quod hic eximius Doctor nomine alloqui, intelligat Christum novæ Legis Doctorem futurum, quam nos erat docturus, ut DEum agnosceremus, & toto corde diligeremus. Ut ergo DEus humanum genus sibi rursus uniret, filium suum in terras misit & hominem fieri voluit, ut qui à Charitate erga DEum separati eramus, rursus cum DEO per veram charitatem uniremur. Pulchrè S. Chrysostomus *hom. 11. in Mat.* Unigeniti hoc præcipuum opus fuit, distantia copulare, conciliare

pugnantia. Non miror jam Christum acceptasse nomen Doctoris & Magistri & hoc ipso nomine in librum Doctorum relatum esse. Si enim Cassanæo credimus, refert is *in Catal. gloriæ mundi p. 4. Consid. 6.* quod Judæi olim juxta numerum literarum Hebraicarum viginti duos Sacerdotes stabiliter habuerint, ex quibus, si quis mortuus fuit, statim alius fuit substitutus, Horum nomina in uno libro scribebantur in hanc formam. Die N. & anno N. decessit N. & in locum ejus subrogatus fuit N. filius N. Tempore ergò Christi duodennis, quandò ille disputavit in medio Doctorum, vacabat locus, & cùm varii inepti præsentarentur, Christus præ omnibus assumptus est. Quarè cùm esset nomen inscribendum in librum, & Scriba tabulam pararet, atque à Christo nomen peteretur, dixit is, Patrem non habeo nisi DEum, matrem non agnosco nisi Virginem Mariam. Paradoxum hoc videbatur Judæis; undè Matrem accersiverunt B. Virginem, quæ ubi obumbratione Spiritûs sancti se concepisse, & illæsâ virginitate filium suum unigenitum genuisse probavit, ad perpetuam rei memoriam libro sic inscripserunt. Die N. decessit N. in cujus locum communibus suffragiis subrogatus est sacerdos JEsus filius DEI vivi & Mariæ Virginis. Et hic liber in vastatione Hierosolymæ salvatus usque hodiè in regione Tyberiadis, à fidelissimis Hebræis servatur.

Christus duodennis inscribitur Catalogo Doctorũ.

Christus amat vocari Magister.

Hunc titulum ipse Christus confirmavit *Mat. 23. v. 10.* dicens: Magister vester unus est Christus. Repetiit hoc rursus *Joan. 13. v. 13.* Vos vocatis me Magister & Domine & benè dicitis, sum etenim. Exercuit hanc suam Professuram infans DEus incarnatus, quando vel inter bovem & asinum ex cathedrà vilis præsepii, non verbis sed vagitu peroravit, non dictando sed lachrymando erudivit, ut meritò dicatur *Luc. 2. v. 19.* Maria autem conservabat omnia verba hæc, conferens in corde suo. Quid si vel ipse Cereus aut ligneus infans DEus nos erudiret, annon obsequentes daremus aures? Ecce mirando planè prodigio An. 1641. DEus incarnatus, & in præsepio jacens, se fidei Magistrum exhibuit Turcico mancipio, ibi enim Juvenis Turca in in celebri Civitate Neapoli communi curiositate allectus, cum reliquâ turbâ in festis natalitiis ædem sacram subiit, in quâ in his sacris feriis, singularis artificij præsepe visebatur. Hic juvenis à longè stans ignotâ sibi pietate oculos pascebat. Cùm ecce procul consistentem Turcam, effictus ex præsepio infans cœpit respicere & indice digito annuere, atque ad se vocare, quin imò clarâ voce nomi-

Christus in præsepio Turcam catechizat

nominetenus ad se evocavit, cunctis qui aderant stupore defixis, neque vocare destitit, usque dum ille attonitus & tremens accessit. Hic infans in præsepio erectus Catechistam egit, monuitque, ut se quàm primùm baptizari curaret, futurum enim, ut secum brevi in cœlo esset. Baptizatus lethali morbo corripitur dicens: se mori non posse, nisi Sacramento Eucharistiæ & Extremæ unctionis muniatur. Statim ergo his Sacramentis æternitati paratur, & felicissimè moritur.

Non quæras modo mi Christiane, cur DEI filius sit factus homo? Etsi enim præcipua & finalis causa fuerit redemptio nostra, uti habetur *Joan. 3. v. 17.* Non enim misit DEus filium in mundum, ut judicet mundum, sed ut salvetur mundus per ipsum. Et propterea dicatur in Symbolo fidei; qui propter nos homines, & propter nostram salutem, descendit de cœlis. Impulsivæ tamen & secundariæ causæ fuerunt complures. Audite S. Bernardum: Quæ major pietas, quàm DEI filium in formâ peccatoris quærere peccatorem? Et hic sensus est D. Pauli *ad Heb. 2. v. 17.* Debuit per omnia Fratribus assimilari, ut misericors fieret. Quod considerans S. Th, *p. 1. q. 21.* ubi inquit, misericors dicitur aliquis, quasi habens miserum cor, quia scilicet afficitur miseria alterius per tristitiam, ac si esset propria miseria. Ex quo sequitur effectus ad pellendam miseriam alterius, sicut ad propriam. Miremur nunc divinam pietatem! tristari de miseriâ nostrâ non poterat DEus, etsi vel maximè miseriam nostram posset depellere, ut ergò esset misericors, factus est homo. Gloriatur de hoc S. Paulus *ad Hebr. 4. v. 15.* Non habemus Pontificem, qui non possit compati infirmitatibus nostris, ideò namque accepit a naturâ humanâ cor miserum, ut authore D. Thoma esset verè misericors, quando nimirum ex B. V. visceribus carnem assumens, homo factus est. Et hoc est, quod *Cant. 4. v. 9.* dicitur: Vulnerasti cor meum Sponsa. S. Greg. Nyss. legit: Cordificàsti me soror mea sponsa, id est, dedisti mihi cor, quo possem compati miseriæ humanæ. Nisi fortè dicas Christum nobis datum, ut eum impensiùs amaremus. Cùm enim homo divinitatem cognoscere non posset, ut eam amaret; induit DEus carnem nostram, ut homo, qui extra carnem nihil amabat, amoris in ipso DEO sufficiens haberet argumentum: & per quædam vestigia humanati DEI, in amoris divini deduceretur veritatem. Quarè non ideò solum carnem nostram humanam indutus est, ut nos suo sanguine & morte redimeret, sed etiam ut nobis ad salutem & amorem

Christus incarnatus est, ut haberemus Doctorem Salutis.

morē divinum viam aperiret. Sic enim S. Bernardus *serm. 3. de Circumcis.* Sicut nobis parū profuisset viam ad cœlestem patriam scire, si ligati permansissemus in carcere, nisi etiā viam cognovissemus; ita necesse erat incarnari Christum, ut viæ tam cœlestis Ducem haberemus. Aptè planè S. Bernardus *serm. 2. de nativ.* Nisi esset verus DEus, non afferret remedium, nisi esset homo verus, non præberet exemplum. Hinc S. Ambrosius considerans humanati DEI beneficium *l. de fug. secul.* exclamat: Multa fecisti Domine propter me, & non genua flectens adoravi te, at postquàm te vidi propter me humiliatum è cœlis descendisse, lachrymas fudisse, infantulum natum, in præsæpio jacentem, frigoreque titubantem, non potui amplius subsistere, sed tanto amoris pondere victus, in terram prostratus adoravi te. Non miror jam, quòd cùm DEus *Gen. 17. v. 17.* promisisset Abraham, ex semine suo descensurum Messiam, quod dicat textus; Cecidit Abraham in faciem suam. S. Ambr. *l. 2. de Abraham c. 3.* hujus lapsûs dat causam dicens: Cecidit Abraham in faciem suam, pondus tanti beneficij promissi sustinere minimè valens, deosculans jam eam terram, quam promissus Messias calcaturus erat. Eodem beneficij pondere oppressa B. Virgo, prostravit se in terram, quando Archangelus Gabriel eidem Legationem attulit decretæ divinitus Incarnationis, dum dicit citatus Ambrosius: Mente igitur ac corpore solo prostrata humillimè dicit: Ecce ancilla Domini, fiat mihi secundum verbum tuum. Benè proindè S. Aug. *l. 2. Confess. c. 9.* Postquàm Verbum caro factum est, flexi Genua, quia favor & gratia Verbi incarnati homini præstita, adeò excessivum quid est, ut humeri mortalium non sint ferendo. Et ideo ad Verba illa in Missa sub Credo: Et homo factus est. Et rursus in fine Missæ & Evangelij flectimus genua, & omnes prosternimur in terram. Notandum benè est, quod Labata refert *tit. Incarnatio.* Quod cùm in sacrificio missæ recitarentur verba illa. Verbum caro factum est, & se aliis reverenter inclinantibus, quispiam se nollet inclinare, atque reverentiam facere, quod adfuerit in formâ visibili Dæmon, & homini illi egregiam alapam impegerit, dicens: O ingrate! audis pro te DEum hominem factum, & te non inclinas, si pro me hoc DEus fecisset, in æternum me illi inclinarem. Neque tamen aliud DEus tam excessivo amore à nobis quæsivit, quàm ut amantem toto affectu redamaremus. Siquidem Cicero *l. 2. de Offic.* dicit: Nihil tam hominis esse videtur

Incarnatio beneficium maximi ponderis.

Ad verba: Et homo factus est, & Verbum caro factum est, genua flectimus.

Dæmon se non inclinanti ad Verbum carofactū est, alapam impingit.

detur minus, quam non respondere ijs, à quibus provocaris. Quod confirmat S. Ambr. *serm. de nativ. Dom.* Quid tam insitum naturæ! quàm ut diligentem diligam. S. Joannes benè concludit *Ep.1.c.4.v.19.* Nos ergo diligamus DEum, quoniam ipse prior dilexit nos. Ubi subinfert S. Bernard. *serm. 73. in Cant.* Amor DEI amorem animæ parit: Meliùs tamen & clarius *tract. de diligendo DEO.* Dignus planè qui redametur, quia ipse prior dilexit nos. Consonat huic S. Chrysostomus *hom. 1. in 2. ad Cor. c.5.* Charitas DEI nos constringit, nec finit conquiescere; qui enim DEI dilectionem gratuitam perpenderit considerando, & ea bona, quæ in nobis acta sunt ruminando, constringentem & urgentem experietur ipsam dilectionem, ut ad amandum DEum omnino & perpetuò feratur.

Superest, ut hoc loco expendamus congruentias aliquas, quas assignant SS. Patres, dum quærunt, cur non Pater aut Spiritus sanctus, sed Filius, secunda nimirum in Trinitate Persona homo factus sit. Communiter autem SS. PP. causam refundunt in illud, quod Verbum per generationem procedat, & consequenter habeat rationem propriam Filij, quod innascibilitas in Patre, & Spiratio passiva in Spiritu sancto non haberet. Unde illæ personæ rationem Filij habere non possunt. Congruum ergo fuit, ut qui ab æterno fuit Filius DEI, in tempore fieret Filius hominis. Job Monachus causam refundit in illud; quod Filius sit essentialiter imago Patris, quia verò Verbum est essentialiter imago, Verbum, quod est imago Patris, Verbum inquam Caro factum est. Si verò quæramus ulterius, cum DEus homini in creatione dederit imaginem suam, cur necesse erat, ut in reparatione hominis, incarnaretur Filius, imago essentialis Patris? Et respondetur, quod illa imago prima in homine ita fuerit deformata, ut vix aliqua illius forma appareret juxta illud *ps. 48. v. 21.* Comparatus est jumentis insipientibus, & similis factus est illis. Undè benè inquit prædictus Jobus, Homo imaginis DEI honore olim cohonestatus, à felicissimo excidens statu comparatus est jumentis insipientibus, & similis factus est illis. Ideò nimirum Verbum & imago accessit ad eos, qui in irrationabilitatem lapsi erant, ruinam nostram reparans, & nos in pristinam libertatem postliminij jure revocans. Conformiter ad hanc Jobi Monachi doctrinam Pintus Ramirez inquit: brutorum cum morbo, brutam etiam quodammodo faciem induerat anima, DEI, ad quam creata fuerat, imagine dele-

Cur secunda in Trinitate persona sit incarnata.

tâ. Accedat ergo potius Filius, qui inter cœteras, quia Verbum est, essentialiter est etiam imago Patris, & evertens brutam illam effigiem, primam refingat iterum, quasi obscuratæ jam ceræ denuo sigillum reimprimatur. Et qui erat Filius DEI naturalis, faciat nos DEI filios adoptivos. Nisi fortè etiam ex eo dicas fuisse congruum, ut qui est medius inter Patrem & Spiritum sanctum, fieret mediator inter DEum & hominem. Hinc itaque putem, quod Christus fidei nostræ mysteria, in medio quasi collocavit. Sic enim Incarnatio inter duas naturas humanam & divinam mediabat. Nativitatem suam in medio duorum animalium constituit; In Transfiguratione erat medius inter Moysem & Eliam. In cœnâ medius in accubitu mensæ. In Cruce medius inter duos latrones, Natus est in mediâ nocte, de mediâ nocte à mortuis resurrexit. Cùm annorum esset duodecim in medio Doctorum est inventus. Denique inter DEum & hominem factus est medius, ut esset mediator, & nos Filios iræ, æterno Patri reconciliaret. Lignum vitæ plantavit DEus in medio paradysi. De hoc ligno vitæ variant authores, & varias illius virtutes describunt. S. Aug. *l. 8. c. 4.* dicit; Christus lignum vitæ est in medio paradyso spirituali. Meritò autem positum in medio, quia Christus Mediator est DEI & hominum. Exultavit olim Isaias *c. 12. v. 6.* Exulta & lauda habitatio Sion, quia magnus in medio tui sanctus Israël. Si in tantum lætati sunt Israëlitæ, quia in medio sui habuerunt DEum absconditum, quanto majoris exultationis copiam habemus nos, qui in carne visibili habuimus hominem DEum, cujus fruebamur alloquio, & præsentiâ illius corporali delectabamur. Seriò proinde cordi tuo imprime, quòd Christus B. Angelæ de Fulginio in sacratissima nocte nativitatis Christi, brachijs suis puerum JEsum excipienti dixit: Non videbit me magnum, qui non vidit parvum. Videamus piâ meditatione sæpius JEsum parvum in cunis, & videbimus illum gloriosum deindè in cœlis.

Christus amat medium.

Christum parvum amemus ut magno æternum fruamur.



DIS-

DISCURSUS VIII.

Filius DEI passus est.

UT verò ad alteram partem hujus capitis veniamus, quòd nimirum amantissimus nostri DEus, non tantum amore nostri homo factus, sed etiam in carne passibili plurima passus ac tandem in cruce pro nobis mortuus sit, testantur id sacræ literæ. Et inprimis S. Paulus *ad Eph. 5. v. 2.* Tradidit semetipsum oblationem & hostiam DEO in odorem suavitatis. Quod manifestius habetur *ad Rom. 5. v. 9.* ubi expressè dicit. Christus pro nobis mortuus est. Confirmat hoc S. Petrus. *1. Petri 2. v. 21.* Quia & Christus passus est pro nobis. Scilicet in cruce mortuus est, ut nos filios DEI faceret. Noluit scilicet filius DEI solus gaudere paternâ hæreditate, nisi nos cohæredes faceret. Verùm quia ab hoc peccato Adami præpediti excludebamur, DEus homo factus est, & toto corpore abluit culpam, quam nos contraximus in capite. Pulchre S. Augustinus *de verb. Dom.* Mortuus est pro nobis unicus, ne remaneret unus, noluit esse unus, qui mortuus est unus, multos enim filios DEI, fecit unicus Filius DEI. Emit sibi fratres sanguine suo, probavit reprobatus, redemit venditus, vivificavit occisus. Egit nimirum Pater æternus nobiscum quod Leopardus facit, qui erepta sibi prædâ non pacificatur nisi sanguine agnelli. Sic certè Pater æternus, per fraudem dæmonis ereptâ sibi naturâ humanâ placari non potuit, nisi sanguine Agni immaculati filij sui. Pacificans inquit Paulus *ad Coloss. 1. v. 20.* per sanguinem crucis ejus. Meditabatur aliquando S. Bernardus quod deindè *serm. de Circumcis.* exposuit se esse in carcere, & loco sui DEI filium subingressum. Non jam clausus est in carcere DEI filius, sed inter duos latrones in montem Calvariæ educitur. Certè si meretur gratiam, qui carcerem aperit captivo, & fugæ locum parat? quid ille speret? qui tui loco carcerem subit, & pro te reo moritur? S. Theodoram virginem uti narrat S. Ambros. *l. 2. de Vir-*

Christus agnus amore nostri occisus.

S. Theodoram Virginem miles salvat.

Virgin. miles mutatâ veste liberavit ex carcere, & virginem servavit. Cùm verò ob fidem Christi, loco illius duceretur miles ad martyrium, occurrit illa, & simul cum illo cœsa martyrium subijt. Quid stas ô anima! in monte Calvariæ tuus crucifigitur Liberator, tuam ille vestem induit, tu morti destinabaris. Si tamen mori times, & cum Theodorâ tenerâ virgine, Liberatori tuo non audes commori, dic saltem DEO tuo gratias, & animo saltē submisso aliqualem DEO tuo exhibe gratitudinem. Audi Chrysostomum *hom.1.ad pop.* Magnus thesaurus gratiarū actio, quid enim majus reperiri posset, quàm tam vili pretio maximā persolvere debita. Videtur nobiscum DEus egisse more magnorum Principum & Regum, qui ubi rebellem vel perduellem aliquem capere non possunt, ad pœnam commeritam illi infligendam, illius statuam comburunt, & in illam pro ratione delicti desæviunt. Suppono ego namque cum S. Aug. ita enim verba illa sine ipso factum est nihil intelligit, & per nihil peccatum explicat; adeoque suppono peccatum esse nihil. Jam verò subtilissimus Scotus peccatum puram negationem seu privationem rectitudinis esse docet. Quod si autem non entis juxtà Pnilosophos nulla est passio, id est, quod non est positivum, nullam potest habere passionem, sequitur, quòd peccatum in se nullius pœnæ capax sit. Quare Pater æternus cùm peccatum ùtpotè ens negativum punire non posset, statuam formavit, scilicet corpus Christi quod in patibulo crucis suspensum, peccati nostri reatum pertulit. Docet me hoc S. Paulus *ad Rom. 8. v. 3.* DEus misit filium suum in similitudinem carnis peccati, & de peccato damnavit peccatum in carne id est peccato in peccatum animadvertit. Quòd clarius explicat verbis illis. Eum qui non noverat peccatum, pro nobis peccatum fecit, ut nos éfficeremur Justitia DEI in ipso. Quasi diceret, DEus ex Justitiâ castigaturus peccatum, ex quamvis impeccabili Christi carne, statuam repræsentativam peccati formavit. Quod observans S. Ambr. *Apolog. in Davidem c. ult.* inquit; Christus peccatum factus est, quia aliàs non erant delenda peccata. Quare meritò gratias tibi Christe salvator, tuæ tibi agimus Creaturæ, quòd tam potentem adversarium nostrum peccatum, dum occideres, occidisti. Sis benedictus in æternum. Clamemus cum Ecclesiâ: Adoramus te Christe, & benedicimus tibi, quia per Crucem tuam redemisti mundum. Quid enim prius nostrâ humanâ naturâ miserabilius fuit, utpotè, quæ æternis adjudicata incendijs,

Christus velut statua peccati pro peccato punitur.

cendijs, aliud non quam fatalem interitus sui horam in momenta singula metuere debebat. Nunc verò aliter se res habent; Patri enim reconciliati sumus, mors destructa, & vita est reparata; cœlum denique reseratum nobis patet. Hæc una nostra debet esse consolatiò, & peccatorum nostrorum refugium, hæc una nostra sit exultatio & deliciæ nostræ, imò & omnis spei nostræ fundamentum, quia Christus Dominus pro nobis pati, & pro nobis mori voluit. Intelligo jam cur profusis in horto Gethsemanni precibus sanguineoque sudore effuso discipulos suos accesserit Salvator noster, & ut somnum ac quietem caperent hortatus sit, dicens: Dormite jam, & requiescite, *Mat. 26. v. 45.* Quasi diceret, nunc contentus sum, ut somno indulgeatis, & quietâ vobis frui liceat tranquillitate. At verò cur nunc, & non antea? ubi enim inimici imminere videntur, majori tunc vigiliâ opus esse, quis non credat? Cur ergo Christus subjunxit: Ecce appropinquavit hora, & filius hominis tradetur in manus peccatorum? Certè quando periculum adhuc longè erat, voluit eos vigilare, & orationi incumbere, & ideò etiam dormientes disertè increpat; at nunc ubi discrimen ante oculos est, quiescere illos jubet & dormire. Omnino inquit S. Hilarius. Prius enim laboraverat, ut Patris æterni mentem disponeret, ad ineundam cum hominibus pacem, & tunc dormiendi tempus non erat. Nunc verò cùm agoniam crudelem jam passus esset, & sanguineum sudorem abundanter sparsisset, passionis mortisque calicem hausturum se Patri æterno promisisset, statutumque ultimatè fuisset, ut pro humani generis salute mortem subiret, eos tutè jam dormire posse dixit, eò quòd securitas ac quies à Patre æterno homini restituenda esset. Quarè dormite jam inquit, & requiescite, solatium admittite, quia pax jam est conclusa, & salutis vestræ negotium ego jam peregi. Neque solùm pro bonis, sed pro omnibus nempe bonis & malis passus est Christus, dicente S. Paulo *2. ad Cor. 5. v. 15.* Pro omnibus mortuus est Christus. *Judic. 6. v. 17.* postquam Angelus promisit Gedeoni victoriam contra Madianitas, ille verò timeret, ne sibi illuderetur, conversus ad Angelum dixit, Domine, da mihi signum, quod tu sis, qui loqueris ad me. Et ecce stabat capra supra petram, quam Virga tangens Angelus, emisit ignem, qui in momento, devoravit holocaustum. Territus Gedeon audivit Pax tecum! ne timeas! Et Gedeon erexit altare Domino, quod vocavit Domini Pax. S. Isidorus explicans my-

sterium, Virgam dicit esse Crucem Christi, petram ipsum Christum, ignem charitatem Christi, capram verò esse peccata nostra. Quæ omnia in arâ Crucis per ardentissimam DEI charitatem consumpta sunt. Quibus absumptis statim homini pax insonuit, quia Christus in cruce Pacem cum Patre fecit, eique nos peccatores reconciliavit. Hinc etiam Apostolis suis post resurrectionem, suam pacem precatus, ijsdem ostendit vulnera sua, per quæ in Crucis arâ pacem cum Patre stabilivit. Propterea etiam *Joan. 20. v. 20.* Ostendit eis manus & latus. Et hinc subditur; Gavisi sunt ergò discipuli viso Domino. Additurque dixit ergo eis iterum, Pax vobis, ut scilicet doceret illos, hæc esse vulnera illa, quibus nobis pacem adeptus est. Unde gaudio plenus exclamat S. Joannes *1. Joan. 2. v. 2.* Ipse est propitiatio pro peccatis nostris, non pro nostris tantum, sed etiam pro totius mundi.

Hinc ingens fuit vesania Basilidis hæretici, qui putavit Simonem Cyrenæum loco Christi crucifixum, utpotè qui virtute suâ singulari oculos militum sic perstrinxit, ut Simonem Christum putantes, illum cruci affigerent. Fundant se, in illo *Joan. 10. v. 39.* Quærebant ergò eum apprehendere, & exivit de manibus eorum, ubi se invisibilem fecisse dicunt, & sic evasisse insidias Judæorum. Hanc vesaniam manifestè refutat S. Paulus *ad Philip. 2. v. 8.* Humiliavit semetipsum factus obediens, usque ad mortem, mortem autem Crucis. Ut propterea in ipso *Deuteron. c. 8. v. 66.* dicatur: Et erit vita tua pendens ante te. Hinc tot figuris præsignatus fuit in sacris literis, ut cœcus sit, qui non videat in monte Calvariæ Christum amore nostri Crucifixum. Quarè dum Christum in monte elevatum video, non æneum Moysis serpentem, sed vivum Christum conspicio, qui suâ morte in cruce, infernalem serpentem suffocavit. Video ego verum agnum paschalem flammis amoris in foco crucis assum. Conspicio ego botrum Cypri à vite Crucis, aut arbore vitæ pendulum. Intueor fortissimum Samsonem amplectentem columnam Crucis, quæ regnũ Sathanæ & portas inferni confregit. Video in monte orantem verum Moysem, cujus brachia ne concidant, clavis sunt affixa. Video fontem vitæ, qui in Cruce se dividit in quatuor fluvios paradysi, undè universa terra irrigatur. Video arborem in medio terræ plantatam, in monte Calvariæ rigatam sanguine filij DEI, cujus fructus non amplius mortem & maledictionem, sed vitam & salutem generat & pro-

Christus passus variis figuris præfiguratus.

producit. Non frustrà miramur, quoties in Genesi legimus, quod DEus ab Abraham petierit filium unigenitum Isaac in holocaustum sibi offerri. Obstupescimus, dum Pater in montem educit filium, dum lignis onerat, dum in loco holocausti super struem lignorum manus ligat, oculos velat; hæremus attoniti cum Isaac genua flectit, collum extendit, ictum expectat. Obrigescimus dum Pater ferrum stringit, & ensem vibrat. Omnis tamen hæc scena admirationis, in amabile gaudium commutatur, cùm adest Angelus, qui ferrum cohibet, Isaacum liberat, & loco illius arietem ostendit, qui pro Isaac immoletur. Si DEus hanc sustentationem non fecisset, sed simpliciter Abrahamo dixisset, vade cum filio tuo in montem, educite vobiscum arietem, hunc mactatum mihi in sacrificium offerte, tanta non fuisset admiratio, nec tam luculenta in Patre & filio enituisset virtus; nunc quia ad ultimum usque momentum seriò omnia acta sunt, miramur DEI misericordiam, qui sanguinem dilecti filij Isaac non voluit profusum. Et tamen quod mens humana refugit, non figuratè sed realiter hoc egit DEus, qui ut arietem hoc est peccatorem liberaret à morte, unigenitum filium suum in monte Calvariæ in arâ crucis voluit mactari & immolari. Humeris illius imposuit iniquitatem omniũ nostrûm; & qui peccatum non fecit, exclamat S. Hieronymus & immaculatus, pro nobis sacrilegis & æterno supplicio mancipatis tanquam atrocissimus reus judicio sistitur, atque pro salute nostrâ crucifigitur. Undè qui suâ voluntate factus est obediens usque ad mortem Crucis, hic vel ab ipsis Patriarchis, ad Crucem & mortem jam anteà fuit prædamnatus. Dixerat proindè Adam debet mori innocens JEsus, ut mihi & posteris restituat vitam, & quidem per lignum Crucis, cum ego per fructum arboris, me meosque occiderim. Dixerat Abel, licet innocens sit, tamen debet mori, etiam cum copiosâ effusione sanguinis, quia ego à Caino peremptus figura fui, & ideò à populo suo electo educi debet, ut ibi innocens licet crucifigatur. Dixerat Noë debet mori, & quidem totus nudus in Cruce, quia talis ego à filio meo fui irrisus. Dixerat innocentissimus Isaac debet mori, & crucem suam ipse bajulare, sicut enim ego humeris meis portare debui in montem necessaria ligna ad ignem holocausti; sic ille in montem efferre debet lignum Crucis, in quo immolabitur. Feret in capite Coronam spineam, cujus umbra fuit aries, quem pater meus Abraham extraxit ex spinis, & pro me DEO obtulit in holocaustum.

Isaac Christi pro nobis mortui figura.

Christus ab omnibus ad Crucem prædamnatur.

caustum. Dixerat Jacob mons in quo morietur, debet esse mons Calvariæ quia ego ibi vidi in somno super lapide mysticam scalam sanctissimæ Crucis, qua nobis aditum aperuit ad cœlum, illudque nobis reseravit. Dixerat Joseph debere suo exemplo priùs triginta argenteis vendi, & sic tradi à suo discipulo proditore Juda in manus Judæorum, quia etiam ego à fratribus meis proditus & venditus fui Ægyptijs pro viginti argenteis Ismaëliticis, qui juxta doctrinam Cornelij à Lapide aliorumque Doctorum, æquivalebant 30. argenteis Hebraicis. Mori ergo debuit JEsus, & quidem in Cruce, ut nos æternum vivamus.

Christus passione sua sufficienter nos redemit.

Ulterior autem nascitur quæstio, an Christus sacratissimâ passione suâ sufficienter nos redemerit? Respondet ad hanc quæstionem divinus Psalmographus *ps.129.v.7.* Quia apud Dominum misericordia & copiosa apud eum redemptio. Quod confirmat S. Joannes in *sua Epist. 1. c. 2. v. 2.* ipse est propitiatio pro peccatis nostris, non pro nostris tantum, sed etiam pro totius mundi. Undè humillimâ cordis sui significatione apud Joannem *in Apoc. c. 5. v. 9.* Viginti quatuor seniores procidentes coram agno cecinerunt: Redemisti nos DEO in sanguine tuo. Fuit ergo Christus causa principalis redemptionis nostræ, qui de condigno ob divinæ personæ æqualitatem æterno Patri satisfecit, adeoque utpotè DEus, qui unicâ guttâ divini sui sanguinis satisfacere potuisset, ex immensâ tamen in Patrem & nos charitate, voluit copiosè satisfacere, & ideò sanguinem suum usque ad ultimam guttam effudit. Unde inquit S. Leo. Vidit Joannes ante citatus in dextrâ sedentis super thronum, librum scriptum intus & foris signatum sigillis septem, & audivit angelum clamantem voce magnâ: Quis est dignus aperi e librum & solvere signacula ejus. Alijs alia sentientibus, pùtem ego per librum posse intelligi chirographum primi Parentis nostri, quo per peccatum commissum fassus est, se cum posteris reum esse æternæ damnationis. Quarè benè Origenes docet, quod quivis peccator dum peccat, scribat Chirographum, quo se obligat infinito debito. Sigilla hujus fatalis Chirographi sunt septem gravissima damna, ex peccato mortali provenientia, nempè offensa DEI, pœna damni, & sensus ignis æterni, necessitas moriendi, jugum diaboli, recessus à DEO, & è converso ad Creaturas conversio, denique concupiscentia. Hoc Chirographum divina justitia inclusit libro, decreti, quo statuit genus humanum æternis ignibus

bus punire, nisi sit qui librum aperiat, chirographum à nobis factum deleat, & pro infinito debito satisfaciat. Quis verò dignus est aperire librum & solvere signacula ejus? Respondet quæstioni S. Joannes. Nemo poterat neque in cœlo, neque in terrâ, neque subtus terram, aperire librum. Miseros nos! ergone inter tot millia cœlestiū spirituum, inter tot Seraphinos & Cherubinos nullus reperietur, qui librum reseret? Quarè meritò amarè flevit Joannes, & miseram sortem nostram deflevit. At sub ipso fletu adsunt viginti quatuor seniores, ex quorum numero unus solatur Joannem dicens: Ne fleveris! Ecce vicit Leo de tribu Juda radix David, aperire librum & solvere signacula ejus, Et vidit in medio throni agnum stantem, tanquam occisum, & venit, & accepit de dextrâ sedentis in throno librum, & cum aperuisset, quatuor animalia & viginti quatuor seniores ceciderunt coram agno, habentes singuli cytharas & phialas aureas plenas odoramentorum & cantabant canticum novum; Dignus es Domine accipere librum, & aperire signacula ejus, quoniam occisus es, & redemisti nos DEO in sanguine tuo. Tunc S. Joannes audivit vocem angelorum multorum in circuitu throni, & animalium & seniorum, dicentium: Dignus est qui occisus est accipere virtutem, & divinitatem, & sapientiam, & fortitudinem, & honorem, & gloriam, & benedictionem. Scilicet agnus & Leo mysterium redemptionis peregerunt. Non autem solus Leo, nec solus agnus. Leo symbolum est naturæ divinæ, agnus humanæ; Hæ duæ naturæ in unâ personâ conjunctæ fecerunt, quando verbum caro factum fuit, seu quando Filius DEI factus est homo, qui velut agnus in Cruce occidi, mori, & sanguinem fundere potuit. Hic enimverò solvit signacula, hic Chirographum auferens de medio, & affigens Cruci delevit illud cruore suo. Et hoc est quod S. Paulus *ad Coloss. 2. v. 14.* tam gravibus verbis affirmat: Delens quod adversus nos erat Chirographum decreti, quod erat contrarium nobis, & ipsum tulit de medio affigens illud Cruci. Propter quod tam instanter nos ad tanti beneficii gratam memoriam cohortatur S. Petrus *1. Pet. 1. v. 18.* Redempti estis pretioso sanguine agni immaculati Christi. Ut meritò cum Davide quæras *ps. 115. v. 12.* Quid retribuam Domino pro omnibus quæ retribuit mihi. Quæramus nunc cum S. Euthymio *Ep. 4. ad Severum.* Quid ergo illi pro malis quæ pertulit? quid pro bonis suis, quæ contulit referam? Quid pro susceptâ car-

Leo & agnus redemptionis mysterium peragunt.

ne, quid pro alapis, pro oppobrijs? quid pro flagellis, cruce, quid pro morte obitâ rependam? Respondeamus cum Davide citato, Calicem salutaris accipiam, id est, ex mente Hugonis Cardinalis Passionem Salvatoris imitabor. Vel si placet, S. Euthymium respondentem audiamus, Cum multa & magna beneficia à te acceperim, & respondere illis nequeam, quod valeo, id faciam, diligam te. Reddamus ergo amorem pro debito, charitatem pro munere. Audite S. Bona. *in stim. divini amoris.* O bone JEsu quid fecisti? quod me tantum amâsti? Dicamus cum S. Petro Martyre: Da mihi Domine mori pro te, qui mori voluisti pro me. Piè proindè monet S. Bernardus: Fudit Christus lachrymas, funde & tu, fudit sanguinem suum; funde & tu, per quotidianas corporis afflictiones; & si animam semel ponere pro Christo non potes, saltem mitiori & longiori martyrio pone. Modum ponendi docet S. Gregor. Naz. Si ad Herodem fueris deductus, nè verbum unum responde; silentium hoc tuum pluris facit, quàm prolixas aliorum orationes. Si flagello Cœsus fueris, an quæ supersint, require; fel gusta, aceto utere, sputa flagita alapas & colaphos accipe, spineâ coronâ, id est, piâ vitæ austeritate cingere; Coccinum indue, arundinem accipe, ab ijs qui tibi detrahunt. Denique simul in crucem suffigere, simul morere, simul & libenter inhumare, ut simul quoque revivíscas & gloriâ fruaris ac regnes. Neque enim frustrâ dixit S. August. Lignum illud ubi erant fixa membra morientis, etiam Cathedra fuit Magistri docentis. Unde audiendus est S. Cyrillus *Catech. 13.* Pro te JEsus tuus crucifixus est; & tu pro crucifixo non crucifigeris? Solicitum me reddit S. Ambr. *l. de Virg. c. 10.* qui exclamat *super illa verba ps. 29.* Quæ utilitas in sanguine meo, dum descendo in corruptionem. Venit Dominus JEsus, & suum pro nobis sanguinem obtulit. Bonus servus deberet pretium reparare Domino suo, & sanguinem reddere, sed si non potest reddere, vel hoc faciat, nè pretio videatur indignus. Ergo & tu dignum te redde tali pretio, ne veniat Christus, qui te mundavit, qui te redemit, & si te in peccato invenerit, dicat tibi, quæ utilitas in sanguine meo? Quid profui tibi? An non meritò queratur Christus illud Ecclesiastis *c. 2. v. 18.* Detestatus sum omnem industriam meam, quâ sub Sole studiosissimè laboravi, habiturus post me hæredem, quem ignoro an sapiens, an stultus futurus sit? Christus in Cruce pendens tam divitem nobis relinquens hæreditatem, clarè vidit quàm paucos

Patientia est verum martyrium.

Redemptionis pretio nos dignos reddamus.

paucos habiturus esset hæredes, è contra quantos dilapidatores. Justè proindè lamentatur S. Ambr. *in Luc. c. 27.* pro Judâ perijsse beneficium redemptionis. Unde explicans illa verba *Luc. 22.* Osculo filium hominis tradis inquit: Amice! sed ingrate; propter te suscepi, quod tradis. Tremenda est S. Bern. sententia *in fer. 4. hebdomadæ sacræ.* Exquiritur à me sanguis justus, qui effusus est super terram, nec immunis ero, ab illo tam singulari scelere Judæorum, quod videlicet tantæ charitati ingratus fuerim, quod spiritui gratiæ contumeliam fecerim, quod sanguinem testamenti pollutum duxerim, quod conculcaverim filium DEI. Absit hoc à nobis, quin potiùs proni in terram prostrati crucem Domini adoremus.

An verò Sacrosancta Christi Crux sit honoranda disputant hæretici, abominantur Protestantes. *Paræus certè in cap. 1. ad Rom. dub. 18.* inquit Idololatræ sunt inter Christianos omnes illi, qui imaginem Christi Crucifixi in templis ad repræsentandum Christum, & docendum rudiores de Christo tuentur. Sed ô! bardum hominem, qui cultum, quo Crucem Domini adoramus vocat idololatriam, cum tamen Christus ipse Crucem suam sic honoraverit, ut in eâ mori dignatus sit. Audiamus Joannem Gersonem *tract. 8. in Magnif. p. 2.* Nihil habet lignum Crucis divinitatis, etiam in quâ pependit Dominus, sed in cruce tanquam in signo surgit fides nostra, ad Dominum nostrum JEsum Christum DEum verum, qui salutem nostram operatus est in eâ. Sic de imaginum veneratione vetus habet Doctorum determinatio. Sic enim per figuram signum accipitur pro signato, & nomen pro nominato, imago pro imaginato. Meritò proindè exclamat S. Paulus *ad Gal. 6. v. 14.* Mihi absit gloriari nisi in Cruce Domini nostri JEsu Christi. Et quid ni glorietur S. Apostolus, quandò vel ipse S. Ambros. Helenam Constantini Matrem his verbis laudavit. Sapienter enim inquit *in Theodos.* Helena egit, quæ crucem in capita Regum levavit, ut Crux Christi in Regibus adoretur. Invadunt tamen Calvinistæ Crucem & S. Paulo bellum indicunt, qui in Cruce Christi gloriatur. Licet enim aliqui ex illis, verba Pauli ad totam Christi passionem detorquere velint; S. Aug. tamen *tract. 36. in Joan.* clarè ad Crucem & ejus imaginem applicat. Mori inquit voluit pro nobis, parùm dicimus, Crucifigi dignatus est, usque ad mortem Crucis obediens factus. Elegit extremum & pessimum mortis genus, qui omnem ablaturus fuerat mortem. De morte pessimâ recidit

Crux Christi est honoranda.

omnem mortem, pessima enim erat non intelligentibus Judæis, nam à DEO electa erat. Ipsam enim Crucem suam, signum habiturus erat, ipsam Crucem de diabolo superato tanquam trophæum in frontibus fidelium, ut diceret Apostolus: Mihi autem absit gloriari nisi in Cruce Domini nostri JESu Christi. Nihil erat tunc in carne intolerabilius, nihil est nunc in fronte gloriosius. Concludit S. Pater, Quid servat fideli suo, qui talem honorem dedit supplicio suo? Denique modò in pænis reorum non est apud Romanos, ubi enim Domini crux honorata est, putatum est, quod & reus honoraretur, si crucifigeretur. Quæ de verâ & reali cruce dicta esse ostendit dum subdit: Christus cum de die judicij locutus est, non passionis, sed realis Crucis meminit, cum dixit *Mat. 24. v. 30.* Tunc apparebit signum filij hominis in cœlo. Quare si quærat Calvinista quidam, cur crux adoretur, non verò asina, cùm æque contactum habuerit membrorum Christi? Respondeo, quod causa latriæ non sit contactus. Et hinc crux vi solius contactus non adoratur. Sed quia fuit primarium & ultimatum instrumentum Redemptionis humanæ, & Passionem Christi complevit. Hinc Beata Virgo quamvis novem mensibus in utero suo Christum gestaverit, tamen cultu latriæ non colitur, quia non fuit ultimum nostræ Redemptionis instrumentum, sicut Crux ipsa, cui immortuus est, & in hac redemptionem nostram complevit. Hanc enimverò Christus ipse sic honoravit, ut eam trecentis annis sub terrâ servaverit incorruptam. Post hos Helenam Augustam excitavit, ad Crucem sacram inquirendam, quam etiam repertam multis miraculis illustravit. Quibus permota pia Mater Ecclesia, ut Sanctissimæ Crucis honor in toto orbe esset celebrior, jam olim inventæ, etiam exaltatæ festum celebravit. Pulchrè Venerabilis Beda *l. de Temp. Salom. c. 19.* Si enim licebat serpentem exaltari æneum in lege, quem respicientes filij Israël viverent, cur non licet Exaltationem Domini Salvatoris in cruce, quâ mortem vicit, ad memoriam fidelibus depingendo reduci, vel alia ejus miracula & sanationes, quibus de eodem mortis authore triumphavit; cum horum aspectus sæpè multum compunctionis soleat præstare contuentibus, & eis quoque qui literas ignorant, quasi vivæ historiæ Dominicæ pandere lectionem, nam pictura viva scriptura vocatur. Quod de ipsâ Sacrâ Cruce tanto magis dici debet, quantò res ipsa umbrâ sua est excellentior. Hinc primi Christiani aliquam illius particulam nacti, eandem auro & gem-

Crux adoratur quia est ultimatum instrumentum Redemptionis humanæ.

mis

mis includebant, & de collo, honorificentissimè gestabant, magnique muneris loco sibi invicem mittebant. Quis nescit Chosroem Persarum Regem, lignum sanctæ Crucis, reposuisse in locum Regalis throni sui. Quis ignorat Heraclium Imperatorem inter primas pacis condiciones posuisse restitutionem Crucis sacræ? Quare ergo & nos eandem magnifaciamus? cur non amaremus? cum per eandem cœli hæredes facti simus. Duplex est in jure modus instituendi hæredem, condicionatus unus, alter absolutus. Dum ergò S. Paulus *ad Rom. 8. v. 17.* Nos dicit Hæredes quidem DEI, cohæredes autem Christi, conditionem apponit, si tamen compatimur, ut & conglorificemur. Institutionem ostendit esse condicionatam, non absolutam. Quarè S. Chrysostomus *in ps. 5. asserit*: Non reliquit nobis Christus hæreditatem purè sed sub condicione. Quæ verò alia est illa condicio, quam quæ à Paulo dicta est? si tamen compatimur. Nisi fortè velimus illam, quam Christus ipse posuit *Mat. 10. v. 38.* Qui non accipit Crucem, & sequitur me, non est me dignus. Sed notandum est diversas esse Cruces, quas alij cum Canonistis dividunt, juxta rationes filiorum, quorum alij sunt legitimi, alii naturales, denique alii spurij. Legitimi sunt, qui ex matrimonio vero & legitimo nati, hæredes postmodum sunt bonorum omnium. Naturales filij à Solutis generantur, & his à Lege pars quinta hæreditatis conceditur, Spurij ex adulterio cum injuriâ tertij nati, hæreditate paternâ privantur. Sic pro cœlo toleratæ Cruces sunt pariter Legitimæ, naturales & Spuriæ. Legitimæ sunt omnes quæ à nobis spontè assumuntur, & quas DEus, quasi Pater ingenerandò desiderium illius, & voluntas quasi Mater, dum singulari affectu illis afficitur, quasi parit. Et hi cœli hæredes digni sunt jureque speciali, cœlesti hæreditate gaudent. Aliæ Cruces ultrò quidem quæsitæ non sunt, oblatæ tamen à nobis cum patientiâ tolerantur, quales sunt infirmitates, infortunia, calumniæ &c. Et his magna pars cœlestis hæreditatis conceditur. Spuriæ tandem Cruces sunt, quas cum tristitiâ & murmure, imò etiam cum blasphemijs sæpè contra DEum, ejusque providentiam reluctantes toleramus. quæ sic impatienter toleratæ fructum nullum afferunt, & sæpè ipsâ cœlesti privant hæreditate. Tales ego cruces in monte Calvariæ reperio, dum Cruces à S. Helena repertas considero. Prima enim est legitima Christi, quæ ultrò quæsita, & à Christo ardenter concupita fuit. Audite Christum apud S. Lucam *c. 22. v. 15.*

Crucis reliquiæ primis Christianis erant venerationi.

Hæredes cœli sumus conditionatè.

Crux dividitur in Legitimam naturalem & Spuriam.

P 3 Desi-

Desiderio desideravi hoc pascha manducare vobiscum. Et hæc Crux Christum fecit hæredem universalem, dicente S. Paulo *ad Phil.2. v.9.* Propter quod & DEus exaltavit illum, & dedit illi nomen, quod est super omne nomen. Secunda Crux boni latronis est, & hæc naturalis fuit, hanc ille non desideravit, à DEO tamen immissam patienter tulit. Dixit enim, nam digna factis recipimus, hinc participatam accepit hæreditatem; ita enim Christus respondit: Hodie mecum eris in paradyso Tertia crux mali Latronis fuit, qui dictus Chimas in Cruce suâ blasphemavit Christum dicens: Si tu es Christus salvum fac temetipsum, & nos. Benè omninò Paulus Palatius ait, crucem in cœlo electis plantatam esse, ut sciamus, crucem reditum ad cœlum nobis aperire, & cœlum cruci deberi. Cruces argenteæ vel aureæ quò graviores & ponderosiores sunt, eò sunt apud homines magis pretiosæ. Cruces pro Christo toleratæ, quo graviores fuerint, hoc sunt apud DEum magis pretiosæ. Refert Stengelius *Jud. divin. Tom.2. c.30. n.4.* fuisse per quendam venales in theatro expositas Cruces varias, quibus majores semper & graviores videbatur producere, habebant hæ Cruces in latere obverso inscripta nomina, morbus, filius protervus, paupertas &c. omnium expectatio erat, quid maxima prætenderet? & eccè dum obvertit, inscriptio patuit, Mala Uxor. Certè S. Paulus ubi varias cruces recensuit dicens: alij distenti sunt, alij ludibria & verbera passi, insuper & vincula & carceres, lapidati sunt, secti sunt, tentati sunt, in occisione gladij, mortui sunt, circuierunt in melotis, in pellibus caprinis, egentes, angustiati, afflicti; tandem concludit: Quibus dignus non erat mundus. Quasi diceret, pretium illis non nisi à plagis accrescere quemadmodum nummis, qui ut valorem capiant, à tunsione & pressurâ pretium conquirunt. Est enim homo imago DEI, inquit S. Aug. *tract. 40. in Joan.* qui utinam signaculum Crucis, & non pecudis aut dæmonis sæpius præseferret. Quod S. Ambr. *l.1. Offic. c.49.* execratur. Ejice de numismate animæ tuæ imaginem diaboli, & attolle imaginem Christi. Quia vult inquit Theodoretus *in Cant. c.8.* Salvator noster, ut eum pro signaculo in contemplationibus & actionibus nostris habeamus, & notam Crucis ipsius in omnibus tum dictis tum factis exprimamus. Sic enim erimus ut numismata regia, non adulterina, ipsamque imaginem regiam referemus. In dictis ergo notam Crucis imprimimus, quoties injurioso verbo lene reponimus; quoties injurias silentio premimus,

Uxor mala, crux gravissima.

premimus, nec retorquemus. Factis notam Crucis impones, si mortificationem Christi cum Apostolo, in corpore nostro ubique circumportemus. Quisquis Crucis signo caret, non Christi sed diaboli nummus est. Sic enim S. Ignatius *Epist. ad Magnesianos.* Homo pius numisma à DEO cusum; impius numisma ementitum & adulterinum est carens signo debito nempè Crucis. Quarè pulchrè S. August. *tract. 40. in Joan.* Nummus Cæsaris est argentum habens imaginem Cæsaris. Nummus DEI, est homo habens imaginem DEI, & quidem Crucifixi. Amemus & veneremur hanc Crucem, quia in hac, & per hanc redempti sumus. Faciamus quod faciunt sancti Angeli, qui hanc adoraverunt & reveriti sunt. Sic enim S. Paulus ad *Hebr. 1. v. 6.* Et cùm iterum introducit primogenitum in orbem terræ, dixit: adorent eum omnes angeli DEI. Ubi benè expendi debet hoc verbum *iterum*, & *Omnes.* Quomodo enim iterum introductus est, qui semel tantum est incarnatus? Cornelius à Lapide declarat & explicat hanc quæstionem sic: Christus futurus homo & in carne nasciturus, primo angelis in eorum creatione propositus fuit, & tunc à DEO jussi sunt angeli adorare Christum per fidem, quià verò in hac introductione primâ, Lucifer recusavit Christum adorare, à DEO rejectus est, & in infernum de cœlo præcipipitatus. Ubi verò deindè Christus realiter naturam humanam assumpsit, nemine angelorum excepto, etiam, malorum seu dæmonum debuit adorari, dicente S. Paulo *ad Phil. 2. v. 10.* In nomine JEsu omne genuflectatur cœlestium, terrestrium, & inferorum. Cur hoc? audi *Glossam inter linearem.* Adorent eum inquit, omnes Angeli DEI; qui passus est & mortuus. Et hinc etiam hanc causam formalem dedit S. Paulus anteà *vers. 8. & 9.* ubi cum dixisset, humiliavit semetipsum factus obediens usque ad mortem, mortem autem Crucis, subjungit, propter quod & DEus exaltavit illum, & dedit illi nomen, quod est super omne nomen. Non miror ergo jam S. Augustini gravissimum dictum, dum inquit: Qui DEum non amat, ob tormenta, quæ pro homine passus est, meretur, ut novus creetur infernus. Et meritò; fundatur enim hoc S. Augustini dictum in illo *Levit 23. v. 29.* Anima, quæ in hac nocte afflicta non fuerit, peribit de populis suis. Quomodo enim fieri potest, ut homo tam acerbæ passionis memoriam recolat, & non intimè Christo Salvatori suo

Qui Christum Crucifixum non amat novum creetur infernum.

compa-

Cor in exenterato religioso ad pedes Crucifixi reperitur.

compatiatur. Obijt non ita pridem Romæ Vir Religiosus sacratissimæ Cruci Christi singulariter addictus, ubi post mortem corpus illius exenteratum fuit, nullum in eo cor reperiebatur. Dum unus ex circumstantibus curiosius circumspicit, advertit illud in Oratorio ad pedes Christi Crucifixi jacere. O felix Cordis requies, quæ sub pedibus Christi Crucifixi requiescit.



CAPUT OCTAVUM

PUNCTUM I.

Quod necessitate præcepti credi debet.

DISCURSUS IX.

De Signo sanctæ Crucis.

S. Blandina gloriatur in nomine Christiani.

DE S. Blandinâ refert author vitæ, quòd inter atrocissima tormenta, ab illa crudeles Tortores aliud exprimere non potuerint, quàm gloriosam hanc confessionem, quòd sit Christiana, adeò ut cùm Carnifices in tormentis inferendis deficerent, novus vigor accesserit gloriosæ martyri, quoties se Christianam confessa est, & sacrâ Cruce munivit. Porro hujus confessionis præcipuum habemus argumentum, quòd cruce Christi insigniti præferamus in fronte, quod in corde profitemur. Audite S. Aug. *tract. 3. in Joan.* Homines sumus Christiani, utique ipso nomine ad Christum pertinentes. Hujus signum in fronte gestamus, de quo non erubescimus, si & in corde gestamus. Signum ejus est, humilitas ejus. Per stellam eum Magi cognoverunt, & erat hoc signum de Domino datum cœleste atque præclarum. Noluit tamen stellam esse in fronte fidelium signum suum, sed crucem suam. Unde humiliatus inde glorificatus est. Quod ipsum fatetur. Anselmus Cantuariensis Episco-

Crux Christi in fronte fidelium.

Episcopus *in c. 10. Epist. ad Rom.* Non sine causâ signum suum Christus in fronte nobis figi voluit, tanquam in sede pudoris, ne Christi opprobria Christianus erubescat. Deindè verò *in c. 6. ad Gal.* Pulchrè differentiam novæ legis ab antiquâ veteris Testamenti assignat dicens. Signum veteris Testamenti est Circumcisio in latente carne, signum novi Testamenti est Crux in liberâ fronte. Ibi enim est occultatio, hic revelatio. Illud est sub velamine, hoc in facie: Quarè cum quis indè transierit ad Christum, auferatur ei velamen, & qui habebat in occulto circumcisionem, in fronte portet crucem. Hinc S. Aug. *conc. 3. in ps. 30.* ubi in sede pudoris id est fronte crucem fixam ideo dixit, ne opprobria Christi erubescat Christianus, concludit. Hoc ergò in conspectu hominum si feceris, si indè coram hominibus non erubueris, si in conspectu filiorum hominum, nec ore, nec factis Christum negaveris, spera tibi perfici dulcedinem DEI. Quam dulcedinem fuse explicat S. Joannes Damasc. *l. 4. de fide orthod. c. 12.* dum inquit: Hæc crux nobis signum datum est super frontem, quemadmodum Israëli circumcisio, per ipsam enim fideles ab infidelibus & distamus, & discernimur. Ipsa est scutum & arma, & trophæum adversus diabolum. Ipsa est signaculum, ut non tangat nos exterminator; ipsa jacentium erectio, stantium firmamentum, baculus debilium, pastorum virga, convertentium manuductio, proficientium perfectio, Salus animæ & corporis, omnium bonorum causa, peccati destructio arbor resurrectionis, lignum vitæ æternæ. Quarè benè Rabanus *l. 1. de instit. Cleric. c. 27.* Signatur homo, sanctæ Crucis signaculo, tam in fronte, quam in corde, ut ipse apostata diabolus in vase suo pristino, suæ interemptionis cognosceret signum, jam sibi deinceps sciat, illud esse alienum. Non miror jam S. Rochum, dum ex utero materno egrederetur, per totum corpus Cruce rubrâ fuisse insignitum quem DEus jam tunc, voluit subduci potestati hostis infernalis. Et ideò S. Chrysostomus *hom. 55. in Mat. super illa verba 1. ad Cor. 7. v. 23.* Pretio empti estis, nolite fieri servi hominum. Considera inquit pretium, quod pro te persolutum est, & nullius hominis servus eris. Pretium autem hic Crucem appellavit, quam non simpliciter digito in corpore, sed magnâ profectò fide in mente formare oportet. Nam si hoc modo eam impresseris nullus scelestorum dæmonum cùm hastam videat, quâ lethale vulnus suscepit, congredi tecum audebit. Nam si, cùm

S. Rochus natus cruce rubra toto corpore insignitur.

solùmmodò loca, in quibus capitis damnati pœnas persolvunt, videmus, ingenti horrore concutimur, quid passurum putes diabolum, si mucronem tenere te viderit, quo vires ejus Christus dissolvit, & quo caput Draconis magno ictu rotavit. Noli ergò tanto de bono verecundari, ne quando in suâ Majestate veniet Christus, de te verecundetur. Tunc enim signũ hoc super radios solis coruscans, videbis ante Christum; præcedet enim tunc crux, magnam vocem emittens, & ad universos homines pro Domino respondens atque ostendens, nihil ex parte Domini defuisse. Hoc signum & priscis & nostris temporibus clausas januas reseravit, hoc venenorum vires extinxit, hoc feroces bestias repressit, hoc ferales serpentum morsus curavit. Etenim si portas inferni perfregit, si cœlorum ostia reclusit, si diaboli nervos incidit, quid mirum est si pestifera venena, atroces bestias aliaque hujusmodi superavit. Et vero hanc victoriam, non solùm contra hostes visibiles, sed etiam invisibiles promittit S. Cyrillus Hierosol. *in catech. 13* Accipe arma contra adversarios hujus crucis. Trophæum statuas fidem crucis adversus contradicentes. Cùm enim de Domino cruceque tibi quæstio erit, prius statuas manu tuâ signum, & obmutescet contradicens. Non pudeat crucem Christi confiteri, Angeli enim gloriantur dicentes. JEsum quæritis crucifixum. Non potuisti dicere ô angele? quem quæritis scio, meũ Dominum. Sed confidenter, scio quòd Crucifixum. Corona enim est Crux, & non ignominia. Et paulò post. Non pudeat igitur nos crucifixum confiteri, sed in fronte confidenter crucis signaculum imprimatur digitis, & in alijs omnibus crux fiat. In panibus commedendis, & in poculis bibendis, & in egressu, & in ingressu, ante somnum recumbendo & surgendo, eundo & quiescendo. Ostenta illud audacter, quando enim viderint Crucem recordantur Crucifixi, metuunt eum, qui contrivit capita Draconis. Hoc consilium S. Cyrilli secuta est Eggytha filia Edgari Anglorum Regis, quæ non tantùm in orationis principio vel fine, sed quâvis penè actione se Cruce munivit; quod ubi vidit S. Dunstanus, benè precatus Virginis pollici dixit: Hic digitus in æternum non computrescat. Exaudivit DEus tam piam apprecationem, & licèt Eggytha mortua fuerit, nunquàm tamen pollex dexter computrescente licèt corpore reliquo, computruit. Unde tam instanter Tertullianus qui Sanctis Apostolis penè compar vixit, & pium hunc Crucis usum ab ijsdem accepit, *in lib. de*

Crucis signum sæpius fiat.

Eggytha filia Regis Cruce se sæpè signat & digitus non putrescit.

de corona mili c. 3. de suo tempore fatetur. Ad omnem progressum atque promotum, ad omnem aditum & exitum, ad vestitum & calceatum, ad lavacra, ad mensas, ad lumina, & cubilia, ad sedilia, quæcunque nos conversatio exercet, frontem crucis signaculo terimus. Harum & aliarum disciplinarum, si legem expostules scripturarum (benè hoc notent hæretici) nullam invenies. Traditio tibi prætenditur auctrix, consuetudo confirmatrix & fides observatrix. S. Martialis verò, qui Christum in Cruce pendentem suis oculis vidit, hic *in Ep. sua ad Burdegalenses c. 7. & 8.* inquit DEI filium semper in mente, in ore, in signo habete. Hinc *S. Hier. Ep. 22. ad Eustocch.* Sanctam hanc Virginem instanter admonet, ut ad omnem actum & incessum, manus crucem pingat. Quod ferè paribus verbis à nobis postulat S. Ambr. *serm. 43.* Debemus inquit omne diei opus in signo facere Salvatoris. Ut propterea S. Chrysostomus *tom. 5. in demonstrat: adversus Gentiles* dixerit: Crux diadematibus & coronis symbolum clarius factum est. Neque enim sic regiâ coronâ ornatur caput, ut cruce, quæ omni cultu dignior, & quam omnes prius abhorrebant, ejus figuram tantoperè quærunt, atque adeò ubique invenitur, apud Principes, apud subditos, apud mulieres, apud viros, apud virgines, apud nuptas, apud servos, apud liberos. Subindè omnes eâ se signant, inscribendo in nobilissimum membrum nostrum. In fronte enim nostrâ, quasi in columnâ quotidie figuratur. Et paulò post Hanc ubique celebrari videre licet, in domibus, in foro, in solitudine, in vijs, in montibus, in collibus, in vallibus, in mari, in navigijs, in insulis, in vestibus, in armis, in lectis, in thalamis, in symposijs, in vasis argenteis, in aureis, in margaritis, in murorum picturis, in corporibus brutis malè affectis, in corporibus à dæmonijs obsessis, in bellis, in pace, in diebus, in noctibus, in delicatorum choreis, in monachorum Ordinibus, adeò certatim donum hoc mirabile, rapiunt omnes. Mira est hæc gratia, nullus confunditur, nullus erubescit, cogitans, quòd maledictæ mortis symbolum fuerit, sed omnes ipso magis ornantur, quàm diadematum coronis, vel multis gemmatis monilibus & torquibus. Et non solùm non fugitur, sed & desideratur, & amatur, & omnes de eâ soliciti sunt; & ubique fulget; & sparsa est in parietibus, in vicis, in locis quæ habitantur, & non habitantur. Hinc veteres sanctam Crucem in omnibus locis honoris causa, sculpi, pingi, vel alio modo fabricari curarunt, uti testatur S. Ephrem *l. de*

Crux ubique venerationi exponitur.

verâ pœnit. c. 3. Pingamus in januis, atque in frontibus nostris, & in ore & in pectore, & in membris omnibus vivificum signum. Armemur hac Christianorum armaturâ. Cui assentitur Ruffinus *l. 2. c. 29.* Et S. Chrysostomus *orat. quod Christus sit DEus.* dum dicit Crucis figuram in omnibus locis depingi solitum, in Urbibus, in Domibus, in cubiculis, in vasis, in solitudine, in montibus. Deindè verò lege publicâ decretum fuit. *Novel. 5. c. 1.* ut in venerabilibus locis ad adorandum, & verè honorandum reponeretur. Hanc eandem ob causam turribus & fastigijs Ecclesiarum Crucem imposuerunt veteres. Quod S. Hieronym. *in c. 1. in Sophon.* & Sigebertus *in hist. sua* fatentur, ipsæque vetustæ adhuc nostro tempore Ecclesiæ ostendunt. Sic pariter per illius erectionem loca profana DEO dicabantur, & Ecclesiæ juxta rubricas Pontificalis, etiam hodie DEO dedicantur. Adeòque *Novel. 67. c. 1.* neque Ecclesiam antequam Civitatis DEO amabilis Episcopus orationem in loco faceret, & crucem figeret, erigere licebat. Privatis vero in ædibus, eam religiosè asservabant Christiani, quemadmodum testatur Ruffinus *l. 2. hist. c. 29. & 30.* Die verò parasceves quod etiam modo in Ecclesiâ observatur, adoranda proponebatur populo, & deindè in cœnotaphio pretioso, vel sub terram in sepulchri Christi memoriam inter copiosa luminaria abscondebatur. Sic enim Rabanus *l. 2. c. 37. de instit. Clerici.* Die parasceves à Pontifice & Clero, & ab omni populo species S. Crucis salutatur, quia passio Redemptoris à fidelibus, in horâ redemptionis suâ dignâ recolitur laude. S: Greg. Turon. *l. 1. de mirac. SS. MM.* In supplicationibus populo prælatam Crucem affirmat, eâque prælatâ excipiebant Episcopos, Imperatores & Reges. Hinc Socrates *l. 6. hist. c. 8.* testatur quod S. Chrysostomus in supplicationibus argenteas Cruces cum ardentibus facibus præferri jusserit; sic ut planè in jus publicum transierit per *novel. 123. c. 32.* Ubi dicitur facere Lytanias sine Clericis interdicimus, quæ sine orationibus & Cruce fieri non debent. Nos etiam in funeribus præferimus, quia hac cruce contestamur, defunctum fuisse Christianum, qui in eum credidit, quem amore nostri in cruce mortuum esse confitemur, moneanturque vivi, ut si benè mori velint, sequantur Christum Crucifixum.

Cruces in turribus & tectis Ecclesiarum.

Crux in Processionibus præferebatur.

Euthymius *p. 2. panopl. Tit. 20.* & cum eo Baronius ad annum Christi 395. Defunctorum sepulchris cruces apponi consuetum

fuisse

fuisse memorat. Quod confirmat Robertus de Monte qui scribit *in supplemento Chron. Sigeberti* anno Christi 1181. Sultani matrem morti proximam rogasse filium, ut sibi Christianæ clam crucem in apice pyramidis sepulchralis curaret. Postridiè Agareni id videntes, in rabiem acti crucem deturbare conati sunt. Primus qui irruit, mortuus concidit, tertiâ die pluribus millibus eò convenientibus, fulgura & fulmina de cœlo missa cōplura millia mactarunt. Non minus mirabile est illud, quod de S. Patritio referunt historiæ. Hic cum in campo invenisset sepulchra duo, & inter illa recenter effossa Simulachrum S. Crucis, de curru quo vehebatur, clamavit: Quis est sepultus hic? Respondit vox de tumulo; Ego sum gentilis homo & paganus; Instat vir sanctus; Cur ergò tibi crux apposita est? reposuit: Sepulchro meo per errorem infixa est, juxtà me enim jacet sepultus homo Christianus, cujus tumulo debet apponi. Quo audito, statim S. Patritius de curru descendit, & Crucis Christique militi, suam Crucem restituit. Quantò ergò magis pia Ecclesiæ est praxis, ut moribundis crux hæc porrigatur osculanda, quâ armati in agone periculosissimo, cum hoste securi congrediantur. Et hanc sanctam consuetudinem, jam tempore S. Augustini consuetam fuisse *l. 2. de Visit. infirm. c. 3.* habetur. Et meritò planè, quia S. Bonav. *Dom. 8. post Pentec. serm. 2.* prædictam à Christo Solymæ vastationem applicat ad moribundum hominem. Circumdatur inquit misella hominis anima, inimicà hostium malignitate, qui plus animam, quam canes feram persequuntur. Coangustatur in corpore mortis infirmitate, judicis severitate, dæmonis crudelitate, adeoque undique, quia subtus & supra, intus & exterius angustiatur. Pari planè sensu loquitur S. Ephrem Syrus *serm. in eos, qui in Christo obdormiunt.* Magnum inquit & occultum est mortis arcanum, & nullus enarrare illud potest. Horrenda & formidabilia sunt, quæ tunc anima subibit. Sed nemo nostrum ea novit, nisi soli illi, qui illuc permearunt. Non vides inquit apud Fratres morientes quibus assidemus, quam mirabilia tunc illis accidere cernantur. Non aspicis eos sudoribus frigidos instar messorum in agro? quomodo oculos huc illuc retorqueant? quomodo alij dentibus strideant, quomodo obstupescant, expavescant, tumultuarieque agunt, & quo pacto etiam multi capillos suos evellant? quo pacto ex lecto exiliant, fugere volentes licet nequeant, & nemo est qui liberet. Unde benè S. Vincentius Ferrer. *serm. in octav.*

Cruces sepulchris apponuntur.

Agareni crucem evertere volentes puniuntur.

S. Patritius Christiani sepulchro Crucem restituit.

Crux moribundis porrigitur.

Homo moriens quasi obsessa Hierosolyma.

Corp. Christ. Magnam inquit difficultatē habet anima in exitu de corpore, ubi veniunt dæmones, eam expectantes. Quid agat ergo misera anima? Quo fugiat? nisi ad arma quibus se contra tam potentes hostes tuetur. Crux Christi scutum est, & certum adversus diabolum trophæum. Quarè hoc Crucis trophæum vult Origenes in frontibus nostris signari. Sic enim nos hortatur. *Hom. 8. in diversa Evangelij loca.* Immortale vexillum portemus in frontibus nostris, quod cum dæmones viderint contremiscent. Voluit hoc ipsum S. Ambr. *in ps. 17. super illa verba: Benedictus Dominus DEus, qui docet manus meas ad prælium, & digitos meos ad bellum.* Si inquit insurget bellum adversus nos, armemus digitis frontem signo Crucis. Et confirmat S. Chrysostomus *serm. de Cruce.* Si Crucem infixeris vultui tuo, nullus dæmonum propè te stare poterit, videns arma, quibus Christus caput suum abscidit. Benè namque Euthymius *in ps. 5.* Tu Domine munivisti nos valdè, & circumdedisti cruce tuâ, quæ est scutum bonæ voluntatis. Ut propterea S. Ephrem Syrus *l. de pœnit.* exclamet. Hoc signo conspecto adversariæ potestates contritæ trementesque recedunt. Quid timent dæmones? quærit Origens *hom. 6. in Exodum.* Quid tremunt? sine dubio Crucem Christi in quâ triumphati, in quâ exuti sunt principatus eorum. Quare S. Hier. *in ps. 85.* rogat, fac mecum signum in bonum, ut videant qui oderunt me, & confundantur. Muniar Crucis tuæ signo, quod videntes potestates adversæ fugiant confusæ & discedant. Et ideo S. Martialis *in Ep. suâ ad Burdegalenses* dixit: Crux Domini armatura vestra est contra Sathanam, & statim subdit. Est galea custodiens caput, lorica protegens pectus, clypeus tela maligni repellens, gladius iniquitatem & inimici insidias propinquare nullo modo sinens. Ut propterea S. Chrysostomus *hom. 13. in Ep. ad Philipp.* dixerit Magnum bonum est crux, salutaris armatura, clypeus minimè pervius sed reluctans diabolo. Cum hoc igitur si bellum geras, tunc gesta Crucem. Secutus est hoc consilium S. Chrysostomi Sodalis ille, de quo P. Lechner *in Sodal. Parthen. l. 3. c. 10.* Qui moriens sibi Crucifixum dari postulavit, & tempus extremi certaminis adesse dixit, Sodales ne se deserant rogavit, sæpius interim ingeminabat hæc verba: Credo! Repentè etiam exclamavit, Non est ita; mentiris; Et Crucifixum velut scutum opponens dæmoni, se in omnem partem tuitus est. Tandem sedatâ quasi pugnâ; quam bonum est inquit

Origenes hom. 8. in diversa.

Crux in fronte formanda.

Sodalis moriens Cruce se munit.

inquit Mariæ in ejus sodalitio famulari. Quam artem pugnandi contra dæmones tenuit Maria de Victoriâ quæ in extremo morbo, ut oculis illius semper Crux obversaretur, ex utraque parte lecluli crucem defigi curavit, sic, ut quocunque se verteret, illam intueri posset. Ex quo factum, ut Dæmon ad limen quidem cubiculi conspectus fuerit, ingredi tamen ausus non sit, neque eam tentare præsumpserit. Porrò crux hæc non tantum Sanctis, sed etiam imperfectis sæpè scutum fuit inexpugnabile in mortis confinio. Refert enim S. Greg. *in dial. l. 4. c. 27.* Adolescentem Theodorum in cœnobio licentiosè vixisse. Hic morti proximus religiosos circumstantes allocutus dixit. Recedite! Ecce Draconi ad devorandum datus sum. Monuit ergo S. Greg. ut se signo Crucis muniret. Negavit se id facere posse, eò quod à Dracone sit oppressus. Paulo post exclamavit: Ecce Draco qui me devoraturus advenerat, fugit, isque precibus vestris & virtute S. Crucis expulsus est. Virtutem S. Crucis agnoscens Laurentius Justin. *serm. de exaltat. S. Crucis* exclamat: O bona Crux! fugantur per te Dæmones liberantur ægroti, mortui ad vitam revocantur, fides augetur, pusillanimitas propulsatur, roboratur virtus, spes utcunque collapsa erigitur. Causam hujus dat S. Hier. *in ps. 43.* Christus quidem Crucifixus erat in carne, sed verè crucifigebat ibi dæmones, ubi Christo crux non fuit crux, sed triumphus, diabolo verò patibulum. Similem sensum elicit S. Leo *serm. de pass. super verba illa: Isa. 9. factus est principatus super humerum ejus*, dum dicit. Ut impleretur quod Propheta Isaias viderat, dicens: Ecce natus est puer, cujus imperium super humerum ejus. Cum ergo Dominus lignum portaret Crucis, quod in sceptrum sibi converterat potestatis, manifestabatur fidelibus grande mysterium, quia pulchrâ specie triumphi sui portabat trophæum. Hortatur proindè nos S. Th. *in c. 12. Ep. ad Hebr.* ut ad crucem recurramus. In quacunque inquit tentatione invenitur in Cruce præsidiū, ibi enim obedientia ad Deum, ibi patientia in adversis, denique in Cruce invenitur doctrina & exemplum omnis virtutis. Quod observans Origenes *hom. 4. in Gen.* ad hanc Crucem ipsos primos Parentes nostros post lapsum confugisse dicit. Impulsu inquit quodam primos parentes ad arborem tanquam ad asylum se contulisse putandum est, ut significaretur jam tunc unicum refugium peccatorum, quod subindè constitutum est in arbore Crucis. Et hoc est quod DEus *Ezech. 9. v. 4.* insinuavit. Quando

Sodalem esse, bonū in morte experimur

Maria de victoria moriens se crucibus vallat.

Crux Draconem apud morientem virtute suâ fugat.

do DEus mandavit Angelis,ut omnes in Jerusalem occidant, quos viderent non insignitos litera Tau. Quod Tertul. *l. 3. contra Marcionem c. 22.* explicat dicens: Ipsa est litera Græcorum, nostrum autem Tau est species Crucis, quam portendebat futuram in frontibus nostris apud veram & Catholicam Jerusalem: In quâ fratres Christi, filios scilicet DEI gloriam Patri DEO relaturos David *ps. 21. v. 23.* cecinit ex personâ ipsius Christi. Enarrabo nomen tuum fratribus meis, in medio Ecclesiæ laudabo te. Quare *in apol. Tertul. c. 16.* dicit Christianos antiquitus appellatos fuisse Crucis religiosos. Cujus tanta fuit veneratio ut dicat Evagrius *l. 6. c. 20.* quod eam gestarent à collo suspensam. Et S. Chrysostomus *Ep. ad Philip. c. 3.* invehitur in quemdam dicens: Cum sis Crucis inimicus,gestas crucem? Certè S. Xaverius à collo semper pendulam habebat crucem, quâ integrum Badagarum fugavit exercitum, quam deindè cum ad sedandam tempestatem mari immersisset, incautè elapsâ cancer divinitus missus, eidem restituit. Jucundum est quod annuæ societatis 1605. referunt, de tenero puerulo, qui tanto affectu in crucem ferebatur, ut nunquam obdormire vellet, nisi mater eidem decumbenti, crucem in pectore impressisset. Accepit deindè parvulus Crucifixum, quem pectori inter brachia appressum, tam fortiter dormiens strinxit, ut nunquam in somno à se dimitteret. Paulo ante mortem suam varias cruces formavit easque innocentum sepulchris imposuit, sibique inter eos locum delegit, ubi mortuus cum suâ cruce requiesceret. Sperare potuit hic pusio, quod cum in judicio parebit signum filij hominis, ille tam fidelis crucis amator sub illo signo tutissimus sit futurus. Nobis in documentum, ut pariter crucem amemus, illaque non tantum nos, sed ipsos etiam teneros infantes signemus. Hoc enim est quod S. Chrysostomus *hom. 12. in 1. Cor.* ex suggestu solicitè parentibus inculcavit, ut scilicet filios suos instruant, quomodo frontem suam cruce insignire debeant, priusquam verò infantes id possint, ipsi crucem illis imprimant. Quod S. Aug. *l. 11. confess.* fatetur de se ipso, dum dicit S. Monicam matrem suam, sibi sæpius crucis signum impressisse. Confirmat hoc salutare admodum esse, Bartholomæus Springerus *quæst. de strigibus. c. 17.* ubi refert de Sagâ quæ confessa est, quod plusquam quinquaginta vicibus noctu domum cujusdam vicinæ suæ adierit ut puerum illius in cunis suffocaret, nihil tamen ei nocere potuerit, quia mater decumbentem parvulum, semper crucis signo

S. Xaverius Cruce exercitum fugat.

Parvulus non voluit obdormire nisi cum Cruce.

Infantes teneri cruce signentur,

signo munivit. Simile quid Spiræ accidit Anno Christi 1484. ubi honesta Matrona contendisse cum Sagâ scribitur. Vesperi ubi Mater infantem in cunas deposuit illa se super hac ipsâ rixa reflexit. Infanti ergò suo timens, illum in cunis jam cubantem, aquâ benedictâ aspersit & crucis signo munivit. Circa noctis medium, audit puerum vagientem, adeoque surgit, & dum puerum vult lactare, illum in cunis non reperit. Lumen ergo accendit, & puerum quærit, quem sub lecto jacentem, illæsum tamen invenit. O quam verum est, quod S. Athanasius *l. de incarnatione verbi* inquit. Signo Crucis omnia magica compescuntur, & veneficia inefficacia fiunt. Experta hoc est puella illa in diæcesi Argentinensi, quæ cum die festo in domo paternâ sola moraretur, ab impudente vetulâ inducta est, ut ipsam sequeretur, futurum, ut veniret ad chorum pulcherrimorum juvenum. Sequitur veneficam puella, at ubi domum clausis post se foribus ingrediuntur, strix ad puellam conversa dixit, ad superiorem domus partem ascendemus, tu verò cave ne Cruce te munias. Interim dum Sagam puella sequitur, & per gradus cubiculo constituto puella jam imminebat, gravi horrore perterrita, cruce se munit. Quod ubi viderunt Dæmones; subito dilapsi omnes disparverunt, & puella à furiosâ vetulâ domo eiecta est. Sic Metaphrastes in vita S. Panthemij *apud Surium tom. 1.* refert, de officinâ quadam purpurariâ, quæ ita ab imundo Spiritu infestabatur, ut dæmones tinctoribus manifestè apparerent, & eosdem in labore necessario impedirent. Ubi vero advertit S. Panthemius Cæsaris labores, non sine tinctorum gravi periculo impediri, accessit ad officinam, invocatoque JEsu nomine, atque crucis signo facto dæmones abegit. Tinctores verò opus suum prosecuti, ulterius à dæmonibus infestati non sunt. Verum non solum purpuram infestant dæmones, ipsos thesauros regios obsident, virtute verò sacræ Crucis pelluntur & fugantur. Glycus *p. 4. in Anastasio Imperatore* refert, quod Ceades Persarum Rex in castello quodam ingentis pretij gemmas habuerit, quibus tamen frui non potuit, quia Dæmon ad illas aditum Regi negavit. Varia Rex tentavit media, ipsos etiam Magos adhibuit, nec tamen aditum obtinere valuit. Quod ubi Sancto illius loci Episcopo innotuit, ille Clerico stipatus, locum illum adijt, & solo Crucis signo sibi aditum aperuit, atque infernalem draconem abegit. Testatur ipse S. Gregorius NeoCæsar. quod diaconus ipsius lassus domum redierit, qui ubi se lavacro egere

Saga infanti cruce signato nocere non potest.

Saga infanti nocere vult sed non potest ob crucem.

Puella à vetula seducta cruce contra dæmones se defendit.

Officina purpuraria à dæmone infesta, cruce liberatur.

Gemmæ in thesauro regio à dæmone obsessæ, cruce liberantur.

R adver-

advertit, ad balneum publicum, sed à dæmone infestum accessit. Et quia Dæmon nulli aditum ad illud permisit, custos balnei Diacono aperire noluit. Quem tamen ubi Diaconus bono animo esse jussit, ut claves daret, induxit. Acceptis itaque clavibus, cruce armatus balneum adijt; vix autem balneum ingressus fuit, cum subito ingentibus turbatur illusionibus, tumultuque maximo infestatur, ipse verò imperterritus in balneo permansit. Concussit enim dæmon terram, aquas ipsas in igneas scintillas succendit, ædificium totum sic concussit, ut ruinam minari videretur. Sed terram tremebundam cruce factâ Diaconus firmavit, aquam ardentem hoc salutari signo extinxit, denique ruinam labentis balnei sanctæ Crucis munimine avertit. Hoc enimvero jucundum fuit, ut cum in balneo versanti nocere non posset dæmon, ex eodem exeunti nocere tentaverit. Quarè eidem portam in exitu ita obfirmavit, ut nulla arte posset reserari. Sed quæ sacra crux omnes priores vires dæmonis infregit, hæc sola portæ impressa feras reseravit, viditque omnis populus ex balneo egressum Diaconum, non solum vivere, sed etiam ab omni injuriâ illæsum, virtute sanctæ crucis contra dæmonem gloriosè triumphasse. Quidquod vel ipse Asinus S. Reguli, mirabiliter se contra potestatem dæmonis virtute sanctæ crucis defenderit. De S. Regulo in vita illius refertur, quod illi oblatus fuerit parvulus à dæmone obsessus, qui ad Viri sancti preces, in formâ Vespertilionis fugatus est; in hac eadem formâ circum volitans in asinum intrare voluit, sed cum asinus casu pede dextro in terrâ signum Crucis fecisset, altumque ruderet, infernalis vespertilio abesse coactus est.

Balneum à dæmone infestum Crucis signo liberatur.

Asinus facta Cruce dæmonem obsidere volentem fugat.

Non dicam ego impium Julianum apostatam aliquando incidisse in hominem magum, qui ei Imperium prædicere ausus fuit, hic ubi Julianum in locum obscurum & subterraneum induxit, tam horrendis dæmonum spectris illum infestavit, ut eorum metu perterritus, frontem sacrâ cruce muniverit, & sic inferni spectra fugere compulerit. An non hic merito exclamem cum S. Chrysostomo superius citato: Cum sis crucis inimicus, formas crucem? Tu inquam impiè Juliane, qui Victimarum sanguine perfundi voluisti, ut sancti baptismi crucem aboleres, modo tamen ad Crucem Christi confugisti! Tu inquam impie Juliane quam crucem, tantopere aversatus es, unicum in tanta necessitate refugium in cruce invenisti. Non miror jam S. Edmundum in hac formandâ impeditum, hic enim ado-

Julianus Apostata contra spectra Cruce se munit.

adolescens cum manè vidisset sibi adstare dæmonem horrendâ specie minacem, & is se signo crucis munire vellet, sensit sibi à dæmone sic manus ligari, ut crucem nullo modo formare posset. Quare quod manu facere non potuit, id corde ad DEum converso expressit coactusque est fateri dæmon, se nullâ re magis quam Crucis signo fugari posse. Ut propterea dixerit Nazianz. *orat. in Julian.* Hac una fugantur dæmones. Sed non tantum dæmones, alia etiam mala, beneficio S. Crucis pelluntur. S. Greg. *l. 2. dial. c. 3. de S. Benedicto* refert quod factâ cruce porrectum sibi poculum vitreum veneno infectum, confregerit. Joannes Moschus *in prato spir. c. 94.* refert Abbatem Julianum Bostrenorum Episcopum novisse cœlitus, sibi venenum ab inimicis datum, adeoque venenatum poculum ante se posuit, advocatisque primoribus, & quidem hujus abominandi criminis architectis, sic eos est allocutus. Si arbitramini humilem Julianum veneno occidere, ecce coram vobis pestiferum calicem bibo. Signansque ter digito suo calicem, bibit illum coram omnibus atque illæsus perstitit. Videntes autem hoc impij homines, in terram prociderunt, & veniam rogarunt. S. Anselmus Cantuariensis Episcopus crucis signo facto, & aquâ benedictâ super cœci oculos aspersâ, cœcum illuminavit. S. Aug. *l. de Civ. DEI c. 8.* refert: Innocentiam religiosam fœminam ex primarijs illius civitatis matronam, in mamillâ Cancrum habuisse, nullis medicamentis sanabilem, in somnis admonita fuit, ut ad baptisterium observaret primam, quæ sibi occurreret, rogaretque ut illa locum cancro affectum sibi signaret cruce. Fecit illa, & primam à baptisterio reducem rogavit, ut sibi ubera morbo affecta cruce signaret, & factâ cruce, matrona illa à Cancro sanata est. S. Bernardus in Vita S. Malachiæ scribit, quod ille epilepticum blandè amplexus sit, ejusque pectori crucis signum impresserit, & ab Epilepsiâ penitus liberaverit. Varia præterea mala crucis signum avertit. S. Martinus magno studio volebat excisam arborem, quam magnis superstitionibus venerabantur pagani. Convenit tandem inter illos, ut arborem illam exscinderent Pagani, sed casum arboris sustineret S. Martinus. Die condictâ sub ictum & lapsum arboris se posuit Martinus, cumque jam securibus incisa arbor, ingenti cum fragore decidua in S. Martinum incumberet, in ipso aëre ruenti arbori crucis signum opposuit S. Martinus, & arbor quæ jam prona ruebat, supinata in ipsos idololatras recidit, & complures

S. Edmundus solo corde concepta Cruce dæmonem fugat.

S. Bened. poculum venenatum facta cruce confregit.

Cruce signatum venenatum poculum non nocet.

S. Anselmus Cruce cœcum illuminat.

Crux facta mamillas cancro affectas sanat.

Crux Epilepticum sanat.

S. Martinus ruentem in se arborem Cruce facta avertit.

S. Macarius signo Crucis ruens in se Saxum avertit.

ex illis oppressit. Quo miraculo territi impij homines ab idololatriâ sunt revocati. Quod S. Martinus cum hac arbore, hoc S. Macarius fecit cum saxo, quod ingens à rupe decisum cum rueret, & lapsu suo, cellæ Viri sancti, jam immineret, ne illam cum Viro sancto obrueret, ille factâ cruce tanto saltu à se avertit, ut cellam illæsam penitus transiliret. Hoc mirabile est quod puer Judæus, cum matrem sequeretur, viderit Judæum quemdam in scrobem prolapsum, illæsum cecidisse, quia in ipso casu Crucis signo se munivit. Ubi hic puer inter coævos sibi venit Christianos, vidit hanc ipsam consuetudinem, quam secutus est, & cum illis sæpius ad Christiana exercitia accessit, atque tandem fidem Christi est amplexus. Hunc juvenem cum puella Judæa ad lasciviam sollicitasset, illam crucis signo statim exanimavit; & verò jam exanimem crucis signo rursus ad vitam revocavit. Venit deindè is ad Abbatem, coram quo crucem Christi salutare jussus fuit, qui dum pedes Christo osculatur; totus Crucifixus à clavis se resolvens, in juvenis amplexus ruit, & in fronte indelebilem Crucis characterem eidem impressit. Quare baptizatus & Constantinus dictus est. Benè proindè Origenes *l. 6. in Ep. ad Rom.* dicit. Crucis signum ante oculos positū, si attentè consideretur, ad omnem tentationem depellendam valere. Expertus est hoc S. Vincentius Ferrerius Novitius, quem nocte concubiâ aggressus est dæmon, in formâ Doctoris ex Cathedra docentis, dicens, se unum & quidem ex veteranis Eremi incolis esse, qui juventutem suam libidini dedit, ævi deindè maturus ad DEum accessit. Suasit proindè ut se juvenis non sic jejuniis emaciaret, sed senio sese solidior reservet. Advertit ex cantu facile hunc stygium corvum, facto itaque signo Crucis infernalem hanc belluam teste Surio ad infernum relegavit. S. Thomas Aquinas à fratribus in castro inclusus, fœminam ad labefactandam castitatem submissam, cum titione, in pariete facto Crucis signo fugavit, & castitatem salvavit.

Judæus Cruce se muniens in casu ad foveam est immunis.

Judæus puellam lascivam, Cruce factâ enecat.

Crucifixus Judæo Crucis characterē imprimit.

S. Vincentius Ferrer. Cruce dæmonis Tentationē vincit.

S. Th. Aquinas Cruce Scortū fugat.

Non desunt aliæ mirabiles in Cruce Virtutes, S. Franciscus Seraphicus ægrotanti, & vini auxilio indigo, aquam allatam signo crucis in vinum sapidissimum convertit. S. Hilarion quod S. Hier. confirmat in vita illius, eruptionem ipsius maris repressit. Cum enim post mortem Juliani, incredibili cum terrore totus mundus horrendo terræ motu concuteretur, maria egressa sunt terminos suos, quasi DEus rursus mundo universalem minaretur cataclismum. Naves

S. Franciscus Cruce aquam in vinum convertit.

enim

enim in montium prærupta elatæ, à rupibus pependerunt. Quod cum vidissent Epidauritani, ne oppidum funditus subrueretur, rogarunt S. Hilarionem pro subsidio, qui cum tria Crucis signa fecisset in Sabulo, manusque suas contra fluctus maris tetendisset, licet furiosissimè intumesceret mare, limites à Cruce præfixos furentes fluctus non transiverunt, sed mare in semetipsum teste Metaphraste die 21. Octobris, est relapsum. Simile quid refert Georgius Presbyter in Vita S. Theodori, quod in Cariâ insulâ frequenter fluvius exundaverit, & suarum aquarum eluvione domos subverterit ac pecora demerserit. Quâ de causâ S. Theodorum Siceorum Episcopum rogarant incolæ, ut se ad fluvium conferret, eique suis precibus frænum imponeret, quod ille erectâ in ripâ Cruce tam feliciter fecit, ut nunquam amplius aquæ sinum suum egressæ sint. De S. Maria Ægyptiacâ habemus, quod illa ad S. Zosimum itura, ut ab illo sacrâ Eucharistiâ reficeretur, factâ super undas Jordanis Cruce, aquas sibi solidaverit, ut siccis pedibus Jordanem calcarit. Certè Labarum Magni Constantini à quocumque gestatum, quia Crucem cœlitus ostensam præferebat, à telis hostium immunem fecit. Quid quod Eusebius *l. 1. c. 33. de vita Constantini* clarè asserat virtute S. Crucis Constantinum debelasse Maxentium, prostrâvisse Maximinianum, Licinium imperio & vitâ exuisse. Crux hæc Theodosio Magno victoriam contulit. Orosium audite *l. 7. hist. c. 35.* ubi de Theodosio sic loquitur: Sciens se non solum Crucis signo tuendum, sed etiam Victoriam adepturum, signo Crucis se muniens, signum prælio dedit, ac se in bellum etiamsi nemo sequeretur, Victor futurus immisit. Neque mirum, cum hæc eadem Crux orante Moyse Josue Duci fortissimo Victoriam contulerit. Sic enim S. Cypr. *l. 1. contra Jud. c. 8.* dicit; Moysem orasse in forma Crucis, & contra Amalech obtinuisse victoriam, quia formam Crucis Moyses orando referebat. *Exod. 17. v. 12.* quando nimirum sic orans ab Aaron & Hur sustentabatur. Unde Minutius Felix *in suo Octavio ait:* Signum Crucis naturaliter esse salutare. Signum sanctæ Crucis naturaliter inquit videmus in navi, quando velis tumentibus vehitur, & expansis palmulis labitur, ac quando erigitur, signum Crucis est. Denique omnia, ipsaque Ecclesiæ Sacramenta à Cruce sanctificantur. Ita enim clarè S. Chrysostomus *in Ep. ad Phil. c. 3.* baptisma inquit per Crucem datur. Quod S. Aug. *tract. 118. in Joan.* confirmat. Quid est quod omnes noverunt signum Christi,

S. Hilarion mare intumescens Crucis signo repressit.

S. Theodorus exundantem fluvium Cruce continet.

Maria Ægyptiaca Jordanem facta Cruce sibi calcabilem facit.

Crux Constantini hostes debellat.

Crux Theodosio Victorias parit.

Cruce Ecclesiæ Sacramenta sanctificantur.

Aug. tract. 118. in Joan.

sti, nisi Crux Christi? quod signum nisi adhibeatur sive frontibus credentium, sivè ipsi aquæ quâ regenerantur, sive oleo quo Chrysmate ungantur sive Sacrificio quo alantur, nihil eorum ritè perficitur. Quomodo ergo per id, quod mali faciunt, nihil boni significatur, quando per Crucem Christi quam fecerunt mali, in celebratione Sacramentorum ejus bonum nobis omne signatur. Alcvinus *l. de Offic. Eccles. c. de Celebr. missæ*, Crucem in Sacrificio Missæ adhibitam fuisse dicit. Crucem in fronte primum pingit Diaconus annunciaturus verba vitæ, id est Evangelium. Ut ostendat se illius discipulum esse, qui Crucem pro salute totius mundi sustinuit. Deindè in pectore, ut omnis vana & immunda cogitatio ab ejus corde pellatur. Et paulo post: Ad ejus salutationem populus Crucem in frontibus ponit, ut à malis cogitationibus corda sua emundet, & ad intelligenda verba salutis pura maneant. Undè S. Euthymius *in p. 2. panopl. tit. 20.* Hoc Crucis signum non tantum ad Sacramenta & sacrificia, sed ad omnia sanctificanda & benedicenda extendit dicens: Crux manu designata res omnes sanctificat, quibus adhibetur. Ut aquam baptismi & oleum, & unguentum, & vultus hominum credentium, & panem mysticum & sacrosanctum sanguinem & reliqua. Antequam Christus in Crucem ageretur, crux mortis erat instrumentum execrabile, sed postquam Christus ei fuit affixus, sanguine & aqua Domini sanctificata, figurâ suâ cunctis fidelibus exhibet sanctificationem. Atque ita Crux, quæ prius homines tollebat, posteà dæmones ejecit atque expulit. Concludit: Sancta est omnis figura Crucis sive manu designetur, sivè ex materiâ aliquâ conficiatur. Hinc vel ipsi Angeli Cruces similes honorarunt. Testatur hoc *Nicephorus l. 1. c. 37.* quod ad Crucem à Constantino Magno venerationis causâ erectam, visus sit Angelus ter quotannis de mediâ nocte Crucem circuire, & thus adolere, canendo Trisagium Sanctus, Sanctus, Sanctus. Quarè meritò de hac sacra Cruce dicere possum, quod S. Methodius *Orat. 2. de resurrect.* dixit de Christi & Sanctorum imaginibus. Protinus ergò quæ sunt hic Regum imagines, quamvis non ex pretiosa auri argentive materiâ consistant, ab omnibus tamen honorantur. Neque enim quæ ex pretiosâ materiâ conflatæ sunt; homines duntaxat colunt, quæ verò ex vili contemnunt atque aspernantur, sed omnia licet ex ære gypsovè existant, coluntur. Et quisquis in earum aliquam, qualiscunque fuerit, maledicta conjecerit, is non tanquam lutum

Ad Evangelium se Cruce munit in sacro Diaconus.

Crux omnia sanctificat.

Angelus Crucem à Theodosio erectam honorat.

lutum spreverit, aurumque contempserit, absolvitur, sed non aliter, quam si in ipsum Regem impius fuisset, condemnatur. Concludit ergo: Quas quidem ex auro imagines conflamus Angelorum ipsius Principatus & Potestates referentes, nos ad honorem DEI & gloriam conficimus. Dicam ego quas nos ex ligno aut lapide Cruces conficimus, eas ad honorem & gloriam ejus, qui crucifixus est, efformamus. Quare qui injuriam infert Cruci, is ipsum Crucifixum spernit, & conculcat. Ostendit hoc suo testimonio Florimundus Remondus, qui refert Catholicum cum hæretico iter habuisse Genevam versus, in viâ cum obortâ tempestate se Cruce muniret Catholicus, per Contumeliam illusit hæreticus quærens, an muscas pelleret. Vix autem Verbum hoc dixit, & fulmen sycophantam contrivit extinxitque. *Crucem ridens fulminatur.* Audite obsecro S. Cyrillum. Non pudeat nos Crucifixum confiteri, sed in fronte confidenter Crucis signaculum imprimatur. Eant nunc Lutherani qui Crucem adeò horrent, ut eam Cane pejus & angue execrentur, atque nos Catholicos rident, qui Crucem Christi in fronte, ore, & pectore ferimus, quam ipsi Reges & Cæsares in apice Coronarum suarum venerantur. Cavete ne de vobis verificetur illud *ps. 108. v. 18.* Noluit benedictionem & elongabitur ab illo. Graviter proindè S. Cyrillus Hierosolym. *in catech. sua c. 13.* postquam modum docet disputandi contra hæreticos, monet, ut disputaturi cum illis, prius Crucem ipsi formemus. Concludit deindè, obstruetur verò os hæreticis omnibus. Si quis dicat quod Crux sit tantum phantasma; aversare & oderis dicentes, quod per phantasma tantū Crucifixus sit. De Cruce enim salus. Si phantasia erit Crux? phantasia erit & Ascensio, phantasia erit & secundus Adventus, & nihil erit certum. Accipe ergo primum immobile fundamentum, Crucem; & in eâ, reliqua fidei ædifica. Hanc licet omni modo exterminare voluerit Julianus Apostata; tamen id efficere non potuit. Et sæpius quod asserit S. Greg. Nazianz. Juliano dijs sacrificanti accidit, ut in animalium exenteratis visceribus, Coronatas cruces inveniret. *Julianus frustra Crucem extermi-nare conatur.* Nimirum hæc erat gloriosæ de victis hæreticis Victoriæ tessera, qui licet Christi Crucem machinis tot fœdissimè impugnent, eamque evertant, tamen eandem inter ipsos insanos hos furores solidius erigunt, & Lauro insuperabilis gloriæ coronant. Docet nos hoc Baronius qui anno Christi 401. accidisse memorat: Quod cum Sanctæ Crucis virtute Simulachrum Veneris corruisset, duo Gentiles, qui aræ

Veneris Simulachrum Crucis irrisores opprimit.

aræ vicini Christianis illudebant, ita à lapsu statuæ Venereæ confracti sint, ut unius quidem caput in duas partes divisum sit, alterius autem humeros & brachia itá contriverit, ut nulli usui humano deservirent, adeoque etiam brevi infelicem animam exhalaverit. Hinc apud primos Christianos contra temeritatem infidelium, qui in contemptum Christianorum cruces humi in silice aut marmore sculpere aut pingere solebant, cura maxima fuit, tales lapides Cruce insignitos elevare, ne pedibus conculcarentur. Et ipsi Imperatores, inter quos maximè Tiberius graviter indignatus dixit: Crucem Domini quâ frontem & pectora munire debemus, eam sub pedibus conculcamus! Quarè etiam Augustissimi Imperatores, eos qui Crucem humi formant, aut ibi positam non tollunt, gravissimâ pœnâ capitali, ut inquit Glossa, puniendos decreverunt. Quod in jus publicum translatum severissimè statutum fuit *L. unica Cod. nemini licere signum Salutaris Crucis Christi humi.* Cujus Legis piam observationem Tiberio Augusto DEus ipse copiosè recompensavit. Cum enim hic in palatio suo marmore strato deambularet, dum curiosius terram aspicit observat marmor unum in pavimento Cruce insignitum, piè indignatus ne illam homines pedibus conculcarent, statim elevari mandavit, & ut marmor illud meliori loco reponeretur commendavit. Sed dum elevatur marmor primum, alterum priori subjectum, pariter cruce notatum, uti & tertium invenitur. Ubi & hoc à terrâ elevatum fuit, ingens apparuit thesaurus, quem in pauperes liberali, & erga Crucem sacram pio Imperatori liberalissimus submisit DEus.

Crux pedibus non proterenda.

Crux lege publicâ à terra levanda.


Tiberio Cæsari pietas in Crucem thesauro refunditur.

Quomodo Crux debeat formari.

Quomodo autem hæc Crux formari debeat, docet nos P. Petrus Witfeld S. I. in suâ Theologiâ Catech. qui ex usu Ecclesiæ hanc crucem vel more latino, vel verò Germanico, aut demum modo in benedictionibus consueto mysteriosè efformari docet. Vel enim more latino formatur Crux sic, ut manus in fronte ponatur, quæ indè ad imum pectus, ac demum à sinistro ad dextrum latus ducitur. Quo significare volumus, quod dum Patris nomen in fronte proferimus, confiteamur Patrem esse principium, à quo Filius in divino pectore genitus est, in utroque verò latere Spiritus Sanctus à Patre & Filio procedens nominatur. Nisi velis dicere, quod descensus à fronte ad pectus per manum dextram factus, descensum Christi in uterum Virginis, transitus verò à Sinistrâ ad dexteram, causam hujus descensus, nempè Redemptionem nostram significet. Cum enim nos miseri pec-

peccatores statuendi essemus ad lævam tremendi Judicis Christi JEsu, per illius passionem & mortem in Cruce, translati sumus cum ovibus ad dexteram illius. Quod ipsum profitemur dum plenâ manu idest quinque digitis Crucem formamus. Hoc enim ipso indicamus, nos per crucem & per quinque illius sacratissima vulnera à morte æternâ esse liberatos. Quod si verò crux formetur modo Germanico, tunc pollici index innititur, profitemur naturam humanam inniti personæ Verbi, atque sic duas in Christo naturas confitemur; dum autem à fronte in os & pectus descendimus, in fronte Patrem nominamus velut Principium in Sanctissima Trinitate; in ore verbum divinum quod locutus est Pater, seu Flium signamus, ac demum in corde Spiritum Sanctum amorē divinum contestamur: Tertius modus formandi Crucem in benedictionibus consuetus est, qui fit in aëre vel plenà manu, vel certè duobus aut tribus digitis formatur, idque contra Eutychianos qui uno digito crucem expresserunt, quia unam tantum in Christo naturam credebant. Nos verò aut duobus digitis utimur, ut vel duas in Christo naturas exprimamus, vel certè tribus digitis crucem facimus, ut tres in SS. Trinitate personas confiteamur. Hoc tamen benè advertendum est, quod in formatione Sacræ Crucis dexterâ utamur, non sinistrâ. Ut enim inquit S. Justinus *quæst. 118.* dextera honorabilior est, quam sinistrâ; at vero DEO danda sunt meliora, cui pro nobis crucifixo & in cruce mortuo, sit omnis honor & gloria, in sæculorum sæcula. Amen.

In crucis formatione dexterâ utimur.



S CAPUT

CAPUT NONUM

PUNCTUM II.

Quod necessitate præcepti credi debet, Symbolum Apostolorum in 12. Articulis.

ARTICULUS I.

Credo in DEum Patrem omnipotentem. Creatorem cœli, & terræ.

ACturi de symbolo Christianæ fidei, supponimus hoc symbolum à duodecim sanctis Apostolis compositum sic esse in primo Concilio Apostolico, ut singuli Apostolorum suam huic symbolo sententiam adjecerint. Quod symbolum deindè velut fidei nostræ summam, qui post Apostolos in sanctâ DEI Ecclesiâ consecuti sunt, posteritati, transcripserunt. Ut quemadmodum loquitur S. Aug. *serm. 115. de Tempore.* inter omnes constaret, quænam esset fidei Christianæ summa. Quarè idem S. Augustinus docet contineri in eo breviter totum Christianæ fidei, objectum. Quia ut inquit ille: Est comprehensio fidei, nostræ simplex, brevis, plena. Ut simplicitas consulat audientium rusticitati, brevitas memoriæ, plenitudo doctrinæ. Quare *serm. 119.* Symbolum inquit est breviter complexa regula fidei, ut mentem instruat nec oneret memoriam. Quod necessarium erat. Cum enim S. Athanasius in suo symbolo dicat: Quam nisi quisque integram, inviolatamque servaverit, absque dubio in æternum peribit. Memoria humana obruenda non erat mysterijs fidei, ideoque hanc synodalem sanctorum Apostolorum constitutio-

Symbolum est compendium fidei.

ſtitutionem, Oecumenica concilia, Nicœnum & Conſtantinopolitanum confirmarunt, ſuâque authoritate velut Apoſtolicam conſtitutionem & traditionem ſtabiliverunt. Advertendum tamen eſt, quod obſervavit Bellarminus *tom. 4. Controv. l. 1. c. 9.* Quod ſicut ſancta quatuor Evangelia non tam ſunt quatuor Evangelia, quam quatuor libri ejuſdem Evangelij, ita quatuor hæc ſancta Symbola nempè Sanctorum Apoſtolorum conſtituens duodecim Articulos fidei, Nicœnum, Conſtantinopolitanum, & S. Athanaſij non tam ſunt quatuor ſymbola, quam quatuor ejuſdem ſymboli enarrationes. Quibus ſicut hactenus omnis Chriſti Eccleſia habuit reverentiam, & debitam ſubmiſſionem, ita etiam olim ipſa Confeſſio Auguſtana admiſit & agnovit. Licet Calvinus & Lutherus varia contra hæc Conciliorum Symbola, cum ſuis aſſeclis turpiſſime effutiverint. Quibus præmiſſis ſit.



DISCVRSVS X.

DEus Pater creavit cœlum, & terram.

DOcent communiter ſcholæ, ſolum Patrem eſſe Patrem notionaliter ſeu ad intra, quia nulla alia Perſona divina genuit ſibi filium conſubſtantialem. Sic enim teſte David *pſ. 2. v. 7.* Filius dicit de Patre æterno. Dominus dixit ad me, Filius meus es tu, ego hodiè genui te. Quem non ex nihilo produxit, ſicut alias creaturas, ſed ex propriâ, quam illi communicat naturâ, & quidem non ſecundum partem, ut alij Patres ſuis filijs, ſed admirando modo totam, ſine detrimento proprio & velut lumen ex lumine genuit, eique naturam ſuam communicavit. Quod ut clarius intelligeremus notanter ſymbolum fidei dicit: Lumen de lumine, DEum verum de DEO vero; genitum non factum nimirum ejuſdem planè ſecum naturæ. An verò hunc filium ſuum æternus Pater adhuc gignat, aut in æternum generaturus ſit, licet id negaverit Calvinus in ſuis *inſtit. l. 1. c. 13. §. 29.* contra tamen eſt, quia actus ille quo DEus Pater illum genuit eſt internus, & ipſe DEus, atque adeo neceſſario æternus. Hic porrò actus, eſt actus intellectus; ſicut enim, cum nos ali-

DEus Pater eſt ſolus Pater.

quid intelligimus, formamus nobis conceptum rei intellectæ, seu verbum mentis; ita etiam Pater comprehendendo suam essentiam format sibi Verbum prorsus simile. Et hinc *1. Joan. 5. v. 7.* cum dixisset quoniam tres sunt, qui testimonium dant in cœlo Pater, Verbum, & Spiritus sanctus, statim subdidit: Et hi tres unum sunt. Quod Verbum necesse est esse Filium, quia procedit à Patre, tanquam principio vitæ conjuncto in similitudinem naturæ. Et quia perfectissimè Patrem exprimit, dicitur imago Patris & figura substantiæ ejus. Neque obstat quod etiam Filius & Spiritus sanctus comprehendant suam essentiam, & omnia in eâ contenta; per hoc tamen non gignunt filium, quia non habent notionalitatem aut relationem Patris, quæ est incommunicabilis. Hinc ingeniosè observat Isolanus, cur licet Christus habuerit duodecim Apostolos, nullus tamen sit vocatus Joseph, imò cum forte eligeretur aliquis in locum Judæ, & inter forte eligendos esset unus Joseph dictus, tamen non Joseph sed Matthias fuerit assumptus licet ab Apostolis Joseph prior fuerit nominatus, & iure naturali prior fuisset assumendus. Quod meritò miratur S. Laurent. Justinian. Quis non prætulisset ex his Joseph cognomento justum & vita. Et tamen aliter judicavit omnipotens, cujus judicia longè ab humanis dissimilia sunt. Hujus ergo causam Isolanus dat: Amicos Christus vocavit Apostolos, Josephum verò Patrem scriptura sæpius nominavit. Est enim amplioris dignitatis nomen Patris, quam Amici. Sicut enim nobiles prohibere solent ne alij suarum familiarum gentilitia arma ferant, ut ait Bartolus *tract. de insignijs*, ita impedivit Christus, ne ex Apostolico Collegio aliquis hoc nomen Patris obtineret. Quasi diceret sicut in divinis hoc nomen Patris est incommunicabile, alijs divinis personis, ita etiam in generatione Filij DEI secundum carnem, quod Josepho nutritio suo sacer textus dedit nomen Patris *Luc. 2. v. 33.* Et erat Pater ejus & Mater mirantes super his, quæ dicebantur de illo. Et paulò post: *v. 48.* Pater tuus & ego, dolentes quærebamus te. non voluit esse communicabile reliquis Apostolis, quos tamen amicos suos dixit & habuit. Licet autem nomen Patris incommunicabile sit, tamen attributum omnipotentiæ reliquis Personis divinis non negatur. Sed sicut juxta symbolum S. Athanasij Pater est omnipotens, ita est omnipotens Filius, & Spiritus sanctus. Adeoque dum *Gen. 17. v. 1.* dicitur: Ego DEus omnipotens, hoc attributum omnipotentiæ omnibus tribus personis commune

Cur nullus Apostolus sit Joseph dictus.

Nomen Patris est incommunicabile.

S. Josephi gloria quia Pater Christi.

mune est, & tam benè verificatur de Filio & Spiritu sancto, quã de Patre, quod sit Omnipotens. Quæ Omnipotentia in DEO est absoluta, ita dicente Christo *Matth. 19. v. 26.* apud DEum omnia possibilia sunt, qua potest etiam facere, quæ nunquam facturus est. Quod ostendit Christus *Matth. 26. v. 53.* quando dixit ad Petrum gladio sævientem, an putas, quia non possum rogare Patrem meum, & exhibebit mihi modo plus quam duodecim Legiones. Et ideo etiam DEus ut potentiam suam magis manifestet, ea quæ per naturam fieri consueverunt, sæpè non difficilia tantum, sed etiam impossibilia reddit. Sicut dum Abrahamum multiplicare voluit, jubet Isaacum filium immolari. Sic *Isa 38. v. 5.* Ezechiam ad lectum & ad mortem penè dejecit ut insperatè sanaret. Ita visum cœco restituit, & luto oculos linivit. Lazarum etiam mori & sepeliri voluit, ut eundem resuscitaret. Sic in principio terram inanem & vacuam creavit, ut fertilem faceret, & fœcundaret. Quoties è contrà potentiam suam in minimis ostendit? ita enim *Judith. 9. v. 15.* Holofernem potentissimũ militiæ Ducem, dejecit; Erit enim hoc memoriale nominis tui, cum manus fœminæ dejecerit eum. Sic David non regijs indutus armis, sed in fundâ & lapide dejecit Goliath. Benè S. Chrysostomus *hom. 46. in Gen.* Hoc factum est ut virtus DEI apertè monstraretur, & quæ fiebant non armis adscriberentur. Sic una manus scribentis in pariete *Dan. 5.* exterruit & confudit Balthasarem Regem & universam aulam illius. Ita modicis ignis scintillis *Dan. 3.* perierunt Ministri regij ad fornacem illam Babylonicam. Ubi enim vulgata habet. Interfecit eos flamma ignis, hebraica versio legit. Interfecerunt eos scintillæ. Sic elegit DEus Petrum & Andream, homines abjectæ vilisque conditionis, eosque ad supremam Apostolatus evexit dignitatem, ut his vilibus & despectis instrumentis tanta operaretur, quanta sunt prædicatio Evangelij, & totius orbis conversio. Et hæc causa est inquit Magnus August. *tract. 7. in Joan.* cur Nathanaelem Apostolis non annumeraverit, quia erat legis Mosaicæ Doctor. Intelligere enim debemus inquit Nathanaëlem eruditum & peritum legis fuisse, propterea noluit illum Dominus ponere inter discipulos, quia Idiotas elegit, ut confunderet mundum. Hinc etiam DEus tanta portenta rebus affixit minimis. Uti *Judic. 15. v. 16.* ingens illud robur Samsonis tenuissimis pilis capitis ipsius. Advertendum est namque quod Anastasius Nicœnus *ex Eusebio NeoCæsariensi* bene observat, nempe

Omnipotentia tribus personis communis est.

DEus in minimis est maximus.

rem observatu dignam, quam *3. Reg. 4. v. 33.* refert facer textus. Et disputavit super lignis à Cedro, quæ est in Libano usque ad hyssopum, quæ egreditur de pariete. Quo loco refert, quod aliqui dicant Neronem hos libros Salomonis combussisse; Eusebius tamen putat hos libros Ezechiam Regem concremasse ex Zelo erga DEum, quod homines non amplius à DEO remedia peterent, sed totam fiduciam suam in illis libris collocarent, indeque se sanitatem consecuturos crederent. Certe David *ps. 103. v. 28.* intento nobis digito ostendit, quo nostros oculos convertere debeamus dicens: Aperiente te manum tuam omnia implebuntur bonitate; Et statim subdit; avertente autem te faciem tuam, turbabuntur. Ex quo loco eleganter infert S. Prosper: Quod DEus sæpè faciat turbationem, in pœnam non agnitæ manus divinæ. Concludit: Omnis ergò anima ipsum esse, & totum quod accepit, ad DEum referre debet, tanquam ad fontem originalem, à cujus misericordia omnia obtinuit, qui omnibus dat liberaliter & affluenter. Quod tanto magis mirabile in DEO est, quia cum prævideret ingratitudinem hominis à se creandi, nihilominus tam liberaliter ad extra se effudit, ut non solum hominem ipsum, sed etiam creaturas reliquas hominis ipsius causa creaverit. Exclamare mihi liceat cum *Guarico serm. 1. de Pentec.* O DEum! fas sit dicere, prodigum sui! Sed hoc mirum non est, quia ut inquit D. Antiochenus. Non potest divina natura quidquam avarè continere, nam ipse est, qui dat omnibus affluenter, ut inquit S. Jacobus *in sua Ep. c. 1.* Et per hoc divinitatem agnoscimus, teste Arnobio *l. 1. contra Gentes.* Hoc est proprium DEI veri, potentiæque regalis, benignitatem suam negare nulli; nec reputare, quis mereatur, aut non. Hinc *Isa. 48. v. 8.* Licet Israëlem sciret populum ingratum dicens: Scio enim quia prævaricans prævaricaberis, & transgressorem ex utero vocavi te, nihilominus non desinam mea beneficia conferre. Idque propter nomen meum, propter me faciam, & gloriam meam alteri non dabo. Nam ut benè S. Cyrillus *l. 4. in Isa.* Gloria Domini est misereri & prodesse omnibus, etiam ingratis benefacere. Sic *Gen. 24.* Servus Abrahæ, dilectam Domino suo Sponsam ex hoc agnovit *v. 14.* Quæ dixerit bibe, quin & Camelis tuis potum dabo. Pulchrè Theodoretus *quæst. 37.* Expectabat ut videret, an omnibus daret, quantum opus erat. Camelus ingratum animal est, aquam, de quà bibit, turbat. Homo superbus & insolens licet DEO insultet, ab ipso tamen

Omnia ad DEum velut ad fontem referenda.

DEus etiam ingratis confert beneficia.

men beneficia plurima accipit. *Exodi 16. v. 7.* Murmuravit populus contra Dominum & ut Tertullianus inquit, allium & cepas potius, quam cœlum fragrare volebat. Referunt hoc murmur populi Moyses & Aaron, DEus per eosdem populo respondet. *v. 7.* mane videbitis gloriam Domini, Hebræus habet divitias Domini. Fortassis indignatus est Dominus, & fulminabit cœlum, aut dehiscet terra? Non sic liberalissimus agit DEus; manè apparuit cibus angelicus, & manna de cœlo pluit DEus. Hæc nemi DEus est gloria Domini? Fecit hoc infinitus amor amantissimi DEI, qui tanta beneficia libenter perdit, modo etiam unicam animam salvet. Quid verò hoc mirum sit in DEo, cum etiam profano amori id sit consuetum, qui amantes mirè facit liberales. Plutarchus certè inquit, amantium crumena porri folio vincta est. Nihil scilicet amantem pœnitet profusæ pecuniæ, modo amoribus suis potiatur. Magna relinquere inquit Chrysologus *serm. 168.* ut minora invenias, DEI amantis est non humanæ cupiditatis. Mirantur aliqui *Luc. 15.* prodigum illum filium ad Patrem reversum, tam cito à Patre susceptum; Cum adhuc longè esset. Nihil exprobrat de dissipatâ substantiâ, sed unius filij reversio, omnia damna compensat. Non miror ego jam cum S. Chrysostomo DEum urbem Jericho destructurum, septem integris diebus morari, sic enim *Josue 6. v. 3.* DEus ad Josue locutus est: Circuite urbem cuncti bellatores semel per diem, sic facietis sex diebus, septimo autem die sacerdotes tollent septem buccinas, septiesque circuibitis civitatem. Mirum inquit S. Chrysostomus: DEus qui sex diebus creavit orbem, dum unam urbem demolitur, septem diebus & moram dedisse, & expectasse. Concludit: quam ægrè DEus facturam suam dissipat? Audite Jeremiam *Thren. 2. v. 8.* Cogitavit DEus dissipare murum filiæ Sion. Cogitavit nimirum, si quis fortè resipiscat. Quâ occasione adverto DEum non creasse mundum uno momento, sed verè spatio sex Dierum Licet S. August. *super Gen. c. 15.* per dies symbolicè intelligat cognitiones Angelorum, quorum manè dicit esse cognitionem rerum in verbo, vesperè autem cognitionem in se ipsis. Cum enim Moyses historicè scripserit, non video cur hi dies in sensu allegorico sumi debeant. Maximè cum explicari non possit, quomodo eodem momento fuissent tenebræ & lux, vespere & manè, terra inanis & fœcunda. Taceo quod exprefse Scriptura dicat, prius fuisse terram, quam cœtera illius ornamenta, & terram prius ornaverit

Amantes liberales sunt.

DEus creavit mundum sex diebus.

plantis

Quid Deus creaverit sex diebus. plantis & gramine, quam cœlum suis luminaribus. Si verò petas quid DEus quovis die creaverit? Respondet Moyses in principio suæ Genesis, quod nimirum DEus primâ die creaverit cœlum Empyreum, quod S. Paulus vocat cœlum tertium, David vero cœlum cœli nominat. Deindè unà cum terrâ abyssum, id est aquam à terrâ usque ad Empyreum expansam. Ex quâ, die secunda & non ex nihilo produxit firmamentum, ut loquitur scriptura. Tertià die factis in terrâ voraginibus & extrusis montibus, discooperuit DEus terram, eamque vestivit plantis & herbis, gramine, virgultis & arboribus. Quartâ die produxit DEus Solem & Lunam ac stellas, ex substantiâ cœlorum. Quintâ die pisces & aves produxit ex aquis *Gen. 1. v. 20.* Producant aquæ reptile animæ viventis, & volatile super terram, sub firmamento cœli. Sextâ verò die produxit animalia terræ ratione carentia, quæ Moyses distinguit in jumenta, id est animalia cicura, uti sunt boves, equi, canes &c. in reptilia quæ pedibus carent, vel pedes habent valdè parvos, quales sunt serpentes, lacerti; Denique in bestias quales sunt Leones, ursi, lupi, &c. Tandem fecit etiam ipsum hominem Adamum scilicet & Evam. Quæ verò ex congressu diversarum specierum nascuntur, vel ex putri, aut exhalationibus vel sudore prodeunt, produxit tantum virtute, utpotè quæ suo tempore erant proditura, septimo autem die requievit ab operibus suis, id est ut explicant Authores, nullam novam speciem, non contentam virtute in ijs, quæ fecerat, ab eo tempore produxit. Cur vero DEus requieverit die septimo & non alio? Respondet Petrus Damianus quod DEus dies antecedentes quibus aliquid creavit, statim etiam distinxerit verbis illis, factum est vesperè & manè dies unus. Ubi vero Scriptura diei septimæ meminit; dicitur: complevitque DEus die septimo opus suum, quod fecerat & requievit die septimo ab universo opere quod patrarat. In quo die quia nulla fit mentio de Vesperè vel manè, hæc dies quasi semper luminosa semper clara & absque tenebris dicitur, atque in hac requiescit divina majestas: Est itaque hæc dies cœli, & non mundi. Neque enim DEus desinit cooperari creaturis suis, quas continuato influxu per suam providentiam benignissimè conservat. Quærit curiosè S. Basilius cur DEus non creaverit Paradysum eadem die quâ cœteras plantas. Ubi enim DEus *Gen. 11. v. 11.* dixit Germinet terra herbam virentem, & facientem semen & lignum pomiferum faciens fructum juxta genus suum; cu-

jus

jus semen in semetipso sit, subdit; Et factum est vespere & mane dies tertius. Ubi vero *Gen. 2. v. 8.* mentio fit paradysi, dicit Scriptura; Plantavit autem Dominus DEus paradysum voluptatis à principio id est primâ die, quando creavit cœlum Empyreum, & abyssum terræ. Undè ostenditur paradysum cum alijs sylvis die tertiâ plantatum non esse. Dictus S. Basilius causam hanc dat, quia cum homo esset singulare opus DEI, non erat conveniens, ut eadem habitatio foret hominis brutorū animantium, sed sicut differentem planè habebat naturā, ita etiam aliā haberet voluptatis suæ mansionem. Ubi nova oritur quæstio quomodo Eva à serpente potuerit induci ad peccandum, si serpens non fuit in paradyso? Respondet Rupertus Abbas omnia animalia extra paradysum fuisse producta uti & serpentem, sed Evam curiosè vagatam fuisse in paradyso, & ad portam pervenisse, per quam ubi prospexit, serpens occasionem habuit eandem tentandi. Apologus est de caprâ quæ filiæ mandavit, ut se absente ad portam vel ad fenestram non accederet, etsi maternam vocem suam audiret, futurum enim ut lupus vocem suam imitaretur, cui si portam aperiret aut fenestram, à lupo certò certius devorandam. Paruit obsequens filia, & lupo licet balanti non aperuit, neque ad portam aut fenestram accessit, adeoque salva permansit. Econtra gallina quæ in fenestram insilijt, & curiosè vulpeculæ complementa observavit, Vertiginem passa ex fenestrâ decidit, & vulpi in prædam cessit. Audite Rupertum *l. 3. in Gen. c. 7.* Dum mulier corpore & oculis Vagando incontinenter ambulat, fortè prospectans mulier, qualis extra paradysum mundus haberetur, locus, diabolo datus est, & occasio porrecta, unde tentaretur. Quare S. Ambr. Virgines monet. Evam cave, id est Evam sæpius recogita, ne curiosa pariter cum Eva tenteris. An non gallina curiosa fuit Evæ filia, Dina *Gen. 34. v. 1.* quæ egressa est ut videret mulieres regionis illius. Sed ecce vulpes Sichem, quam cum vidisset, adamavit eam, & rapuit & dormivit cum illa, vi opprimens Virginem. Talis Gallina fuit Jezabel, quæ cum curiosè Jehu Principis ingressum contemplaretur, præcipitatur de fenestrâ & à canibus devoratur. Curiositas oculorum, causa est ut sæpè DEI obliviscamur, & illud appetamus, quod videmus. Quid ergo mirum si creaturæ nobis cor rapiant? accedimus nimium. Si ad tabulas elegantis & artificiosi theatri accedimus nimium, turbatur centrum opticum. Orbis hic theatrum est, tabulæ

Paradysus non est creatus cum alijs plantis.

Eva Curiosa tentationi obnoxia.

Capra filiam monet ne sit curiosa.

Gallina curiosa fit præda vulpi.

Curiositas origo multorum malorum.

Creaturæ sunt, opticum centrum est DEus. Quò remotius à tabulis recedimus, seu à creaturis removemur, eò clarius DEum centrū nostrum observamus. Benè namque observavit S. Ignatius in suo Exercitiorum libello in suo fundamento. Quod licet DEus omnia creaverit hominis ipsius causâ, non tamen omnia homini expediant. Sicut enim in apothecâ benè instructâ, multæ sunt medicinæ, non tamen omnes febricitanti serviunt; ita omnes Creaturæ in se sunt bonæ, non tamen omnes ad finem salutis nostræ conducunt. Laudandus est igitur DEus, omnium Creaturarum author, sed nos illis solum uti debemus, quæ ad DEI gloriam, & nostram salutem nobis deserviunt.



DISCVRSVS XI.

De Creatione, & lapsu Angelorum.

CUm nullam penitus Moyses de Angelis fecerit mentionem, occasio data est Theologis disputandi, & quærendi, quando nam Angeli creati fuerint? Et credibile est, eos creatos non esse ante mundi productionem quod putavit Origenes, quia cum Angeli paulo post suam creationem lapsi fuerint, & ideò de cœlo in infernum præcipitati, supponi debet in illâ abysso, quæ in principio creata fuit, quando DEus fecit terram, jam tunc extitisse infernum ad quem rebelles spiritus præcipitati fuerunt. Quare cum S. Epiphanio & Augustino putarem illos creatos esse in principio & illo momento quo DEUS creavit cœlum & terram. Quamdiu verò in gratia perstiterint, certò definiri non potest, cum ex Ezechiele habeamus inter creationem & lapsum aliquam intercessisse moram, cum clarè dicat *c. 28. v. 14.* In medio lapidum ignitorum ambulasti perfectus in vijs tuis, à die Creationis tuæ, donec inventa est iniquitas in te. Quarè non malè opinatur Hugo de S. Victore. Tunc divisos esse angelos bonos in gloriam, & malos in pœnam, quando DEus divisit lucem à tenebris. Undè consequenter ad illud *Job. 38. v. 7.* Cum me laudarent simul astra matutina, & jubilarent omnes filij DEI, per astra matutina multi intelligunt angelos bonos, qui in mo-

momento illo commissi prælij DEO laudem dederunt, & cum S. Michaële, in jubilo: Quis ut DEus ingeminarunt. Hoc tamen mirabile quod Angeli tam excellentes Creaturæ, creati sint cum solo Verbo Fiat, homo vero minoratus ab Angelis, sit opus manuum divinarum? Quando DEus *Exodi 8.* Pharaonem varijs afflixit pœnis, visis portentis quæ fiebant, dixit Rex & universa Ægyptus, Digitus DEI est hic. Eodem planè modo quando David consideravit portenta, opera nimirum Creationis mundi *ps. 8. v. 4.* exclamat admirabundus. Quoniam videbo cœlos opera digitorum tuorum, Lunam & stellas, quæ tu fundasti. In quem locum S. Chrysostomus inquit, Non quod habeat DEus digitos, sed hæc minimæ operationis esse ostendit. Utique ergo homo, qui DEI opus est, laboriosiùs factus, à DEI manu adhibitâ formatus est. Testatur hoc S. Ambr. *l. 2. in Luc. c. 3.* Suas inquit Omnipotens manus, in quibus infiniti sunt thesauri omnium bonorum, ad fingendum formandumque hominẽ sic demittit! Quis hoc non stupeat & admiretur? Certè si in Angelos posset cadere invidia, credo ego vel ex hoc ipso capite nobis inviderent, quod tam pretiosa creatura nempe Angelus solâ voce Dei, homo verò etiam manibus divinis sit efformatus. Ut meritò homo gloriari posset cum Jobo *c. 10. v. 8.* Manus tuæ fecerunt me, & plasmaverunt me totum. Validior certè digitis videtur operatio manuum divinarum, quæ etiam nobiliorem effectum dederunt in homine, quàm digiti divini præstiterunt in efformandis inanimatis cœlis & stellis. Licèt enim Angeli solâ voce conditi sint, quia tamen Angelus naturâ sublimior est quam homo, ideo naturæ perfectione hominem antecedit. Quare S. Aug. *l. 11. de Civit. DEI c. 5.* dicit Angelica natura omnia cœtera, quæ DEus condidit, naturæ dignitate præcedit. Quod David *ps. 8. v. 6.* confirmat, dicendo de homine comparato cum angelo: Minuisti eum paulo minus ab Angelis. Et hinc etiam S. Th. *in Ep. (Pauli ad Hebr.* dum expendit verba illa Gen. Eritis sicut dij, explicat hunc textum sic) Sciendum quod licet sit unus tantùm DEus, participativè tamen in cœlo & in terrâ sunt multi dij. Dicuntur enim inquit Angeli dij. Sic enim intelligitur illud *ps. 49. v. 1.* DEus Deorum Dominus locutus est, id est DEus Angelorum Dominus. Item *ps. 81. v. 1.* DEus stetit in synagoga Deorum, in medio autem Deos, id est angelos dijudicat. Quod pariter explicat *ps. 83. v. 8.* Videbitur DEus Deorum id est Angelorum in Sion. Ubi

Homo Dei manibus formatus & factus est.

Angelicæ naturæ excellentia.

T 2 vides

vides à S. Thoma majorem aliquam dignitatem præ homine illis concedi. Sunt enim Angeli domestici DEI, qui velut filij domum paternam inhabitant. Alati autem pinguntur Angeli, utpotè ad obsequium divinum ejusque mandatum perferendū pernicissimi. Si quæras, cur in specie juvenili pingantur? res hæc est in Ecclesiâ usitatissimâ. Sic enim, Oleaster *in c. 3. Gen.* Paradysi Custodem juvenem pinxit. Et Angeli qui circa propitiatorium erant constituti, juvenes repræsentabantur. Cur autem non senes pingamus, quos jam ab orbe condito, ætate & duratione vetustos scimus, causa alia non est, quám quòd angeli semper in eodem statu permaneant, in quo conditi fuerunt. Mirum ergo non est, si aut non canescant, aut senes non fiant. Et quia sunt sine omni culpa purissimi, ideo juxta S. Isidorum, quia puer a puritate vocatur, quia purus est, ideo angeli quia purissimi sunt, tanquam pueri & juvenes oculis nostris subjiciuntur. Eorum numerum si inire velis, atomos facilius, aut arenas maris numerabis: Nam *Dan. 7. v. 10.* Propheta descripturus Angelorum multitudinem dicit, millia millium ministrabant ei, & decies millies centena millia assistebant ei. Non quòd hic numerus sit definitus, sed quòd humanus sermo, non facilè majorem numerum queat explicare. Maximè cum Job *c. 25. v. 3.* dicatur: Numquid est numerus militum ejus? Nam in hunc locum Jobi S. Hier. inquit: Scire enim debemus quòd tanta multitudo, non tantum ad ministerium divinum creata sit, sed etiam ad utilitatem nostram à DEO sit destinata. Cum enim mundus à dæmonum millionibus infestetur, multique detineantur in terrâ, aëre & aquis, pariter magna necessaria est Angelorum frequentia, quæ illis resistat. Sic enim teste *S. Marco c. 5. v. 9.* vel in uno homine obsesso integra legio dæmonum fuit, id est sex millia sexcenti, sexaginta sex. Quid supponere debemus de totâ multitudine & collectione? Hinc S. Bernardin. Sen. *serm. 4. de glorioso nomine Mariæ c. 3. art. 3.* inquit: Tantum numerum habuit hodie servorum, quot implent filij ministerium. Hunc numerum autem dicit solâ scientiâ divinâ posse comprehendi, quia si servetur proportio; Sicut aqua decuplo major est terrâ, aër decuplo major est quàm aqua, ignis decuplo major est quàm aër, ita decuplo plures sunt Archangeli, quàm Angeli, Principatus, quàm Archangeli, Potestates quàm Principatus sequitur numerum Angelorum esse inexplicabilem, cùm vel Angelorum numerus tantus sit, quantus est atomorum. Et hi omnes

Angeli Alati.

Angeli juvenes.

Angeli sunt plurimi.

mnes licet Charitate ad DEum sint unum, dignitate & potestate tamen, imò & specie juxta Theologos differunt. Certè S. Paulus *ad Eph. 1. v. 21.* Principatus, Potestates, Virtutes & Dominationes enumerat. Pergit S. Greg. *hom. 34. in Evang.* Qui rursus ad Coloss. scribens sive Throni &c. dum ergo illis quatuor ad Ephesios junguntur Throni, quinque sunt ordines, quibus dum Angeli & Archangeli Cherubim atque Seraphim adjuncti sunt, procul dubio novem esse Angelorum Ordines inveniuntur. S. Dionysius Angelos distribuit in tres Hierarchias, quarum quamque in tres choros dividit, adeoque cùm comuni sensu Ecclesiæ in novem Choros partitur. *Angelorū chori sunt novem.*

Quod DEus S. Mechtildi in revelatione quadam ostendit quam refert *in pædagogo cœli* his verbis. Vidit illa ascensum aureum novem instructum gradibus cinctum ingenti Angelorum multitudine, qui sic erant dispositi, ut in primo gradu Angeli, in secundo Archangeli, & ita cœteri ordines Angelorum collocarentur. Neque hic spectaculi finis fuit, ulterius enim illi DEus significavit homines pro diversis meritis, in diversis itidem angelorum gradibus esse constitutos. Ita quidem ut intelligeret eos, qui peregrinis & egentibus benefecissent, uti & pacificos, inter angelos versari. Orationis, Obedientiæ, paupertatis & humilitatis studiosos cum Archangelis esse. Virtute præditos, qui se seriò & ardenter virtutum omni studio ornassent, inter Virtutes numerari. Gloriosos Vitiorum triumphatores Potestatibus accenseri. Prælatos strenuos inter Principatus vivere; qui se voluntati divinæ conformarent, Dominationibus annumerari. Scientijs illustres cum Cherubinis gaudere. Denique flammis divini amoris ardentes inter Seraphinos numerari. Et licet Calvinus *l. 1. instit. c. 14.* hanc angelorum differentiam rideat, divinæ tamen scripturæ testimonio stabilitur. An verò etiam specie inter se differant, alij negant, S. Thom. tamen affirmat, quod ego Theologis discutiendum relinquo. *S. Mechtildi ostenduntur novem chori angelorum.*

Modò quærimus, an Angeli creati sint in gratiâ & gloriâ. Contra distinguunt Theologi hanc quæstionem, & Angelos omnes tam bonos quàm malos, in gratiâ creatos asserunt. Nam quod attinet ad gratiam, clarè id dicit Ezechiel *c. 28. v. 12.* Tu signaculum similitudinis, plenus sapientiâ, & perfectus decore in delicijs paradysi DEI fuisti. Et verò videtur hoc convenientissimum fuisse, quia Angeli in primo instanti suæ Creationis, supponi debent, non minus à DEO instructi fuisse donis supernaturalibus, quàm primus *An Angeli sint Creati in gratiâ.*

 homo,

homo. Quarè si Adam, cum his donis super naturalibus creatus fuit, cum dicat Scriptura, quod DEus fecerit hominē rectum; negari non debet Angelos Sanctos & justos, atque in gratiâ creatos fuisse. Quod vero gloriam concernit hallucinatus est in hoc Ludovicus Vives, qui Angelos in gloria conditos voluit. Quomodo autem beatitudinem suam, potuissent perdere angeli mali, cum illa sit perpetua. Et vero, qui DEum clarè videt peccare non potest. Sed Angeli mali peccaverunt, ita enim S. Judas Ap. *in suâ Ep. v. 6.* Angelos verò, qui non servaverunt suum Principatum, sed dereliquerunt suum domicilium, in judicium magni diei, vinculis æternis sub caligine reservavit. Quod vero Lucifer dicatur antè peccatum fuisse in delicijs paradysi, intelligendus est citatus superius Ezechiel de delicijs naturæ & donorum gratiæ, non verò gloriæ. Quod ipsum Job *c. 4. v. 18.* asserit: Ecce qui serviunt ei, non sunt stabiles, & in angelis suis reperit pravitatem. Quasi diceret, qui ei servire debuissent, turpi superbiâ elati, bellum DEO Creatori suo indixerunt & rebelles facti sunt. Sic enim Ezechiel *c. 28. v. 5.* In multitudine sapientiæ tuæ multiplicasti tibi fortitudinem, & elevatum est cor tuum in robore tuo. Propterea hoc dicit Dominus DEus: Eo quòd elevatum est cor tuum quasi Cor DEI, &c. Explicant aliqui hæc verba, quasi Lucifer voluerit esse DEO similis in essentia, quod repugnat illius Sapientiæ concreatæ; Scivit enim hoc esse impossibile. Meliùs ergò dicunt alij, quod voluerit esse DEus id est, quasi voluerit suam potius naturam assumi, quàm hominis. Videtur ergo totum bellum Angelorum in cœlo fuisse de majoratu & præcellentiâ inter Angelos & homines, invidebantque mali Angeli naturæ humanæ unionem cum Verbo aliquando futuram. Quandò enim in cœlo creati fuerunt Angeli, & suam venustatem fuit miratus Lucifer, complacentiâ vanâ elatus, quæsivit, quis major esset in regno cœlorum? Statuit ergo DEus parvulum in medio eorum teste Soario *3. p. tom. 2. disp. 31. sect. 4.* quia statim ac creati fuerunt Angeli, revelatum illis fuit mysterium Incarnationis, & propositus est ille Parvulus *Isa 9.* Parvulus natus est nobis. Atque simul decretum divinum datum est Angelis, nisi efficiamini parvuli cum illo, non intrabitis in regnum cœlorum. Lucifer superbus cum suis, sprevit decretum divinum; Michaël humilis adoravit, ideò ex hac mutuâ voluntatum dissensione facto prælio Michaël devicit Luciferum. Et tunc cessarunt esse viato-

Angeli non sunt creati in gloriâ.

Angeli cum DEO affectata similitudo.

Angelorum prælium in quo consistat.

viatores Angeli, suamque viam finiverunt, quando modico planè tempore post instans Creationis suæ, mali in infernum præcipitati sunt, boni verò confirmati in bono, in gloriam cœlestem admissi sunt & in æternum in eâ perseverant. Quod enim Angeli semel cum plenâ deliberatione elegerunt, in eo constanter & immobiliter perseverant, atque sic bonis confirmatis in gratiâ, sublata fuit potentia ad peccandum. Concludo hanc quæstionem cum verbis S. Bern. *serm. 1. de Adv.* Quid superbis terra & cinis? Si Superbientibus Angelis DEus non pepercit, putasne impunè superbiet putredo & vermis? Nihil illi fecerunt, nihil operati sunt, tantùm cogitaverunt superbiam, & in momento, & in ictu oculi, irreparabiliter ceciderunt, ac de cœlo præcipitati sunt. Quarè *in tract. de Carnis huma. vilitate* inquit: Superbia de supernis ac cœlestibus præcipitat, humilitas ab imo ad alta elevat. Angelus de cœlo ad tartara corruit, homo in mundo ad cœlum ascendit. Quia scimus superbis non esse partem vel societatem in sorte sanctorum. Imò dum elevantur superbi, eodem quasi momento ruinæ succumbunt. *ps. 72. v. 18.* Dejecisti eos dum allevarentur. Pulchrè S. August. in hunc locum. Non ait, dum elevati fuissent, ut prius extollerentur, & posteà dejicerentur, sed cum extollerentur dejecti sunt; ipsum quippè extolli jam dejici est. Superest nunc quæstio, an singuli homines, habeant singulos suos Custodes Angelos.

Superbia angelos de cœlo præcipitat.



DISCURSUS XII.

De sanctorum Angelorum circa nos homines custodia.

ANgelis esse demandatam Custodiam hominum res est indubitata, & quidem varijs Scripturæ locis plus quàm certa. An non enim Angeli fuerunt Custodes Loth, uxoris & filiorum ejus, qui *Gen. 19. v. 15.* Cogebant eum dicentes, surge, tolle uxorem tuam, & duas filias quas habes, ne & tu pariter pereas in scelere Civitatis. Quid magis pateticum de Angelorum custodiâ haberi potest, quàm id ipsum quod in libro Tobiæ *à c. 5. usque ad 13. exclusivè* habe-

Angeli sunt Custodes hominum.

habetur. Quis tam fidelis unquam extitit pædagogus, aut vitæ morumque arbiter, ac hic Angelus, qui Tobiam in viâ deduxit, & optimè confectis rebus reduxit. Neque hoc solùm antiqui testamenti est privilegium, ad nostra usque tempora hæc Angelorum gloriosa durat custodia. Certè Christus *Math. 18. v. 10.* dum de parvulis dicit, quod à Cœlestibus Custodibus custodiantur, adultis suos tutelares non negavit. Angeli inquit; Eorum semper vident faciem Patris mei, qui in cœlis est. In quæ verba S. Hieronymus: Magna est dignitas animarum, ut unaquæque ab ortu suæ nativitatis, in sui custodiam habeat angelum sibi deputatum. Fundatur hæc S. Hier. doctrina in illo *Act. 12. v. 16.* Quando S. Petrus ab angelo ex carcere liberatus venit ad domum, ubi multi erant congregati orantes DEum pro Petro. Cùm verò puella nomine Rhode progressa fuisset ad portam, ut pulsanti Petro aperiret, præ gaudio non aperuit, sed intrò cucurrit & nunciavit adesse Petrum, illi verò insanire dicebant puellam. Cùm autem puella confirmaret dicta sua, audite verba intus orantium illi autem dicebant, Angelus ejus est. Certè si S. Petrus habuit Angelum proprium, quod agnoverunt primi Christiani, cur non credamus etiam alios homines suos habere Angelos Custodes. Cum Christus apud Mat. citatum de infantibus & parvulis dicat, eos habere Angelos proprios. Hoc enim notanter innuitur verbis illis, Angeli eorum. Quorum unicuique teste S. Hieronymo ab ortu suæ nativitatis datus est Angelus in sui custodiam. Ut benè dixerit S. Paulus *ad Hebr. 1.* Nonne omnes sunt administratorij spiritus in ministeriū missi propter eos qui hæreditatem capiunt salutis. Neque hoc difficile est, aut videri potest sanctis Angelis, de quibus Christus, *Mat. 18.* dixit: Angeli eorum semper vident faciem Patris. Quid enim verò mirum si hominibus in terrâ commorantibus assidere non renuant, qui nunquam à cœlesti illâ visione separantur: Pulchrè ad rem nostram S. Bernardus: Magna inquit Obedientia sancti Angeli! sed quid dicere audeam, pace vestrâ nescio, an non inveniatur in vobis quispiam, paratus in tale aliquando ministerium mitti, in quo necesse habeat, non videre faciem Patris? Certè Petrus quando vidit Christum gloriosum in Thabor statim exclamavit *Math. 17. v. 4.* Domine bonum est nos hic esse; sed Christus ostendit bonum esse quidem Christi præsentia frui, & illius gloriâ potiri, sed melius esse ex Obedientia ob proximi salutem gravia certamina subire.

Vos

Vos ô Angeli, qui nobis in pugnâ adestis hoc eo feliciores estis, quod nunquam a DEO recedatis. Angeli eorum, semper vident faciem Patris mei. Felices vos ô sancti Angeli, qui licet nobis in terris assistatis, à Patris æterni visione beatificâ non excludimini. Pro magno ducunt sæculares, proximum esse Regi, & ejus vultum semper intueri. Absalon filius Regis, David Patri reconcilliatus *2. Reg. 14. v. 32.* exclamat: Obsecro ut videam faciem Regis. Quod si memor est iniquitatis meæ, interficiat me. Quanta ergò felicitas Angelorum, qui semper vident faciem Patris cœlestis. Moyses plurimis à DEO affectus beneficijs hoc tamen non obtinuit, ut faciem DEI videret. *Exodi 33. v. 23.* faciem autem meam videre non poteris. Et Christus ipse *Mat. 13.* felicitatem se videntium explicans dixit Vestri autem beati oculi, qui vident! amen dico vobis, quia multi Prophetæ & justi cupierunt videre, quæ videtis. Beati ergo angeli faciem DEI semper vident. Sunt enim administratorij Spiritus, qui quod in facie cœlestis Patris vident, nobis communicant. S. Chrysostomus veniens *ad illa verba Lucæ:* factum est autem ut moreretur mendicus, & portaretur ab Angelis in sinum Abrahæ, miratur obsequiosam charitatem Angelorum. Cum enim quivis Angelus sit tantæ virtutis, ut totum mundum uno digito possit movere, facilè potuisset unus illorum Lazarum deportare ad sinum Abrahæ. Audite S. Chrysostomum: Gaudet enim unusquisque Angelorum, ut adducant homines ad regna cœlorum: Sunt utique soliciti pro nobis. Benè namque S. Aug. *in soliloq. c. 27.* Ambulant nobiscum in omnibus vijs nostris, intrant & exeunt nobiscum, attentè considerantes, quam benè, quamque honestè in medio nationis pravæ conversemur, quantoque studio & desiderio quæramus regnum DEI & Justitiam ejus. Adjuvant laborantes, protegunt quiescentes, hortantur pugnantes, coronant vincentes. Grandis est eis cura de nobis. Magnus est eorum affectus dilectionis erga nos. Fundatur autem hæc dilectionis ratio in quadam similitudine, quæ inter angelos & hominem intercedit. Hinc *Aristoteles 9. mor.* similitudinem amoris matrem appellavit. Quid verò dissimilius quàm Angelus & homo? Ille spiritus, hic caro; ille cœlestis, hic terrenus; ille DEO intentus semper videns faciem Patris, hic terrenis immersus, & totus aversus à DEO. Est tamen aliquid, quod nos Angelis pares facit, utrique nempè est impressa imago DEI. Unde S. Greg. Nyssenus *l. de vita Moysis.* Frater quodammodo

Angeli gaudent de nostrâ salute.

dammodo hominis est Angelus, ob intellectualium cognitionem. Accedit præceptum & exemplum DEI. Angelis suis mandavit de te *ps. 90. v. 11.* & ob hoc angeli nomen suum sortiti sunt. Quid quod videant DEum nos amasse, ut filium suum unigenitum daret? quid ni & illi nos ament? & quidem tenerrimè *1. Reg. 18.* Davidis & Jonathæ amicitia describitur: Anima Jonathæ conglutinata erat animæ David, & dilexit eum Jonathas, quasi animam suam. Unde Jonathas expoliavit se tunicâ suâ, eamque donavit David, quia amoris contestatio, sunt dona. Cœlestes thesauros illi unicè in nos transferre curant, qui hoc uno gaudent, quod suâ nos innocentiæ stola, vel veste albâ æternæ felicitatis videant donatos. Quis enim nostrum non dicat cum Tobia *c. 13. v. 3.* Et bonis omnibus per eum repleti sumus. Quid quod DEus ex multorum opinione omnia dona per eos nobis conferat? Hinc scala illa Jacobæa *Gen. 28.* in qua Angeli ascendebant & descendebant Fernandio *visione 2. in Gen. c. 28.* concordare videtur cum illo *Cant. 6.* Quid videtis in Sunamitide nisi choros castrorum, ubi piè meditatur cœlestes choraules saltando & tripudiando descendisse, quia cum voluptate magna ad nos dona perferunt; contra hostes verò velut ordinata acies defendunt. Et licet sæpè temporalia præstent, ordinantur tamen hæc primario ab illis ad salutem nostram, quàm solicitè procurant. Sic Eliam fugientem à facie Jezabel, pavit Angelus pane subcinericio, ut vitam ulteriori obsequio divino conservaret. Colligimus hanc piam Angelorum solicitudinem ex illo *Job. 2.* Factum est cùm quadam die venissent filij DEI, ut starent coram Domino. Legunt alij, factum est autem quasi dies hæc, & venerunt Angeli DEI assistere coram Domino. Quærit S. Chrysostomus *in catena.* Quid tandem est, quod Angeli quotidiè DEO assistentes indicantur? & Respondet, ut intelligatur rebus nostratibus consuli. Sicut enim habemus in Apocalysi ipsi quotidiè antè altare divinum, profundunt orationes nostras in conspectu Domini, ut nobis cœlestes gratias referant, magno namque ardent salutis nostræ desiderio. Hinc Gabriel cum in negotio Incarnationis singulariter nihil operari posset, saltem nuncium egit tam felicis & fortunati beneficij. Idem primus fuit, qui peractâ redemptione generis humani, eam PP. in limbo annunciavit. Et hæc est scala dicta, de quâ S. Bern. *serm. 2. in Vigil. Nat.* ubi de sanctis Angelis loquens ait: Quomodo discurrunt medij inter nos & DEum, fidelissi-

mè

mè ad eum portantes gemitus nostros, & ipsius gratiam devotissimè nobis reportantes. Hoc enim ipsum de se fatetur Raphaël Archangelus *Tob. 12. v. 12.* Quando orabas cum lachrymis & sepeliebas mortuos, & derelinquebas prandium tuum, & mortuos abscondebas per diem, & nocte sepeliebas eos; Ego obtuli orationem tuam Domino. Undè S. Joannes *in sua Apoc. c. 8. v. 3.* inquit: Et alius Angelus venit, & stetit ante altare, habens thuribulum aureum, & data sunt illi incensa multa, ut daret de orationibus Sanctorum omnium, super altare aureum quod est ante thronum DEI. Hinc orationem nostram omni studio fovent. Certè cum S. Isidorus in templo sacrum audiret, ne aliquid laboris in agro negligeretur, Angeli eum suppleverunt, & cum duobus bobus candidis terram araverunt, quo facilius ille suæ devotioni deserviret. Non tacebo hîc Ferdinandum Antolinum, qui cum Saracenis conflicturus, decreverat prius Missam audire, quam dum audit, adfuerunt ad pugnam prompti Saraceni. Quarè clamaverunt ad arma milites, & dum missam audit Antolinus, ejus Vices supplet Angelus Custos, qui ubique præsens eâ dexteritate hostes repressit, suosque animavit, ut hostes in fugam conjecerit, & præclara Ducis indicia in equo & armis Ferdinandi post pugnam visa sint, quasi ipse pugnæ interfuisset. Quid quòd vel ipsi, in ministrando absentium vices suppleverint? Joannes Berchmans Societatis JEsu Scholasticus in sacello domestico quotidie ministrabat angelicâ planè cum devotione, cum verò semel ex fragilitate obdormivisset, & sacrum instaret, adfuit ejus Angelus Custos, qui id fecit pari dexteritate, ut omnes Berchmanum crederent. Nec innotuisset Angelicū obsequium, nisi ipse se apud Collegij Ministrum accusâsset, quòd obdormiverit. Idem accidit cum quodam Franciscano de quo Chron. *Minor. tom. 2. l. 1. c. 57.* Cum enim Joannes de Parma Franciscanus abdicâsset se Generalatu ordinis, DEO vacaturus abdidit se in loco quodam angusto, ubi sacellum fuit, in quo quotidie ad aras faciebat, huic ministrabat Religiosus juvenis singularis pietatis, qui somno quadam die præventus, ad ministerium non comparuit. Dum verò sacerdos sacrum parat, adest loco dormientis Angelus ejus, qui omnia adamussim executus, senem in persuasione firma sui Fratris permisit. Ubi verò gratijs actis ad cubiculum se recipit Joannes, adest consuetus sacri minister, & petit an sacrum celebrare placeat? Ex quo vir DEI agnovit, qualem Ministrum in

Orante S. Isidoro Angeli arant.

Angelus pugnat, dum Antolinus sacrum audit.

Angelus Berchmanum supplet in ministrando.

Angelus supplet Ministrum ad sacrum.

Angelus Sacrystanum agit. sacro habuerit. Quin etiam Sacrystanum agunt, ita enim de B. Diadomo lego, quod Angelus in desertâ Ecclesiâ omnia ad sacrificium necessaria eidem paraverit. Quarè etiam Altaria defendunt. Lego ego apud Sophron. *in prato spirit. c. 10.* quod cùm Abbas Barnabas juxta Jordanem sanctam vitam ageret, ibidem in cellâ suâ altare erexerit, ut missam diceret, in quo etiam sæpius DEO sacram hostiam litavit. Ubi vero ab illo loco recessit, ingressus speluncam anachoreta alius, vidit super altare stare angelum DEI, cui anachoreta dixit: Quid hic agat? Cui respondit Angelus. Ex quo sanctificata sunt ista, illa mihi à DEO credita sunt. *Angelus altare custodit.* Nec mirum, cùm enim anno Christi 774. Carolus Magnus cum exercitu movisset in Italiam, Saxones Castellum quoddam obsederunt, & vicinam Ecclesiam, quam S. Bonifacius consecraverat, comburere voluerunt. Cùm ecce duo juvenes miro splendore & claritate circumdati, inspectantibus Christianis & paganis templum defenderunt, & saxones fulgore nimio territi in fugam conversi sunt. *Angeli Ecclesiam ab incineratione defendunt.* Pari constantiâ defenderunt Angeli templum, cum Eudoxia repeteret sui Exercitus Ducem Paulatium nomine, quem S. Joan. Chrysost. in Ecclesiâ detinebat, nec dimittere, voluit, aut absolvere, nisi Callitrope viduæ restituerentur quinquaginta aurei per Paulatium vi extorti. Eudoxia namque Centuriones duos cum validâ militum manu misit, qui armati in templum irruerent, ut vi Paulatium eriperent. Cùm vero hi Centuriones ad templum venissent, viderunt Angelum DEI in vestibulo stantem, qui evaginatâ romphæâ illos ab ingressu templi prohibuit. Territi ergo ad Imperatricem regressi sunt, & quæ viderant, non sine consternatione Eudoxiæ narraverunt. *Angeli Ecclesiam contra Eudoxiam defendunt.* Et hinc etiam Sacerdotes honorant. In vita enim S. Francisci de Sales habetur quod ejus Confessarius Dequozus nomine, Angelum Custodem tam familiarem habuerit, ut ei ubique præsens esset, quem ita reverebatur, ut si nondum Sacerdos cubiculo exiret, vel illud intraret, Angelo suo semper primas cederet, quod obsequium Angelus admisit, at ubi Sacerdos factus est Dequozus, Angelus illud amplius non permisit, neque sacerdotem præivit. *Angelus Sacerdotem honorat, cedendo dextram.* Sancto verò Gregorio cùm is Romæ in die Paschatis sub sacro caneret Pax vobis. Angelus chorum præveniens, altissimâ suavissimâque voce respondit, Et cum Spiritu tuo. Hinc in tanti prodigij memoriam, die Paschatis Pontifici in sacro verba illa cantanti, nihil respondetur. Deniquè in choro orantes *Angelus in Sacro S. Gregorio respondet.*

tes signant. Miranda planè fuit visio Dorothei Abbatis, qui vidit quòd nocte quadam dum Religiosi psalmos canerent ab initio statim psalmodiæ, è sacrario prodierit iuvenis formosissimus, qui manu ferebat calicem & hostiam, quam ubi intinxit in sanguinem, eadem frontes præsentium obsignabat. Aberant aliqui, quorum tamen sedes eodem sanguine tinxit, non tamen omnium absentium. Causam scire cupiens Dorotheus, submisissimè illam ab Angelico juvene petijt, qui respondit, se signâsse frontes omnium orantium, qui ad concinendas DEI Laudes alacriter & promptè accurrerunt, absentium vero eorum sedes consignâsse, qui jussu Superiorum vel dormivissent, vel alibi detinerentur, non verò eorum, qui culpâ suâ abessent. *Angeli orantium frontes signant.* Taceo quòd sæpius ipsi Angeli orantes suppleverint. Surius *ex M.S. Corbeiæ* refert, quod in eodem monasterio Angeli visi sint insedisse subsellia odæi, & cum religiosis canere, ac vices obire Monachorum, qui ex Obedientiæ præscripto aberant. *Angeli orantes supplent.* Pulchrum est illud, quod narrat Cæsarius *l. 7. c. 52.* In Cœnobio quodam Cisterciensis Ordinis, conversum quemdam nomine Hermannum, cum post Completorium in strato suo quiesceret, & recordaretur se unicam horam, quam alias in honorem B. Virginis dicere solebat propter diurnas occupationes omisisse, de strato suo subitò exilivisse, ut vel illo tempore consuetas preces adimpleret. Astitit ibi Virgo, ejusque miserta illum quiescere jussit, & voluit horam neglectum per Angelos compensari. *Angeli horam neglectam compensant.* B. Stanislaus Koska è Societate JEsu sæcularis adhuc patrocinante S. Barbara habuit Angelos, qui eum sacrâ Communione refecerunt. *Angeli B Stanislao Communionem deferunt.* S. Bonaventura cum per plures dies ob summam animi demissionem à sacrâ Communione abstinuisset, in præmium tantæ humilitatis missæ præsens cum cœlestis illius panis miro teneretur desiderio, per angelum, qui ex manu sacerdotis particulam sacræ hostiæ subduxit, communionem accepit. *Angelus S. Bonaventuram communicat.* Quid quòd dignè communicantes libro vitæ inscribant. Ammona Presbyter cum sacris operaretur, vidit ad dextrum cornu altaris stantem angelum, qui dignè comunicantium nomina in librũ referebat, eorum autem, qui se à communione subduxerunt nomina, conspexit deleri, quietiam intra triduum mortui sunt. *Angeli dignè communicantes libro vitæ inscribunt.* Refert P. Joannes Nadasi quod Joannem Virum Sanctum, Angelus ad Constantiam Sanctimonialem animam agentem . cum Sanctissimo Sacramento ad cellulam illius adduxerit, ut illam pro æternitate Sacramentis muniret. Quâ mortuâ rursus

Angelus per Sacerdotem Moniali de Sacramentis providet. Angelus Sacerdotem per quindecim millia passuum, domum reportavit. Magna planè cura fuit Angelorum circa infirmos. Cæsarius l. 12. de S. Enulpho puero narrat, quod cum morti vicinus esset, eidem Angelus extremam unctionem contulerit. Et verò non sine causâ soliciti sunt hoc tempore sancti Angeli, tunc enim agitur de salute æternâ. An non enim de homine in agone constituto dicam, quòd sit ille homo infelix, qui in latrones incidit. Certè Latro mors *Mors est Latro.* est, & quidem exercitatus ac armatus sagittis & falce. Latro mors est, sic dicta à latendo, quia inopinatè nos invadit; aut certè quia à latere nostro est, cui semper adhæret. Latro est mors inquit Labata, quæ vitam & bona temporalia eripit. In hunc latronem omnes incidimus, nec via est quâ evadamus. Latro etiam dæmon dicitur, de quo *Job. 19. v. 12.* Simul venerunt latrones ejus, & obsederunt in gyro tabernaculum meum. In quem locum S. Greg. *l. 14. mor. c. 18.* Latrones isti maligni sunt Spiritus, qui in mortibus hominum occupantur. *Cononi Monacho morienti 15000. dæmonum adsunt.* Soli Cononi Monacho morienti quindecim millia dæmonum astiterunt. Sed quis tunc Samaritanus? Alius certè nullus, quam noster Sanctus Angelus Custos. *Dan. 6.* Misit Chaldæorum furor Danielem in lacum Leonum & ecce misit DEus Angelum suum, & conclusit ora Leonum, & non nocuerunt mihi. Arcent nimirum Angeli sancti dæmones, qui velut rugientes præparati ad escam circumstant lectulum moribundi. Cùm fortis armatus custodit atrium inquit Christus, in pace sunt ea, quæ possidet. Nihil itaque metuamus, fortes sunt & armati Angeli nostri Custodes. Postquam enim *Apoc.* *Angeli in agone nos defendunt.* 12. factum est prælium cùm Dæmone infernali in cœlo, exarmatus est in æternum Draco ille infernalis. Hinc est quod in agone solicita mater Ecclesia orando instet: Accurrite Angeli, suscipite animam ejus, offerentes eam in conspectu Altissimi. Testis est hujus mendicus Lazarus, qui ad ostium divitis jacebat, ac de micis, quæ ex mensâ divitis cadebant famem explere postulavit. Cùm verò factum est, ut moreretur mendicus, portabatur ab Angelis in sinum Abrahæ. S. Chrysostomus *hom. 5. in Luc.* dicit Angelos sibi honori duxisse, ut hoc onus subirent. Portabatur ab Angelis inquit, ne saltem ambulans laboraret, & non unus Angelus sed plures veniunt, ut chorum lætitiæ facerent. Gaudet unusquisque Angelorum tantùm onus tangere. Consuetum quidem est belli Ducibus, dum urbem aut arcem obsident valdè munitam, ut ubi varijs assultibus illam non expugnarunt,

runt, tandem generali ad id indicto assultu eandem impetant. Facit id infernalis hostis, qui ut animam nostram velut fortissimam arcem expugnet, quam per omnem vitam arctè quidem semper cinxit, tandem in agone fortissimè impugnat. Ut propterea *Apoc. 12. v. 12.* nos moneat S. Joannes: Quia descendit ad vos Diabolus habens iram magnam, sciens, quia modicum tempus habet. Tunc enim verificatur illud *Luc. 19. v. 43.* Circumdabunt te inimici tui vallo, & coangustabunt te undique. Sed adsunt nobis exclamat S. Cyrillus Alexandr. sancti Angeli, sine quorum præsidio, non possemus resistere. Taceo inquit ille gravissima tentationum certamina, quibus tunc maximè contra animam insurgit dæmon, quæ nisi divinâ gratiâ & ope cœlestium civium præcipuè verò sanctorum Angelorum subnixi vincere non possemus. Animet nos visio illa Beati Moysis Abbatis, qui à spiritu fornicationis fortissimè oppugnatus, cum in cellâ suâ quietem non haberet, fugit ad S. Isidorum Abbatem, eique tentationis gravitatem aperuit. Cui cùm Abbas varia ex Scripturis remedia ostendisset, ab eo tamen impetrare non potuit, ut his animatus ad cellam suam rediret. Quare illum ad superiorem cellulæ suæ partem deduxit eique dixit, ut respiciat ad Occidentem, ubi vidit ingentem dæmonum exercitum irruere. Dixit autem illi rursus respice ad Orientem, & vidit longè majorem copiam sanctorum Angelorum, qui in defensionem nostram armantur. Cognosce ergo inquit Abbas Isidorus, quod plures nobiscum sint, quam contra nos. Quo confirmatus Abbas Moyses, ad cellam suam est reversus. Solemur nos exemplo S. Franciscæ Romanæ de quâ *in vita illius l. 2. c. 14.* narratur, quòd dæmones se illi in formâ viperarum, leonum, & monstrorum horridorum objecerint, qui tamen omnes ab angelo tutelari rejecti fuerunt. Quandò verò morsum sanctæ Matronæ minabantur, Angelus se interposuit; & ictum omnem aut morsum avertit. Sic etiam S. Mariam Magdalenam contra dæmonis tentationes defenderunt, quam cùm in specu suâ infernalis genius non sineret quietam, illum S. Michaël repressit, & S. Magdalenam ab importunis ejus tentationibus penitus eliberavit, maximè verò tunc, quando illi in horridâ formâ Draconis apparuit, & illam deglutire volebat, tunc enim in aditu speluncæ crucem erexit dicens: Cave! ne extimescas imposterum, Custos tui Altissimus est. S. Lidwinæ Angelus Custos lignum dedit, quo ex corporibus obsessorum dæmones pepulit, & fugavit.

Plures sunt Angeli defensores quam hostes dæmones.

Franciscâ Romanam Angeli contra dæmones tuentur

S. Magdalenam contra dæmones S. Michaël defendit.

fugavit. Minoris omnino potestatis signum est, quod tantus Gigas à tam debili homuncione debelletur. Angelus enim Theodorum Abbatem, uti refert pratum spirit: per dexteram apprehendit & ingens Theatrum induxit atque pugnare jussit. Stabat autem hinc pulcherrimus Candidatorum, indè nigerrimus atratorum spirituum exercitus, inter quorum medium prodijt Gigas., ad cujus conspectum totus contremuit. Theodorus, pugnare tamen cum illo jussus est, cum interim opem suam & lauream sponderet Angelus. Vix itaque pugnam aggreditur Theodorus, & ecce debellatur Gigas, atque Theodoro coronam imposuit Angelus. Cùm subito omnis niger funestorum spirituum disparuit exercitus, candida vero cœlituum corona Angelo Custodi pro ope Clienti suo præstitâ gratias egit. Debilis est dæmon, ex quo enim Christus Crucis suæ baculo dæmonem percussit, non Crucem tantùm, sed vel ipsum baculum formidat. Sic S. Ignatius quod in vitâ ipsius habetur; sæpius dæmonem baculo fugavit. S. Bernardus eodem, dæmonem in fugam egit. Tentabatur quædam mulier ab incubo dæmone, quæ à S. Bernardo imploravit auxilium, ut à tam malo hospite liberaretur: Dedit illi vir sanctus baculum suum., quem ut in lecto suo poneret fœminæ mandavit; hunc ubi adveniens vidit dæmon, cum accedere non auderet, à longè minas intentavit, sed tandem à S. Bernardo penitus fugatus est. Ita planè S. Euphraxia cum Energumenam liberare vellet, neque dæmon ei cederet, comminata est dæmoni, nisi quam primum cederet, se baculũ Abbatissæ suæ accepturam; fecit, & pedo illo energumenam percussit, statimque diabolum fugavit. S. Julianæ dæmon in specie Angeli lucis apparuit, quem illa apprehendit, & manus illi post terga ligavit, deinde in terram dejecit, & suis quibus in carcere ligabatur vinculis, verberavit. Cum vero duceretur ad Præsidem, traxit illum vinculatum secum per forum, clamantem & rogantem dimitte me jam, noli amplius me hominibus ridiculum facere. Qui post quam diu S. Julianam sic est precatus, tandem ab illa in sterquilinium est relegatus. Defendunt ergo nos Angeli contra dæmonis insidias, imò etiam eundem religant & constringunt compedibus cum S. Juliana. Testis est hujus Tobias Junior qui dum enarrat gratias sibi à Raphaële præstitas inquit, & dæmonium ab eâ ipse compescuit. Quod amplius *Tob. 6. v. 14.* ipse confirmat: Angeli namque monitu jussus in uxorem accipere Saram *v. 14.* dixit: Audio quia tradita est septem

Theodorus assistente sibi Angelo, gigantem dæmonem debellat.

S. Ignatius dæmonem baculo fugat.

S. Bernardus dæmonem incubum baculo fugat.

S. Euphraxia pedo Abbatissæ Emergumenam liberat.

S. Juliana dæmonem vinculis ligatum trahit.

septem viris, & mortui sunt. Quem scrupulum ut juveni tolleret Angelus, *Tob. 8. v. 3.* mandavit ut jecur piscis capti, poneret super vivos carbones & tunc Angelus Raphaël apprehendit dæmonium, & alligavit illud in deserto superioris Ægypti. Quæ linguâ etiam Angelica sufficiat in enarrandis Angelorum gratijs? Solantur nos in afflictionibus nostris. Sic solatus est Angelus afflictam Agar in solitudine, quæ *Gen. 21. v. 17.* ab Angelo deficiente aquâ, novo ad bibendum puteo fuit recreata. Quin imò in ipso novo testamento ipsum Angelorum Dominum solatus est Angelus *Luc. 22. v. 34.* Apparuit autem illi Angelus de cœlo, confortans eum. Hi sancti Angeli ad bonum nos impellunt. Sic *Act. 6. v. 26.* Surge inquit ad Philippum & vade ad viam contra meridianum, quæ descendit ad Jerusalem in Gazam ubi Eunuchus Reginæ Candacis in curru legebat Isaiâ, & ut se illi jungeret Philippus monitus est ab Angelo, qui cum illi Isaiam esset interpretatus, baptizari petijt, eoque baptizato Angelus Philippum loco suo restituit. Ita planè *Act. 10. v. 5.* Et nunc mitte viros in Joppen inquit Angelus Cornelio, & accersi Simonem quendam, qui cognominatur Petrus, hic dicet tibi, quid te oporteat facere. Ecce quam solicitè Angelus DEI non tantum Cornelium ad evocandum Petrum, sed etiã Philippum ad erudiendum Eunuchum in viâ salutis sit cohortatus. Occurrit hic, quod ipsi Angeli etiam pædagogos agant. Fursæo enim ægrotanti apparuit Angelus, qui omnia ei tradidit documenta, quæ ad prædicationis officium pertinent, monuitque, ut nulli labori parceret, neque ullo periculo deterreatur, superesse duodecim vitæ annos, post quos ad laborum præmium sit avocandus. Dici non potest, quo fructu per Angliam, Galliam & Belgium verbum DEI disseminaverit. Benè profectò S. Dionysius Areopagita Angelos hominum tutores ac pædagogos nominavit. De quibus etiam Epictetus dixit, quod sint Genij. Velut Augustales, & Patrimonij domini Curatores. Docent ergo nos, & velut fideles Pædagogi nos erudiunt. *Dan. 9. v. 21.* Ecce vir Gabriel, & docuit me, & locutus est mihi, nempè eliberationem populi Israël, per adventum JEsu Christi, & ejusdem Incarnationem. Ita etiam Joannes *in sua Apoc. c. 1.* fatetur se totam illam doctrinam accepisse à Christo per Angelum *v. 1.* Et significavit mittens per Angelum suum servo suo Joanni, quæcunque vidit. Ita *Luc. 1. v. 12.* Angelus instruxit Zachariam de nativitate S. Joannis Baptistæ, de no-

Solantur nos Angeli.

Ad bonum nos impellunt.

Angelus Fursæum Concionatorem instruit.

mine Joannis, quo vocandus esset, quomodo denique Præcursor ipsius Christi, sit designatus. Merito ergò nos admonet S. Bern. *serm. 12. in psal. 90.* Simus ergo devoti, simus grati tantis custodibus, redamemus eos, honoremus eos, quantùm possumus, quantùm debemus. Meritò dicat quivis cum illo Abbate *in vitis PP. l. 7. c. 44.* Ego Angelum meum, mihi assistentem juxta me specto, & custodio me ipsum. Timeo eum ut custodientem vias meas, & quotidiè ascendentem ad DEum, & insinuantem actus meos, & verba, pertimesco. Quod verbis penè paribus dixit Epictetus, Philosophus Ethnicus *l. 1. c. 13.* Procuratorem unicuique addidit Genium eumque illi custodiendum tradidit, & talem quidem, qui nec dormiat, nec decipiatur. Cum igitur fores clauseritis, & conclave tenebrosum feceritis, cavete ne unquam dixeritis vos esse solos. Neque enim soli estis, sed DEus intus est, vester Genius intus est. Cave ergo peccator quisquis es, solus non es. Undè putavit S. Bernardus sufficere ad omne peccatum vitandum inspectorem nostri Angelum contemplari. Neque enim in præsentiâ pædagogi tui audeas, quod te non deceat. Doctrinam hanc jam ante tradidit Ambr. *serm. 8. in ps. 118.* Si quem fortè spectatorem cognoverit facinoris sui, pudore inceptum deferet. Quanto magis si quis allevet mentis suæ oculos, & consideret plena esse omnia Angelis. Quin imò etiam instar pædagogi severi, calcitrantem increpant & castigant. Pexenfelder *p. 1. hist. 34. §. 5* refert quod Zwollis adolescens pius inciderit in socios pessimos, qui lusui vacantes luserunt eâ conditione, ut victi victoribus symposium solverent. Supervenit ex socijs alius, qui lusum cœpit cum hac conditione, ut victor pro libitu alijs imperet, cujus jussa omnes alij exequantur, qui verò jussa negligeret, solus loco omnium futuræ cœnæ solvat impendia. Evasit hujus lusûs victor, ipse qui fuit illius author, quarè statim imperat, ut omnes se sequantur, hos ille ad Lupanar abducit, atque expletâ suâ libidine omnes ordine ad sui sequelam compulit. Quid agat modestus juvenis? effugium rogat, at socij pallium arreptum tenent, nec à se dimittunt. Cubiculum ergo lenæ ingreditur; pessulum obducit & nummum argenteum meretrici obtulit, rogans ut in secreto habeat, quod ab eâ illæsâ virginitate suâ recesserit. Contenta mulier & juvenis honestate mota, promisit se demandatum secretum servaturam. Ubi ad socios redijt juvenis, cùm tempus quietis revocaret domum, ipse se subtraxit,

Angelus nobis semper est præsens.

Societas mala pudicitiæ periculosa.

Castitas soluto pretio pudicitiam emit

traxit, cumque jam ædibus suis propinquaret, vultu radiantem habuit obvium Angelum, qui fortissimè impegit alapam dicens: Vel hoc verbere discas, malâ societatem cavere. Ubi ad se redijt juvenis, alacer domum redijt, sed tumorem in genis per aliquot dies servavit. Non absimile est quod Delrio *l. 7. c. 2.* narrat *in suis disquis. mag.* de Ægidio nobile Juvene Lusitano qui Medicinæ daturus operam, Lutetias abijt. In viâ obvium habuit Dæmonem, qui meliorem artem promisit, futurum nihilominus, ut in Medicina excellat. Quare juvenem propè Toletum in amplum induxit specum, ubi juvenis magicis imbutus disciplinis septennio integro in Magiâ alijsque sceleribus mirè profecit: Hic dum solus in viâ ambulat, cataphractum Equitem obvium habuit, qui lanceam in illum vibravit, ac minaci voce inclamavit, vitam hanc moresque desere, ac ad frugem convertere. Territus, sed nondum ad salutem Ægidius, ad priores relabitur voluptates. Undè post triduum rursus comparet ille Eques, nec amplius minatur sed serio lanceam pectori, non tamen periculosè infigit. Quo territus Ægidius exclamavit; Dedo me! faciam Domine quidquid jusseris. Hoc animo Lusitaniam repetens, incidit Palentiæ in monasterium PP. Dominicanorum quod ædificabatur. Petit hic ab Ordine suscipi, & admittitur, ipsumque probationis annum, cum magnâ virtutis commendatione absolvit. Finito Tyrocinio Sanctarenum mittitur ubi cum cura lacessivit de schedâ, quam dæmoni suo sanguine subscriptam dedit recuperandâ. Instanter itaque B. V. & suo Tutelari Angelo supplicat, atque dum antè aram B. Virginis orat, dæmon horrificâ specie apparet, qui postquam ei contumeliosè beneficia præstita exprobravit, ad pedes illius syngrapham abjecit, & videri desijt. Ita planè juvenem quemdam in Episcopatu Trajectensi, qui pessimam Societatem inierat reduxit. Hunc enim ut Angelus in præsentissimam salutis ruinam pronum retraheret, monuit Angelus de præsentissimo periculo, insignem illi colaphum impingendo, sic ut rubor diebus aliquot in facie cerneretur. Sic Jovinianum Cæsarem Angelus Custos humiliavit. Hic enim elatus Cæsar uti testatur Pexenfelder *p. 3. hist. 119. §. 4.* impatiens illius textus Cantici Magnificat, ubi dicitur; deposuit potentes de sede, in eam devenit amentiam, ut crederet, se à solio suo deturbari non posse. Abit ad venationem in sylvam Cæsar, ubi in limpidissimum amnem incidit, ibique depositis vestibus balneare cœpit; cum

Angelus data alapa docet malos socios fugere.

Angelus lanceâ armatus, vitam emendare jubet.

Angelus malam Societatem alapâ detur docet.

Angelus Jovinianū Cæsarem humiliavit.

interim Angelus substitutâ laciniâ vestes illius assumit, ac cum aulâ domum revertitur, Joviniano interim in aquis relicto. Egressus ex aquis Cæsar, vestis loco, laceram reperit laciniam, vix tegendis pudendis aptam. Sic ergo nudus & ab omnibus despectus, didicit esse DEum, qui possit, si velit, eum de solio deponere. Quod ubi seriò pœnitens cognovit, illum Angelus Imperio restituit, & DEO perfectè subesse docuit. Faciunt Angeli quod aulici, accommodant se hi moribus sui Principis, amant, quos ille amat. Sed nota quod S. Augustinus de DEO dixit: DEus altus est; erigis te, fugit ille à te; humilias te, accedit ad te. Ita planè nobiscum agunt Angeli, hi à nobis recedunt, si nos erigamus. Et verò si similitudo amoris mater est, angeli humiles non sociantur nisi humilibus. Quid humilius Angelis, qui nostri custodiam non dedignantur? Magna Angelorum dignatio inquit S. Bernardus: Taceo quod horreant cœlestes illæ mentes omnem superbiam, ex quo primus ille Angelus in cœlo lapsus est. Umbram nostram vocat aliquis Angelos, sequuntur enim nos, sicut umbra corpus sequitur. Sed audi Virgilium: Majoresque cadunt altis de montibus Umbræ. Quantò mons quispiam est altior, tanto remotius umbram projicit. Sic est; si in altum te erigis, umbra tua Angelus à te remotior recedit. Quid quod S. Aug. *serm. 9. de verbis Ap.* dicat. Humiles valles sunt, si quid infuderis capiunt, aquæ quæ super altum currunt, defluunt. Superbi capaces non sunt divinarum inspirationum, hi enim velut montes defluere patiuntur gratias divinas. At humiles velut valles has cœlo depluas gratias excipiunt. Certè non majus est Angelis solatium, quàm multas animabus de cœlo deferre gratias, quas humilibus confidentius deferunt. Sic Fernandius *in Gen. c. 32. sect. 10. n. 9.* Pro humilibus hominibus Angeli majori cum fiduciâ DEum deprecantur, certiusque exorant. Hinc non miror quod cum Monachus quidam moreretur, qui per mentitam virtutem, & fictam religiositatem hominibus multò tempore imposuit, tandem per Angelum S. Euthymio proditus sit. Vidit enim quomodo Angelus animam illius Hypocritæ, Tridente ex corpore extraxerit, dum interim ipse moriens plurima turpitudinis suæ facinora revelavit. Fugiunt Angeli arrogantiam, & sicut DEus, superbis resistunt. Hoc nobis miseris est utilissimum, quod iram DEI à nobis avertant, & DEum nobis propitium conservare laborent. Laudatur in hoc singulariter Jonathas, quod Davidem

Angeli humiles amant, oderunt superbos.

S. Bern.

Angelus hypocrisim Monachi prodit, & execratur.

Angeli Deum nobis propitiũ reddunt.

abs

absconderit ab irâ Patris sui. Et ideo S. Chrysostomus appellat Jonatham Davidis scutum. Varia videre est *apud Isaiam c. 6.* Angelorum obsequia. Hic enim recensetur, quomodo alter ad alterum clamaverit Sanctus! Sanctus! Sanctus. Item quomodo alis suis duabus velabant faciem; qualiter rursus advolans Seraphim calculum ignitum imposuit ori prophetico. Pro quo notandum est. Quod Isaias hoc loco exhibeat DEO scelera totius populi & de his ultionem petat. Unde primum canunt Angeli, ut iram DEI cantu leniant, solet enim ira, cantu & musicâ alleviari. Sic David psallendo, Saul Regem fregit. Deindè velant faciem DEI alis suis, ne videat scelera populi. Tandem advolat Seraphim cum calculo igneo, quasi vellet os claudere Isaiæ, ne petat à DEO ultionem. Hinc etiam inviti ad ultionem pergunt peccatorum. Sic enim citato c. 6. v. 8. dicit Propheta Audivi vocem Domini, quem mittam? & quis ibit? Audiunt hoc Angeli, sed tacent, neque respondent verbum, causa est, quia dura & odiosa erat Commissio; subjungit enim, Excœca cor populi hujus.

Jonathas Davidis scutum contra Saul.

Angeli inviti puniunt.

Lacedæmones infantes recenter natos clypeis pro cunis imponere solebant. Hoc scutum tanti fecerunt, ut illa Lacena Mater, cum filium ad bellum mitteret, scutum illi præbens dixerit: Cum hoc, aut in hoc redi. Gloriosum enim illis fuit sub clypeo mori. Ad quod allusit ipse Virgilius de Pallante Æneadum Principe dicens: Impositum scuto referunt Pallanta frequentes. Græcis olim Myrtili clypeus celebris fuit. Hic miles magnanimus clypeo suo munitus, omnia hostilia tela excepit, dum autem in quadam expeditione maritimâ naufragaretur, suo in Clypeo enatavit, etiam contra aquas in hoc clypeo securus. Majori longè providentiâ DEus providit homini, quem cum sciret post Adami lapsum debilem & imbellem, eidem forte scutum præordinavit Angelorum custodiam, sicut dum concipimur, maximè verò dum nascimur & baptizamur, aureo huic Scuto imponamur, sub quo & vivimus & morimur tuti. Quamprimum enim nascimur DEus assignat cuivis Angelum proprium, qui divini auxilij Scuto nos protegat, & quamdiu vivimus ijdem tutelares ex mandato DEI nobis assistunt, ubique & diu noctuque in hoc unum intenti nobis adsunt, ut nos custodiant, & maximè in horâ mortis protegant atque defendant. Liceat hic exclamare cum S. Bernard. *super ps. 90.* Magna dignatio, & verò magna dilectio charita-

Clypeorum olim existimatio,

Angeli nostri Clypei sunt.

tris! Quis enim? de quo? quid mandavit? Cujus sunt Angeli? cujus voluntati obediunt? DEus ergo mandavit Angelis, & Angelis suis, illis utique tam sublimibus, tam beatis, tam proximè sibi cohærentibus & verè domesticis mandavit de te. Ut custodiant te in omnibus vijs tuis. Quemadmodum ergò matres parvulos suos maximè per vias difficiles, aut lutosas, vel lubricas in ulnis gestare solent, ita etiam Angeli in manibus portabunt te, uti fusius prosequitur Bernardus. Etsi ergo parvuli simus, atque tam magna & periculosa restet via, quid tamen sub tantis custodibus timeamus? Ubi vides inter mille quæ nobis imminent pericula versantibus, quam necessaria sit illa custodia in vijs nostris. In manibus portabunt te, & deducent parvulum. Non patientur tentari aut defatigari supra quod potes sustinere, sed in manibus tollent, ut pertranseas offendiculum. Quàm facilè transibit, qui manibus portatur Angelorum? Quam suaviter etiam in medijs fluctibus natat, cujus mentum sustinet angelicus clypeus. Scutum præ omni armorum genere unum est, quod omnia corporis membra tuetur. Caput galeâ, thorace pectus, loricâ femur, alia corporis membra alijs armis teguntur, scutum in omnium membrorum tutelam deservit. Ut propterea benè dixerit Ovidius: Custodit & arcet. Hoc nobis Scuto opus est, quia ut S. Bonav. *serm. de S. Michaële.* Adversarius noster diabolus tanquam Leo circuit, quærens quem devoret, cui teste Job. *c. 41. v. 24.* nemo comparari potest. Non est super terram potestas, quæ comparatur ei; quia factus est, ut nullum timeret. Qu... pulchrè Doctor Angelicus *1. p. q. 14. art. 1. arg. 2.* Non videtur æqua pugnæ condicio, ut infirmus contra fortem exponatur ad prælium, sed homines infirmi sunt & debiles, dæmones autem astuti & potentes, cur ergo permittit DEus, ut homines à dæmonibus oppugnentur? Sed respondit hanc inæqualitatem tolli principaliter ex parte hominis, & compensari per auxilia gratiæ divinæ, secundariò per custodiam angelorum. Quoties enim accidit, ut minor vincat majorem. Vidimus hoc in Davide cum Goliath factum; quando in fundâ dejecit illam turrim carneam juvenis ab eodem contemptus. Gigantes esse dæmones, jam superius memoravimus, nos pigmæi sumus. Et fortassis esset deplorata victoria nostra, nisi DEus tales custodes apposuisset, quorum auxilio victores evadimus. Merito exclamat S. Bonav. *in festo S. Michaëlis.* Magnæ pietatis & benignitatis indicium est, deputare tales ministros hu-

Angeli geruli nostri sunt.

Scuto totum corpus armatur.

manæ

manæ fragilitati, sine quibus nullo modo esset tuta vita nostra. Pulchrè nos solatur S. Bern. *in Ps. 90. serm. 5.* Quia homo undique circumdatus est tentationibus, Scuto circumdabit te veritas ejus. Ut quemadmodum undique bella, ita etiam undique sint præsidia. Licet ergo impugnent modo per astutias, & fraudulentias illusionum, non timeamus. P. Alvarez de Paz S. I. invisens Mariam Diatiam, quâ S. Theresia familiariter utebatur, vidit in cubiculo præter lectum ordinarium illius monialis, alium lectulum. Undè interrogavit, cui lectulus ille serviret? confessa ingenuè metum suum Diatia dixit: quod semel in lectulo suo crudeliter a dæmone percussa fuerit, abindè semper timuerit, nec in cellâ suâ pernoctare sola ausa fuerit, ideoque puellulam secum ad cubiculum assumpserit. Reprehendit illam acriter P. Alvarez, quod post tot providentiæ divinæ tam manifesta signa, quâ ligat tartareos spiritus, tam exiguam habeat fiduciam de certissimo auxilio DEI. Quo si destituatur, quid infans vel puella opitulabitur? Quarè non prius ex cella pedem extulit, quam lectulum superfluum tolli conspexit. Sicut enim Reges & Cæsares habent Custodes sui Corporis, sic DEus etiam nobis de cœlo milites providet, ut securius prodire queamus, quam olim timidus quispiã, qui nunquam domo exibat, nisi quis scutum super verticem ipsius gestâsset, nè quid ab alto ipsum fortè feriret. Protegit nos DEus à Sagittâ volante in die, à negotio perambulante in tenebris, ab incursu & dæmonio meridiano. Non accedet ad te malum, quia Angelus tuus Custos à te malum omne avertit. Docet hoc S. Thom. *in p. 1. q. 133. art. 4. in Corp.* Dicendum quod homo in statu vitæ istius constitutus, est quasi in quadam viâ quâ debet tendere ad patriam. In quâ quidem viâ multa pericula homini imminent, tum ab interiori tum ab exteriori, secundùm illud *ps. 141. v. 4.* In viâ hac quâ ambulabam absconderunt laqueos mihi. Et ideo sicut per viam hominibus dantur Custodes vulgo Convoia, ita etiam cuilibet homini quamdiu viator est, Custos Angelus deputatur, qui hominem securè deducat. Quid enim mirum est, si in tanto invio & devio erret homo? Reducent hi fideles Custodes nostri ad cœlestis Patriæ semitam. Maximilianus Imperator quod ait Stengelius *tom. 4. c. 21. §. 5.* Oenipontanas Alpes oberrabat, capras montanas persequens, sed eo locorum evasit, vndè nec pedem referre, nec ulterius progredi posset. Stetit hic perplexus infelix Princeps, & suam culpans temeritatem,

P. Alvarez reprehendit molialem quòd dæmonem timeat.

Timidus Scuto semper integi volvit.

Angeli sunt Convoia nostra.

Maximilianus in alpibus devius, ab Angelo reducitur.

tem, fame conficiendus mortem certam ibidem animo destinavit. Aulici inter manantes lachrymas infortunium sui Principis deflebant, nec tamen succurrere potuerunt. Quare ad DEum conversus sacerdotem cum Eucharistia evocat, qui quàm proximè posset, accederet, & cum Christum in Eucharistiâ sumere non posset, saltem oculis suis intueretur. Benedictionem ergò à Sacerdote accipit, & dum ille animum ad æternitatis meditationem componit, sicque petræ incumbit, audit non procul à se strepitum, quem dum observat, videt juvenem ignotum in rusticano habitu ad se adrepere, qui ingentia saxa removit, & viam pro reditu paravit. Hic ergò cum manum porrexisset Maximiliano, Cæsarem ut se sequeretur hortatus est. Ubi se Cæsar recollegit animosior factus, viæ ducem sequitur, atque ad notam jam Principi viam perduxit, ubi suavissimo vale facto Angelus discedens Maximilianum aulæ suæ restituit. Ad rei memoriam Maximilianus per lapicidas viam exscindi, & in periculi superati loco grandem & elegantem Christi Crucifixi imaginem statui erigique jussit. Ita pariter Forrerus *de Angelo Custode serm. 20.* refert, de Elisabethâ de Graviâ virgine devotissimâ, quæ cum aliâ sorore suâ iter fecerat, sed cum in densâ sylvâ per avia & devia aberrasset, & nox ingrueret, neque lachrymantes auxilium ullum haberent, humillimis precibus à Tutelari suo Angelo opem postularunt. Cùm ecce juvenis niveâ indutus tunicâ, amicè illas salutavit, & quo irent petiit. Dixit se viæ gnarum, adeòque ut se sequantur, cohortatus est, quas deinde ad locum desideratum perduxit, ibique valedicens disparuit. Raphaëlem Tobiæ comitem hic cogitemus *Tob. 12. v. 3.* Me duxit inquit Tobias & reduxit sanum. Anno Christi 1144. Christianus Exercitus obsidens Metropolim Arabum Bostrum dictam, insidijs hostium fuit circumventus, atque adeo cum angustiis locorum plane esset interclusus, neque Ducem viarum haberent, subitò comparuit ignotus miles, qui equo albo insidens loricâ indutus, vexillum rubrum præferebat. Hic antecessit exercitum eumque non tantum ad debitam aquationem, sed etiam per tam apta viarum duxit compendia, ut brevi tuti Hierosolymas pervenirent, ubi in conspectu omnium disparuit. Considerate si lubet Juditham, quæ Angeli ductu egressa ex Bethuliâ ad castra Assyriorum descendit, & hem tam formosa Matrona inter turpissimos lenones est conservata. Ut ipsa Judith de se dicat *c. 13. v. 20.* Quoniam custodivit me

Angelus Moniales in viâ aberrantes reducit.

Angelus Christianum exercitum ab hoste clausum salvat.

Angelus Vexillifer Ductor Christiani Exercitûs.

me Angelus ejus, & hinc euntem, & ibi commorantem, & indè huc revertentem, & non permisit me Dominus ancillam suam coinquinari, sed sine pollutione peccati revocavit me gaudentem in victoriâ suâ, in evasione meâ & in liberatione vestrâ. Ubi dum victoriam quam Judith deprædicat considero, occurrit mihi quòd sub Honorio Imperatore accidit, cùm enim illo tempore quidam Joannes per Tyrannidem Imperium occupâsset, & Theodosio insidias struere vellet, jamque Ravennæ moraretur; Theodosius ad DEum per preces confugit, à quo etiam auditus est. Nam Angelus in forma pastoris, Dux factus militiæ Theodosianæ, totum exercitum per stagnum Ravennæ adjacens, quâ viâ nemo unquam hominum transire poterat, traduxit, hic portas apertas invenit Theodosius, & Tyrannum felicissimè oppressit. Sunt certè Angeli nostri Tutelares viæ Duces, qui non tantùm arces materiales expugnant, sed ipsam etiam animam nostram nostram velut arcem munitissimam & urbem fortitudinis tuentur. Insurgant ergo tentationes infidelitatis, totus Orcus in nos ignea tela emittat, unica tessera, quam S. Michaël clypeo suo inscriptam habet, Quis ut DEus, omnes has pessimi dæmonis infestationes confundet. Olim apud Romanos & Græcos belli Duces varia insignia suis clypeis prisci inscripserunt. Una hæc inscriptio S. Michaëlis: Quis ut DEus, omnes antecellit. Hæc enim radijs suis, ita Luciferum & omnes rebelles spiritus conturbavit, ut ex alto cœlorum præcipitio, in æternam ruinam delapsi interierint. Objiciat proindè dæmon aurea Plutonis scuta, funes esse & catenas angelico præsidio experieris. Ita enimverò accidit cum mancipio quodam in Insulis Philippinis, quod tædio calamitatum ad funem adigebatur, sic ut vitam sibi laqueo extorquere vellet, quia vero arbor à quâ pendebat valdè humilis fuit, ut suspendio aptior esset, ipse genua flexit, & sic piè magis penderet. Aliqui qui miserum palpitantem viderunt, accurrentes funem reciderunt & gutture laxato ægrè vitam revocarunt. Die altero ubi plenè ad se redijt, cur id fecisset interrogatus? respondit se auri specie deceptum fuisse, sibi enim astitisse Virum specie horridum & dixisse, accipe quem collo injicias torquem aureum & sic pro torque injecisse sibi laqueum, à quo infelix pependit. Obtrudat Cupidines & Veneres, facilè hæc omnia tela reprimes, si scutum opponas tui Angeli. Quis ut DEus? Eliam Abbatem in summâ ariditate vicina accessit mulier, & haustum

Angelus Ravennam occupat.

Clypeus angelicus tutissimus.

Dæmon torquem porrigit, & laqueo suspendit.

Angelus Eliam Abbatem à lasciviâ destinata cohibet.

aquæ ab eo petijt, quem octuagenarius senex lubens dedit. Vix autem abivit mulier, & capularis hic Senex in illius libidinem exarsit. Arrepto proindè baculo ad vicinum tugurium cum pessimâ peccandi voluntate abivit. Propè casam jam erat, & hem videt diduci terram, atque angelum sibi adstantem, qui Clypeum objecit, Quis ut DEus? Eliæ deindè fossam ostendit putridis cadaveribus plenam, horridum fœtorem exspirantibus. Atque hæ inquit sunt tuæ deliciæ, propter quas tot annorum labores, tot merita in cœlo parta vis perdere. Væ! Væ! mundo propter libidines dixit, & pœnas æternas Eliæ minatus disparuit. Hoc Scuto armata Ermelendis Virgo illæsam suam conservavit pudicitiam. Cum enim rapienda esset ad nuptias, eâ ipsâ nocte ab Angelo monita fuit: Recede Virgo! recede! & Virginitatem quam DEO consecrasti, inviolatam custodi. Subitò ergo relictâ domo paternâ abijt, & angelus illi secundò apparens dixit locum, ubi DEO securè servire posset, quo ubi pervenit, in mirâ abstinentiâ solis herbis vixit, ad cujus funus deindè cœlestes chori auditi sunt DEO gloriam concinnere: Subjungo quod narrat S. Basilius de S. Theophila Virgine formâ & prosapiâ nobilissimâ, quæ cum à lictoribus ad lupanar vi traheretur, in viâ DEum sic est precata: Mi JEsu! ô amor mi! Sponse mi! matura opem, & Sponsæ tuæ pudicitiam serva: Hoc cor, hoc os, hoc oculi lachrymis turgentes loquebantur. Prostibulum ingressa, Evangelium, ut mos illi erat, Christianis fortè præsentibus lectura protulit. Sedebat virgo & legebat verecundissimo vultu & ore ad omnem modestiam composito. Sed & adstitit repente de cœlo submissus Genius, qui Virginis tutelam suscepit; & cùm essent, qui auderent turpissimi lenones irrumpere, primus reliquis importunior subitò ac Virginem attigit mortuus concidit; alij qui subsecuti sunt splendore nimio excœcati, exitum undè intraverant, non invenerunt. Eventum rei dum alij præstolantur, & quid aliis actum sit, dum explorant, vident Virginem sacrum Evangelii codicem legentem, & propè adstantem juvenem divinâ lùce circumfusum, qui Scuto suo inscriptum habebat, Quis sicut DEus Christianorum? Hic adolescens inquit Basilius, Virginis hujus protector fuit, sicut Virgineus Daniel Susannæ, Cæciliæ contra Valerianum sponsum, Agneti & Theclæ contra destinatos corruptores pudicitiæ Angelicæ. Erit! erit & nostrum omnium custos, si ejus tutelæ nos omnes confidenter committamus. Sic enim sperare me jubet

Angelus Ermelendem Virginem à nuptijs avocat.

S. Theophila virgo illæsa in lupanari ab Angelo servatur.

jubet S. Bern. *in ps. 90. serm. 11.* Quoties gravissima urgere cernitur tentatio, & tribulatio vehemens imminet, invoca Custodem tuum, Ductorem tuum, adjutorem tuum, in opportunitatibus, in tribulatione, inclama eum, & dic; Domine salvâ nos, perimus. Non dormit, neque dormitat, qui custodit te, licet ad tempus aliquando dissimulet. Videbatur enimvero ad tempus dissimulâsse cum matronâ illâ, quæ à marito in suspicione, rea adulterij habebatur, cum innocente nobile, qui penè in periculo mortis versabatur. Vir nobilis in Hispaniâ Angelo suo tutelari valdè devotus illustri matronæ vicinus habitavit, quam sæpius vel transeuntem, vel de fenestrâ prospicientem salutavit. Scandalizavit hæc salutatio familiam, ex quâ aliquis Dominam apud maritum detulit, qui cum hoc ipsum sæpius observâsset, Zelotypia æstuare cœpit, & animo facinus horrendum destinavit. Convivium ergò lautum instruit in suburbano, ad quod uxorem humanissimè invitavit, illa nihil mali suspicata adest, ad intimius conclave ibi uxorem solam deducit. Erat hic in promptu calamus & charta, jubet itaque uxorem considere, & nobili vicino scribere, se solam in suburbano morari, abesse domo maritum rogare ut se certo invisat. Expalluit hîc uxor & genibus mariti accidit, suamque contestatur innocentiam. Sed frustra! aut scribendum aut moriendum erat. Cuncta itaque scribit, quæ maritus dictavit, & citatis equis epistola illa ad nobilem illum mittitur. Acceptis literis miratur nobilis, humanitati tamen cessit, & horâ condictâ se affuturum nuntiavit. Interim accepto hoc responso in insidijs cum famulis latuit Dominus, ut doli nescium nobilem crudeliter exciperet. Quarè sub vesperum solus domo egreditur nobilis, & dum transit patibulum, audit se insuetâ voce inclamari, & ne metuat, accedere jubetur. Gladio suo restim rescindit, & ecce redivivus in tergum equi insilit patibularius. Cum verò jam arci vicinus fit nobilis, desilit mirus hic hospes, & nobilem ex equo descendere jubet. Pileum deindè illius nobilis assumit, & Chlamydem induit, periculum exponit, & se ut exploret præcessurum dixit. Vix pedem arci intulit, & ecce ex latebris cum famulis irruit Dominus atque vulneribus hospitem conficiunt, ipsumque cadaver in vicinam altam fossam dejiciunt, ex qua tamen patibularius ille statim surrexit, & ad nobilem hæc omnia audientem redijt. Hic illi vulnera in corpore exhibet quæ ipse erat accepturus, nisi periculum avertisset. Quare equum rursus conscen-

Zelotypia miraculosè per angelum ementatur.

Angelus Patibularium induit, ut Clientem salvet.

dere jubet, & domum redire, ipse verò ut ante in Equi tergum insedit & cum viro nobili usque ad patibulum pervenit. Ubi ex equo rursus desilijt, & se non patibularium, sed Angelum Custodem fuisse ostendit; atque ubi beneficii magnitudinem edocuit, evanuit. Reversus domum nobilis omnia in silentio tenuit. Manè facto templum adiit, ibique in honorem sui Angeli Custodis plura sacra fieri curavit; quibus dum ille interest, adest famulus ab Hero Zelotypo missus, ut quis sermo esset de nobile illo inquireret; adest ergo ipsosque domesticos adit, & de Hero quærit, qui omnes Dominum suum heri salvum rediisse, & modo in templo versari dixerunt. Quod quia non credidit, ipse templum adivit, & ibi devotè orantem vidit. Redit ergo ad Dominum suum Zelotypum, & quæ vidisset refert. Quarè domum cum innocente redit uxore, & vicinum hunc nobilem accedit; ex quo ubi mirabilem DEI providentiam didicerunt, Zelotypus ille culpam suam agnovit, & Zelotypiam suam detestatus, per omnem reliquam vitam, innocentem cum uxore vicinum, veneratus est. Quid quod Fulgentiam Romanam nobilem fœminam in foro coram Judicibus accusatam, & testibus de peccato luxuriæ convictam, contra dæmonem Angelus Custos defenderit, strenuus Advocatus & Causidicus. Hic enim in judicio delatam ad Tribunal comitatus, accusatorem dæmonem his verbis increpuit. Tu ne inquit accuses istam, qui jam pridem de cœlo turpissimè excidisti. Confusus disparuit accusator dæmon, & Judices pro Fulgentiâ authoritate Angeli defensâ sententiam pronunciarunt, eamque absolverunt. Negemus nunc Angelos à DEO datos esse, in nostri custodiam. *Exodi 14.* conductus mercede Balaam, ut malediceret populo DEI ab angelo prohibetur progredi. *Num. 22.* Israël propter frequentia peccata à Madianitis opprimitur, mittitur Angelus ad Gedeonem, ut nuntiet populum liberandum. *Judic. 13.* Regem Assyriorum cum toto exercitu percussit Angelus. Sic apud nos Christianos Constantinopolim contra Arianos defenderunt Angeli. Cum enim Gaynas Scythicæ militiæ Magister, homo Arianus obtinendi imperii desiderio inflammatus Constantinopolim obtinere tentâsset; id tamen aperto Marte tentare non auderet, noctu barbaros suos milites misit, qui palatium accenderent. Quibus ad facinus paratis, Angeli obvij facti sunt in forma militum, qui eos represserunt. Relatum hoc fuit Gainæ, qui cùm omnem militiæ Cæsareæ haberet notitiam, rem

Angelus in foro ream defendit.

Angeli Constantinopolim contra Arianos defendunt.

rem credere noluit, adeoque nocte sequenti alios misit, qui id tentarent; sed & hi pariter ab Angelis reiecti fuerunt. Quare ipse in personâ contra palatium perrexit, atque illud succendere tentavit, at propriis oculis palatium ab Angelis defendi didicit. Spe suâ frustratus aperto Marte certavit, & periit. Theodosio Imperatori victoriam spoponderunt, atque ad expeditionem animarunt. Cùm enim Isdegerdi Persarum Regi in Christianos valdè propenso successisset filius Paratanes, qui à Magis inductus Christianos persequi cœpit; confugerunt Christiani Romam, quos Atticus Episcopus benignè suscepit, & Theodosio Imperatori recommendavit. Hos cùm in fidem suam suscepisset Theodosius, statim partem Exercitûs sub Artabano Duce in Persiam misit, & Azazanum Provinciam vastari mandavit. Occurrit Romanis Narzæus Dux Persarum, sed ab Artabano in fugam actus, dùm fugit per Mesopotamiam, in Romanam ditionem irrumpere tentat. Non latuit Romanos Narzæi consilium, quarè vastatâ Azazanâ Persarum ditione, in Mesopotamiam contendit, & ibi ad Nisibim urbem Persas stitit. Indignatus Narzæus, Romanis diem pugnæ condixit per Legatos. Sed Artabanus Legatis respondit: Romani Imperatores, non quando tu vìs pugnant. Videns autem Artabanus sibi Persas totis viribus incumbere, ad DEum confugit, subitoque Angeli missis Constantinopoli auxiliaribus copiis Artabanum sunt consolati, certaque spe victoriæ ad pugnam animarunt. Persas ergo ad Nisibim obsederunt, & auxiliares Persarum copias ab Alamundaro missas terrore pannico confusas, sic perturbarunt, ut se ipsas conficerent, & in Euphratem præcipites abirent. Sic anno Christi 601. quod narrat Majolus inter Theodebertum & Theodericum fratres, atque Clotarium filium Regis Chilperici grave bellum civile exortum est, atque magnâ utrimque cædes commissa; cùm diu ancipiti prælio pugnaretur, victoria tandem cessit fratribus, fugiente Clotario, quia Angelus Domini stetit pro victoribus. Evaginato enim gladio, hostibus minatus est Angelus DEI, nisi campo cederent. Quam benè sub auspiciis angelorum pugnatur. Expertus hoc est Alphonsus Congensium Rex ad fidem conversus, qui pro regnó contra Fratrem pugnare coactus, ope Angelorum gloriosam victoriam reportavit. Hoc defuncto successit filius Alphonsus, qui & in regno, & in pietate innatâ secutus est vestigia Patris. Obstitit frater idololatra, qui junior licet in-

Angeli Theodosio victoriam spondent

Angeli Theodosii victoria contra Persas obtinent.

Angelus stricto gladio Clotarium fugere cogit.

credibilem Ethnicorum copiam habuit, cum Alphonsus Frater non nisi paucis stiparetur Christianis. Ventum est tandem ad pugnam, & statim gentiles in fugam acti sunt, ipseque Dux exercitûs hostilis captus, fassus est, se magnam militum copiam ex parte Alphonsi vidisse, qui omnes insigniti Crucibus, tantâ luce resplenduerunt, ut oculos suorum perstringerent, adeoque fugere, & campo cedere coacti fuerunt. Certè nullus unquam quantumvis amicus, tot & tam humilia obsequia fidissimo sibi exhibuit, quot Angeli suis Clientibus præstiterunt. Luculento nobis exemplo sit vel unus Raphaël, qui id obsequij præstitit Tobiæ, quod fidissimus amicorum vix tam fideliter & aptè præstabit. Danieli in lacu existenti arrepto per capillos Habacuc, cibum præstat. Eliam in deserto angelus pascit, & cibo sustentat. Et ut discamus etiam Angelos observare præcepta Ecclesiæ, fuit qui in terræ motu à ruderibus tumulatos pavit parvulos, sed ipsâ die Veneris & sabbati abstinentiam observavit. Cùm enim in celebri Italiæ oppido multæ domus corruerent, post tres & amplius exactos dies sub ruderibus, cum duobus filiis vivis & vegetis, inventa est mater mortua. Interrogati sunt ergo pueri, quomodo sic vivere potuerint, dixerunt quotidie illis formosum adfuisse juvenem, qui panem pisces aliaque fercula benè condita cum frigidâ in potum, illis attulit, quibus recreati sine omni dolore vitam transegerunt. Hoc singulare meminerunt, quod die veneris & sabbati alios cibos non attulerit, nisi quibus vesci licebat. Sic ergo ipsi Angeli contra hæreticam impietatem, jejunii & abstinentiæ jura tuentur. En obsonatores Angelos! Medicos vultis? An non in Evangelii sacro Codice habemus de probaticâ piscinâ, quod Angelus in languentium medelam descenderit de cœlo, & aquam moverit? B. Joanni Angelo cum venam incideret Medicus, Angelus Custos lumen & peluim ad excipiendum sanguinem tenebat. Elisabethæ Rithæ cum infirma esset, Angelus cibos tulit, & lectum stravit. Meritò exclamat S. Ambr. *in Ep. ad Hebr. c. 1.* Intelligite nunc quantus honor nobis existat, ad quos suos amicos, ita ministros suos destinat Angelos amantissimus DEus. Senex Eremita habitavit in solitudine, & quia non habebat qui inserviret, surgebat ille, & si quid in cellâ suâ invenit, id manducavit, sin minus in patientiâ se DEO commendavit. Transegit sic dies triginta in summâ egestate, & DEus recordatus illius, misit Angelum, qui serviret ei. Servitium hoc fuit per septem

Alphonsus Congensium Rex per Angelos victoriam obtinet.

Angeli in terræ motu duos parvulos pascunt & abstinentiam servant.

Angelus in venæ sectione lumen & pelvim tenet.

Angelus infirmarius.

septem dies, & recordati Patres venerunt ut senem inviserent, cum verò pulsâssent, Angelus ab eo recessit. Senex vero clamavit ut abirent. Quia verò illi, qui fuerunt foris, senem non intellexerant, vi portam aperuerunt, & ingressi interrogarunt, cur non aperuisset? quibus senex dixit: Triginta diebus fui infirmus, & nemo me visitavit, jam verò septem diebus, misit DEus Angelum suum, qui me visitavit, & vobis venientibus recessit. Quibus dictis in lectulo suo recubuit, & in pace dormivit. *Tob. 12. v. 14.* ipse Angelus Tobiæ dixit, & nunc misit me Dominus, ut sanarem te. Ubi vides quod ex speciali mandato DEI delegetur Angelus, qui cœcum sanet. Sic S. Martinum per scalas lapsum, & multis vulneribus cruentum sanavit Angelus. Eadem enim nocte adfuit Angelus illius Tutelaris, qui vulnera optimo inunxit unguento, & plane sanavit, ut alterâ die sanus appareret. Idem beneficium accepit B. Constantinus Perusinæ Civitatis Episcopus, qui à quibusdam Marci Imperatoris militibus vulneratus, jam penè exanimis defecerat; adeoque ad DEum conversus rogavit, ut Spiritum suum susciperet. Sed adfuit illi de cœlo Angelus, qui eum consolatus est dicens: Noli timere Constantine! Ego sum Angelus DEI, misit me Christus, ut plagis tuis curationem adhibeam, simul ac dixit, omnis plaga curata est. Et sanitatis atque libertatis beneficium, per Angelum accepit. S. Theodorus Martyr Dux exercitûs Licinij Imperatoris, Qui postquam in nomine sanctissimæ Trinitatis Draconem interfecisset, DEos aureos & argenteos confregit, & aurum ac argentum pauperibus distribuit, atque plurimos ad Christum convertit. Propter quod per Imperatorem ab officio amotus est, & degradatus populi ludibrio fuit expositus; sed cum omnia imperterritè perferret, ipsumque Licinium crudelitatis argueret, dirissimis tormentis est cruciatus, ac tandem in Crucem affixus. In hac ipsâ Cruce illi intestina lacerata sunt, oculi cum pupillis eruti, ipsi testiculi concisi fuerunt, adeòque ab ipso Licinio pro mortuo relictus fuit. Circa primam verò noctis vigiliam adsuit Angelus, qui eum à cruce solvit, & integræ sanitati restituit. Non absimili libertatis beneficio donatus est per Angelum S. Switbertus ex Angliâ in Germaniam à S. Egberto missus. Venit is in locum idolis infamem, ubi cum eorum aras evertere conaretur, suisque concionibus contra illa disputaret, à paganis capitur, & carceri includitur. Sequebantur eum socij ad carcerem, quos ad constantiam

in

Angelus infirmarius à supervenientibus pellitur.

Angelus S. Martinum per scalas lapsum sanat.

B. Constantinus Episcopus vulneratus ab Angelo sanatur.

S. Theodorus ab Angelo à Cruce solvitur.

S. Switbertum Angelus ex carcere liberat.

in fide fideliter est cohortatus. Post medium noctis adest Angelus cum magnâ charitate, qui spectantibus ipsis custodibus, ipsum à vinculis & carcere liberavit. Ubi ad socios venit, unà cum illis in genua provolutus, DEO & Angelo suo Custodi pro beneficio præstito gratias egit. Pagani verò audientes ab ipsis custodibus quæ facta sunt, ad fidem Christi sunt conversi. Miramur hæc Angelorum obsequia? Vident illi, hæc nobis præstari ab ipso Angelorum Domino. Hautinus de Angelo Custode refert, quod cùm Basilides mare trajiceret, Christum pro clavo sedentem, Angelos verò Remiges habuerit. Hoc sanè ipsum obsequium cum Angelis præstitit Christus Valgio catechumeno; hic jussu Honorii Imperatoris ex Sardinia in Italiam naves frumentarias devexerat, sed vix ex portu solvit, in evidens incidit naufragium. Dum enim Valgius in fundo navis sentinam exonerat, vident nautæ navim in scopulos impelli, adeòque omnes in scapham onerariæ adjunctam descendunt, & evadere conantur, at non procul inde in scopulos illisi merguntur. Valgius solus in navi rectus, ubi à fundo navis emersit, cum mare totum cadaveribus infame vidisset, seque solum in navi relictum, graviter consternatus, ad DEum se convertit. At verò adfuit cum Angelis Christus, qui Valgium cibo refecit, & malum succidere jussit. Fecit id celerrimè Valgius, & ulteriora mandata expectavit. Instruxit deindè Christus Catechumenum suum in arte nauticâ, neque unquam otiosum esse passus est. Ubi tamen labore lassus obdormivit, illum genibus suis nixum obdormiscere voluit. Dormientem rursus excitavit, & leniter auriculam vellicando, ad labores evocavit. Tenuit hæc navigatio viginti tres dies, quibus ad stuporem senis Valgii exactis, ad Calabriæ portum attigit. Onerariam viderunt piscatores quidam, qui dum plenam armatis hominibus vident, pyraticam credebant. Ivit navis, usque dum ad portum securè appulit, & tunc Christus cum Angelis disparuit. Valgius qui à Christo Victor est dictus, piscatores inclamans, eos induxit, ut ad Onerariam accederent; quam ubi conscenderunt, & neminem præter Victorem repererunt, famam miraculi evulgarunt, & Onerariam cum singulari triumpho plenè in portum induxerunt. Ubi Victor in portu consistit, quæ sibi occurrerunt, DEum magnificans exposuit, deindè ad S. Paulinum Nolam abductus, & ab illo baptizatus est. *Surius 28. Septembris* refert S. Ferreolum Martyrem alatis Angelorum humeris super Rhodanum

Basilides ab Angelis vehitur.

Valgius à Christo & Angelis salvus ad portum adducitur.

danum translatum. Nautas miraris Angelos? ego medyastinos & famulos domesticos obstupesco. Mirabile est quod *Surius 22. Julij* de S. Wandregisilo scribit. Hic summus in aula Dagoberti Regis Minister, cum aulam Eremo postposuisset, regis imperio revocatus redijt, & in ipso aulæ limine currum miselli rustici reperit eversum, quem magno cum labore & majore sui contemptu elevare iuvit. Risêre lutulentum dynastam aulici, sed DEus famulum suum honoravit, quando de cœlo misit Angelum, qui inspectante Rege & totâ aulâ vestes illius perpurgavit.

Angelus S. Wandregisilo lutulentum pallium purgat.

De P. Bernardino Realino refert P. Nadasi, quod in Domo ubi confessionem audiverat, baculum suum reliquisset, quem domestici cum devotione magnâ pro solatio suo servare volebant; sed virtute angelicâ illis ablatus, & domum relatus fuit, quem sæpè luto infectum Angelus purgavit.

Angelus P. Realini baculum refert & purgat.

Quid dignum potuit esse beneficijs ejus merito exclamat *Tobias c. 12.* Si laudemus pulchritudinem? super Solem pulchri sunt. Dicamus dignitatem? DEI ministri sunt. Extollamus per illos nobis communicata beneficia? mare intrabimus immensum & inexhaustum. Quid ergo? Silebimus? ingrati erimus tantis benefactoribus. Loquemur? audaciæ & præsumptionis notam incurremus. Præstat tamen humiliter audere, quam ingratos silere. Dirimit litem meam S. Bernardus qui dum nostram erga Sanctos Angelos expendit obligationem, *in ps. Qui habitat* sic loquitur: Tria à nobis exigunt; Reverentiam pro præsentiâ, devotionem pro benevolentiâ, fiduciam pro custodiâ. Præsentes nobis sunt, uti diximus & ipse fatetur Origenes, dicens: Adest cuique etiam minimo, qui sunt in Ecclesiâ DEI Angelus bonus. Quî ergo fit, ut credamus & tamen peccemus? Certè *Seneca Ep. 11.* dicit: Magna pars peccatorum tollitur, si peccaturis testis assistat. *Dan. 13.* dixerunt senes illi, nemo nos videt. Sed heu! quantum fallimini? Videt Angelus. Fallunt aliquando discipuli pædagogos suos; Nemo Angelum.

Præsentia Angeli nos à peccato cohibet.

Undè benè S. Bernardus. Cautè igitur ambula, cui ubique adsunt Angeli. In omnibus viis tuis, in quovis diversorio, in quocunque angulo, Angelo tuo habe reverentiam; Tunè audeas illo præsente, quod me adstante non auderes? Jure proindè meritò monet; aliquem habeat animus quem vereatur; cujus authoritate etiam secretum suum Sanctius fiat. Exclamat deindè; O felicem illum, qui aliquem sic vereri potest, ut ad memoriam quoque ejus se componat, atque ordinet. Qui aliquem vereri potest, cito veren-

dus erit. Quantò magis, si etiam Angelum veritus fueris? Quomodo non mutabis sermones vel affectus animi, si occurrerit, Angelus adest. Hinc S. Ambr. *serm. 1. in ps. 118.* Quamvis cum ancillâ vel meretrice vulgari fuerit, si quem fortè sui facinoris spectatorem cognoverit, ex pudore tamen inceptum deserit. Quantò magis si quis allevet mentis oculos & consideret, plena esse Angelorum omnia, concepto potest renunciare peccato. Benè ergo *Aristoteles in libro de Secret.* Nescitis inquit quod teste Hermogene duo sunt spiritus, qui te custodiunt, quorum unus stat ad dexteram, & alius ad sinistram, custodientes & scientes opera tua. Hoc solùm in veritate inquit Aristoteles, debet ô Alexander, retrahere ab omni inhonesto opere. Quis verò Angelorum tutelarium describat benevolentiam? Omnes enim sunt Administratorii Spiritus *ad Hebr. 1.* Nullus sic unquam extitit Hero suo fidelis famulus. Ecce inquit *Exodi 23. v. 20.* Ego mittam Angelum meum, qui præcedat te, & custodiat in viâ, & introducat in locum, quem paravi. Sed attende, quod subjungit. Observa eum, & audi vocem ejus. Patientes sunt fateor beati Angeli, abiguntur sæpius à nobis, redeunt tamen iterum ad synceram nostram pœnitentiam, suntque tam fideles ut prius. Flavius Josephus refert, quando excidium parabatur templo Hierosolymitano, auditas tunc fuisse Angelorum voces: Migremus hinc! Si apud nos Angeli DEI, arma vident & bella, si lites & odia spiremus aut foveamus. Migremus hinc inquiunt. Sunt enim hi Angeli DEI, Angeli pacis, non dissensionum. Sic namque in nativitate Christi pacem nobis annunciarunt. Scio ego Angelos in Scripturâ dici Castra DEI; sed sunt castra contra inimicos DEI. Inter se nunquam dissident, nec nobis adversarii erunt, si illos audiverimus, illosque secuti fuerimus. Narrat Bollandus in Vitâ B. Oringiæ Virginis, quod cum illa in Garganum ascenderet, ut suam devotionem ergà S. Michaëlem persolveret, obviam illi fuerit monstrum equo vectum, quod ferali cursu in illam ferebatur. Illa contremiscens totis artubus S. Michaëli se ardenter commendavit, subitoque duo candidi Equites adfuerunt, qui illud horridum monstrum fugarunt, & tutum iter Virgini in montem aperuerunt. Occurrent nobis ad montem æternitatis ituris infernales larvæ, si pari pietate in S. Michaëlem Sanctosque Angelos feramur, quà Ferdinandus Portugalliæ Princeps, qui diebus singulis ad aram S. Michaëlis accessit, pridie deindè festi jejunavit, in festo illius

Angeli in excidio Hierosolymitano à templo emigrant.

Angeli peregrinam ad S. Michaelem defendunt.

illius etiam sacrâ communione refectus est, speremus parem à Sanctis Angelis benevolentiam. Hoc enim tam gratum fuit S. Angelo, ut supplicaret B. Virgini, quatenus suum Clientem in innocentiâ suâ terris subduceret, & ad cœlum evocaret. Annuit B. Virgo, & brevì ad cœlestem beatitudinem evocatus est Ferdinandus. Benè omninò monet S. Laurentius Justin. *serm. 1. de S. Michaële* dicens: Innumera mala cohibentur ne fiant. Cohibetur enim dæmonum malitia, ne ad libitum noceat. Bonorum vita custoditur ne deficiat; quod totum Sanctorum Angelorum patrocinio debemus. Denique fiduciam pro Custodiâ exigit S. Bernardus. Poëtæ Junonem servatam dixerunt, quia Argum centoculum habuit, qui in pascuis infamem bovem, ne dicam lupam custodiebat. Hesperidum hortos vigil Draco fecit inaccessibiles. Argo oculatior est Angelus, certum ab illo sperare debemus præsidium. Hic quia nunquam dormitat, omni Dracone est vigilantior. Quid ni sub illius custodiâ, semper futuri sumus securi. Concludo itaque cum S. Bernardo: Cum tanta & tam præclara in nos sint beneficia? an non æquum est, ut nos pariter tam singularem illorum benevolentiam singulari cultus genere veneremur? Tobias ab itinere redux à Patre suo solicitè interrogatur. Quid possumus dare Viro isti Sancto? *Tob. 12. v. 1.* Certè aliud dare non possumus, quam quod ipse utrumque Tobiam docuit *V. 6.* Benedicite DEum cœli, & coram omnibus viventibus confitemini ei, quia fecit vobiscum misericordiam suam. Causam ipse Angelus addidit. Etenim Sacramentum Regis abscondere bonum est, opera autem DEI revelare, & confiteri, honorificum est. Laudatur nimirum DEus si enumeremus ejusdem erga nos beneficentiam, quam dum nobis per suos Angelos Custodes nostros, in singula momenta exhibet, magnificemus DEum, eique gratias agentes, confidamus DEum facturum nobiscum misericordiam suam. Nisi forte quod monet S. Bernardus *serm. 1. de S. Michaële* per assimilationem illis magis placere valeamus. Ut nimirum authore S. Bonav. *opusc. de septem itineribus æternit.* ardeamus amore cum Seraphinis, scientiâ fulgeamus cum Cherubinis, spirituales facti omnia videamus cum Thronis, nobis ipsis dominemur cum Dominationibus, resistamus inordinatis motibus cum Virtutibus, Regnum animæ in pace gubernemus cum Potestatibus, provideamus cum Principatibus, magna

Angeli nos custodiunt.

proximis exhibeamus cum Archangelis, minora indigentibus subsidia impertiamur cum Angelis, & sic his medijs, illo nos fortissimo Angelorum Custodum præsidio, non indignos reddamus.



DISCURSUS XIII.

De creatione, & lapsu primi hominis.

SOlicitè planè operatus est DEus in Creatione hominis, dum enim creavit cœlum & terram, usus est Verbo Fiat; dum hominem creavit, Faciamus dixit, ut tota quasi Sanctissima Trinitas operosè concurrisse videatur ad hominis creationem, dum reliqua omnia facili Verbo fiat creata sunt & producta. Hinc Tertullianus *l. de resurrect. carnis c. 25. in Gen.* exclamat: Recogita totũ illi DEum occupatum ac deditum. Manu, sensu, opere, Consilio sapientiâ & providentiâ, & ipsâ inprimis affectione, quæ lineamenta ductabat. Quo vero tempore homo creatus sit, Scriptura apertè non determinat. Credibile tamen est Adamum & Evam creatos esse die sextâ Mundi. Sic enim *Gen. 1. v. 27.* ubi narrat Moyses, quod die sexta mundi creatus sit Adam dicit sacer textus: Masculum & fœminam creavit eos. Postquam verò *v. 28.* DEus benedixit illis dicens: Crescite & multiplicamini, concludit *c. 1. v. 31.* Et factum est vespere & mane dies Sextus. B. Petrus Damian. *serm. in Assumpt. Virginis* vult primos Parentes creatos fuisse in meridie, dum, dicit: In meridiano lumine primus ille Parens creatus est, & ubi præcepti divini prævaricator extitit, se cum posteritate suâ perpetuæ morti destinavit & tenebris. Si quæras ubi Creati sint primi Parentes nostri? constat ex *Gen. c. 2. v. 15.* quod Adam sit creatus extra Paradysum, dum enim dicit Scriptura: Tulit ergò DEus hominem, & posuit eum in paradyso voluptatis, supponit hæc translatio locum extra paradysum, à quo translatus est priusquam paradysum inhabitaret. Quarè communis est opinio, Adamum creatum esse in agro Damasceno, non urbis Damasci, quod aliqui volebant, sed penes Hebron, in quo loco est copiosa terra rubra, quam significat ipsa vox Adam.

Homo creatus est die Sexta.

Adam creatus est extra paradysum.

Adam. Cur autem DEus non produxerit Adamum in paradyso, sed in agro Damasceno, causam dat Hugo à S. Victore, Quatenus beneficium DEI, non naturæ imputaret, sed gratiæ. Quod idem videtur sensisse Philo Hebræus asserens quod prius DEus creaverit terram, quam Solem & Lunam, ut fructus & terræ dona non Soli aut Lunæ, sed omnipotenti DEI manui adscriberet. Eva verò in paradyso creata fuit, quia ubi Scriptura in citato *c. 2. v. 15.* de translatione Adami egit, statim *v. 18.* DEus inquit: Non est bonum hominem esse solum, faciamus ei adjutorium simile sibi. Quare immisso in Adamum sopore tulit unam de costis ejus *v. 22.* Et ædificavit Dominus DEus costam quam tulerat de Adam in mulierem. Ex quo patet materiam ex quâ creatus est Adam, esse terram. Sic enim S. Paulus *1. ad Cor. 17. v. 47.* Primus homo de terrâ terrenus. Hebræus legit de pulvere terræ scilicet humido, id est reverâ reali luto. Et hoc est, quod *Jerem. 18. v. 6.* dicatur: Ecce sicut lutum in manu figuli sic vos in manu meâ domus Israel. Causam dat S. Paulus *1. ad Cor. 1. v. 30.* ut non glorietur omnis caro in conspectu ejus. Observavit hoc nobilis Virgo quæpiam, quæ ex humilitate ajebat, se omnium creaturarum esse postremam. Serpentes enim & Vermiculi ajebat illa saltem ex aliquo sunt, nempe ex putredine, ego verò dicebat illa ex nihilo, & ne quidem ex putredine. Hinc Agatocles ex figulo Siciliæ Rex, mensæ regiæ adhibuit vasa figuli, neque auro usus est aut argento ut mos est regibus. Laudabilis est hæc suæ originis memoria, excellentior tamen est illa, quæ & naturæ & condicionis humanæ, quam non accepimus à fortunâ, sed hausimus ab ipsâ naturâ, à quâ homo id est ab humo suum desumpsit principium. Quare si hunc te esse memineris, eris certè secundum pronunciatum Philemonis verus homo. Illius verba sunt: Homo cum sis, fac semper intelligas, & semper eris homo. Quare inspicias te, vide quid fueris? & quid modo sis? & undè sis? Consule antiqua sæcula; Incipe à primâ nascentis orbis infantiâ, interroga quid fueris? audies nihil. In toto illo sæculorum lapsu non fuisti, nec ullus te vidit, nec ullus te audivit. Nec mirum, quia non eras. Igitur ab omnibus retroactis sæculis fuisti nihil. Si procedas ad ipsam æternitatis abyssum, audies etiam quod fueris nihil. Si quæras modo quid sis? audies homo. At unde homo? ex nihilo. Hæc igitur origo tui, nihil. Macedo dum in pugnâ fudisset Athenienses, eâque Victoriâ insolenter usus fuisset,

Eva creata est in paradyso.

Nobilis Virgo, humilis, ex cogitatione sui nihili.

Agatocles Rex fictilibus in mensa utitur.

Homo verus est, qui se ab humo esse cogitat.

ne imposterum immemor esset humanitatis, quam à naturâ induerat, voluit à pueris suis honorarijs, ut hoc ei aliquis revocaret in memoriam, inclamando hominem se esse. Priusquam itaque prodiret in publicum vel ad colloquium quemquam admitteret, puer ei singulis diebus ter ingeminabat: Philippe homo es! S. Franciscus Borgias verò mane à strato consurgens, terram quotidiè ter osculabatur; hoc consilio maximè, ut se ex humo conditum meminisset. Certè regni Magor Rex Echebor dictus, infimos quosque & tenuissimæ sortis ad meritos honoris gradus extulit, qui ne deindè insolescerent, mandavit, ut ipsi præferrent signum aliquod sui prioris status. Quare si agricola fuit, aratrum; si hortulanus sarculum, si nauta remum illis præferri voluit. Hoc meliore virtutis Zelo instructi fecerunt plures Christiani. Willegisus ex filio rotarij Archi-Episcopus Moguntinus, ad conclave suum rotas affigi & depingi voluit, cum Epigraphe: Memento quo parente natus sis. Quis modo superbiat? si se ex luto & limo esse sciat; & in limum, atque adeò limo pejorem putredinem rediturum. Occurrit hic illa Christi ad Catharinam Senensem allocutio. Nosti inquit ille, filia mea, quis ego sim? & quæ tu sis? Tunc subdit; Ego sum qui sum. Tu es, quæ non es. Scire autem vultis quam necessaria sit hæc seria sui cognitio? audite S. Bern. *l. 2. de Consid.* ubi sic ad Eugenium loquitur: Noveris licèt omnia mysteria, noveris lata terræ, alta cœli, profunda maris. Si te nescieris, eris similis ædificanti sine fundamento, ruinam non structuram faciens. Quidquid exstruxeris extra te, erit instar congesti pulveris ventis obnoxium. Ut autem id evidentius ostendat; duplici utitur similitudine; primam accipit ab ædificio quod in altum erigitur, sed nullo prius jacto fundamento, undè non structuram sed ruinam asserit. Et talis est omnis scientia alia, sine cognitione sui. Altera similitudo petitur à pulvere malè congesto, ex quo licet cumulum ingentem feceris, si ventus aspiret vehementior, fit ludus Ventorum. Sic erit, si omnem scientiam aliam accumulaveris relictâ tui ipsius cognitione, pulverem accumulasti, & præterea nihil. Unde nihil tibi nec in terris, nec in cœlis reliquum erit. Hæc ubi S. Bernardus ad Eugenium dixisset. Tunc sic prosequitur. A te proindè tui incipiat consideratio, non solum autem, sed & in te finiatur. Quocunque evagetur, ad te revocaveris eam, cum salutis fructu. Tu primus tibi, tu ultimus. Instat ulterius. Non ergo sapiens, qui sibi non

S. Borgias ter mane terram osculabatur, ut se de terra sumptum meminisset.

Moguntinus Elector quia rotarii filius rotam præfert.

Cognitio sui est necessaria.

non est sapiens subdit deinde *l. 5. de Consid.* Utinam hoc nossent infulata & coronata capita, non sic evagarentur, quia intra naturæ & rationis limites continerentur. Pulchrè S. Chrysostomus *hom. 26. in c. 8. Mat.* Abrahamum & Davidem in exemplum adducit. Non est inquit minima pars Philosophiæ posse meritum suum dignoscere. Ille maximè se ipsum novit, qui se nihil esse existimat. Propterea quippe David & Abraham, postquam jam ad summum Virtutis fastigium evaserunt, illud, quod dico, præcipuè videntur implevisse. Nam unus quidem dixit se esse terram & cinerem, alter vero se vermem vocabat. Nec spectabat hic aut ille, quid à splendidioris fortunæ phaleris esset, sed quid à naturâ. Et hoc ab Eugenio voluit S. Bern. *l. 2. de Consid.* Hæc tui Consideratio inquit in tria quædam dividitur. Si consideres Quid? quis? & qualis sis? Quid in natura? Quis in persona? qualis in moribus. Quæris & attendis quis sis? statim audies Sacerdos Magnus, Summus Pontifex. Tu Princeps Episcoporum, tu hæres Apostolorum. Tu primatu Abel, gubernatu Noë, patriarchatu Abraham, ordine Melchisedech, dignitate Aaron, authoritate Moyses, iudicatu Samuel, potestate Petrus, unctione Christus. En quis es inquit Bernardus; Sed noli etiam oblivisci quid? Imò & opportunè cum eo quis es? & quid ante eras considera. Quid dico eras, & nunc es. Quid desinis intueri? quod non desiisti esse: Et paulo post. Denique illud natus es, mutatus hoc, non in hoc mutatus. Non rejectum illud, sed istud adjectum, quod Episcopus, quod Pontifex, non tamen rejectum illud, quod homo. Tibi enim consideranti quid sis, necesse est naturâ occurrere, quia es homo, nam homo natus es. Deindè quærit ex Eugenio. Quid tibi horum videtur ad parum esse tui, & ad te principalius pertinere. Quod factus es, an quod natus? nonne quod natus? Hoc ergo consulo consideres maximè, quod maximè es, hominem videlicet. Tolle proindè nunc hæreditaria hæc perizomata, ab initio maledicta, disrumpe velamen foliorum tegentium ignominiam, non plagam curantium, dele fucum fugacis honoris hujus, & male coloratæ nitorem gloriæ, & nudum nudè consideres, quia nudus egressus es de utero matris tuæ. Numquid infulatus? numquid micans gemmis, aut floridus sericis, aut coronatus pennis, aut suffarcinatus metallis? si cuncta hæc veluti nubes quasdam matutinales velociter transeuntes, & citò pertransituras dissipes & exsuffles à facie considerationis tuæ, occurret

Is se optimè novit, qui se nihil esse existimat.

Considerandum quis sis?

Considerandum quid sis?

curret tibi homo nudus & pauper, & miser & miserabilis. Homo inquam natus de muliere, & ob hoc cum reatu brevi vivens tempore, ideoque cum metu, repletus multis miserijs, & propterea cum fletu. Concludit tandem: Salubris copula, ut cogitans te summum Pontificem, attendas pariter te vilissimum Cinerem non tantùm fuisse, sed esse. Imitetur cogitatio naturam, & quod dignius est authorem naturæ, suma imaque consocians. Quarè expendamus benè, quales à naturâ sumus, non quales ab ascititijs ornamentis, à quibus nobis usu venit, quod statuæ ex luto factæ. Hæc licet tegatur pretiosis vestibus, auro gravetur, gemmis ornetur, ijs omnibus positis statua videtur, & est; & quidem lutea. Et nos ij sumus etiam in infulâ, etiam in tiarâ, & coronâ. Adjicientur hæc omnia homini; nec proindè rejicietur quod hominis erat, sed relinquetur. Quid pulchrius veriusque hac S. Bernardi consideratione? Quare ergo superbis ô homo! qui cinis es & lutum. Superbiat Eva, quæ non ex luto sed ex costâ ipsius Adæ, non tropicè uti voluit Origenes, sed propriè & realiter in fœminam à DEO ædificata est. Ubi benè notat S. August. Quod non de capite aut pedibus facta sit, quia mulier non debet esse Domina, non serva, sed socia Viri. Ex costâ sub brachiis, quia debet esse sub tutelâ Viri. De Substantiâ Viri, quia Vir & uxor non tam sunt duo, quam unum. Denique de Costa inquit dormientis, quia sicut dormiente Adam ex ejus latere facta est Eva, ita mortuo Christo ex ejus latere facta est Ecclesia. Huic conformiter loquitur Hugo de S. Victore: Evam non ex capite aut pedibus creavit DEus, ne aut Domina, si de capite; ne ancilla, si de pedibus putaretur. Sed de costis eam tulit dicente scriptura. Tulit unam de costis ejus & ædificavit illam in mulierem. Pergit ulterius Hugo ideò à DEO de medio, id est de costâ sumi debuit, ut socia intelligeretur. Non ut regnet, sed ut regnare adjuvet. Et hinc DEus dixit, faciamus adjutorium simile. Hinc mulier Viro veluti suo principio à quo sumpsit originem debet dare præeminentiam. Vir autem mulieri debet amorem, ut eam amet, sicut se ipsum. Hinc enim Adam dixit: Hoc nunc os de ossibus meis & caro de carne meâ. Adeoque Thomas Angelus Cardinalis dixit Evam factam ex Costâ Adami. Hoc factum est inquit, ne ipse Vir eam contemneret, nec illa tamen propter hoc præsumeret, quia quidquid habuit, & locum & dignitatem & materiam, mediante Viro habuit. Ut propterea S. Th. *in 1. p. q. 92.*

Eva ex costâ Adami, cur?

Mulier viro debet præ eminentiâ Vir mulieri amorem.

q. 92. art. 2. in corp. dicat: Mulierem fuisse Viro adjunctam non tantum pro necessitate generativâ sicut in brutis, sed etiam propter domesticam vitam, in quâ sunt aliqua opera Viri, & aliqua fœminæ. Quid autem proprium opus Viri sit, dicit ipse, in quâ scilicet domesticâ vitâ vir caput est mulieris. Ergo si opus Viri, opus est capitis, cujus est imperare ac regere, opus fœminæ erit obedire, non tamen ut ancilla, sed velut adjutorium & socia. Qui ordo si in matrimonio servetur, summa in domesticâ familiâ quies est. Nam teste S. Greg. Nazianz. Non est dissensionis & confusionis DEus, sed pacis & ordinis. Benè utique Euripides asseruit: Quam maxima existit salus, cum uxor cum Viro non dissidet. Quare ineptè planè apud Sacas Scythiæ populos olim actum fuit, quando is qui puellam in uxorem duxit, primâ nocte cum illâ pugnam suscepit, in quâ si sponsum puella superavit, illa captivum abduxit, & viro imperavit. Si verò à Sponso victa fuit, Viro totâ vitâ mansit subjecta. Fuit qui alternis mensibus cum uxore habuit imperium domus suæ, sed eo mense, quo uxor imperavit, maritus nunquam ausus fuit domi permanere, luit enim omnia illa, quæ mense priore peccavit, præsertim si durius imperavit. Felicius & divinæ ordinationi conformius egit Livia Augusti Cæsaris uxor, quæ interrogata, quomodo sibi Cæsarem subjecisset? respondit multâ modestiâ, scilicet, quod ea quæ placerent Augusto libenter fecerit, quodque dissimularet se scire, quibus ille vitiis implicaretur. Miranda & planè rara fuit in uxore erga Gualtherum Pedemontij Dominum Virum suum subjectio. De hac Petrarcha *de Obed. & fide uxoria pag. 601.* sic scribit. Erat hic Gualtherus venationibus mirè addictus, sed à nuptijs aversissimus. Quare cum illum Primates sui Ducatus sæpius hortarentur, ut nuptias iniret, ille verò illorum postulatum sæpius rejiceret, importunis tandem eorum precibus annuit, sed fidem illorum obtestatus est, ut si quamcunque ille sibi consortem suam delegerit, ipsi pariter illam ut Dominam suam venerarentur. Præterierunt interim dies aliquot, dum ille in villam progressus, Griseldem formâ corporis egregiam puellam, cujus venustatem & mores ipse sæpius attentè observavit, sibi uxorem delegit. Instabat iam nuptiarum Dies, nec undè sponsa ventura esset quisquam poterat suspicari. Mundus omnis muliebris erat paratissimus, vestes aderant elegantissimæ, tota aula fervebat obsequijs, omnes sponsam avidissimè præstolabantur. Tunc Gualtherus quasi

Sponsi pro imperio pugnabant

Alternis mensibus maritus & uxor imperant.

Livia Augusti uxor modestia sua Cæsari imperavit.

Sponsæ obviam processururus, domo versus villam egreditur, interim Griseldis omnium ignara, aquam à fonte ferebat, & cum hac portam domus intrare parabat. Quam Gualtherus nomine suo compellans, Griseldis inquit, ubi est pater tuus? quæ cum reverenter, & humiliter respondisset, illum domi esse; excitum clam allocutus est; & an se Generum vellet? interrogavit. Obriguit penè senex, quem tamen manu apprehensum in domum induxit, filiamque evocavit, ac his verbis allocutus est. Et Patri tuo & mihi placet, ut uxor mea sis, credo quod etiam tibi placeat? Hoc tamen scire cupio, ubi in thalamum admissa fueris, an eo animo sis futura, ut nullâ in re à voluntate meâ dissentias? Quod ubi illa attonita licet, constantissimè tamen se facturam promisit, in publicum eductam populo ostendit. Hæc dixit uxor mea, hæc Domina vestra est; hanc colite, hanc amate, atque statim in domum inductam regalibus vestibus ornari jussit, quam ornatam deindè pretioso in digitos inserto annulo sibi desponsavit. Niveo deinde equo impositam, in aulam applaudente universo populo induxit, atque nuptias solennissimè celebravit. Ornabatur intereà Griseldis à cœlo omni gratiâ, ut non à stiva, sed aulà ipsâ educata crederetur; ita nimirum omnium in se animos rapiebat. Annus nondum evolutus erat, cum illa filiam enixa fuit pulcherrimam, quâ ablactatâ Gualtherus Griseldem aggressus est, ut originis suæ memor esset, subditos nolle parere hæredi puellæ, atque adeò invitum se cogi, ut filiam tollat. Illa filiam in sinu suo tenens; Tu inquit noster es Dominus, de nobis pro libitu disponas. Dolorem Gualtherus simulans tristis recessit, atque evocato famulo, ut filiam à matre tollat mandavit. Quam Griseldis osculata, & nihil turbata, signo Crucis munitam famulo tradidit. Occultè interim Gualtherus filiolam suam Bononiam ad Sororem suam transmisit, rogans, ut non innotesceret, cujus hæc filia esset. Transiverunt interim anni quatuor, non turbatur Griseldis, sed gravida rursus cum plausu omnium pulcherrimum filium peperit. Bimulus jam erat puer, cum rursus Gualtherus ut antè Griseldem aggreditur, sed pari illa constantiâ etiam filium osculatur & impresso Crucis signo benè precata filium voluntati Gualtheri tradidit. Sæpius Gualtherus, de filio & filia mentionem ingessit, nunquam tamen illa animum mutavit. Vulgari etiam cœpit rumor, Gualtherum fastidire uxorem, & de repudio cogitare. Finxit insuper se Romam misisse pro divortio, & licentiâ paris Conjugis,

Griseldis miranda erga maritum suũ subjectio

jugis, famaque ſpargebatur, licentiam obtentam jam eſſe. Quare Griſeldem in publicum eduxit Gualtherus, & coram Proceribus repudiat. Quod illa æquiſſimè ferens DEum teſtata eſt, animo ſe ſemper ancillam manſiſſe, atque adeò nec dotem appetijt, cui fides Conjugalis ſufficiens cenſus fuit. Nec aliud niſi Camiſiam deprecata, ſeminuda quaſi, in patrios lares eſt regreſſa. Ubi mirâ cum conſtantiâ priſtinas induta lacinias æquiſſimo animo ſortem ſuam tulit. Jam Bononiâ expectabatur nova ſponſa cum Griſeldem repudiatam evocat in aulam Gualtherus, & mandat ut venienti ſponſæ domum paret; arreptis illa ſcopis, domum verrit, lectos ſternit, & obſequiosè omnia adornat. Cum ecce adeſt ſponſa, quam omnes velut Deam cœlo lapſam tenerrimè venerabantur, & ipſa Griſeldis flexo poplite venerabatur. Interim in frequenti miniſterio occupatam Griſeldem evocat Gualtherus. Quid tibi videtur inquit de hac mea Sponsâ, quam cum copiosè dilaudaſſet Griſeldis, Gualtherus amplius continere ſe non potuit, ſed in amplexum Griſeldis ruit. Et tu inquit ſola es mea uxor, aliam nec habui, nec habebo. Iſta autem quam tu ſponſam meam putas, filia tua eſt, hic qui Cognatus credebatur eſt filius tuus. Noverint proindè omnes, qui de me ſiniſtrè cenſuerunt, me non barbaro animo Conjugem damnaſſe, ſed pio zelo probaſſe. Occultaſſe me liberos, non mactaſſe. Quæ illa audiens in ſuorum liberorũ amplexus & oſcula ruit, ſubitoque à matronis pretiosè rurſus veſtita, diem inſolitis pauſibus lætum fecit. Exindè per plures annos ingenti cum pace & concordiâ vixerunt. Senem Griſeldis parentem ad aulam evocavit, eumque in ſummo honore & amore habuit, filiam magnificis nuptijs ornavit, & filium ingenti cum ſubditorum gaudio ſuarum ditionum hæredem reliquit. Omnes denique ſummi æque ac infimi hanc in Griſelde fidem & conſtantiam mirati, inſolitæ Virtutis & ſubjectionis in fœmina rarum exemplum omni poſteritati tranſcripſerunt. Ita fecit & omnibus Conjugatis reverentiæ ac ſubjectionis reliquit exemplum Beatiſſima Virgo, quæ *Luc. 2. v. 48.* cum filium per triduum perditum inveniſſet, eum ſic eſt allocuta: Fili quid feciſti nobis ſic? Pater tuus & ego dolentes quærebamus te. Ubi vides quod Joſepho primas cedat humillima Virgo, nimirum ut oſtenderet, quo honore uxores prævenire debeant maritos ſuos, ſi DEum ſyncerè ament. Eſther namque *c. 1. v. 20.* decretum erat: Cunctæ uxores tam majorum, quam mi-

Maria ſubjecta Sponſo Joſephum reveretur.

norum deferant maritis suis honorem. Quod S. Paulus *ad Eph. 5. v. 22.* clarè præcipit. Mulieres Viris suis subjectæ sint, sicut Domino. Causam addit *v. 23.* Quoniam Vir est caput mulieris; sicut Christus caput est Ecclesiæ. Vir enim origine naturæ & sexus perfectione, ac corporis dignitate, multo dignior est qualibet muliere. Quia non propter mulierem Vir, sed mulier propter Virum creata est. Hinc *1. ad Cor. 11. v. 8.* dicit Paulus: Non enim Vir ex muliere est, sed mulier ex Viro. Paulo post tamen subjungit. Verumtamen neque Vir sine muliere, neque mulier sine Viro in Domino. Scilicet ratione mutuæ conjunctionis; nam sicut Mulier de Viro primitus, ita & Vir per mulierem modo progignitur & propagatur; atque in eâ & ex eâ formatur. Concludit S. Paulus. Omnia autem ex DEO. Quarè meritò mulier adjutorium Viro simile à scripturâ nominatur. Maria itaque non uteri sui Virginalis dignitatem, sed sicut humillima omnium fuit, ordinem conjugalem attendens, sibi Virum Josephum præposuit. Ut discant verè bonæ mulieres Viris suis præstare obedientiam. Ulterius S. Augustinus investigat, & solicitè expendit verba illa? Non est bonum hominem esse solum. Faciamus ei adjutorium simile sibi. Quare *de Genes. ad lit. lib. 9. c. 3.* inquit. Quæritur ad quam rem fieri oportuerit hoc adjutorium? Respondet ipse sibi; nihil probabiliter occurrit, quam propter filios procreandos. Refutat deindè aliorum opiniones, quorum aliqui dixerunt; DEum fecisse Evam in sociam laborum. Sed pulchrè rejicit hanc opinionem dicens: At nondum erat labor. Et si labore opus esset, melius id DEus per adjutorium masculum præstitisset. Alij dixerunt Evam Adamo esse datam in solatium solitudinis. Sed quid tædij pati potuit Adam, positus in paradyso voluptatis? Quare illud credendum est inquit, quod Viro ad generandum apto creato, etiam fœmina ad concipiendum apta, & ad nutriendum fœtum accommodata, produci debuerit. Et ideo dixit DEus; Non est bonum hominem esse solum. Placet autem mihi Rupertus Abbas, Qui asserit DEum cum hac generatione materiali simul spiritualē intendisse, dum finem matrimonij nempè generationem, in ordine ad regenerationem ordinavit. Adjutorium inquit ad multiplicandam prædestinatorum speciem Sanctorum. Quasi diceret, DEus Adamo Evam adjunxit, non solum ob generationem Carnalem, verum etiam ad multiplicandam & cœlo adscribendam sobolem. Ut virtus in Societate justorum crescat,

crescat, tantoque plus extollatur, quanto à pluribus amatur & colitur. Sic in adjutorium salutis fuit Clotildis nupta Clodovæo, Jugundis Hermenegildo, Monica Patricio, Anatolia Adriano, Cæcilia Sponso suo Valeriano. Ut verum sit illud Paul. *1. ad Cor. 7. v. 14.* Sanctificatus est Vir infidelis per mulierem fidelem. Quot enim regnorum & Provinciarum Conversiones per Sanctas fœminas factæ sunt? Docet hoc Regina Persarum nomine Cæsarea, de quâ S. Greg. Turon *l. 11. c. 9. hist. Franc.* Quæ cum videret se apud Regem Maritum suum, non posse Christianè vivere, mentito habitu ex Persiâ Constantinopolim profugit, ubi auxilio Mauritij Imperatoris reditum urgente marito Rege, reducta est, & unà cum Rege ac Sexaginta Persarum millia sacro Baptismo fecit initiari. Celebris fuit illa Conversio totius Tartariæ quæ beneficio Sanctæ Reginæ fuit obtenta. Cum enim Cassanus Tartarorum Rex omnem Syriam exercitu suo inundasset Rex Armeniæ tantâ potentiâ perterritus, petenti Regi barbaro filiam suam Christianam negare non potuit. Hæc post tempus consuetum, deformem planè partum edidit, ut eum Rex suum negaret, adeoque Reginam velut adulteram supplicio ultimo addixit. Quid agat innocens Regina? à DEO auxilium petit, à quo confirmata in fiduciâ suâ, à Rege rogat, ut priusquam moriatur, partum sibi baptismo abluere liceat; annuit Rex, sed sic, ut se & aliis præsentibus, id fiat, ne ulla suspicio magiæ adesset. Ubi puer baptismo tinctus fuit, formosus planè factus, Regem & Satrapas ad fidem Christi convertit. Pulchrè S. Chrysostomus *hom. 60. in Joan.* Nihil potentius est muliere bonâ, ad instruendam & informandam vitam quæcunque voluerit. Neque tam leviter amicos, neque Magistros, neque Principes patietur; ut Conjugem monentem atque consulentem. Habet enim voluptatem quandam admonitio uxoria, cum plurimum amet, vel ut alii legunt ametur, quod consulit. Sic uxoris consilium dum amavit Gentilis ille in Urbe Nisibi, largissimam à DEO remunerationem accepit. Hic enim copulatus uxori Christianæ & piæ, dum ex uxoris consilio, pecuniam quam habuit, Christo in pauperibus concredidit, & quinquagintà florenos inter pauperes distribuit, dum verò lapsu temporis egere cœpit, nec videret undè DEus Christianorum fœnus ab uxore promissum redderet, ille tristari & indignari visus est. Placavit maritum pia uxor, & de fidelitate divinâ maritum securum esse jussit. Abi inquit ad tem-

Conversiones regnorum per fœminas.

Per fœminam convertitur Persia:

Tartaria per fœminam ad fidem Christi adducitur.

Baptismus puerum deformem formosum facit.

Mulieris monitio grata est.

plum, & DEum nostrum adi, erit hic aliquis, qui tui misereatur. Abit ille, sed dum neminem videt, qui sibi pecuniam offerret, dum suam calamitatem tristis luget, in terrâ nummum aureum invênit, quem uxori domi dedit, ut indè aliquid sibi in prandium compararet. Emit illa piscem in quo exenterato lapillum pretiosum reperiunt, quem ex consilio uxoris pretij ignarus maritus ad gemarium defert. Gemmarius qui lapilli excellentiam primo aspectu statim novit, dum pretium majus offert, maritum ad risum provocavit. Sed dum gemmarius pretium auget, alter verò risum intendit, tandem licitatio usque ad quingentos florenos ascendit, quos ubi marito numeravit gemmarius, ille cum gaudio ad uxorem domum tulit, atque ex Consilio uxoris DEum Christianorum fidelem esse didicit. Certè in Scripturâ sacrâ Abrahamum DEus monuit, ut Saræ uxoris suæ pareret consilio, *Gen. 21. v. 12.* Cum enim Sara videret in familiâ suâ quædam non rectè agi, nec ludus Ismaëlis cum Isaaco sibi placeret: dixit Abrahamo. Ejice ancillam & puerum ejus. Cum vèrò Abraham faceret difficultatem, monuit DEus Abrahamum; Non tibi videatur asperum super puero, & super ancillâ tuà. Omnia quæ dixerit tibi Sara, audi vocem ejus. In quem locum S. Hieronymus: Quis non obstupescat? Abraham sapiens erat, & amicus DEI, quales non multi, dicit nihilominus illi DEus, plus hac in re sapere mulierem, quam ipsum. Occurrit hic Apologus ille, qui refert Jovem cum Mercurio iter habuisse per agros, & quasi viæ ignarum, quæsivisse ab ignavo aratore, quà eundum esset? Huic arator quem loqui pigebat, vix parum sublato pede viam ostendit. Cum verò parum processissent, in ancillam gnaviter laborantem inciderunt, quam pariter de recto itinere interrogârunt. Hæc viam non modò promptè ostendit, sed etiam officiosè ad magnum spatium eosdem est comitata. Mercurius pro puella solicitus, à Jove gratiam precatus est. Deliberans quasi Jupiter, tandem se resolvit, ut hæc puella ignavo illi rustico copuletur, Miranti Mercurio respondit Jupiter, se hoc pacto utrique consulere, hac enim sociâ ignavum excitandum, & cum hoc marito illam non fore insolentem. An frustrà credamus sapientissimam Abigail conjunctam Viro stulto Nabal? Porrò Sapientiam Abigail commendat in eo scriptura *1. Reg. 25.* quod ferociam Davidis fregerit, & Nabal maritum suum opportunè monuerit. Cum enim Davidi petenti pro se & sociis suis, negasset Nabal charitativum subsidium,

DEus monet Abraham ut Saræ uxoris consilium sequatur.

Jupiter stupido marito industriâ puellam collocat.

fidium, indignatus David furentibus armis processit eversurus Nabalum & domum ejus. Occurrit tunc Abigail, & ita placavit Davidem, ut ab omni vindictâ abstineret. O quoties domus integræ e-verterentur, ab ebrio aut furioso marito, nisi sapiens uxor furori frænum imponeret. Laudatur deinde Abigail Sapientia in eo, quod Virum ebrium non monuerit; sed ubi vinum digessit, modestè ea quæ acta indicaverit, sic enim in citato *c. 25. v. 26.* Scriptura loquitur: Venit autem Abigail ad Nabal, & ecce erat ei convivium in domo ejus quasi convivium Regis & cor Nabal jucundum. Erat enim ebrius nimis. Et non indicavit ei Verbum pusillum aut grande usque manè. Diluculo autem cum digessisset vinum Nabal, indicavit ei uxor sua verba hæc. Abigail non corripit maritum peccantem contra Davidem, neque ei periculum mortis, aut invasionem paratam militum, neque suam in placando Davide solicitudinem obtrudit. Nabal enim erat tunc ob vini potentiam in maximo incremento furoris & stultitiæ, & ideo tacuit Abigail usque mane. Benè Abul. *q. 13. in hunc locum* observavit Abigail tempus ad loquendum Viro. Quantæ uxores meliora celebrarent connubia, si non importunè, sed suo tempore loquerentur. An non meritò exclamem cum Seneca *l. de Consol. c. 6.* Quis dixerit naturam malignè cum mulieribus egisse, & virtutes illorum in arctum retraxisse. Par illis mihi crede cum Viris vigor, par ad honesta facultas. Et hoc quidem ex eo patet, quod omnes Virtutes quasi fœminis congenitas, sexu, cultu, & vultu fœmineo expressas in statuis & imaginibus videamus. Hoc Philo Alexandr. *l. de fuga* pulchrè observavit. Virtutes omnes inquit ille habent appellationes fœmineas. Hinc enim Grammatici dicunt hæc fides, hæc spes, hæc charitas. Ut cœlestes Nymphæ pinguntur, & oculis animisque proponuntur. Quod mirum videri non debet, quia ipse S. Aug. *serm. 8. de Sanct.* prærogativam quandam Virtutis & devotionis fœmineo sexui tribuit, dicens: Intercede pro devoto fœmineo sexu. Ut vel ex hoc capite Didacus de Ruiz inferat, plures fœminas salvandas quam Viros. Quia mulieres & puellæ domi manent, vel templa frequentant, dum Viri foris vagantur, popinas obeunt & potitant. Ubi enim de pietate quæstio fit, fœminæ semper Viros prævertunt. Patet hoc Exodi *35. v. 22.* Egressaque omnis multitudo filiorum Israel obtulerunt mente promptissima atque devotâ primitias Domino, ad faciendum opus tabernaculi testimonij,

Vir ebrius ab uxore non molestandus.

Virtutes habitu fœmineo fœminis congenitæ.

Fœminæ magis devotæ quam viri.

Quid-

quid ad cultum & vestes necessarium erat. Expressè deinde subdit. Viri cum mulieribus præbuerunt armillas & inaures, annulos & dextralia. Sant Pagninus legit: Viri post mulieres venerunt. Quasi diceret: Licet omnes ad pium opus conferre decreverint, Viri tamen post mulieres venerunt, quia in pietatis operibus mulieres Viros semper prævertunt. Confirmat hoc Oleaster in hunc locum dicens: Fœminæ prius venerunt, deindè Viri, quoniam promptiores sunt semper fœminæ ad opera pietatis & religionis, quam Viri. Quod maximè in templi ornatu apparet, dum quadam tenerâ pietate labores suos annuos Illustrissimæ sæpè matronæ, regiæque imo familiæ DEO consecrant & offerunt. Certè Theresia de la Cerda elegantem tunicellam JEsulo, suo in sacello domestico concinnaverat, quam cum pridiè solennitatis illi imponere vellet, tenero affectu atque extensis brachiis dixit: Veni corculum meum, dilecte Pusio! Est quod eleganti & pulchrâ tunicâ te velim induere. Et ecce lapideus puerulus ex Sinu matris suæ egreditur obviam, seque Theresiæ manibus sistit, ab eaque eleganti illa vesticulâ indutus, rursus se in sinum matris suæ reposuit. Ubi hoc vidit Theresia longè pulchriorem vesticulam apparavit, quæ ubi perfecta fuit, rursus tenerrimo affectu accessit, & JEsulum illa induit. Quam infans lapideus iterum his verbis est allocutus. Tu quidem filia mea multum solicita es, ut me in imagine meâ mortuâ condecores, nulla verò tibi cogitatio venit, ut me in Eucharistiâ præsentem adornes. His dictis conticuit parvulus, & Theresia magno studio, tabernacula & ciboria in templis, per se & alios ornare conata est. Neque hoc mirum videri debet, cum legamus hoc ipsum citato Exodi *cap. 35. v. 25.* confirmari. Sed & mulieres doctæ quæ neverunt, dederunt hyacinthum, purpuram & vermiculū ac byssum & pilos caprarum spontè propriâ cuncta tribuentes. Ubi vides fœminas præter ea, quæ ipsis cum Viris communia erant, hæc insuper spontè propriâ & piâ inclinatione in cultum templi obtulisse. Quod sicut de liberali illarum pietate singulariter laudatur, ità in reliquis pietatis exercitiis, tum in Sacramentorum frequentatione, tum in templi aditu, illis est singulare. Ut proptereà non sine gratiosâ observatione animadverterit Oleaster, non absque mysterio factum esse, ut dum Exodi *34. v. 23.* præcipitur. Tribus temporibus apparebit omne masculinum tuum in conspectu omnipotentis DEI Israël, nulla fieret mentio fœminarum. Exclamat

JEsulus lapideus tunicam pulchram lubens acceptat.

proindè,

proindè, Itanè verò Domine oblivisceris fœminarum? sed sibi respondet: Non enim ignorabas devotum hunc sexum, hoc sine præcepto facturum. Ideoque propter Speciales prærogativas, quibus se tenerrimè fœmineo sexui communicavit ipse Christus, quando familiariter cum illis sæpius in formâ visibili est conversatus, habemus in sacro Evangelii codice, quod Christus fœminis post resurrectionem suam primo gloriosus apparuerit. Quod vel maximè refundi debet in singularem illarum pietatem erga Christum, cui & vivo & mortuo religioso obsequio suo astiterunt. Cum enim sepultus jam esset Dominus illæ cum aromatibus venerunt, ut JEsum ungerent, dum Viri ob timorem Judæorum profugi, etiam clausis januis timidi latuerunt. Certè prærogativam singularem Ecclesia tribuit fœmineo sexui, quam nunquam Viris indulgebit. Quis enim Virorum etiam Sanctissimorum omnes Angelos supergressus est, & purus homo super illos est exaltatus? Et tamen de B. V. canit Ecclesia, Exaltata es Sancta DEI Genitrix super choros Angelorum. Exclamat Hugo Cardin. *in c. 3. Pauli ad Galat.* Nota privilegium mulierum! pura mulier supra choros Angelorum, non purus Vir.

Fœminarum præ Viris singulare privilegium.

Unde non parum miror Theodoretum qui asserit Evam non esse productam ad imaginem & similitudinem DEI, quod aliqui ex illo *Gen. 1.* faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram deducere volunt ex Gregorio Nysseno, qui licet asserat DEum non dixisse faciamus mulierem ad imaginem & similitudinē nostram; reverâ tamen est in sensu contrario. Advertendum enim est, quod DEus dixisset, faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram, statim subjunxerit masculum & fœminam creavit eos. Pulchrè proinde respondet Pererius: Quod imago & similitudo DEI, non ad corpus, sed ad animam & gradum naturæ intellectualis sit referenda. In quâ tres potentiæ nimirum memoria, intellectus, & Voluntas sunt vera imago Sanctissimæ Trinitatis. Quia sicut in divinis Pater cognoscendo se, generat filium, & hunc amando spirat Spiritum sanctum. Ita homo intelligendo & cognoscendo se producit intellectionem id est Verbum mentis, & amando seipsum amorem generat. Quare cum natura intellectualis æqualiter sit in muliere ac Viro, merito Greg. Nys. quæstionem præsentem decidens *orat. 1. hom. de Creat.* inquit, Mulier perinde atque Vir ad imaginem DEI facta est. Eundem honorem habent ambæ naturæ, pares Virtu-

Eva non minus quā cum Adam facta est ad similitudinem DEI.

tes. Quod graviter confirmat S. Basilius *hom. 10. in Gen.* super verba illa: Masculum & fœminam fecit eos, dicens: hoc dixisse Moysem, ut sciamus ad utrumque referri imaginem DEI, & non minus fœminam quam Virum esse imaginem DEI. Ex quo pariter deducitur Evam non minus quam Adamum in gratia fuisse productam. Quia gratia data Adamo, erat gratia non personæ sed naturæ, adeoque data est cum naturâ, quæ sicut diximus cum æque fuerit in Eva ac in Adamo, uterque in gratiâ creatus censeri debet. Et hinc *Ecclesiastis 7. v. 30.* dicitur: hoc inveni quod fecerit DEus hominem Rectum id est in gratiâ. Affirmat hoc S. Th. *p. 1. q. 91. art. 1.* ubi Adamum & Evam fatetur sine macula in gratiâ productos. Ex quo bene inferunt Theologi, B. Virginem Mariam sine peccato Originali fuisse conceptam, quia ex ejusdem S. Th. doctrinâ debuit in B. Virgine apparere omne id, quod perfectionis fuit. Si ergo hæc perfectio concessa fuit primis parentibus, ut sine omni maculâ in gratiâ fuerint producti, bene inquam concludunt Mariani Theologi, Mariam esse sine omni macula, quando illa fuit Mater viventium, & ipsius etiam filii DEI, cum id primis parentibus, qui nos ad mortem genuerunt, fuerit à DEO indultum. Ulterius curiosè indagant aliqui, an si Adam non peccasset gratia illa fuisset originalis, quæ sicut peccatum Originale transfusum est in posteros, ita ex suppositione servati præcepti, omni posteritati fuisset concessa. Ut quemadmodum primi parentes, vi suæ gratiæ in quâ conditi sunt singularem habuerunt divini Numinis assistentiam contra indecentes motus concupiscentiæ, quod ex eo licet colligere, quia quamdiu in gratiâ permanserunt, se nudos esse non senserunt; Ita inquam hæc gratia refrænatæ concupiscentiæ fuisset in nos transfusa, ut sine omni luctâ contra concupiscentiam carnis nostræ securi fuissemus. Et quia pœna peccati mors fuit, ita gratiæ conservatæ præmium fuisset arbor vitæ, ad cujus salutare lignum vires nostræ fuissent restauratæ, ut vitam viveremus arbitrio nostro sine morbo vel alio gravamine inter paradysi delicias semper jucundam? Quæ opinio affirmativa sicut communis est Doctorum, ita calamitatem nostram ostendit, qui propter prævaricationem præcepti à DEO dati, ex illâ Originali felicitate in Originale peccatum, & exinde in æternæ mortis ruinam præcipitati sumus. An non enim statim post esum fatalis pomi, de nuditate suâ questi sunt primi Parentes nostri? *Gen. 3. v. 10.* Quando DEus interrogavit Adam ubi es? Au-

Adam & Eva fuerunt in gratia producti.

Audite responsum miseri Adami: Vocem tuam audivi in paradyso & timui; eo quod nudus essem. Quomodo mi Adame times modo, quia nudus es, & cur erubescis? Nonne *Genes. 2. v. 25.* dictum fuit. Erat autem uterque nudus, Adam scilicet & uxor ejus, & non erubescebant. Causam erubescentiæ & timoris ostendit ipse DEus *Genes. 3. v. 11.* Quis enim indicavit tibi, quod nudus esses, nisi quod ex ligno, de quo præceperam tibi ne Comederes, comedisti. Statim enim ut comederunt de fructu vetito, eodem ipso Creationis suæ die, & horâ penè illâ, quâ deinde Christus in monte Calvariæ, pro nobis Crucifixus obijt, ex gratiâ DEI exciderunt. Et heu! qui erant amici DEI, facti sunt hostes, ejecti à facie DEI. Qui fuerunt immortales, dirissimæ morti fuerunt subjecti, audivitque omnis posteritas lamentabilem lessum illum *Gen. 5. v. 5.* Et factum est omne tempus quod vixit Adam; anni nongenti triginta; & mortuus est. An non ego dicam Adamum primum Iconoclastam, qui animam DEI imaginem primus omnium ausus est destruere, ut eam in conspectum divinum nec auderet adducere. *Genes. 3. v. 7.* Abscondit se Adam & uxor ejus. Hanc luto infecit & pulvere, *Gen. 3. v. 20.* Pulvis es, & in pulverem reverteris. Turpissimis nævis & lituris infecit & contaminavit *Gen. 3. v. 19.* In sudore vultus tui vesceris pane. Denique discerpsit & laceravit *Gen. 2. v. 17.* In quocunque die comederis ex eo, morte morieris. Huc per unum inobedientiæ peccatum recidit illa venustas affectatæ divinitatis, ut Adam imago DEI cum vellet esse similis DEO, cum Lucifero erigente se super pennas Aquilonis, similis fieret Diabolo. Hinc vel ab ipso DEO cum Eva indutus tunicis pelliceis emortuorum animalium ridetur. *Gen. 3. v. 22.* Ecce Adam quasi unus ex nobis. Quem jocum lamentabiliter imitatus Tertullianus paralellam inter Eliam & Adamum instituit *3. Reg. 19.* Jejunavit Elias quadragintà diebus, & statim ad DEI conspectum fuit admissus in monte Horeb, quem cum Dominus visitasset, allocutus est: Quid hic agis Elia. Tertullianus *in tract. de jejun.* verba hæc confert cum illis, quæ locutus est DEus ad Adam, postquam cibum sibi vetitum comedit, quando dixit Adam ubi es? Ait itaque Tertullianus Multo amicitior hæc vox: Quid hic agis Elia? quam illa, Adam ubi es? Ista enim pasto homini minabatur, illa jejuno blandiebatur. Unde videtur mihi Dominus dicere ad Eliam: Quid hic agis? id est, Scio quid agas! Jejunas per dies multos, placet hoc mihi, & gratulor tibi.

Adam primus Iconoclasta.

 Adæ

Adæ verò dixit DEus: Ubi es? hoc est, eras in statu innocentiæ & gratiæ DEI, nunc autem in peccato manes; scilicet peccato gulæ & inobedientiæ. Væ tibi!

Hoc væ usque modo insonat in auribus nostris & miseri posteri sentimus; qui fatale mortis spiculum in Visceribus nostris circumportamus. Ut propterea dicat S. Paulus *ad Rom. 5. v. 12.* per unum hominem peccatum in hunc mundum intravit, & per peccatum mors. Quia nimirum in Adam velut in capite Generis humani, omnium posterorum voluntates erant constitutæ. Fuit enim Adam à DEO positus caput naturale & morale totius generis humani. Naturale quidem, quia ab Adamo omnes eramus generandi. Morale quia in voluntate Adami constituit DEus moraliter voluntatem totius posteritatis. Unde licet non actu proprio & formali, interpretativè tamen & in actu primi parentis tanquam in capite morali omnes peccavimus. Sic exempli gratia, usque hodie in jure, uxor in marito, plenipotentiarius in suo principali agit, & voluntas uxoris vel principalis censetur in maritum vel plenipotentiarium transfusa. Quod magis apparet in Principe, qui alicui suorum subditorum, in tota suâ posteritate, vel bonum, vel etiam incommodum aliquod potest afferre, propter insigne meritum vel delictum, quo tota secutura posteritas deinde, vel fruatur, vel patiatur. Quemadmodum ergo in his casibus posteritatis voluntas transfusa intelligitur, ita in Adamo velut morali capite, nostra voluntas fuit transfusa, ut proindè verum sit illud: Omnes in Adam peccaverunt. Licet autem *Ecclesi. 25. v. 33.* dicatur, à muliere factum est initium peccati, & per illam omnes morimur, tamen hoc sic intelligi debet, quod moriamur quidem per Evam, quia seduxit Virum, sed non morimur in Evâ, quia non Evâ sed Adamo peccante, omnes nos peccavimus. Licet autem aliqui putaverint Adamum ex defectu fidei prævaricatum esse Legem DEI, & sic de pomo vetito comedisse, plerique tamen in Evam velut in causam impulsivam peccatum & prævaricationem transfundunt. Sic S. Ambr. *Ep. 44.* Mulier serpente suadente, Vir muliere impertiente commisit. Non capit hoc S. Aug. *serm. 13. de verbis Ap.* Comedere id, quo DEus graviter offendatur, & quod DEus comedi prohibet, temeritas est. Sicut ergo obedientia secundi hominis eò prædicabilior est, quo factus est obediens usque ad mortem: Ita inobedientia primi hominis eò detestabilior, qua factus est inobediens us-

que

quæ ad mortem. Unde merito exclamat: Quis nam satis explicet quantum malum sit non obedire, & tantæ majestatis imperio, & tanto terrentis supplicio? Vicerunt tamen blandientis uxoris lenocinia, ut quod solus Adam non tentasset, junctâ sibi Evâ temerariâ plane audaciâ præsumpserit. Verè omnino S. Ambr. *Ep, 41. ad Salinum.* Solus erat Adam & non est prævaricatus, sed cum primû adjutricem accepit, statim miserè se & omnes subditos perdidit. Concludit deinde. Quia adjutorium uxoris habere se credebat, lapsus est propter uxorem. Quia uti in effectu apparet, Eva dominabatur, & regebat totum affectum Adami. Sic enim S. Augustinus testatur. Comedit inquit, ne contristaret delicias suas. Vir itaque obedivit uxori, cui illa ambitiosè dominabatur, postquam affectum Viri erga se vidit. Et ideo ubi Textus habet: Quia audisti vocem uxoris tuæ, Sant Pagninus legit, Quia paruisti voci uxoris tuæ, maledicta terra in opere tuo. Nec acceptavit DEus excusationem ab Adamo allatam, Mulier quam dedisti mihi Sociam, dedit mihi. Non enim debebat permittere ut illa dominaretur: Hinc S. Chrysostomus *hom. 17. in Gen.* Audiant inquit Viri! audiant mulieres! nam si hæc culpa in mulierem rejecta, nullam veniam consecuta est, qualem quis haberet veniam dicens: hoc & hoc feci; Ea enim de causa feci. Concludit: sub suâ potestate facta est, & Dominus ejus pronunciatus est, ut illa sibi pareret. Quare ut ambitionem Evæ castigaret DEus inter reliquas pœnas posuit: Sub Viri potastate eris; & ipse dominabitur tui. Explicat hoc Decretum divinum S. Chrysostomus citatus. Ego ab initio honore te parem formavi, & sicut Adæ, ita & tibi omnium potestatem concredidi; Cæterum quia abusa es honoris dignitate, subjicio te Viro, & ipse dominabitur tui. Illum Dominum tuum assero, ut illius scilicet Dominium agnoscas, & quia nescivisti imperare, disce bene regi. Tacitus fœminas à naturâ ambitiosas dicit. Ut plurimum inquit fœminarum sexus est ambitiosus potestatisvè avidus. Docuit hoc Semiramnis Nini Assyriorum Regis concubina, quæ cum se à Rege mirè diligi videret, petiit à Rege unius diei imperium & impetravit, mandavitque Rex, ut omnes Semiramidi imperanti parerent, Ubi illa thronum Regium inscenderit. Quarè ubi Semiramis in throno regio consedit; mandavit illa quidem à principio res leviores, tandem majora, atque ultimo ausa est mandare, ut Regem ipsum vinciant atque contrucident. Sicque ex imperio

Eva dominabatur Adamo.

Eva ambitiosa in pœnam subjicitur Viro.

Fœmina à natura ambitiosa.

Semiramis ambitiosa dominatur Nino.

perio diurno factum est diuturnum, & Semiramis multis annis dominata est Assyriis. Et verò si in Eva, primordia ruinæ expendamus, quid aliud inobedientiam causavit quam muliebris ambitio? Observat enim Amadeus, quod antequam Eva fuisset tentata à Serpente, ut de pomo comederet, quod jam tunc fuerit ambitiosa. Vidit enim Eva, se esse pulchram atque aspectu formosam; adamatamque à Viro suo, cum ecce Eva statim sibi sublimiores cogitationes formavit, quod videns infernalis serpens ambitionem Evæ est prosecutus, dicens; Eritis sicut Dii. Quod considerans *S. Ambr. in Luc.* ait: Sola promissi honoris ambitio illecebrosa decepit. Benè David de ambitiosis dixit: *ps. 73. v. 23.* Superbia eorum ascendit semper. Nunquam scilicet quiescit ambitio. Sic Lucifer se ipsi DEO similem extollebat: Similis ero altissimo. Clarum hujus rei habemus exemplum *Judic. 17.* Habebat Micha sacerdotem ex tribu Levi, quem largo stipendio sustentavit. Quadam vice ex tribu Dan certi exploratores invaserunt domum Michæ, & spoliarunt oratorium ditissimis ornatum altaris ornamentis. Exclamavit Sacerdos, quid facitis? Sed ambitiosum statim silere fecerunt, Pone digitum super os tuum, & habebimus te Patrem & sacerdotem. Quid tibi melius est, ut sis sacerdos in domo unius Viri, an in una tribu & familia Israel? Hac spe animatus ambitiosus sacerdos, ipse etiam Sacellum Domini sui Michæ spoliavit. Audite S. Bern. *Ep. 42. ad ArchiEp. Senon.* O infinita semper ambitio! cum primos honorum gradus meruerit in Ecclesiâ, non ideo corda quiescunt, sed duplici semper sunt æstuantia desiderio, ut magis & magis dilatentur, in plura & ulteriora sublimentur. Causam hujus cupiditatis assignat S. Basilius Ambitiosus non quod habet, sed quod deest; non undè veniat, sed quo tendat attendit. Verba sunt S. Basilii. Quemadmodum qui scalas & gradus ascendit ad ulteriora progressum continuo intendit, & ad gradum sequentem vestigium attollit, nec citius quiescunt, quam summum attingant: Sic rerum cupiditate capti, non prius cessant, quam in altum sublati sese à ruinâ firmos & securos reddant. Et certè si Eva Deam se fore credidit, quidni in altissimo ambitionis apice, securã se potuit opinari? Hinc ut vel maritum anteiret, ipsa prægustando pomum divinitatem prioritate affectavit. Si enim credidit quod comedendo de pomo transformaretur in Deam, debuisset ex ordine debito vocare Adamum, ut ille prior gustaret pomum,

Eva ex ambitione prior pomum gustavit.

mum, & sic Virum promissa novæ divinitatis majestate exornasset. Sed quia illa Virum voluit præcellere in divinitate, Eva prior gustavit & comedit, deindè vero dedit Viro suo. Nimirum præferri ipsa cupiebat Viro suo, ut sicut Adam humanitate præcesserat Evam, Sic Eva ut imperium obtineret in Virum suum, Adamum prævenire volebat & prævertere in divinitate. Adeoque properavit comedere de pomo, & tunc primo Viro suo gustandum porrexit, quando nimirum comesto jam pomo nullum in se sensit motum divinitatis, undè ambitioni suæ perciperet gustum desideratum. Referunt naturalistæ ex Cardano, quod omne venenum quando sumitur guttur lædat, fauces adstringat, & pruritum, æstum, ac inflammationem in ore excitet, glutiendi difficultatem pariat, & inter glutiendum nauseam & vomendi voluntatem moveat. Quæ omnia naturâ ita monente fiunt, ut assumptum venenum rejiciatur. Tristissimus ille & verè venenosus pomi morsus, non tantum fauces, sed ipsos etiam primorum parentum oculos perstrinxit veneno suo. Vix enim de venenato pomo comederunt *Gen.3.v.7.* Aperti sunt oculi amborum, & qui se DEos fore credebant turpissimâ ambitione non DEO, sed diabolo se similes factos agnoverunt. *Venenum sumptum in gutture se ostendit.*

Considerate obsecro modum quo Evam tentavit serpens; Eritis inquit sicut dij. Cur quæso inquit serpens sicut dii, & non sicut DEus? Cum benè sciverint primi parentes nostri, quod non essent plures dii? Respondet S. Thom. *in commentar. suo in Ep. S. Pauli ad Hebr. 7.* Sciendum quod licet sit unus tantum DEus, participativè tamen, in cœlo & in terrâ sunt multi Dii. Dicuntur enim Angeli dii, Quia vero duplices sunt angeli scientes bonum & malum, nempe boni qui sciunt bonum non solum speculativè sed etiam practicè, malum verò tantum speculativè. Mali vero è contrario malum & speculantur & practicant, cum de bono non nisi speculentur; ideo æquivocè fuit locutus serpens dicendo. Eritis sicut dii, vel eritis sicut angeli. Intellexit enim Angelos malos. Docet hoc Rupertus Abbas *apud Lipomanum in Catena* dicens; falsis utique diis, id est sibi suisque sequacibus angelis apostaticis similes facere intendebat. Concludit tandem. Adam penè factus est sicut diabolus. Meritò exclamat S. Aug. *serm. 103. de Temp.* Humilitas homines sanctis Angelis similes facit, superbia verò ex angelis dæmones facit. Cui assentitur S. Basilius *in ps. 21.* Vir humilis DEO est similis, & in templo sui pectoris *Angeli sunt varii.* *Humilitas homines Angelis assimilat.*

cum

cum gestat. Superbus autem cum DEO sit odibilis, diabolo similis est. Hinc S. August. *serm. 22. ad Frat. in Eremo*: O sancta humilitas! quam dissimilis es superbiæ. Ipsa superbia fratres mei Luciferum de cœlo ejecit, sed humilitas DEI filium incarnavit; Ipsa superbia ex paradyso Adamum expulit, sed humilitas latronem in paradysum introduxit; Superbia Gigantum linguas confudit, sed humilitas cunctas dispersas congregavit. Superbia Nabuchodonosorem in bestiam transmutavit, sed humilitas Josephum Principem in Ægypto constituit. Superbia Pharaonem submersit, sed humilitas Moysem exaltavit. Evidentissimum denique reproborum signum est superbia inquit S. Greg. *l. 14. mor. c. 23.* Hinc enimvero & ipse Adamus cum Eva ex paradyso ejecti sunt. *Gen. 3. v. 23.* Et emisit eum Dominus de paradyso voluptatis, ut operaretur terram, de quâ sumptus est. Ejecitque Adam; ubi benè notandum est, quod priusquam DEus de paradyso ejiceret protoparentes nostros, dicatur *Gen. 3. v. 21.* Fecit quoque Dominus Adæ & uxori ejus tunicas pelliceas, & induit eos. Observat Lipomanus has tunicas fuisse pelliceas. Ideo inquit induti vestibus pelliceis dicuntur, id est pellibus mortuorum animalium, ut signum suæ mortalitatis secum ferrent. Rursus adverte quod lapsura in peccatum Eva, dixerit ad serpentem *Gen. 3. v. 3.* Præcepit nobis DEus ne comederemus, & ne tangeremus illud, ne fortè moriamur. Non sic locutus est DEus, qui ut Adamum in gratia conservaret, & immortalem faceret, cum timore mortis coërcuit, illique non dubiam sed infallibilem mortem objecit *Gen. 2. v. 17.* In quacunque enim die comederis ex eo, morte morieris. Quia verò immortalitatem dæmon homini inviderat, ut eam homini eriperet, mortis timorem & memoriam abolere conatus est. Nequaquam moriemini. Et heu! dum mortis obliviscitur miserandus Adam, in mortem incidit, quique cum diis volebat esse immortalis, abstinendo à pomo vetito, promissam immortalitatem potuisset conservare. Ne ergo proscriptus jam, in mortem rueret sempiternam, DEus Adamum & Evam mortis memoria infrænavit, quam vel in ipso vestitu secum gestarent, ut vel sic à peccato firmius conservarentur, dum in occisis animalium exuvijs certam destinatamque sibi mortem contemplabantur. Et fortè ideò juxta opinionem S. Chrysostomi ejectum Adam posuit vicinum paradyso, ut ad conspectum perditæ felicitatis salutariter magis torqueretur, & pœnitentiam a-

Mortis memoria à peccato cohibet.

geret

geret. Nobis in documentum, ut ex tam justâ pœnâ castigati primi Parentis, disceremus obedire DEO Creatori nostro. Quotusquisque enim nostrum est qui beneficium Creationis condignè expendat? & aliquando saltem tam benefico DEO pro beneficio Creationis seriò gratias agat. Doceat nos hoc rusticus sed verè illuminatus bubulcus, qui cum vidisset repentem humi fœdum bufonem, ejulare cœpit, exclamans: Heu! heu me! audiverunt ejulantem duo vicini Episcopi, & interrogarunt, cur sic ejulans lachrymaretur? Respondit, se illius bufonis aspectu suæ erga DEum ingratitudinis commonefactum, & recordatum fuisse, quod hactenus nunquam in vitâ suâ, pro beneficio Creationis DEO gratias egisset. Cum enim in DEI potestate fuerit, me aut hominem, aut animal tam horridum creare, maluit tamen ex immensâ bonitate suâ, me hominem formare, & ad imaginem suam creare. Intuiti se mutuo duo Episcopi, à bubulco didicerunt, quæ ipsi prius parum, cum omni doctrinâ suâ Theologicâ recogitarunt. Quid tu agis mi Christiane? qui audis Paulum *ad Rom. 9. v. 20.* O homo! tu quis es, qui respondeas DEO? Numquid dicet figmentum ei, qui se finxit. Quid me fecisti sic? an non habet potestatem figulus ex eadem massâ, facere quidem aliud vas in honorem, aliud verò in contemptum? Dicam ego; Tu quis es, qui correspondeas DEO, quod te hominem, quod te Christianum non Turcam aut gentilem, quod te Catholicum, non hæreticum aut schismaticum nasci & educari passus sit? Quam rarò aut nunquam hæc recogitas ingratus Creatori tuo? Cur non reputas aut expendis, quod pijssimâ animi affectione consideravit Tertull. *l. de Trinit.* Qui nos ad mare remittit, cui DEus terminos posuit, quos licet æstuet, non tamen egreditur, Servans inquit jura præscripta. Ut divinas leges tanto magis homo custodiret, quando illas etiam elementa in sensibilia servarunt. Cui conformiter loquitur S. Hier. *in illud Matth. 8.* Imperavit ventis & mari, & facta est tranquillitas magna. Exclamat: Tempestates, DEI Verbum faciunt, & tu non facis! Quid efficacius fuit in orbis molitione, hoc unico verbo Fiat vel Volo? Audite Davidem. Dixit & facta sunt, ipse mandavit & Creata sunt. In quem locum S. Hier. Totus mundus DEO servit, & præceptum ejus meminit, & solus homo non meminit. Et quia refractarius est, ipsas creaturas irrationales in vindictam sui sceleris secum in pœnam trahit. Petivit aliquando solicitè S. Brigitta & Deum inter-

Bubulcus ex viso bufone DEO pro Creatione gratus.

DEO pro beneficio Creationis parum gratisumus.

DEO Creatori pareamus.

interrogavit, cur animalia quæ non peccaverunt Adami & Evæ pœnam sustineant? Respondit Christus: Ego dedi cuique creaturæ suum temperamentum, in quo omnes viverent. Ubi vero homo cujus causâ omnes conditæ sunt Creatori suo se opposuit, cœperunt omnia alia inordinationem aliquam suscipere, & creaturæ quæ illum reveri debebant, cœperunt se opponere. Propter quod ipsa animalia patiuntur morbos, & pariunt cum dolore. Veniet autem tempus, quando verificabitur illud *Sap. 5. v. 18.* Accipiet armaturam Zelus illius, & armabit Creaturam ad ultionem inimicorum. Et paulo infra. *v. 21.* Pugnabit cum illo orbis terrarum contra insensatos. Tu ne in illâ die extremâ creaturas contrà te armatas experiaris, subjice & substerne te DEO tuo; beneficium Creationis sæpius expendas, & Creatori tuo humillimâ animi demissione gratus esto.

Creaturæ à DEO puniuntur quia se homini opposuerunt.



ARTICULUS II.

Et in JEsum Christum Filium ejus, unicum Dominum nostrum.

DISCURSUS XIV.

JEsus Christus Filius DEI, verus est DEUS.

TEmpore Vespasiani factum legimus, quod is lectissimos quosque juvenes, ingenio ac formâ præcellentes, nudos & oleo undique delibutos, in arenam descendere atque inter se luctari jusserit, ingenti proposito præmio, qui inter luctandum Antagonistam suum in terram prosternere posset. Cum vero alter alterius manus propter lubricitatem olei declinaret, nec illi solidè se apprehendere possent, factum est ut diu otiosè luctarentur. Usque dum

Nudi inuncti oleo pueri luctabantur.

dum cœteris versutior aliquis, arrepto pulvere, quem in terrâ vidit, socium dexterè conspersit, manum deinde injecit, atque adversarium sic apprehensum, feliciter in terram dejecit. Jam dudum ab orbe nempè condito duo pusiones amor nimirum divinus & humanus luctabantur, & ambiguo Marte concertarunt, usque dum tandem humanitas quæ viribus non valebat, divinum pusionem, in audito plane stratagemate pulvere mortalitatis aspersum devicit, & inter bovem & asinum in præsepium prostravit. Merito hoc obstupescens S. Fulgentius *serm. de S. Stephano* exclamat: Sempiternâ Deitatis majestate servatâ servile cinctorium carnis assumens, in hujus sæculi campum pugnaturus intravit. Et ut belli insoliti Dux videatur, levis armaturæ milites advolare compulit. Subito enim facta est multitudo militiæ cœlestis *Luc. 2. v. 13.* Hæc multitudo inquit Hugo Cardin. *in Luc. c. 2.* Exercitus nominatur, qui sequebatur militiæ Ducem. Sed non scandalizet nos teneri pusionis forma, neque nos infantis imbelles artus deterreant. Licet enim sugat ubera, & in cunis vagiat. ab Isaia tamen *c. 9. v. 6.* Vocatur DEus fortis dum dicit: Parvulus natus est nobis, & filius datus est nobis. Et factus est Principatus super humerum ejus & vocabitur nomen ejus Admirabilis, DEus Fortis, Pater futuri sæculi, Princeps pacis. Unde errarunt graviter cum Judæis Ariani & Ebionitæ, qui huic Infanti divinitatem negarunt. Certè Isaias Propheta *toto c. 6.* dum agit de majestate divinæ gloriæ, eamque fusius describit, infantem hunc divinitatis throno imposuit, teste Magno illo Theologo & divinitatis arcanissimæ scrutatore Joanne, qui *c. 12. v. 41.* ait. Hæc dixit Isaias, quando vidit gloriam ejus, & locutus est de eo nempe Christo. Causam deinde coecitatis Judaicæ assignat citatus Joannes *v. 39.* Propterea non poterant credere, quia iterum dixit Isaias *c. 6. v. 10.* Excœcavit oculos eorum, & induravit cor eorum, ut non videant oculis, & corde non intelligant, & convertantur, & sanem eos. Quid mirum proindè si neque Psalmistam de Christo loquentem intellexerunt, qui *ps. 76. v. 19.* dixit: Ascendisti in altum cœpisti captivitatem, dedisti dona in hominibus. Quem textum tamen disertè S. Paulus *ad Eph. 4. v. 8.* Christo attribuit. Postquam enim dixit; Unus Dominus, una fides, unum baptisma, Unus DEus & pater omnium. Subdit; Unicuique autem nostrum gratia data est secundum mensuram donationis Christi. Confirmat hoc authoritate Davidis dicens: Propter quod dicit?

Lucta amoris divini & humani.

DEus incarnatus Dux Levis armaturæ milites cogit.

DEus infans, Deus est.

Ascendens in altum captivam duxit captivitatem, dedit dona hominibus. Sed latere voluit pientissimus DEus, quem non sine causa Isaias c. 45. v. 15. DEum absconditum nominat. Verè tu es DEus absconditus. Quo enim magis absconderet copiam & abundantiam divitiarum suarum, quam sub pannis quibus involuebatur; & divinitatis majestatem, ubi melius occultaret, quam in lacero patuloque stabulo, ubi omnipotentiam suam, fasciarum suarum vinculis constringi passus est, & immensam Deitatis sapientiam, inter elinguis infantis vagitus contumulavit. Hinc enimverò *Judic. 6.* factum intelligo, ut illa pluvia Gedeoni divinitus concessa, umbra esset & figura incarnati Verbi divini, quando vel ipsa Ecclesia in suis Antiphonis inquit, sicut pluvia in Vellus descendisti, ut salvum faceres genus humanum. Advertendum autem est quod Gedeon fortissimus Dux Israelis, à DEO electus ut liberaret populum, petiverit à DEO signum aliquod suæ electionis; quod signum ipse posuit, nempe vellus in areâ expansum, super quod pluvia descendit, & totum vellus irroravit. Observat bene Labata *tit. Humilitas*: Quod pluvia cum super nudam terram cadit, strepitum excitet, maximè si in lapides incidat; at verò si in lanam mollem defluat, leniter & insensibiliter decidit, ut à nemine strepitus ullus audiatur. Significare namque voluit DEus, quod ad nos sine strepitu & magno clamore evulgatæ suæ divinitatis accesserit, quo magis nobis fidei meritum augeret. Quia sic vel in ipso infante, divinam veneramur majestatem, & JEsum Filium Mariæ DEum verum confitemur.

Vellus Gedeonis divinæ incarnationis mysterium.

Undè non est quod animis concidamus, hic enim ipse, qui amore nostri humanam naturam induit, divinitatem suam non exuit. Jacet is quidem in præsepio, sed regnat in cœlo; fascijs stringuntur tenera membra, sed idem in brachio virtutis suæ Pharaones demergit in mare, Holofernes manu muliebri prosternit, vastissimos hostium exercitus debellat. Mirabile est quod lego *Judic. 7. v. 7.* ubi à DEO jubetur Gedeon, cum trecentis suorum confligere contra exercitum triginta quinque millium. Quis hic non formidaret? Quis non temeritatis arguat Gedeonem, si contra tam potentem hostem stringat gladium? Ut tamen DEus animaret Gedeonem, inquit *v. 10.* Sin autem solus ire formidas, descendat tecum Phara puer tuus. O miram custodiam corporis! Leo Castrius & Serarius noster in hunc locum, puerum hunc typum Christi fuisse dicunt. Hic enim

Christus homo DEus est.

nim puer ille est, qui repellere potest formidinem omnem, & tot millium Madianitarum exercitum, unico manipulo militum fundere, & debellare. Refert *Pausanias l. 6.* Arcades olim Eleorum fines ingressos, eorum omnem regionem igne & ferro vastasse. Elei consternati cum essent, arma tamen capessunt; Cum ecce matrona eximia occurrit puerum in ulnis gestans, quæ dixit se in somnis monitam, quod hoc infante Duce hostium agmina prosternentur. Elei divino oraculo moniti infantem accipiunt, & in ipso primo congressu puerum hosti objiciunt. Diceres Arcades velut attonitos Numen aliquod in puero suspexisse, adeoque omnem apud illos torpuisse armorum ferociam, quare nutare cœperunt Arcades, & Ordinibus confusis agere. Quod videntes Elei novis conceptis animis in Arcades irruunt, atque hostes hactenus Victores ad internecionem usque deleverunt. Certandum nobis est quia undique ab hostibus lacessimur, omnia bellis ardent, tam visibilium quam invisibilium hostium telis petimur; sed certam Victoriæ tesseram nobis offert Maria Virgo, quæ filium suum unigenitum nobis exhibet, non fundendis ab hostibus, quam diu sub hujus divinissimi infantis protectione bellabimus. Est enim hic infans panis ille Madianiticus, quem miles vidit devolui in castra Madianitarum, & tabernacula hostium penitus contrivit atque evertit. Testis est Cranzius *l. 2. hist. Saxon. c. 23.* qui refert Widekindum Saxoniæ Ducem cum in Paschate exploraret castra Caroli Magni, & omnis miles Carolinus sacra Communione reficeretur, illum sub habitu Mendici in castra penetravisse, ut ibi mendicis se immisceret. Inter hos cum stipem porrecta manu acciperet, quia digitum habebat contractum ab Eleemosynario Caroli Magni agnitus est, & ad Cæsarem adductus, à quo humaniter omninò acceptus fassus est, se vidisse quomodo de manu Sacerdotis singuli pulcherrimum puerulum accepissent, qui quidem ad aliquos lætabundè, ad alios vero reluctanter planè, & invitus introivisset. Quod ubi audivit Carolus, Ducem sumptuosis vestibus induit, & ad fidem convertit, atque pacem cum eo stabilivit. Memorabile est quod narrat Baronius ad annum 1040. Cum Saraceni inquit exceptâ Messanâ totam tenerent Siciliam, Ducem Exercitus Christiani publicè curasse fieri sacrum, & milites omnes sacra Communione refici, cum quibus deindè Saracenos invasit eo successu, ut occiso Duce, reliquam turbam omnem ad internecionem penitus

Elei populi infante Duce in pugna triumphant.

Christo protegente tuti sumus.

Widekindus Dux Saxoniæ in castris Caroli puerulum in hostia videt.

Miles Christianus Sacra Communione refectus Saracenos cadit

tus deleverint. Nimirum hæc est illa mensa de qua S. Chrysostomus *hom. 61. ad pop. Antioch.* inquit Tanquam leones ignem spirantes, ab illâ mensâ recedamus facti non solum diabolo, sed cuivis etiam hosti formidandi. Quam benè Tertull. *l. 2. contra Marcionem c. 13.* de Christo incarnato utique infante sic loquitur. Vagitu ad arma convocaturus est infans, & signum belli non tubâ, sed crepitaculo daturus nec ex equo, vel de muro sed de nutricis vel gerulæ suæ collo hostem designaturus. Hic enim infans DEI filius, DEus & homo est. DEus quidem ut inquit S. Athanasius in suo symbolo, ex Substantiâ Patris, ante sæcula genitus; & homo ex substantiâ matris in sæculo natus.

Quod si verò tam tacitus ad nos venit DEus, ut ipsum medium noctis elegerit, in quo ad nos in carne descenderet, juxta illud *Sap. 18. v. 14.* Cum enim quietum silentium tenerent omnia, & nox in suo cursu medium iter haberet, omnipotens sermo tuus à regalibus sedibus venit. Quid opus erat tam fastuoso apparatu, ut non solum vox clamantis in deserto, sed ipse jam prius Isaias *c. 40. v. 4.* insonuerit omnis vallis exaltabitur, & omnis mons & collis humiliabitur. Plutarchus de Xerxe refert, quod is expeditionem facturus In Græciam, Hellespontum ponte ligneo instraverit, per quem totum exercitum traduxit; atque ubi montem sibi obstantem habuit, illum demoliri & solo æquari curavit. Quanti hic tumultus? qui strepitus laborantium? qui clamores intercesserint, quis est qui non videat? à Sinu Patris egressus DEi filius non unam Græciam, sed orbem universum perambulaturus expeditionem fecit admirandam. De qua David *ps. 18. v. 6.* à summo cœlo egressio ejus. Hinc præcursor illius Joannes *Luc. 3. v. 5.* ut viam DEO incarnato sternerent intentâ voce commonuit: Parate viam Domini, rectas facite semitas ejus. Omnis vallis implebitur, & omnis mons & omnis collis humiliabitur. Sed obsecro si *Cant. 2. v. 8.* Sponsæ verba considero, quibus Illa adventum cœlestis sui sponsi describit, quid opus est humiliari colles? quid montes deprimi. An non enim sponsa clarè inquit: Ecce iste saliens in montibus, transiliens colles? Pulchrè Bruto Episcopus explicans hunc locum scripturæ, duplicem passum Domini assignat. Unum valdè agilem & velocem, ad quem declarandum utitur verbis à Sponsâ allegatis. Et hinc illum sponsa comparat hinnulo cervorum. Alterum passum valde gravem & tardum asserit, juxta

Xerxes ut planum iter haberet montem solo æquavit.

Christi duplex in terras passus.

juxta illud *Cant. 5. v. 15.* Crura illius columnæ marmoreæ, quæ fundatæ sunt super bases aureas. Quod interpretatur Beda *in Cant.* atque locum utrumque scripturæ combinans dicit: Et velox & tardus est Sponsus, & ex utroque amandus, velox nimirum ad præmia, & tardus ad inferenda supplicia. Primus ergo passus referri debet ad adventum Christi in carne. De quo *Cant. 2. v. 9.* Similis est dilectus meus capreæ hinuloque cervorum, & adeò velox fuit, ut ad unicum verbum Mariæ Fiat, Verbum divinum de cœlo summo in uterum Virgineum descenderit. Hunc passum miratur S. Bern. *hom. 3. super missus est.* Et eruditè explicat Paoleti *serm. in nat. Dom.* exemplo Alexandri Magni, qui consultaturus cum Ephestione amico suo, ad illum famulum expedivit cum mandatis; sed moræ impatiens aliâ breviore viâ famulum prævertit. Factum hoc ipsum est in Incarnatione. Mittitur enim Angelus ad Mariam Virginem, sed prævenitur à Domino. Sic enim Angelus ipse fatetur, Dominus inquit tecum. Placidus Nigridius *op. 4. de devot. erga B. V.* exclamat: Eodem momento dimisso nuncio in viam se dat, & festinat præ amore, eoque devenit, ubi possit, cum sua res agitur, quid nuncius ferat, quid amata respondeat, audire. Qui ad Virginem nuncium misit, ipse nuncium antevertit. Dominus Tecum. Itane alato angelo velocior fuit infans DEus, ut festinantem nuncium præverterit celerior de cœlo egressus? O Angele! quem modò reliquisti in cœlis, nunc in utero reperis. Volavit nimirum & prævolavit super pennas ventorum homo DEus. Quarè meritò in gaudio exclamat S. Bern. Victus es ô Archangele, transiliit te, qui misit te, & nimio prævolans desiderio, prævenit suum nuncium ad Virginem, quam amaverat, quam sibi elegerat, cujus decorem concupierat. Vere venit hic saliens, imo transiliens colles adeoque complanatione viæ opus non erat. Non enim absque causâ dicit S. Paulus *ad Titum c. 3. v. 4.* Cùm autem benignitas & humanitas apparuit Salvatoris nostri DEI, non ex operibus justitiæ quæ fecimus nos, sed secundùm suam misericordiam salvos nos fecit. Secundus passus referri debet ad secundum adventum in judicio, quem sicut invitus facturus est, ita tardo gradu accedet. Hic enimverò necesse erit parare viam, & aspera in vias planas complanari oportebit. Necesse hic erit valles terrenarum cupiditatum, atque colles ambitionum ac superbiæ humiliare. Benè namque Lyra *in Cant.* inquit, Sicut via corporalis redditur gravis & dif-

Alexander nuncium ad Ephestionem prævertit.

Passus secundus Christi, est ad judicium.

& difficilis, propter profunditatem vallium, & elevationem collium, ita via spiritualis qua DEus graditur super corda fidelium, impeditur per depressionem terrenarum cupiditatum, & per elevationem mundanæ vanitatis. Nisi forte dicamus etiam hunc ipsum passum fore celerrimum, quia venturus est in nubibus cœli. Audite ipsum Filium DEI *Mat. 26. v. 65.* Ubi à Caiphâ Sacerdotum Principe per DEum vivum adjuratus Christus, an verè sit filius DEI? respondet. Tu dixisti. Quod sequitur audite! Verum tamen dico vobis: amodò videbitis Filium hominis sedentem à dextris Virtutis DEI, & venientem in nubibus cœli. An non ego hic meliori jure exclamem cum Caipha. Quid adhuc egemus testibus? Ite! Ite perfidi Judæi, & Christum Mariæ Filium verum DEum negate. An non ipsi audistis divinum oraculum? Non immerito omnino queritur S. Joan. *c. 12. v. 37.* Cum autem tanta signa fecisset in eis, non credebant in eum. Ut sermo Isaiæ Prophetæ impleretur *Isa. 3. v. 1.* Quis credidit auditui nostro, & brachium Domini, cui revelatum est? Est enim verò hoc brachium in cujus magnitudine *Exodi 15. v. 16.* Currus Pharaonis & exercitus ejus præcipitati sunt in mare, & fluctibus cooperti. Magna omninò divinæ potentiæ vis hæc fuit; sed longè major censeri debet virtus illa, quam in incarnatione divinâ deprædicavit Maria *Luc. 1. v. 51.* Fecit potentiam in brachio suo. Quod Venerabilis Beda explicat: Dispersit superbas potestates inferni, & hominem à diabolicâ servitute liberavit. Quo sicut nihil sublimius potest excogitari, ita opus omnium maximum complevit incarnatus DEus, quia brachio divino nihil est impossibile, de quo dicitur *ps. 88. v. 14.* Tuum brachium cum potentiâ. Merito ergo omnipotentiæ divinæ excellentiam miratus Job dixit *c. 4. v. 4.* si habes bracihum sicut DEus? Quasi diceret: Omnis humana potentia divinæ minimè comparari potest. Sed si homo facit aliquid dignum commendatione, operabitur ex conjunctione cum brachio divino. Et hinc non absque causâ *Luc. 1. v. 26.* dicitur: Missus est Angelus Gabriel à DEO in civitatem Galileæ. Hic enim non frustrà quæritur cur Gabriel, & non potius Michael aut Raphaël missus fuerit? Michaël certè primus cum Lucifero conflixit, & olim Synagogæ nunc Ecclesiæ à DEO stabiliendæ custos futurus erat. Cum ergo Christus venerit debellaturus dæmonis potentiam, numquid melius illius adventum significare potuisset Michaël? Venit Christus ut sanaret infirmi

Christus ipse dicit se esse Filium DEI.

Cur Gabriel incarnationis fuit nuncius, & non alius?

firmitates nostras, teste S. Aug. Magnus de cœlo advenit Medicus, quia magnus in terrâ jacebat ægrotus. Atque adeo *serm. 8. de verb. Ap*, inquit. Tolle morbos! tolle vulnera, & nulla est causa medicinæ. Si verò Raphaël dicitur Medicina DEI, quid ni in hac legatione aptissimus fuisset is, qui vel ipso nomine Altissimi Medicinam præferret? Dicendum tamen est cum Cajetano *in verba super missus est.* Gabrielem potius electum, qui est fortitudo DEI. Nullum siquidem opus est inquit Cajetanus comparabile operi, quo Verbum caro factum est. Undè concludit eleganter, quia annunciabat Messiam Patrem fortitudinis; par erat ut ipsa fortitudo DEI veniret, & de felici hoc nuncio mundum recrearet universum. Christianorum enim inquit virtus propria est fortitudo, quæ apparuit in Sanctis Apostolis, in tot millenis martyribus triumphavit, & in Christi sequacibus Christianis, usque hodie debet efflorescere. Et verò hæc fortitudo atque invicta animi constantia Salvatoris nostri inter tam horrenda tormenta non perturbati, manifestum argumentum divinitatis fuit apud Centurionem ejusque commilitones. Turbatur terra, quæ tremendo terræmotu concussa, hiantia mortuorum aperuit sepulchra. Turbatur cœlum, quod tristi tenebrarum peplo ipsa cœli luminaria contexit. Turbatur Synagoga, ipsaque templi arcana rupto velo panduntur. Turbantur petræ, quæ ingenti fragore scinduntur; Turbantur ipsimet tumulati manes, qui suis egressi tumulis civitatem sanctam obibant. Invicta inter hæc omnia sibi constitit divini verbi fortitudo. Sic ut vel moriens, non fractâ, quod fieri assolet, sed clamans voce magnâ, emiserit Spiritum. Tu autem considera, Exclamat S. Chrysostomus *hom. 84. in Joan.* Quomodo crucifixus omnia sine aliquâ perturbatione transegit. Discipulo Matrem commendavit, Prophetias implevit, Latroni spem dedit. Hinc ergo Centurio, & qui cum ipso erant, custodientes JEsum, timuerunt valdè dicentes: Vere filius DEI erat iste.

Dum in passione turbantur omnia Christus sibi constat.

Quâ de causâ ut Christus suam probaret divinitatem, Judæos ad opera sua remisit *Joan. 10. v. 37.* Si non facio opera Patris mei, nolite credere mihi. Si autem facio, & si mihi non vultis credere operibus credite. Quod convenit cum eo, quod idem Joannes prius *c. 5. v. 19.* dixit: Amen, amen dico vobis non potest filius à se facere quidquam nisi quod viderit Patrem facientem. Quæcunque enim ille fecerit, hæc & filius similiter facit. Unde cum Christus sanasset

paralyticum in sabbato, persequebantur Judæi JEsum, quia hæc faciebat in sabbato. Ut verò reprimeret vesaniam illorum, exemplo Patris cœlestis se tuetur, qui non minus in sabbato, quam quocunque alio die à benefaciendo hominibus non desistit. Unde ostendit per obsequium charitatis non solvi aut violari sabbatum. Adeoque in eodem sabbato de quo disceptarunt Judæi dixit: Pater m..s, usque modo operatur, & ego operor. Quarè subdit S. Joannes: Proptereà ergo magis quærebant eum Judæi interficere, quia non solum solvebat sabbatum, sed & Patrem suum dicebat DEum. Non est ergo quod Judæi negent Christum esse DEum, cum vel ipsius Christi testimonio convicti teneantur. Neque enim frustrà dixit: Operibus credite. Dum enim imperavit ventis, liberavit energumenos, paralyticos restituit, sanavit ægros, mortuos denique suscitavit, filius DEI fuit agnitus. Sic namque *in eodem capite* dixit illis: *v. 21.* Sicut enim Pater suscitat mortuos & vivificat; Sic & filius quos vult vivificat. Adeoque cœcus ille *Joan. 9. v. 33.* qui à nativitate cœcus fuerat; cum à Christo visum accepisset, ex opere tam admirando conclusit. Nisi esset hic à DEO non poterat facere quidquam. Ubi verò deindè à Christo edoctus fuit quod esset Filius DEI, dixit: Credo Domine, & procidens adoravit eum. Sic S. Switbertus cum prædicaret Gentilibus Christum, cumque assereret esse Filium DEI, in testimonium hujus veritatis in conspectu totius populi, homini cœco visum restituit, dicens: In nomine JEsu filij DEI quem ego prædico, reddo tibi visum. Cum ecce cœpit videre, & qui cœcus fuit, procidit in genua, & confessus est, quia JEsus est filius DEI. Idem accidit *Joan. 11. v. 45.* Ubi Christus suscitavit Lazarum, & quatriduanum ex tumulo evocavit dicente textu: Multi ergo ex judæis qui venerant ad Mariam & Martham, & viderunt quæ fecit JEsus, crediderunt in eum. Hoc eodem credendi motivo usus est S. Xaverius in Commorino, ubi cum videret homines obstinatos non credere suæ prædicationi, invitavit Ethnicos ad templum, in quo jam triduo ante sepultus fuerat ipsis omnibus notissimus vir quispiam, quem tamen præmissâ oratione, in præsentiâ universi populi, in nomine JEsu Christi Filii DEI evocavit ex sepulchro, & à morte suscitatum vitæ satis diuturnæ restituit. Nec est quod ab Hæreticis turbemur, qui Filium cum Arianis Patre minorem asserebant; eo quod Patri æterno fuerit obediens, & quidem usque ad mortem. Pulchrè enim

Per opera charitatis non solvitur Sabbatum.

S. Switbertus in testimoniũ fidei cœco visum restituit.

S. Xaverius jam triduo sepultum resuscitat.

enim S. Cyrillus Alexandr. ex Obedientiâ hac filium Patri æqualem probat. Argumentatur enim ille ab exemplo Isaaci, qui Patri suo Abrahamo obediens fuit usque ad mortem. Concludit deindè, quis dixerit eum fuisse naturæ inferioris ab Abrahamo? Idem ergo dicendum est de Christo, qui licet obediens fuerit Patri usque ad mortem, non ideo tamen secundum suam divinitatem inferior fuit Patre. Hic itaque est liber ille, quem Joannes vidit in sua apocalypsi scriptum intus & foris, clausum sigillis septem, quem nemo poterat aperire. Cum ergo fleret Joannes, solatus est eum Senex dicens: Ne fleveris; Et subito prodijt Agnus qui librum ex manu sedentis accepit, eumque & septem signacula ejus reseravit, tantâ cum Seniorum lætitiâ, ut omnes instructi Cytharis & phialis exclamarent; redemisti nos DEO in sanguine tuo ex omni tribu, linguâ, & natione & populo, & fecisti nos DEO nostro regnum. S. Ambrosio hic liber, est Scriptura sacra. Fererius tamen sub hoc libro Christum ipsum intelligit, qui intus amoris ardentissimi characteribus, foris Sanctissimorum Vulnerum rubricâ est inscriptus. Septem Signacula dicit fuisse septem miranda in Christo mysteria; Nempe Matrem Virginem, Nativitatem in stabulo pauperrimo; Circumcisionem innocentissimi filii DEI, Fugam persecutionis Herodianæ, Tentationem diaboli in deserto, mortem turpissimam inter duos latrones, resurrectionem ex sepulchro clauso. Quæ profectò in Christo DEO & homine ita divinitatem ejus occultarunt, ut verè illud *Isa. 45. v. 15.* exclamare cogamur. Verè tu es DEus absconditus, DEus Salvator.

Obedientia Christi erga Patrem non probat filium esse inferiorem Patre.

Christus est liber apocalypticus clausus sigillis septem.

Septem Signacula Cristi libri apocalyptici.

DISCURSUS XV.

JEsus Christus filius DEI verus est homo.

S. Athanasius in Symbolo suo dum dicit: Est ergo fides recta, ut credamus & confiteamur, quia Dominus noster JEsus Christus DEI filius, DEus & homo est, Subjungit: DEus est ex Substantiâ Patris, ante sæcula genitus, & homo est ex

Substantia Matris, in sæculo natus. Occurrit hic mihi Atheniensium consuetudo, qui lege caverunt, ne filii à matribus nomen acciperent. Gratiores his erant Lyxij suis matribus, qui omissis Patribus, à Matribus nomen acceperunt. Egit hoc ipsum DEI filius qui quasi paternæ divinitatis oblitus, solâ matris gentilitate gloriatur, dum se sæpissimè imo communiter filium hominis nominavit. Pulchrè S. Aug. Unde humilis? quia homo natus est ex homine. Unde excelsus? quia ex virgine; adeoque quando nato Domino Gloriam in excelsis accinunt Angeli, inquit Neotericus quispiam, id innuunt, quod ab utero Virgineo omnia excelsa & gloriosa Domino suo voluerint gratulari. Nisi forte ideo Christum matrissare dicamus, quia illam purissima mater sine conjunctione Viri genuit. Licet autem Aristoteles *l. de animal.* dicat, quod fœmina per se non generet, quia indiget principio motus, quod est ex masculo, ex fœminâ vera sola est materia. Quia tamen purissima Virgo Maria per virtutem sancti Spiritus obumbrantis, accepit non solum virtutem Conceptivam DEI, quæ alias in ratione generandi hominis fœminis communis est, & juxta Aristotelem aliosque Physicos in matribus prærequiritur, sed etiam divinitus accepit aliquam virtutem generativam Maria, respectu Christi à se geniti, adeoque non solum Mater sed plus quam Mater dici debet. Ut proindè longè majori jure Maria Virago dici possit quam Eva, *Gen. 2. v. 24.* Quando enim DEus Evam adduxit ad Adamum, dixit Adam, hæc vocabitur Virago, quia de Viro sumpta est. Maria verò in Christo ut Viro prævisa, non tantum est Mater virtute conceptivâ sibi congenitâ, sed etiam reverâ Virago, id est Virum agens, quando in incarnatione Filij DEI obumbrante eam Spiritu sancto, eidem DEus contulit principium aliquod motus. Ut vel hinc putem Christum, toties in Evangelio se vocare filium hominis, quasi non tam à virtute conceptivâ Matris, quam eidem Matri divinitus concessâ virtute generativâ voluerit nominari. Cum nomine hominis communiter Vir intelligatur. Quod Italis plane familiare est, qui nomine hominis solum Virum, & nullo modo fœminam intelligunt. Quarè meritò S. Bonav. *in psalter. min.* Mariam vocat matrem novi moris. Cujus causam eleganter assignat Joannes Damascenus dicens: post assensum Beatissimæ Virginis Spiritus Sanctus supervenit in eam, Virtutem conceptivam Verbi DEI tribuens simul & generativam. Et vero si hoc in humanis accidisse ali-

DEus gloriatur quod sit filius hominis.

Christus matrissat.

Maria Mater virtute conceptiva & generativa.

aliquando per miraculum vidimus, ut in Viro simul staret potentia generativa & conceptiva, quidni hoc dabimus Virtuti Altissimi, & Spiritui Sancto, qui Mariam in hoc incarnationis mysterio singulariter obumbravit. Nec est quod ad Fabulas convertamur Poëtarum, vidit nostra ætas novum Bacchum ex femore non Jovis sed Eligij Rossel enatum. Hic enim in partus doloribus petulantius uxori suæ illuserat, cui uxor justè indignata, imprecata fuit, ut justo DEI judicio similes dolores experiatur. Exaudita videri poterat uxor, quia brevi ex speciali DEI providentiâ, marito femur intumuit, & novem mensium spatio omnes dolores & alterationes prægnantium expertus est, usque dum tandem inter maximos dolores ex femore prolem genuit masculam, quæ in Ecclesia Uladzel dicta, baptizata, paulo post expiravit. Advertendum autem est, quod S. Damascenus supra citatus, dicat non solum virtutem generativam, sed etiam Conceptivam Beatissimæ Virgini divinitus datam, quia Caro Mariæ per se & humanitus, sufficiens non fuisset ad Concipiendum Verbum Divinum. Videtur hoc DEus clarè ostendisse *Exod. 3. v. 2.* Quando vidit Moyses rubum incombustum. Videbo inquit quare rubus non comburatur. Noverat utique Moyses rubum rem esse fragilem, & ab igne facilè consumptibilem, utpote igni aptissimam materiam. Quod magis ex eo mirum erat, quia Moyses suomet testimonio novit, quod DEus ignis consumens est *Deut. 4. v. 24.* In hoc rubo Ecclesia veneratur Beatissimam Virginem Mariam, sic enim in Antiphonâ quadam canit Ecclesia: Rubum quem viderat Moyses incombustum, conservatam agnovimus laudabilem tuam Virginitatem, adeoque Ecclesia meritò divinæ omnipotentiæ deprædicat majestatem. Cum enim Caro Virginea rubi instar substantia plane esset fragilis, tamen à divinæ majestatis igne non fuit consumpta. Jam verò si oculi humani Solem istum materialem intueri non possunt, quo minus Sol illos fulgore suo nimium perstringat, quanto minus illum fulgorem Solis inaccessibilis tulisset Maria, quando ad illius obtutum, ipsorum etiam Seraphinorum reverberantur oculi, quemadmodum testatur Isaias, qui eosdem in conspectu DEI alis suis velare oculos vidit, ob fulgoris nimiam majestatem. Quid quod ad contactum unius Carbonis, caro nostra tam fragilis est, ut ab igne statim exuratur. Quomodo in contactu DEI stetisset Maria, quandò se Castissimis illius visceribus infudit filius DEI? O quantus hic est divini-

Novus Bacchus ex femore natus.

Maria rubus Moysis incombustus.

tatis concentratus focus! Pater ignis consumens est teste Moyse, *Deuter. 4. v. 24.* Filius *1. ad Tim. 6. v. 16.* Lucem inhabitat inaccessibilem. Spiritus sanctus *Act. 2. v. 3.* totus igneus super Discipulos descendit in die Pentecostes; Et nos credamus tanta divinitatis incendia, sine miraculo in uno Virgineo corpusculo contineri potuisse. Verebatur utique hoc ipsum Spiritu sancto plena Virgo Maria, adeoque solicita exclamavit. Quomodo fiet istud? Verum tanta est mysterij hujus magnitudo, ut eam ipse Angelus non assequatur; atque adeo velut insufficiens altiorem assignat Magistrum dicens: Spiritus sanctus superveniet in te, & Virtus Altissimi obumbravit tibi. Pulchrè S. Bern. *serm. sup. missus est* in persona Angeli alloquitur Mariam. Scies utique, scies inquit, sed illo Doctore, quo & authore. Non enim docere potest nisi à docente, non potest addisci nisi à suscipiente. Ut tamen aliquo modo humano incarnationis intelligamus mysterium, fingamus nobis modum quo formatur Echo, in quâ formandâ necesse est, ut vox quæ profertur, terminetur ad locum concavum, quæ eo sic terminata reflectitur & repercutitur, ut communiter demptis primis syllabis, posteriores solum reflectantur. Sic si altâ voce dicas Clamas, reddat tibi Amas, si clames Dolabella, Labella refundet. Hoc posito ut ad propositum revertamur; Certum est quod Filius sit Verbum æterni Patris, Hoc Verbum locutus est Pater, juxta illud *Eccles. 24. v. 5:* Ego ex ore Altissimi prodivi. Locus concavus quo Verbum hoc terminabatur, uterus fuit Mariæ, & Ecce Verbum hoc ademptis semper primis syllabis reflectebatur. Clamat ergo Pater Verbum seu Filium se mittere impassibilem, respondit Echo scilicet Mariæ Virgineus uterus, Passibilem. Clamat Pater immortalem, reponit Maria Mortalem. Hic invisibilem, illa Visibilem; ille immaterialem, hæc materialem; Denique in omnibus Verbum abbreviatum ostendit. Hoc est quod *ad Rom. 9. v. 28.* observans Paulus exclamat: Verbum abbreviatum fecit Dominus. In quem locum Angelicus Doctor *Lect. 5.* Breviatum, id est incarnatum, quia Filius DEI exinanivit se ipsum. Dicitur autem abbreviatum, non quia aliquid subtractum sit plenitudini, sed quia nostram brevitatem & parvitatem suscepit. Scilicet hoc est illud portentosum ac mirabile opus, quod ipsa Virgo in Cantico suo gloriosè deprædicat dicens: Fecit potentiam in brachio suo. Quæ verba expendens S. Aug. *tom. 9. sup. magnificat.* Magnum fuit inquit, ut Virgo

Incarnationis incomprehensibile mysterium in Echone adumbratur.

Echo mira in incarnatione Verbi.

Virgo sine virili semine conciperet. Magnum fuit ut Patris Verbum carne suâ indutum utero gestaret. Ideo ergo dicit magna, quia mysterium Incarnationis Verbi, super omnia constat esse ineffabile. Præclarè S. Joann. Damasc. *orat. de dormit. B. V.* Hæc est Virga illa Aaron arida, hoc est absque omni Viri consortio, quæ in tabernaculo testimonij posita, præclarissimum edidit miraculum. Hoc miraculum explicat Petrus Abbas Cellensis *l. de panibus c. 21.* Nostra quoque Virga seu Virgo fronduit credens Angelo, florens & Concipiens in utero, germinavit pariens ex utero. Unde quod tantâ cum admiratione prædictum fuit Abrahamo, *Gen. 15. v. 16.* Generatione quartâ revertentur huc, id est quod quartâ generatione finitâ, filii Israël de captivitate Ægyptiacâ sint liberandi, quando nimirum Moyses Virgâ suâ divisurus mare, per siccū illos traducet. Longè id magis verificatum est per Mariam, quæ in generatione quarta universum orbem à diabolicâ servitute vindicavit. Generationes has quatuor doctè explicat Richardus à S. Laurentio. Primam enim generationis formam dicit fuisse plasmationem Adami, quando à DEO ex limo terræ creatus est. Secundam ipsius Evæ productionem, quæ ex costâ Adami fuit ædificata. Tertiam propagationem generis humani ordinariam per semen humanum. Quartam denique ex solâ Virgine sine Viri conjunctione. Quæ generatio inquit Richardus Semini Abrahæ, imo toti humano Generi de servitute Ægyptiacâ & diabolicâ tyrannide liberationis causa extitit. Quia verò in generatione tertiâ, ordinaria nimirum, diximus, eam fieri per semen humanum, occurrit quod bene notat Hippocrates *l. de diæta*, ubi dum similitudinis causam in gemellis assignat. Dicit aliam non esse, quam quod gemelli ex eodem sanguine nutriti, ac eodem lacte alimentati fuerint, quod idem est ac dicere, quod simillimum sortiantur temperamentum. Reies verò in Campo Elysio jucundarum quæstionum *Quæst. 54.* docet multa in Viro considerari. Mas enim qua mas inquit continet non solum potentiam generativam, sed etiam facultatem & potentiam individualem. *Generationes quatuor.*

Quod licet in Incarnatione divina prorsus locum nullum habeat, utpotè cum castissima & intemerata Virgo de Spiritu sancto conceperit, & sine omni virili semine filium suum Unigenitum genuerit, tamen opinioni hominum magnam suspicionem movit, ut nescij tam sublimis & arcani mysterij, multi propter similitudinem vultus, *Christus quia similis Josepho illius credebatur filius.*

Chri-

Christum crederent esse verum filium Josephi. Sic enim Eusebius Cæsar. *l. 7. de præcept. Evang. c. 1.* dum S. Josephum à varijs naturæ & gratiæ dotibus celebrat, de eo dicit: præstabat, eratque mirabili præditus formositate. Vidit semel S. Josephum Joanna de Angelis ex familiâ Ursulinarum, sed tam decorum & formosum, ut nunquam ullis verbis formæ elegantiam posset explicare. Quid mirum si putatitius etiam filius tam speciosus fuit, ut esset teste David *ps. 44. v. 3.* Speciosus formâ præ filiis hominum. Et verò Christus ipse teste Gratiano de S. Joseph *l. 2. c. 4.* refert: Ego eram Joseph similis in omnibus, ut vel hinc etiam multi crederent Christum, non putatitium, sed verum filium fuisse Josephi, & nemo verum hominem esse dubitaret, qui tam curiosè Christi parentelam referebat *Mat. 13. v. 35.* Nonnè hic est fabri filius? Nonne mater ejus dicitur Maria? & fratres ejus Jacobus & Joseph, & Simon & Judas, & Sorores ejus nonnè omnes apud nos sunt. Dixerat olim Sabellicus in suâ panegyri quâ laudabat Philippum Macedonem. Nihil dicam de tuâ potentiâ, hoc unum dixisse sufficiat, filium te habere Alexandrum. Dicam ego de S. Josepho: Hoc unum dixisse sufficiat, Filium te habere JEsum. Sed Gersonem audiamus, qui verba illa S. Anselmi; Decuit Mariam eâ puritate nitere, quâ major sub DEO nequit intelligi expendens, subjungit: Ita decuit, ut Joseph tantâ prærogativa polleret, quæ similitudinem & convenientiam exprimeret tanti Sponsi ad talem Sponsam, de quâ natus est JEsus qui vocatur Christus. Quod confirmat S. Bernardinus Senensis *Serm. de S. Josepho*: Quomodo cogitare potest mens discreta, quod Spiritus sanctus tantâ unione Conjugij uniret menti tantæ Virginis aliquam animam, nisi esset Virtutum operatione simillima? Merito proinde Gerson *serm. de nativ. B. V.* in hæc verba erumpit: Cuperem ut mihi verba suppeterent, ad explicandum tantum mysterium, tam admirandam, venerandamque addo ego formosissimam Trinitatem. JEsum Mariam Joseph. Quarè sicut in laudis Josephinæ complementum diximus, Josephum habuisse filium JEsum, ita ferè non minus ornamentum, accedit Nutritio filii DEI, si dicamus Vir fuit, & Sponsus Mariæ. Certè S. Greg. Naz. *in orat. funebri* laudaturus Maritum sororis suæ Gorgoniæ dixit: Vultis uno verbo virum describam? Vir erat Gorgoniæ. Nec enim scio, quid amplius dicere necesse sit. Hac pari verborum phrasi utar laudando S. Josephum & dicam, Vir fuit & Sponsus Mariæ.

Josephum pulcherrimum vidit Joanna de Angelis.

Laus Josephi quia filium habet JEsum.

Laus Josephi quia fuit sponsus Mariæ.

Quod

Quod si tamen hæc similitudo filii ad Patrem, veritatem humanæ carnis non probat, ut cum Manichæis dicat aliquis Christum non habuisse verum corpus, sed tantum phantasticum, quale sibi spectra formant ex aëre, veniat is mecum ad antrum Bethlemiticum, & vel in cruento cultro humanæ planè carnis legat argumentum. Non frustra Irenæus *l. 3. c. 7.* quærit cur Christus natus sit ex stirpe Judaica, non verò Gentili? & causam dat, quia Gentilitas carebat Circumcisione. Sed de hac merito quærit ulterius S. Bern. *serm. 3. de Circumcis.* Quid enim est Circumcisio, nisi superfluitas & peccati indicium. Pulchrè deindè protestatur. In te Domine JEsu quid est superfluum? quod circumcidatur? None tu verus DEus es? de DEO Patre, homo verus sine omni peccato de Virgine Matre? Quid facitis circumcidentes eum? Putatis quia super eum possit cadere sententia illa: Masculus cujus præputij caro circumcisa non fuerit, peribit anima ipsius de populo suo? Placet tamen ad propositum meum S. Thom. *p. 3. q. 37.* qui asserit Christum circumcisum, ut ostenderet veritatem carnis humanæ. Vel ut B. Simon de Cassia *l. 1. c. 10.* asserit, ut contra Manichæos verum corpus probaret. Fuit enim assumptæ carnis robustum testimonium, quod in octavâ die Circumcisus, vel in sui sanguinis purpurâ, verum hominis corpus, & non phantasticum probaret. Neque mysterio caret, quod Christus ex quatuor temperamentis elegerit Sanguineum, quia ut *Aristot. l. de long. & brev. vitæ c. 3.* inquit, est omnium perfectissimum. Tum quia hoc Temperamentum maximè abundat sanguine, quod ideo sibi delegit, inquit Christophorus de Vega, ut plus sanguinis, pro nobis effundere posset, adeoque manifestius ostenderet se verè carnem humanam assumpsisse. Memini ego DEum olim multa promisisse Abrahæ, sic enim quando egressus est de Chaldæa *Gen. 12. v. 2.* dixit illi DEus: Faciam te in gentem magnam. Ubi rursus ab illo divisus est Loth *Gen. 13. v. 15.* Omnem terram quam conspicis, tibi dabo, & semini tuo usque in sempiternum. Rursus *Gen. 15. v. 4.* hæredem promisit: Qui egredietur de utero, ipsum habebis hæredem. Nunquam tamen illi DEus promisit regnum, nisi quando Abraham acceptavit demandatam sibi circumcisionem *Gen. 17. v. 7.* Ponam te in gentibus, regesque ex te egredientur. In quem locum Theodoretus. DEus Abrahæ ad hoc, quod egrederentur Reges ex lumbis ejus, jussit signum Circumcisionis. Videtur pariter; pergit idem Theodoretus tunica

Circumcisio ostendit Christum verum hominem,

Joseph in sanguinem hirci intincta, prælusisse futuræ dignitati Ægyptiacæ, quâ ornatus fuit Joseph à Pharaone. Et sanguis hirci inquit quo tunica Joseph tincta fuit, sanguinem Christi JEsu, quo aspersit in circumcisione carnem suam præfigurabat. Quando enim Christus signum Circumcisionis accepit, jus simul accepit & possessionem regni, juxta illud *Isa. 9. v. 6.* Puer natus est nobis, & filius datus est nobis cujus imperium super humerum ejus. Prædixit hoc regnum Patriarcha Jacob, & tribui Juda benè precatus, vaticinatus est. Non auferetur sceptrum de Juda, & Dux de femore ejus, donec veniat, qui mittendus est. Quia verò alius mittendus non erat, nisi Deifilius, tot vaticiniis Prophetarum præsignatus, bene advertendum est, quod statim V. sequenti *Gen. 49. v. 11.* sacer textus dicat: Lavabit in vino stolam suam, & in sanguine uvæ pallium suum. Quæ verba Hugo
1. Cardinalis Christo incarnato applicat & dicit: Pallium suum id est Carnem suam sanguine Passionis cruentabit. S. vero August. sic interpretatur. Lavabit in vino scilicet illo, de quo dicitur, quod pro multis effundetur in remissionem peccatorum. Ipse enim est botrus ille, qui pependit in ligno. Si vero, uti verissimum est, Christus circumcisus imo & suspensus sanguinem suum totum profudit; dicant Gnostici Christum non habuisse corpus & carnem nostram, sed corpus cœleste ex materia cœlorum. Nisi fortè etiam dicant cœlos esse corporeos, aut stellas cum Sole & Luna vitali sanguine turgere, atque inauditâ hactenus fabula cœlos cum suis sideribus animent. Christus in eadem Carne quam de Castissimis Mariæ sumpsit visceribus circumcidi voluit & crucifigi. Est ergo verus homo, qui non tantum profuso sanguine humani corporis ostendit passibilitatem; sed variis etiam aliis passionibus toleratis verum se hominem fuisse comprobavit. An non enim fatigatus ex itinere sedebat sic supra frontem *Joan. 4. v. 6.* Ipse vero dormiebat *Matth. 8. v. 24.* Sitivit in Cruce *Joan. 19. v. 28.* denique esuriit in deserto. Cum jejunasset quadraginta diebus & quadraginta noctibus, posteà esurijt *Mat. 4. v. 2.* Pulchrè omninò S. Greg. Quod fameret, ostendit se verum hominem esse. Altius hanc famem expendit S. Chrysostomus, qui dum Christum per quadraginta dies jejunasse miratur, insigni hoc Epiphonemate concludit. Per quadraginta Dies non esurire, non erat hominis, posteà verò esurire, non erat DEI. Ut proindè aliud concludere

dere non possimus, quam Christum nec purum tantum fuisse hominem, nec purum tantum fuisse DEum, sed esse verum DEum & hominem, æqualem quidem Patri secundum divinitatem, minorem autem Patre secundum humanitatem.



DISCURSUS XVI.

JEsus Christus est verè Dominus noster.

S. Aug. *lib. 7. de Civit. DEI c. 2.* observat quod olim Romani quando aliquam Civitatem occupârunt, soliti fuerint in uno eodemque templo collocare omnia idola, quæ in urbe capta invenerunt, uti etiam illa, quæ secum ad castra adduxerunt. Hoc tamen non fecisse Titum & Vespasianum, quando occuparunt Hierosolymam, quia dixerunt DEum Hebræorum velle esse solum, & nullos secum pati socios. Didicerunt hoc forte ab exemplo Philisthæorum, quorum idolum Dagon arca DEI non est passa stare in templo *1. Reg. 5. v. 3.* Cumque surrexissent diluculo Azotii alterâ die, Ecce Dagon jacebat pronus in terrâ, ante arcam Domini. Manifestum enim est, quod *Deut. 10. v. 17.* dicitur; Quia Dominus DEus noster ipse est DEus Deorum, & Dominus Dominantium, DEus magnus & potens, & terribilis. Et verò videtur DEus sibi titulum Domini non modo in antiquo testamento, verum etiam in novo sibi propriè vendicare. Sic enim *Joan. 13. v. 13.* Christus ipse suos Apostolos allocutus dixit: Vos vocatis me Magister & Domine, & bene dicitis, sum etenim. In cujus Veritatis agnitione, Christus vitæ & beatitudinis essentiam posuit, dicens: *Joan. 17. v. 3.* Hæc est autem vita æterna, ut agnoscant te solum verum DEum, & quem misisti JEsum Christum. Quis enim in terris tam potens est Dominus, qui quidquid vult, possit. Audite Davidem *ps. 134. v. 6.* Omnia quæcunque voluit Dominus, fecit. Dominus, in cœlo in terrâ, in mari, in omnibus abyssis. Philippus secundus Hispaniarum Rex cum filio suo

DEus noster alios DEos non patitur.

Philippus Rex Hisp. in pluvias imperia nō habet.

Philippo tertio ad venationem abivit. In hac dum feras persequuntur, & magno ardore venationi incumbunt, pluvia supervenit. Dum filius, qui de potentiâ Patris plurima audiverat, Parentem rogat ut imperet nubibus, ne pluerent. Verum cum Rex Parens respondisset, id esse altioris potestatis; Filius paternæ potentiæ æquus arbiter, dixit: Tantillam rem præstare non potes? Quod si majorem postulassem? Profecto nihil planè te posse comperio. Non novit utique optimus filius Regis illud, quod *Dan. 2. v. 21.* dicitur: Ipse mutat tempora & ætates. Scilicet DEus est, de quo Job. *c. 9. v. 7.* dicitur. Qui præcipit Soli, & non oritur, & stellas claudit, quasi sub signaculo. Qui facit Arcturum & Oriona, & Hyadas, & interiora Austri. Hinc cum *Mat. 8. v. 26.* Surgeret Christus & imperaret ventis & mari, facta est tranquillitas magna, miratique homines dixerunt: Qualis est hic? quia venti & mare obediunt ei. Malè proindè Assentatorum quispiam S. Canuto Regi Daniæ imperium maris attribuit. Cum enim Rex propè littus maris ambularet, aliquis assentatorum Regem omnium Regum potentissimum salutavit, utpotè qui non tantum hominibus & terris, sed ipsi etiam mari imperaret. Ut verò adulatorem Rex reprimeret, sedem sibi ad littus maris poni jussit, tunc quidem cum mare accresceret, in eaque confidens ad mare conversus dixit: Mare tibi impero, ne pedes meos contingas. Vix dixit, & aqua à decumano fluctu super pedes regis infunditur. Tunc enimvero Rex indignatus aulicis dixit: Quo ergo jure me potentissimum dicitis, qui unicum maris fluctum cohibere nequeo. simulque assurgens, urbem Vintoniensem ingreditur ubi ad templum abivit, in eoque Crucifixum conspicatus, sibi Coronam detraxit eamque Christo imposuit dicens: Tu solus Dominus, tu dominaris potestati maris, & motum fluctuum ejus, tu mitigas. Et quid mirum cum Isaias in persona Christi dicat. Spiritus Domini super me, eo quod Dominus unxerit me. Ubi Propheta agit de unctione, quâ ungebantur Reges. Quam unctionem Christus vel ipso nomine præferebat, ut non tantum hæres regni Davidici, sed ipso nativitatis jure, rex verus agnosceretur. Neque enim otiosè dictum putare debemus in Christi Genealogiâ, Jesse autem genuit David Regem, David autem Rex genuit Salomonem. Ubi meritò quis quærere potest, cur in initio Genealogiæ David bis Rex nominetur, cujus nominis mentionem tota reliqua Genealogia non habet? nisi ut ostendatur,

S. Canutus Rex Daniæ adulatores acriter reprimit.

Canutus Rex sibi coronam detrahit & Christum solum Dominum coronat.

Christus Rex est jure nativitatis.

Chri-

Christum, qui erat ex stirpe David, filium esse Regis, & verum Regem. Unde S. Thom. *super illud Pauli ad Rom.* 1. Qui factus est ei ex semine David: Rationem reddit, cur non ex semine Abrahæ, cui tamen promissio facta est. Hoc inquit factum est, ad Christi regiam dignitatem commendandam Romanis, qui regna gentium tenebant. Et ideo angelus *Luc. 1. v. 22.* Dabit illi Dominus DEus sedem David Patris ejus, & regnabit in domo Jacob in æternum. Voluit nimirum dicere, filius quem paries, erit filius Regis David, & consequenter Rex. Ex quo aliqui Mariani Clientes inferunt; Quod Maria quæ Christi Mater est, sit Domina cœli & terræ. Hoc enim dominium consecuta est, quando in castissimis suis visceribus, concepit DEI Filium. Unde S. Bernardin. *Tom. 1. serm. 61. art. 1. c. 7.* inquit: Quamvis autem B. Virgo nobilior fuerit persona, quam unquam in orbe terrarum aliqua extiterit, tantæque perfectionis, ut etsi Mater DEI non fuisset, nihilominus mundi Domina esse debuerit. Secundum leges tamen quibus mundus regitur, modo jure hæreditario omnem hujus mundi meruit principatum ac Regnum, quia filius ejus in primo instanti Conceptionis suæ monarchiam totius universi promervit, & obtinuit. Ex jure ergo Conceptionis filii DEI, incumbebat Virgini procurare totum illud atque administrare, quod tunc filio usque ad legitimam ætatem datum fuit. Confirmat hoc S. Athanasius *serm. de SS. Deip.* Quia ipse Rex nempè filius, Rex est & Dominus. Mater quæ eum genuit Regina est, & talis verè censetur. Et hinc Christus quando natus fuit à Magis tribus non primum factus, sed natus Rex Judæorum dicitur. Quod tamen dici non potuisset, nisi Maria Regina fuisset. Quarè hoc ipsum tres Reges qui venerunt Christum adorare, palam coram Herode Rege sunt professi dicentes: Ubi est, qui natus est Rex Judæorum. Divinitus enim illustrati agnoverunt, illum in utero Mariæ humanitatis diademate coronatum. Mirè hoc celebrat Richardus à S. Laurentio *l. 4. de laud. Virg.* Multæ aliæ inquit peperunt filios, qui postea coronabantur in Reges, ipsa vero sola, quæ filium suum coronavit in utero suo diademate gloriosæ carnis, peperit Regem coronatum. Inter Salomonis Proverbia invenio illud *Prov. 30. v. 29.* Tria sunt, quæ benè gradiuntur, & quartum, quod incedit feliciter. Leo fortissimus bestiarum, ad nullius pavebit occursum. Gallus succinctus lumbos, & Aries, nec est Rex, qui resistet ei. In sensu literali intelligunt plerique quatuor

Maria ex Conceptione Filij est cœli terræque Domina.

Quatuor monarchiæ mundi.

tuor Monarchias, nempe per Leonem, Nabuchodonosorem Babyloniæ Regem, nam illi Leonis nomen indidit Jeremias Propheta *c. 4. v. 7.* Ascendit Leo de cubili suo. Per Gallum Cyrum Persarum Regem. Et per arietem Alexandrum, qui Græcorum & Macedonum Regnum armis Persarum evertit. Rex denique feliciter incedens Romani sunt. In morali sensu S. Greg. & Beda Christi in cœlum ascendentis virtutes intelligunt. Et S. Greg. quidem *3. p. pastor. c. 5. inquit.* Quatuor munia Christo ab æterno Patre commissa sunt; Redemptoris, Prædicatoris, Justificatoris, glorificatoris. Et in Leone quidē Justificator, in gallo Prædicator, in ariete redemptor, in Rege glorificator extitit. In quo munere dum cœlos gloriosè ascendit, feliciter incessit, nec erat, qui resisteret ei. Non elementa vel nubes, quæ ei obsequebantur. Non Apostoli, qui ægrè quidem à se avelli lugebant, nec tamē impedire poterant, quia nubes suscepit eum ab oculis eorum. Non Angeli, qui ipsi Regi suo acclamarunt. Attollite portas Principes vestras, quia nimirum Rex iste, Rex est gloriæ. Et verò qui est Rex gloriæ in cunis natus, ut Rex à Regibus agnitus adoratur, & in Cruce cum Regis titulo mortuus est. Sic enim *Mat. 27. v. 37.* Imposuerunt super caput ejus causam ipsius scriptam. Quæ vero causa illa esse potuerit, cum sæpius Pilatus affirmaverit. Ego non invenio in eo causam, investigandum est. Si Pilatus ingenio tardus causam non reperit, Sagaciori præditus Oculo Origenes causam invenit, & legit in titulo, quia Rex fuit non tantum Judæorum, sed omnium nostrum. Legatur enim hæc inscriptio, quæ à Spiritu sancto dictata, & à Pilato cruci firmiter affixa est. Hic est JEsus Nazarenus Rex Judæorum. JEsus enim Salvator est, Nazarenus unctus est oleo. Quod licet communi interpretationi repugnare videatur, quia Nazarenus communiter floridum significat. Doctissimus tamen Salmeron in Evangelia deducit Nazarenus à radice hebraicâ Nazar, quod significat consecrare. Christum autem fore Sanctum & DEO consecratum, quod unctione fiebat, omnes Prophetæ prædixerunt, maxime vero Daniel *c. 9. v. 24.* dum ait & Ungetur Sanctus Sanctorum. Pulchrè proinde Origenes *hom. 35. in c. 27. Matth.* Et cum nulla inveniatur causa mortis ejus, hæc habetur sola, Rex fuit Judæorum. Exclamat S. Chrysostomus: O præclara mors pro subditis suis, quæ immortalitatem parit. Est enim Rex noster DEus salvos faciendi. Quod affirmat David *ps. 67. v, 21.* DEus noster, DEus

Ascensio gloriosà Christi in cœlum.

Christus moritur quia Rex est.

DEus salvos faciendi & Domini exitus mortis. In quem locum S.August. *l. de Civ. DEI*, dicit hoc Christo Domino convenire, qui etiam bis dicitur Dominus, quia hoc Dominium sibi Christus obtinuit, propter exitum mortis. Quarè inquam quærit S. Aug. noster Dominus est? & respondet, non solum quia Dominus est & DEus, sed etiam, quia pro nobis mortuus est. Et ideò DEus noster, est DEus salvos faciendi. Quia verò etiam prò nobis mortuus est, ideo Domini Domini exitus mortis. Concludit deindè: Quia enim DEus erat salvos faciendi, non potuit alios habere exitus mortis. Hæc ergo Corona, capiti illius imposuit titulum regium, JEsus Nazarenus Rex Judæorum. Observavit hanc singularem Christi Regis majestatem *Isaias c. 9.* Et factus est principatus super humerum ejus. Reges solent sceptra sua ferre in manibus, quomodo Christus illud fert super humerum? Respondet Niceta. Omnes alii Reges non in propriis viribus imperium suum & Regnum habent, constitutum, sed in milite, satellitio, Ministris & subditis suis. Christus autem solus Principatum super humerum habet, quia non eget satellite vel milite, cui ad nutum militant omnes cœlestes exercitus, cui ad imperium assistunt plus quam duodecim legiones angelorum, deciesque centena millia serviunt ei. Solus ergo Christus absolutè regnat, qui subditos non exactionibus premit, sed suâ morte vindicat ab innumeris hostibus, portat pondus & onus regni in humeris, utpotè qui nos salvat, & ad regnum suum inducit; adeoque per mortem suam factus est Dominus, utique per exitum mortis, quia posuit animam suam pro nobis. Intelligo jam cur DEus *Exod. 3. v. 2.* Moysi dederit signum libertatis à servitute Ægyptiacâ, quando apparuit illi in rubo. Ut significaret inquit Clemens Alexandrinus, eum qui in rubo plantâ scilicet Spinosa legem Moysi dederat, in coronâ spineâ totius Legis consummatorem fuisse. Spinæ enim dicit S. Ambr. sunt hieroglyphicum tribulationum, quas in se suscepit Christus Redemptor noster, ut nos ab ijsdem liberaret. Voluit Christus DEus ostendere inquit S. Bern. *serm. 5. in festo Omnium Sanctorum*; caput suum cingi spinis, ut nos intelligamus, quam malè indulgeamus delicijs. Hanc coronam spineam ex juncis marinis factam dicit *S. Bonav. in c. 19. Joan. super illa verba*: Et plectentes coronam de spinis, id est inquit de juncis marinis acutis & punctivis ad modū spinarum. Quas spinas dum contemplatur S. Basil. *serm. de Pass.* in illam incidit arborum

Christus sceptrum habet in humero quia absolute regnat.

rum consultationem *Judic. 9.* adeoque exclamat. Gaudeamus Fratres, Ecce enim rhamnus ille sacrum caput circumdans, ad quietem nos invitat dicens: Venite & requiescite sub umbrâ meâ. Quasi diceret, Occurritne memoriæ vestræ historia in libris Judicum relata, quando rhamnus arbores sub umbram suam invitavit. Lætemini & vos miseri peccatores, ecce Rhamnus cingens Christi tempora, etiam nos invitat ad suavissimam quietem. Nisi fortè dicere velimus cum Tertulliano *de carne Christi*: fuisse Christum coronatum Spinis, id est iuncis marinis, quia iisdem olim coronari solebant Reges & Dii, teste Plauto Comico dicente; Junco tantum coronantur reges & dii. Unde inquit Tertullianus cum Dominus coronatur junco à Judæis, illi Regem suum esse profitentur, aut DEum. Mirum fortasse videbitur illud votum *Isa. 16. v. 1.* Emitte agnum dominatorem terræ. An non melius dominabitur Leo quam agnus? Quis enim agnum timebit? sed Christus DEus agnus quidem fuit, sed etiam Leo. Leo nimirum contra hostes suos, agnus subditis, & ideò dominatus est à mari usque ad mare. Roboam Rex ubi Leonem egit erga subditos, regnum penè universum perdidit. Refert enim Josephus Judæus *l. 8. c. 3.* uti & historia sacra Regum, seniores populi suasisse regi Roboam, ut comiter populum alloqueretur, hac enim arte captos subditos facile illum amaturos. Sic namque *Judith. 1. v. 1.* dicitur de Rege Arphaxad, subjugaverat gentes multas imperio suo. Hugo Cardinalis legit conciliavit, utique inquit observare debemus, quod jugo assueverint jumenta, homines benevolentia & mansuetudine regum suorum trahuntur. Quare S. Th. de Christo incarnato benè dicit: Conveniens, fuit ut familiariter cum hominibus conversaretur, ut omnibus fiduciam daret, ad se accedendi. Verè namque *S. Greg. orat. 1.* Quidquid violenter cogitur, non secus ac planta, per vim manibus inflexa, simul ut dimittitur ex manibus, rursus ad se redire consuevit. Non otiosa certè est quæstio, cur DEus sceptrum quod dedit populo Israëlitico, ad Romanos transtulerit? Communis est responsio, fieri regnorum translationes ob peccata populorum. Sed nescio quæ gens DEum gravioribus peccatis offenderit ac Romani; nisi illos excusemus quia peccaverunt, DEum verum ignorantes, à quo tamen Judæi tot signis & vocibus Prophetarum, sibi manifestato sæpius recesserunt. Berengosius *l. 3. de invent. Crucis c. 3.* miratur Herodem crudeliter in innocentes

Christus spinis coronatus, aut DEus aut Rex est.

Immisericordia & crudelitas regna transfert.

noccntes

nocentes sævientem. Malè inquit saluti suæ consulvit, dum per occisionem unius pueri multos pueros occidit. Constantinus vero multo melius providebat, dum plurimorum salutem saluti unius præferre volebat. Herodes ad conservandum regnum suum, audiens natum esse puerum Regem futurum, occidit multos pueros; Constantinus à medicis persuasus, ut ex sanguine occidendorum puerorum, balneum ad sanandam lepram conficeret. potius mori voluit, quam innocentem sanguinem fundere. Hæc est ergo ratio inquit translati à Judâ imperij, quia in Herode propria utilitas pullulubat opprimens populum & innocentes: Constantinus vero regnum possidebat, postponens suam salutem, saluti suorum subditorum. Quam meritò itaque citatus superius Augustinus: Christus noster Dominus est, non solum quia DEus est, sed etiam quia pro nobis mortuus est. Ad vos ergo Reges loquitur divina sapientia, sunt hi sermones mei, ut discatis sapientiam, ne excidatis. Exemplum dedit Christus, ut etiam vos sic faciatis. Ille venit ad perferendos infinitos labores, & pro suorum subditorum libertate fudit sanguinem, mortem obivit, nihil denique prætermisit pro salute hominum. Hoc ut clarius demonstraret S. Matthæus, statim in exordio suo, dum describit librum Generationis his verbis utitur: Generationis JEsu Christi. In quibus verbis advertit Abulensis, quod prius ponatur nomen JEsus Salvatoris, & deindè Christi uncti Regis. Nomen enim JEsu est laboriosum, quod eidem in Circumcisione fuit impositum, & completum in ipsius Sanctissimâ passione, in quâ actualiter operatus est salutem nostram.

Christus noster Dominus est, quia DEus est, & quia pro nobis mortuus est.

Ex hactenus ergo dictis deduces, Christum Regem esse & Dominum, ratione unionis hypostaticæ, vi cujus Christus est DEus homo. DEO autem homini, debetur dominium cœli & terræ. Hinc Augustus Imperator cum ex Sybilla cognovisset Christum nasciturum, statuto publico sancivit, ne quis se Dominum appellaret. Rex ergo est jure Redemptionis dum homines suo sanguine redemptos, suæ subjecit potestati. Et hinc Ferdinandus Castellæ Rex Legionis cum à S. Isidoro de instante sibi morte moneretur, ubi in Natali Domini se viribus deficere sensit, se præsente missam cantari voluit, & perceptâ Eucharistiâ ad lectulum suum relatus est. Ubi verò post pauculos dies vires resumpsit, cultu regio & coronâ aureâ ornatus, ad templum rursus deportari voluit, ubi genua flectens coram Christo

Christus est Rex vi unionis hypostaticæ.

Christus Rex est jure redemptionis.

Christo Regi, Ferdinandus Rex Castellæ Coronam suã subjicit.

sto infante in præsepio, Coronam, sceptrum & diadema regium, ad pedes Christi deposuit, dicens: Regnum quod te donante accepi, rursus reddo tibi, tantum animam meam, ut ad te suscipias deprecor. Sacramentis deinde rursus munitus induitur cilicio, & cinere aspergitur, atque sic in templo ad cunas Christi inter manus Episcoporum animam suam DEO Creatori reddidit. Rex est Christus titulo hæreditatis. An non enim verba illa clara sunt Davidis *ps. 2. v. 8.* Dabo tibi gentes hæreditatem tuam & possessionem tuam terminos terræ. Quo titulo omnes nos subjecti eidem Domino servire debemus. In Japoniâ Regis quidam filius sibi in templo sellam positam & tapetem non admisit, dicens: par non esse, ut ubi DEI majestas omnes æquat, dispares simus in colendo DEO. Rex est Christus suomet merito. Sic enim S. Paulus *ad Phil. 2. v. 8.* Humiliavit semetipsum factus obediens usque ad mortem, mortem autem Crucis. Propter quod & DEus exaltavit illum, & donavit illi nomen, quod est super omne nomen. Ut in nomine JEsu omne genu flectatur, cœlestium, terrestrium & infernorum. Quod expendens, magnâ cum reverentiâ divinis adsuit parvulus ille, de quo annuæ Rhemensis Collegij habent, quod cum illum in templo flectentem monuisset Magister, ut cum ex morbo recenter convaluisset, non flecteret, sed pedibus insisteret, aut consideret, cordatissimè puer responderit, mori se malle, quam DEO & Domino suo præsenti, venerationem debitam negare. Meritò proindè exclamat David *ps. 5. v. 4.* Omnis terra adoret te. Jusserat Augustus Cæsar ut ex singulis urbibus universi Imperii Romani, homo unus ad se mitteretur, qui unum pugnum terræ ex civitate sua desumptum, secum Romam afferret. Hæc exigua terræ portio à tot millenis civitatibus Imperio Romano subjectis collecta, in collem excrevit, supra quem à Christianis deindè ædificata fuit Ecclesia, & Dominicâ secundâ post Ephiphaniam dedicata, adeoque hac die in Ecclesiâ in introitu canitur, Omnis terra adoret te. Hoc dominium DEI in omnes creaturas didicit à Christo Magistro, Magnus ille Theologus S. Thomas Apostolus. Qui cum manum jussu Magistri sui, misisset in vulnus lateris exclamavit: Dominus meus, & DEus meus. Pulchrè observat Jordanus de Saxonia. Quod S. Thomas vocetur Didymus seu geminus, quia inquit *in serm. de S. Th.* geminam in Christo agnovit naturam humanam scilicet & divinam, dum Christum agnovit suum esse

Rex est Christus titulo hæreditatis.

Rex Japon in templo non patitur tapetem.

Parvulus valetudinarius sub sacro sedere non vult aut stare.

Augustus collem erigit in quo verum est quod omnis terra adoret Deum.

S. Thomas discit in Christo duas esse naturas.

Domi-

Dominum, & suum DEum, quorum scilicet unum erat ad divinitatem, & alterum prædicatum ad humanitatem referendum. Ut proindè Theophylactus à Jordano citatus dixerit: Qui prius infidelis fuerat, post tactum lateris, optimum se Theologum ostendit, nam duplicē naturam in hypostasi Christi asservit dicens; Dominus meus & DEus meus. Confessus est enim eundem DEum esse & hominem. Quare benè Petrus Damianus exclamat: Thomæ digitus factus est Magister mundi. Quia velut alter Joannes Baptista, digito suo non tantum Christum monstravit, sed attigit dicens: Ecce DEum! ecce hominem. Ut propterea S. Bonav. *serm. 3. Dom. 1. post pascha* dicat. O Thoma! felicē habes à Salvatore tuo licentiam, ut manū mittas in latus ejus, cujus beneficio in gratiâ & gloriâ sublimaris. De cicatricibus S. Francisci testatur S. Bonav. quod si quis illas attigit, tantum calorem senserit, ac si vis flammivoma ex illis spiraret. Cor Thomæ frigebat, & in illo extincta erat lucerna fidei, frigescebat in illo focus amoris divini; at ubi Salvatoris sui vulnera attigit, statim exardescere cœpit, atque in voces igneas erupit, quibus DEum simul ac hominem Christum Magistrum suum confessus est. Narrat Causinus quod in Epiro fons quispiam flammeis scaturiat aquis, in quem, si quis extinctam immergat facem, sine flammâ fumans tæda statim rursus accendatur. An non extincta fax, & in fide emortua credi poterat S. Thomas, utpotè cui mors tam ignominiosa Magistri sui fidem omnem divinitatis extinxerat. Sed eo ipso momento, quo fax hæc admota fuit ad fontem solis divini, quam primum S. Thomas immisit manum suam in fornacem lateris Christi, ita exarsit, ut in ardentes illas voces erumperet: Dominus meus & DEus meus. Meritò proindè S. Antonius de Padua *Dom. 1. Adv.* Cor Christi vocat civitatem Solis, per quam affulsit clarissimus splendor æternæ lucis. Mirum profectò videri potest, quod DEus in antiquo testamento nec sua, nec se videri, multo minus tangi passus sit. Sic namque *Exodi. 3. v. 5.* Cum apparuisset DEus Moysi in rubo ardente, & is accedere, vellet, atque rubum attentius considerare, audivit sibi dici à DEO, ne appropies huc; Populum vero Israeliticum, neque montem, ubi DEus cum Moyse locutus est, vel pede tangere permisit. *Exodi 19. v. 12.* Cavete ne ascendatis in montem, nec tangetis fines illius, Omnis qui tetigerit montem, morte morietur. Ozam etiam *2. Reg. 6. v. 6.* quia arcam tetigit, repentè exanimavit. Extendit Oza manum

S. Francisci cicatrices magnum calorem spirabat.

Fons extinctas faces accendit.

DEus olim inaccessibilis, modo tangibilis.

ad arcam DEI, quoniam calcitraverunt boves, & declinaverunt eam, indignatusque est Dominus contra Ozam, & percussit eum super temeritate, qui mortuus est ibi, juxta arcam DEI, Thomam vero discipulum incredulum, ad ipsa sacra vulnera sua palpanda invitat. Quod considerans S. Gregorius dicit: DEum per infidelitatem S. Thomæ. voluisse fidem nostram firmare. Egit inquit miro modo superna clementia, ut discipulus ille dubitans, dum in Magistro suo palparet vulnera carnis, in nobis sanaret vulnera infidelitatis adeoque *hom. 26.* concludit. Plus nobis Thomæ infidelitas ad fidem, quam fides discipulorum credentium profuit, quia dum ille ad fidem palpando reducitur, nostra mens omni dubitatione postposità in fide solidatur. Adverto autem, quod ubi DEus *Exodi. 19.* accessum ad montem prohibet, vetuitque ne quis montem contingat *v. 6.* Caussam & rationem sui mandati dederit, Mea est omnis terra. Adeoque jure Dominij sui, quod DEus habet in creaturas suas, & vel maximè in hominem, dedisse Primo parenti nostro præceptum, de non comedendo pomo. Quod eruditè observat Greg. Nyss. dum ait, DEum in Creatione mundi, DEI tantum habere nomen, in Creatione autem hominis, non tantum DEI, sed Domini etiam nomine compellari. Et hinc Psalmista ait *ps. 8. v. 1.* Domine Dominus noster. Ut ergo dominium suum in creaturam rationalem exerceret DEus, Tulit Dominus DEus hominem, & posuit eum in paradyso, & legem de pomo non comedendo Adamo posuit. Quærit curiose Salianus, si arbor bona fuit, cur fructus vetitus? Et sibi ipsi respondet, quia vult summa Justitia; Voluntas DEI est. Elucidatur autem hoc manifestâ instantiâ. Si enim quæras quare servus domi maneat? dices quia Dominus vult. Cur domo exeat? repetes: Quia Dominus sic vult. Et hac de causâ inquit Salvianus *de provid.* Serpens qui erat callidior cunctis animantibus dixit, cur præcepit vobis DEus, non verò cur præcepit vobis Dominus? ratio est, quia se hæc quæstio ipsa interimeret. Ideo enim præcepit, quia Dominus est. Quis ergo alius jure dominabitur nobis, aut cui alteri potius serviemus? quam Christo filio DEI, cui omnia serviunt, & cui nos totos tot titulis millies debemus.

Præceptū de non comedendo pomo dedit quia DEus est.



ARTI-

ARTICULUS III.

Qui conceptus est de Spiritu sancto, natus ex Maria Virgine.

DISCURSUS XVII.

Christus conceptus est de Spiritu Sancto.

CUm in Paradyso primus peccasset Adam, & per peccatum recessisset à DEO, impatiens hujus recessus, ipsum Adamum DEus in paradyso quæsivit. Sic enim *Gen3. v.10.* Adam ubi es? subdit textus, & cum audivissent vocem Domini DEI deambulantis in paradyso, ad auram post meridiem. In quem locum inquit Hugo Victorinus *hom. 8. in Eccles.* Deambulat, & non discedebat, neque abiit in desertum, elongans se quasi irrevocabiliter, nec reversurus amplius, sed propè gyrans & deambulans abiit, modo vadens & modo rediens, & magno quodam incendio æstuans, quasi nolens sedem suam deserere; expectat, si fortè invitetur, ut veniat. Quia verò Adam, quo magis accessit DEus, tanto magis à DEO recessit, grande in DEO accendit desiderium, nobiscum in carne versandi, quia non videbatur posse sine nostrâ humanitate esse quietus. Observat pulchrè Tertull. *in c. 6. Gen.* verba illa *v. 6.* Tactus dolore cordis intrinsecus, dicitque, quod DEus tunc decretum de homine tollendo stabiliverit. Quærit autem sic. Quare doles? nonne erat infinita multitudo Angelorum? ne doleas igitur hominem ingratum. Sed doloris ea fuit vis, ut cum illi mederi non posset aliter, & homo cum non vellet accedere ad DEum, DEus accessit ad hominem. Verbum scilicet caro factum. Et hinc ex ingenti incarnatio-

DEus peccatorem quærit.

 nis

Incarnationis ingens desiderium. nis ardore, in ejusdem annunciatione non expectavit, ut ad Virginem missus Angelus reverteretur, sed subito postquam Maria dixit: fiat mihi secundum verbum tuum, filius DEI in utero Virginis fuit incarnatus. Quod expendens Angelicus Doctor *in Catena* ita loquitur: Jam autem erat cum Virgine, qui ad Virginem mittebat Angelum, & præcessit nuncium suum. Quod Albertus Magnus Angelici Doctoris Magister confirmat, dicens: Sed mirum admodum est de dictis Angeli, prævenit ad salutandam Virginem ex Domini sui parte, & invenit præcessisse Dominum, etiam ipsum celerem adventum nuncii. Siquidem Angelus Beatam Virginem salutando dixit Dominus Tecum. Amanti enim omnis velocitas tarda est; ideò reditum nuncij non expectat, qui renunciet de consensu. Et hoc quod est Regius Propheta dicere voluit *ps.* 17. *v.* 10. quando dixit: Inclinavit cœlos & descendit. Audiamus Genebrardum in hunc locum: Celeritatis studio non eos aperuit ad descendendum, sed inclinavit secum, & in terram traxit. Supponendum tamen est à Sancto spiritu, hoc incarnando Verbo divino paratum fuisse habitaculum. Certè S. Basilius clarè asserit ideò DEum posuisse Adamum in paradyso, quia erat singulare opus DEI, adeoque conveniens erat, ut qui haberet differentem à cœteris bestiis naturam, etiam aliam & nobiliorem haberet præ aliis mansionem. An non hoc dicam de animato paradyso nempe de B. Virgine. Licet enim spectando communem naturam, videatur id ratio postulare, ut ejus generatio esset communis cum cœteris Adami filiis, spectando tamen omnipotentiam divinæ dexteræ, fateri debemus, quod sicut Verbum incarnatum diversâ planè ratione fuit conceptum, & in Virginis purissimo utero aliter, quam cœteri homines in utero alias materno fit efformatum; ità etiam per specialem providentiam Spiritus sancti, illi verbo divino singulariter habitaculum, in quo novem mensibus incarnatus DEI Filius moraretur, omni gratiarum varietate præparaverit. Et hoc est illud quod *Prov.* 8. *v.* 23. dicitur. Ab æterno ordinata sum, & ex antiquis, antequam terra fieret. Quare non sine causâ Georgius Nicomediensis *orat. de oblat.* dicit de B. V. Civitas animata, de qua dicebat Propheta: Gloriosa dicta sunt de te Civitas DEI. Quas hactenus orbis miratus est civitates celeberrimas, nimirum Romam, Alexandriam, Constantinopolim, quas miris impendiis ædificaverunt Romulus, Alexander, Constantinus; atque

Maria paradysus animatus.

Maria specialiter incarnando filio Dei parebatur.

adeo

adeo à suo etiam nomine easdem nominarunt, nunquam tamen eò adducere potuerunt, ut iisdem, qui earum erant insigne Conditores, in ipsis illis civitatibus nascerentur. Unde velut rem impossibilem miratus David, dixit *psal. 86. v. 5.* Numquid Sion dicet. Homo, & homo natus est in eâ, & ipse fundavit eam Altissimus. Quod impossibile credebat David, id obumbrante Spiritu sancto mirabiliter factum confitetur Ecclesia; quando Mariam Matrem Creatoris sui appellat & veneratur. Quod Spiritu sancto afflatus Psalmographus futurum prævidens, merito exultavit dicens; *ps. 86. v. 3.* Gloriosa dicta sunt de te Civitas DEI nempè Maria, quia divinissimus architectus DEus, qui Mariam velut Creator fabricavit, idem ille, in eadem & factus & natus est. Ut meritò proindè exclamet Ecclesia: Qui te creavit providè, lactasti sacro ubere. Pulchrè S. Bern. *serm. 1. de Laud. B. V.* Impossibile est quantum ad alios homines, ut aliquis fundator sit Civitatis, in quâ nascitur, quia antequam sit natus non potest fundare civitatem. Sed Christus, qui est Altissimus, per hoc quod DEus est ante omnia tempora, fundavit civitatem hanc, id est Matrem suam creavit, & tunc ut homo in fine temporum natus est in eâ. Verè omnino hoc impossibile est apud homines, sed non est impossibile apud DEum, cui non est impossibile omne Verbum, quod locutus est in tempore DEus, quando ex Mariâ natus est DEI Filius. Qui uti ait B. Petrus Damianus *serm. 3. de nativ. Virg.* antequam nasceretur, talem creavit illam, ut ipse dignè nasci posset ex eâ. Creatus est in eâ, quàm creavit; portatus est in manibus, quas formavit, suxit ubera, quæ replevit. Concludit deindè eleganter his verbis: Meritò igitur Beatissima Maria dicitur parens parientis, oriens orientis, fons fontis vivi, origo principii, quia ex eâ prodiit per materiam carnis, qui caput & initium est rerum omnium per essentiam Deitatis. Luna quod dicunt Philosophi inter reliquos Planetas minima est, ubi tamen se soli inter terram interponit, totum quasi lumen ipsius Solis excipit, & sic ejusdem Solis radii in terram non terminantur. Maria quæ non tantum ut Luna pulchra est, sed ipsâ Lunâ longè capacior, DEum Justitiæ Solem Virgineo suo utero excepit. Ut meritò admirabundus exclamet Petrus Damianus *serm. 3. de nativ. Mariæ* Immensum concepit, æternum genuit, genitum ante sæcula parturivit. Hoc ergo est novum illud, quod *Jerem. 31. v. 22.* dicitur: Quia creavit Dominus novum super terram; fœmina

Maria Mater sui Creatoris.

Luna parva licet, est capax Solis.

na circumdabit Virum. Illa nimirum fœmina, quæ à S. Anselmo *alloq. coel. 27.* dicitur mirabiliter singularis, & singulariter mirabilis, per quam elementa renovantur, inferna remediantur, homines salvantur, Angeli redintegrantur. Vel ut S. Aug. *serm. 18. de Sanct.* dicit: Fœmina super fœminas benedicta, quæ Virum omnino non novit, & Virum utero suo circumdedit, quæ angustis terminis velut Luna circumscripta immensum Justitiæ Solem DEum Virginei uteri terminis circumscripsit. Habet hoc Luna, quod mirâ instabilitate sua crescat & decrescat. Maria dum minima fuit, & ab Angelo salutata, se ancillam professa est, omnis consummationis vidit finem, quando nimirum in Matrem DEI electa, humillimo suo fiat, intra se conclusit illum, qui est Alpha & Omega. Nec sine causa DEus voluit Lunam esse in signa & tempora, per quam dies & nox certâ statione à cœlo deputantur. Maria velut Luna pulcherrima, quando facta est Mater Creatoris, omne tempus in compendio Virginei uteri exhibuit, quandoquidem eundem quem concepit, & genuit, & temporalem & æternum esse ostendit. Meritò ergo exclamare cogor cum S. Germano Archi-Episcopo Constantinopolitano *Orat. 1. de dormit. Deip.* Nemo tuarum Celsitudinum laudes oratione satis extollere valet, cum laudem tibi propriam habeas, quod Deiparam te esse constet. Quod Richardus à S. Laur. *l. 2. de Laud. Virg.* confirmat, dum verba illa mulieris Evangelicæ clamantis: Beatus venter qui te portavit, expendit. Dicitur inquit ille beatus, quia qui fecit ventrem, factus est in eodem ventre. Hoc est magnum & mirabile pergit ulterius; si quis faceret domum & posteà nasceretur in eadem domo. Ideo *ps. 86.* gloriosa dicuntur de civitate DEI, id est Maria, quod homo natus est in eâ, & ipse fundavit eam Altissimus. Quis audivit unquam tale? an non exclamem cum Maria? Quomodo fiet istud? Respondebit utique S. Bern. in persona Angeli *serm. super missus est*: Scies, sed illo Doctore, quo utique & authore.

Maria Luna.

Certum est tamen, quod in castissimo utero Beatæ Virginis ope Spiritus sancti, potuisset simpliciter Verbum divinum caro fieri, sine assensu Virginis. Sic namque Gulielmus Parisiensis, advertit, quod *Genes. 2.* sine assensu Adami, in quem soporem induxit Dominus, ex costâ illius fabricaverit Evam, quam eidem in uxorem dedit. Immisit inquit soporem in Adam, ut de corpore nescientis tolleret, unde illi mulierem formaret. Tamen uti docet S. Thomas quia celebratur

Consensus Virgineus convenienter petebatur.

tur quoddam matrimonium Spirituale naturæ divinæ cum humanâ, adeòq; conveniens erat, ut à Beatâ Virgine, quæ vices humanæ naturæ agebat, consensus peteretur. Misit aliquando Antiochus Rex Pompilium Legatum ad Ptolomæum Regem Ægypti, ut pacis fœdera postularet, ast cum Ptolomæus responderet se cum suis hac super re consultaturũ, Pompilius cum suo quem manu tenebat baculo, circa Regem circulum fecit, dicens; antequam hoc circulo excedas responsum dabis. Ptolomæus animositate Pompilii territus, pacis condiciones admisit, & Legatum in Syriam ad Antiochum honorifice remisit. O quantæ in redemptione generis humani nectebantur moræ! hinc illæ ex limbo lamentabiles Patrum voces: Rorate! rorate cœli desuper! & nubes pluant justum, aperiatur terra, & germinet Salvatorem. Usque dum à Virgine cœli terræque Rex ipse DEus, ex vaticinio Jeremiæ, quod fœmina circumdabit virum, uteri Virginei circulo inclusus, per fœciales Angelos, pacem cum hominibus stabilivit. Hinc etiam à Prophetâ Princeps pacis dicitur, cui de cœlo delapso accinebant Angeli, *Luc. 2. v. 14.* Et in terra pax hominibus bonæ voluntatis. Confirmat hoc *Isaias c. 9. v. 6.* Et vocabitur nomen ejus Princeps Pacis. At vero cur hoc nascente Christo fit per Angelos Sago indutos? utique per exercitum militiæ cœlestis? nisi quia nato Christo pax quidem hominibus promittitur, sed bellum nato DEO indicitur; quod ubi morte suâ gloriosè terminaverit, tunc pacem dabit, stabilem, & semper duraturam. Et ideo *Joan. 14. v. 27.* á nobis ad cœlum abiens Apostolis dixit: pacem relinquo vobis, pacem meam do vobis. Pulchre S. Hier. *in verba ps. 119.* Christus Dominus nostra pax est. Vadens ad cœlum nobis vexillum demisit dicens: Pacem meam do vobis. Ast non ad bellum inferendum panduntur hæc vexilla. Sed pacis hæc sunt, & candida eriguntur trophæa. Pugnaturus itaque pro pace nascitur, quam ascendens nobis reliquit bellorum strepitu relegato. Quæ planè eadem causa est, cur DEus olim truculentus, ut fulminis instar elideret omnia & conquassaret. Sicut *Exod. 20. v. 19.* populus Israeliticus DEum amplius, nec loquentem ferre posset, cum non loqueretur nisi fulmina. Rogavit proindè Moysem, Loquere tu nobis, non loquatur nobis Dominus, ne fortè moriamur. Ubi tamen homo factus est, omnem ferociam exuit, ipsosque illos discipulos, qui fulmina de cœlo petebant, reprehendit; adeoque mansuetus factus est,

Responsum pacis à Ptolomæo peremptoriè petitur.

DEus nascitur, ut nobis pacem firmaret.

DEus incarnatus mansuetus.

Taurum ficus arbor mansuefacit. est, ut infans nec nosse fulmina, minus etiam tractare voluerit. Aristoteles refert, quod si Taurus alligetur ad ficum arborem, quod licet ferocissimus sit, mansuescat, & seposita ferociâ cicurabitur. Ego ficus nomine, quid aliud intelligam quam naturam humanam, cujus miseram fragilitatem *Gen. 3.* primi parentes nostri ficus folijs volebant occultare, quando consuerunt folia ficus, & fecerunt sibi perizomata. Ad hanc ficum contumularunt primi Parentes peccatum suæ inobedientiæ, quando & Adam uxoris blandicias, & Eva serpentis prætexens fraudulentiam, uterque verò folijs ficuum se contegens, nuditatem suam agnovit; nunquam fragiliores, quam quando fragilitatem suam confessi non sunt. Ubi ergo ad fragilitatem carnis nostræ religatus est DEus, totus suavis factus est, subitoque positis odiis, quibus olim contra genus humanum fervebat, pacem orbi per angelos nunciabat. Quam mansuetudinem ab ipsis misericordiæ uberibus vel infans utero clausus, vel deinde lactatus, debuit attraxisse. Cum pulchrè S. Berm. *serm. 1. de nuptiis Canæ Galileæ* dicat: Nec pomum diu in manu conservari, quin odorem suum & fragrantiam communicet. Verba illius sunt: Nonnè qui pomum tenuerit mediâ die in manu, reliquâ diei parte pomi servabit odorem. Quantum igitur viscera illa pietatis virtus affecerit, in quibus novem mensibus requievit. Atque adeò sicut sanguis per se horridus est, & homini resistit, in uberibus tamen in lac conversus amabilis efficitur, & minimè reluctanter in nutrimentum sumitur. Sic DEus, qui in lege veteri totus fuit formidabilis, inter ubera Mariæ factus est dulcis & suavis. Ut quem cibum vel potum formidabant Judæi, dicentes; durus est hic sermo, & quis potest eum audire, nos modo instar cœlestis mannæ, in Eucharistiâ cum carne & sanguine suavissimè degustemus. Ut meritò exclamem cum Davide *ps. 8. v. 1.* Domine Dominus noster quam admirabile est nomen tuum in universâ terra.

Maria Christum mansuefecit.

Et verò qui tã mirabilis fuit Deus in universâ terrâ, longè magis mirabilis fuit in Maria. Ut proinde de illâ dicat S. Germanus Patriarcha: Omnia sunt mirabilia in Maria & naturæ vires excedentia, in quâ Deus exercuit suam potentiam. Quod minimè mirandũ dicit S. Bern. *hom. 1. super missus est*: Quid mirum inquiens, si DEus qui mirabilis legitur & cernitur in Sanctis suis, mirabilẽ se exhibet in matre suâ. Quare benè à S. Joanne Damasc. Officina; à B. Petro Damiano abyssus vocatur miraculorum. Quid enim mirabilius inquit S. Ildephonses *l. de B. V.* quam

Maria officina & abyssus miraculorum.

quam unico Verbo fiat à piissima Virgine prolato, non jam mundũ aut solem, sed ipsum DEum productũ esse. Rectè proindè hoc fiat Mariæ, comparat noster Engelgrave *Conc. 15. de annunc. §. 1.* cum illo fiat æterni Patris *Gen. 1.* Quando hoc verbo fiat cœlum & terrã creavit. Dixit DEus inquit ille, fiat lux, & facta est lux, quæ omnes aëris tenebras discussit; sed ad Virginis fiat factus est fons lucis, & omnes spirituales tenebras fugavit. Ad illud fiat, factum est firmamentum, per hoc ipse Conditor firmamenti factus est homo, & petra ac firmamentum Ecclesiæ. Ad illud facta sunt duo luminaria Sol & Luna, per hoc illuxit nobis humanitas & divinitas: Per illud conditi sumus, iterum morituri, per hoc incepit ejusdem restauratio. Per hoc denique tanta fuit potentia, ut S. Bern. *serm. 4. super missus est* dicat: In sempiterno verbo DEI facti sumus omnes, & ecce morimur; in tuo brevi responso scilicet fiat, sumus reficiendi, & ad vitam revocamur. Unde verè & audacter ausim affirmare de Virgine, quod Joannes de verbo divino dixit: Et sine ipso factum est nihil. Ita ego dicam de Virgine: Sine Maria nihil omnino esse refectum. Occurrit hic illud *Marc. 11. v. 25.* ubi Christus dixit: Habete fidem DEI, amen dico vobis, quia quicunque dixerit huic monti, tollere & mittere in mare, quodcunque dixerit fiat, fiet ei. Dicam ego si habueritis fidem Mariæ, videbitis montem qui Christus est, utpote Verbum Patris, unico verbo fiat Mariæ, ab altissimo cœlorum fastigio, in mare nostræ mortalitatis imo in Virginei uteri angustum fretum se immersisse. Divine plane Andreas Hierosolym. *serm. d. B. V.* ait: Dixit DEus fiat lux, & facta sunt omnia. Dixit Virgo fiat mihi secundum verbum tuum, & factum est opus maximum. Imperantis DEI fiat, secutum est cœlum; Obedientis Virginis fiat, secuta est admiranda verbi divini incarnatio. Atque ita Verbo Verbum, DEus immortalis, unico fiat factus est mortalis. Ut cogar dicere Majus igitur aliquid attribuit DEus Fiat Virginis, quam suo. Quæ omnia Sanctissimi Spiritus obumbrationi debentur, sine quâ æstum amoris divini sustinere non potuisset. Expertis hic loquor viatoribus, quibus in ardente Sole itinerantibus unica refocillatio est soli opposita nubes, quæ umbram æstuanti peregrino obtendit. Hoc ex Philosophorum schola observo, quod umbra ex objecto corpore, quod Soli vel lumini opposueris, nascatur. Sic si soli opponas hominis corpus, vel lumini minimum obtendas, umbra est. Ita plane Spiritus sanctus superveniens

Fiat Mariæ efficax.

Mariæ fiat DEus amplius aliquid tribuit, quam suo.

Maria nisi à Spiritu sancto obumbrata, verbi divini vim ferre non potuisset. obumbravit Mariam, quando divinæ Majestatis fulgori, in utero Virginis opposuit Corpus Christi, in quo omnes radii divinitatis concentrati, illæsam conservaverunt Mariam, ut rubi instar incombusti arderet quidem divinitate amoris divini, à flammâ tamen divinitatis intacta maneret, non latura excessum divinitatis, nisi DEus in illâ homo factus fuisset.

Christus incarnatus, imbellis Samson. Unde dum *Jud. 6.* considero illud fortitudinis Giganteæ monstrum Samsonem in sinu adamatæ Dalilæ; in umbram quandam adamatæ à divinitate nostræ humanitatis devenio. Hic enim ipse Gigas à divino psalmographo à summo cœlo egressus dicitur, quia unius Virginis amore captus est, in cujus utero incarnatus divinus infans, penè ad ludibrium in omni mundo, domo exclusus in lucem effusus est mortalem. Vide hic ô anima mea! & considera Samsonem illum potentissimum in dilectæ suæ Dalilæ gremio recumbentem. Ubi nunc capilli illi aurei divinitatis, in quibus divinæ omnipotentiæ Majestas consistit? Ubi Sapientia illa DEI Patris, quæ omnes linguas infantium facit esse disertas? ubi potentia quâ mundum condidit, & nutu unico moderatur? Tonsus est noster Samson, & cujus fortitudinem virtutes cœlorum mirantur, factus est pro nobis infirmus imo inermis infans. O felicissima! ô fortissima Virginum! ô Sacratissima Dalila Maria! quam gloriosè tu de divino Samsone triumphas? quem cum nulla potentia ullis vinculis coercuisset, tu Virgineis materni uteri visceribus vinculasti. Quid ergo aliud ego dicam quam illud Pauli *ad Titum c. 3. v. 4.* Apparuit benignitas & humanitas Salvatoris nostri. *S. Th. 1. p. q. 25. art. 6. ad 4.* Dum DEI Matrem considerat. Dignitatem inquit habet infinitam ex bono infinito quod est DEus. S. Aug. vero *serm. de Assumpt.* Singulare privilegium illius in hoc veneratur, quod Christus purissimum ejus sanguinem, quem illa Christo in Verbi incarnatione subministravit ex quo deinde Spiritus sanctus carnem Christi efformavit, semper retinuerit, neque unquam dimiserit. *Mariæ gloria quia est Mater Christi.* Caro Christi inquit est caro Mariæ, & quamvis gloria resurrectionis fuerit glorificata eadem tamen mansit, quæ sumpta est de Maria. Quam proindè S. Thom. parentelam, seu affinitatem inter Virginem, & DEum appellat. B. Petrus Dam. verò vocat specialem existentiam, quâ inest Mariæ, non solùm per præsentiam, potentiam, & essentiam, sed quandam, quasi identitatem, verba illius sunt; Cùm DEus sit in aliis rebus tribus modis,

modis, in Virgine fuit quarto speciali modo per identitatem, quia idem est, quod ipsa. Quarè S. Anselmus excellentiam maternitatis expendens inquit: Nihil Domina tibi est æquale, nihil comparabile. Omne enim quod est, aut supra te, aut infra te est. Quod supra te est, solus DEus est; quod infra te est, est omne, quod DEus non est. Hinc illa mulier Evangelica, licèt habuisset multas virtutes, unde Beatam Virginem commendasset, tacitis omnibus, laudat illam à ventre, quia maternitatem Mariæ maximi fecit. Et verò non sine causâ, cum per hoc sit cœli, terræque Domina facta, utpotè quàm ideo DEus constituit totius creaturæ reginam. *Esther 2. v. 17.* cum præcepisset Rex, ut ei quærerentur ex omni regno speciosissimæ puellæ, inter reliquas etiam adducta fuit Esther, quæ inter omnes maximè placuit Assuero. Dicit Textus: Et adamavit eam Rex, plus, quam omnes mulieres, habuitque gratiam & misericordiam coram eo, super omnes mulieres, & posuit diadema regni in capite ejus, fecitque eam regnare in locum Vasthi. Magna fuit hæc dignitas Esther in Reginam electæ; quando tamen & patronam pro populo se obtulit, major videri illius debet fuisse existimatio. Cùm enim per arrogantiam fastuosi Amon edictum prodiisset, ut omnes Judæi delerentur in regno, Mardochæus nunciavit hoc Reginæ, ut ad Regem intraret, & pro salute Judæorum intercederet, dicens; Quis novit, utrum idcircò ad regnum veneris, ut in tali tempore parareris. *Esther 4. v. 14.* O Maria cum sola electa sis, ut mater DEI esses, & mundi ac cœlorum Domina, piè nos credimus, quòd idcircò ad regnum hoc veneris, ut in tali tempore parareris. Nosti ô magna cœli terræque Regina, quòd improbæ Dalilæ similis humana natura Christo incarnato infidelis extiterit, tu pietate maternâ veniam conciliasti. *Judic. 16.* Dalila Samsoni infidelis aperuit secretum ænigmatis, iratusque Samson nimis, ascendit in domum Patris sui, sed modico tempore duravit ira, cùm statim *c. 15.* dicatur: Venit, invisere volens uxorem suam, attulit ei hædum de capris. Abul. *in c. 16. Judic.* miratur Samsonem, eumque his alloquitur: Quid hoc quatuor vix dies elapsi sunt, quòd te tradidit Dalila in manus Philistinorum, & nunc reverteris ad illam, licèt tui non sit cupida, & te etiam dereliquerit. Nulli hæc videantur miranda inquit Abulensis, quia amor Samsonem excœcavit. Et ideo amans non solùm injuriæ satisfactionem ab uxore nolebat, sed ad eam lætificandam hædum

Maria Esther in tempore parata est, ut nos salvaret.

in munus attulit. Origenes & S.Bonaventura paralellam faciunt cum DEI filio, & humanâ naturâ, quæ tam enormibus peccatis DEum offendit, ut licèt justo decreto divino illam rejecerit, & æternæ damnationi subjecerit, atque propter contractum Originale peccatum odio habuerit, tamen adeò rursus adamavit, ut de cœlo ipse descenderit, eamque pretioso suo sanguine & morte crudelissimâ redemerit. Propter hoc enim inquit S. Aug. ad nos ille descendit, ut nos ad illum possemus ascendere. Leoni Socio S. Francisci Seraphici, objecit DEus gratiosum spectaculum. Vidit is in magnâ planitie binas scalas à cœlo usque in terram demissas, una candidi erat coloris, altera purpurea. Purpureæ incumbebat Christus vultu Severo, qualis solet esse irati Judicis. Candidæ innitebatur vultu placidissimo tota amabilis Virgo Maria. Purpurea scala est Crux sanguine Christi purpurata, per quam vi meritorum Christi ascendere possumus ad cœlum. His bonus JEsus non tantum incumbit, sed cruentis etiam manibus nos invitat. Si tamen iratum timemus vultum judicis, & gradum timidum ponere non audemus; Vidit enim Frater Leo, multos ab illis scalis præcipitari in ruinam æternam; habemus scalam candidam gratiæ; convertamus nos ad Matrem misericordiæ, quia per hanc ad alteram, & ad ipsum cœlum facilis & securus est transitus. Cœlius Rhodiginus inquit, si speculo puro inscribas rubras literas, & Lunæ speculum illud obvertas, apparere tunc in Lunâ rubras illas literas, quas speculo inscripsisti. Maria pulchra ut Luna, in cœlo Soli Justitiæ filio suo assistit, nos speculo sed purissimo cordis nostri inscribamus. Infirmus quidem scribat salus infirmorum; Moriens inscribat Janua cœli. Afflictus pingat Consolatrix afflictorum, Peccator exprimat calamo fiduciali Refugium peccatorum. Sed rubris scribamus literis, id est per incarnati Verbi pretiosum sanguinem, quē de castissimis Mariæ suscepit visceribus Mariam rogemus; Totum hoc legemus in Lunâ pulcherrimâ Mariâ. Regulus ille *Joan. 4. v. 54.* Sanitatem filio suo impetravit, vade filius tuus vivit; qui licet per primam instantiam nihil obtinuerit, per secundam tamen id impetravit, quod voluit. Si quæras, quo Verbo Christum adeo flexerit, dicam ego per Verbum descende, quo monuit Christum descensus illius, quando propter nos homines, & propter nostram salutem descendit de cœlis, & homo factus est. Docet me hoc Albertus Patavinus *ferm. de Dom. 20. post Pentec.* Eò enim

Leo S. Francisci Socius, videt duas ad cœlum scalas.

Scalas duas nobis dedit Deus ad cœlum.

Lunæ rubras literas inscribere.

Christus rogatus per suam incarnationem, facile nos audit.

nim descendit, quod nostram mortalitatem assumpsit, cui viventi, cùm cadaver nostræ mortalitatis adjungitur, vivimus. Quare si rogantes, Christo humilitatem nostram, & illius descensum opposuerimus, nihil est, quod petentes non obtinebimus.



DISCURSUS XVIII.

Christus homo natus est.

OVidius *l. 8.* metamorphoseos fingit Jovem & Mercurium in Phrygia peregrinatos fuisse, sed passim domibus exclusos hospitio caruisse; sic enim canit: *Jupiter cum Mercurio peregrini hospitio excluduntur.*

Mille domos adiere, locum, requiemque petentes,
Mille domos clausêre seræ, tamen una recepit.
Parva quidem, stipulis & cannâ tecta palustri.

Quid obsecro naturalius potuisset exprimere ipse Evangelista? Ibat Virginea mater cum sponso suo in Bethlehem, ubi urbe totâ exclusa in lacero stabulo tandem divertit, & Verbum æternum ibi peperit. Si quæras cur in diversorio, cœli, terræque Dominus locum habere nequiverit, inexpectatè respondebit glossa ordinaria: Diversorium est domus inter duos muros, duas januas habens. Quid obsecro DEum prohibet intrare domum, ubi duæ portæ sunt? Scilicet fieri non potest, ut anima illa DEum hospitem habeat, cui duplex est ostium, per quorum alterum voluptatibus ostium pateat, per alterum se Christum admittere posse speret. Plures habere portas anima non debet, una namque illi satis est, per quam solatia, sed cœlestia admittat. Quomodo enim sub tecto superbo & fastuoso, vel etiam iracundo hospitari poterit Christus, qui mitis est, & humilis corde? Certè qui affluenter dat omnibus, apud parcum Euclionem non morabitur. Cum ebrioso non benè convenit Christo, qui etiam quadraginta diebus jejunavit. Neque apud luxuriosos divertet. Sed quod factum est crassis illis & inhumanis civibus, qui Jovem cum Mercurio excluserunt in Phrygiâ, id factum est Bethlemitis negantibus hospitium Christo Domino. Ibi enim indignati Dij fontibus im-

Christus natus hospitio excluditur.

Christus non intrat ubi duæ portæ sunt.

imperarunt, ut ex terræ cavernis erumperent, qui cives cum domibus everterunt, atque ubi prius ampla steterunt palatia, repentè ab inundantibus aquis eversæ domus, piscium facta sunt vivaria; enatumque stagnum turpissimæ inhospitalitati perpetuum dedit mnemosynon. Sic planè Cives excluserunt Christum tectis suis, & paulo post in totâ viciniâ urbis Bethlehem stagnum erupit Sanguineum. Ita enim loquitur S. Vincentius Ferrerius. Hanc pœnam infantum parentes meriti sunt, dum nolunt hospitio excipere Beatam Virginem Mariam gravidam, nec ejus sponsum Joseph, nec etiam post nativitatem Christum, visis licèt tot miraculis. Fuit haud dubio gladio quovis penetrabilius Mariæ & Josepho Verbum hoc; non est locus in diversorio. Ecce qui gladio crudelitatis transfixêre cor Mariæ, vident modò transfigi corda filiorum suorum. Sed obsecro, si pax est hominibus bonæ voluntatis, ubi melior voluntas, quam apud parvulos? Audite S. Hilarium *in c. 18. Mat.* Hi enim proximo malum velle nesciunt, curam opum negligunt, non insolescunt, non oderunt, non mentiuntur, dictis credunt, & quod audierunt verum habent. Et tamen teste Genebrardo eorum quasi quatuordecim millia trucidantur. Quid verò ita præjudicat paci, quàm hæc innocentium puerorum cædes, quia dum pax annunciatur hominibus bonæ voluntatis, nemo meliorem voluntatem habere poterat, quam puerilis innocentia, quæ neque malum velle, taceo intentare poterat. At verò dum Bethlemitici cives voluntate pessimâ DEO gravidam Virginem, tectis suis excluserunt, bonæ voluntatis esse desierunt, adeòque pax, quæ angelico concentu fuit publicata à mala voluntate parentum fuit infracta. Neque tamen per hoc ipsis Innocentibus pax violata censeri debet, quibus cruentus licèt Herodis gladius, pacem contulit cœlestem, quando nimirum teste S. Aug. *serm. 10. de Sanct.* Nunquam illis Herodes tantum profuisset obsequio, quantum profuit odio.

Christo excluso extrahuntur infantes Civium & occiduntur.

Nato Christo quomodo pax, si occiduntur parvuli.

Parentes malæ voluntatis pacem fregerunt, filii lucent.

Cogitur ergo DEO gravida Virgo à Civibus & urbe exclusa, extra portas quærere angulum, hoc uno felicissima, quòd licet partui proxima, pondus & onus non sentiret. Ita enim Barradius *tom. 1. Evang. c. 14.* affirmat. Parum aut nihil oneris Virgo inter ambulandum in fœtu ut puto, sentiebat, agilitatis namque dote gravitatis pondus fuit ademptum. Nec hoc satis; nullum pondus sensisse, aut gra-

Maria licèt gravida sine onere.

gravidatam gravatam non fuisse, sed ab illo quem portabat ipsa portabatur, & velut alis instructa, à Nazareth tridui itinere ferebatur. Similitudinem hanc accipit S. Aug. *serm. 24. de verb. Apost.* Hæc sarcina, inquit, non est pondus amanti, sed ala volaturis. Habent enim & aves pennarum suarum sarcinas. Portant illas, ut portentur; illas in terra portant, ut portentur ab illis in cœlo. Quarè benè S. Fulbertus *serm. de Laude Deip.* Nulla inquit gravedo fieri potuit concipienti, nulla tristitia parturienti, & cùm esset gravida, salubri levitate plaudebat. Lumen enim, quod intra se habebat, pondus habere non potuit. Maria namque Verbo Verbum concepit, hinc celeri gressu viam transvolat, quando aliæ mulieres utero gravidæ, lento passu incedunt, gravedine torpent, facilè fatigantur, fastidio laborant. Unde etiam, quod benè advertit Athanas. *serm. de nativ. Christi.* Sine obstetricum obsequio, filium suum peperit. Omnes denique secundinas, & consuetas puerperij sordes, quod testatur S. Epiphanius *hæres. 69.* & confirmat S. Cypri: *serm. de nativ.* exclu sit & passa non est. Ideoque etiam, quòd docet S. Aug. *serm. 14. de nativ.* Sine omni dolore partum suum effudit. Ut propterea in unâ Antiphona dicat Ecclesia: Nesciens virum peperit sine dolore. Neque enim dolorem pati debebat, quæ sine omni voluptatis carnalis delectamento concepit. Non quod impudicissimarum mulierculârum sæpè turpissimum libidinis est velum, dum dicunt se sine delectatione copulam iniisse, quod fieri posse negat S. Aug. & saniores Medici, fieri non posse communiter docent. Sed quia ut dicit Ecclesia in Circumcisione Dom. *in noct. 2. in Resp. 2. & 3.* Domus pudici pectoris, repente templum fit DEI. Intacta nesciens virum, Verbo concepit filium. Ideoque benedicta & Venerabilis es Virgo Maria, quæ sine tactu pudoris inventa es Mater Salvatoris. Et hâc de causa. quod benè observavit S. Bern. *hom. super signum Magnum.* Maria molestissimum illud tædium, quo reliquæ omnes gravidæ mulieres laborare noscuntur, sola non sensit, quæ sola sine libidinosâ voluptate concepit. Unde & in ipso conceptionis initio, quando potissimum cœteræ mulieres miserabilius affliguntur, Maria cum summâ agilitate montana obivit, magnâ cùm alacritate Elisabethæ servivit, & recens nato infanti Joanni Baptistæ, quasi Lucinam & gerulam egit. Imò cùm jam tempus pariendi immineret, portans illud pretiosissimum salutis nostræ depositum, sine omni pondere & impedimento

Maria ab omni parturientium onere est libera.

Copula non potest fieri sine delectatione.

portavit. Portans onus leve, portans eum, à quo portabatur. Denique Maria Verbum portabat, quod portat omnia Verbo Virtutis Suæ.

Sed qui adeò pro Virgine Matre sua solicitus fuit DEus, in se tamen rigidus, nihil omittere voluit, quod humanæ fragilitati accideret. Certè S. August. *in ps. 15.* dum expendit Virgineum uterum, in quo infans Christus spatio novem mensium jacuit, miratur infinitam DEI bonitatem. Cùm enim in Christo, licèt infante propter unionem ad Verbum, nulla prorsus fuerit ignorantia, quantus debuit Christo fuisse sensus doloris, tanto tempore illis materni uteri angustiis clausum fuisse. Nicodemus hunc uteri materni carcerem sic exhorruit, ut putaverit esse impossibile ut homo ratione præditus, ad uterum revertatur maternum. Providentia DEI planè specialis est, quod DEus infanti in utero rationis usum neget, ne miserias illius carceris apprehendat. Si enim anatomicos consulimus, locus est fœdissimus vesicam inter & intestinum crassum. Spatium est angustissimum, complicatus enim sedet infans, & vel ocellos suos contra acutiores humores manunculis suis tuetur. Jam verò si Christus teste S. Hier. *Ep. 22. ad Eustoch.* ab ordinariis miseriis humanis non fuit immunis, & aliundè in primo instanti Conceptionis suæ propter unionem ad Verbum plenum habuit rationis usum; Quanta hæc DEO fuit patiendi materiâ? neque enim malè dici potest, quòd uterus maternus sit vivi hominis sepultura. Unde si dicam, quòd Christus in utero Virginis, fuerit quasi in figura sui sepulchri, paradoxum hoc minimè videri debet; cùm ipsa Ecclesia passionem illius cum nativitate commisceat. Audite enim ad compatientis obmutescentisque òrgani sonum in Dominicà Passionis intonare Ecclesiam. Pange lingua gloriosi lauream certaminis. Paulò post inferius subjungit: Vagit infans inter arcta, conditus præsepia. Quid obsecro Cruci cum cunis? nisi quia multa sunt passioni cum nativitate communia. In nativitate flos campi invenitur in fœno, in passione fasciculus myrrhæ suspenditur in Cruce. In nativitate canunt Angeli, in passione Gallus. In nativitate Christus est inter duo animalia, in passione pendet inter duos latrones. In nativitate DEus homo factus est, in Passione Pilatus intento in Christum digito hominem ostendit: Ecce homo; in nativitate Virgineo lacte roratur, in passione felle & aceto potatur. In nativitate teneris labellis oscula imprimit Mater; in passio-

Uteri materni angustiæ quibus infans clauditur.

Magna Christi dignatio jacuisse novem mensibus in utero.

Multa in nativitate Christi cum Passione conveniunt.

passione osculatur illum proditor Judas. In nativitate pannis involvitur, in passione albâ & purpurâ induitur. In nativitate fasciis stringitur, in passione funibus & catenis vinculatur: In nativitate infinita DEI Sapientia incarnata est infans, in passione DEI filius ab Herode stultus habetur, In nativitate stipatur à Mariâ & Joseph, in Passione pendenti in Cruce assistit Maria & Joannes. In nativitate est noctis mediæ silentium, in passione sunt tenebræ super faciem terræ. In nativitate ad effusam cœli militiam, cœlum rumpitur, in passione velum templi scinditur. Denique ipse uterus Virginalis, symbolum est & figura Christi in sepulchro jacentis. Sicut enim in sepulchro Christi nemo unquam positus fuit, ita novus planè hic partus fuit, quia à sæculo non est auditum, quod homo à Virgine natus fuerit. Si ergo maternus Virginis uterus Verbi incarnati fuit tumulus, quam merito in hymno Ambrosiano exclamat Ecclesia, & miram DEI dignationem humillimâ reverentiâ veneratur; dum dicit: Tu ad liberandum suscepturus hominem, non horruisti Virginis uterum. Quod penè iisdem verbis repetit in hymno, dum ait: Qui pro nobis natus, tulit esse tuus. Mavult tamen Christus in utero jacere Virginis, quam in corde peccatoris. Dum enim Christum in communione sumimus, quasi matres eundem in corde nostro includimus. Tremenda est de indignè communicantibus Petri Blesensis sententia, qui dicit eos, qui indignè communicant, sibi damnabiliter incorporare, vel potius incarcerare corpus Christi. Tu mi Christiane si DEO incarnato non Tullianum infame aut turres Londinenses meditaris, sed amabile præsepium aut molles cunas vis parare, cor tuum ab omnibus emunda peccatis, sordes tuorum peccatorum expurga, & hospitium parabis desideratum. Amat enim Christus in corde nostro manere, sed à sordibus expurgato. Solatii plenum est quod de S. Bonaventura legimus, qui moriturus cum ob stomachi nauseam Sanctissimo Sacramento frui non posset, illud videre saltem & adorare petijt, allatum itaque ciborium pectori suo admovit, & ecce res mira, aperuit se pectus instar rosæ, & simul una hostiarum ex Ciborio spectantibus omnibus intra sancti Viri cor se immisit, & pectus quasi nunquam patuisset, rursus se clausit, O felix magni Viri S. Bonaventuræ hospitium. Refert quid simile Bellarminus de quodam viro Masiliensi, qui cum ob eandem causam viaticum capere non posset, adorare saltem id voluit, adest ergo Sacerdos, & simul ac cum Sanctissima

Mariæ uterus est Verbi divini tumulus.

Indigne communicantes sunt Christi sepulchrum.

S. Bonaventura moriens diductis costis in corde communicat.

tissimâ Eucharistiâ infirmo benedixit, ex ciborio se elevavit hostia, quæ per aërem in os illius delata, se intra labia immisit. Quia vero simul etiam mortuus est, & hostia & anima in cœlum Spectantibus omnibus abire visa est. Quid beatius tam felici hospitio, quod dum Christum sub speciebus panis admittit, verè DEum incarnatum & hominem pro nobis factum excipit.

Quidam hostiam sumere non potuit, cum anima ad cœlum misit.

Sed cum impleti sunt dies ut pareret, *Luc. 2. v. 6.* peperit Maria filium suum primogenitum, vigesimâ quinta Decembris uti docet S. Aug. *in enar. ps. 132.* & quidem die Dominicâ ut vult Sophrom. *orat. de nativ. Christi*, & testatur Nicephorus *l. 1. c. 12.* nempè illâ die quâ dixit olim DEus *Gen. 1. v. 4.* fiat lux & facta est lux, utique quæ secundum Joan. *c. 1. v. 9.* illuminat omnem hominem, venientem in hunc mundum. Et hinc de nocte natus est, ut dicit S. Lucas *c. 2. v. 8.* cum pastores in regione eadem vigilarent, & custodirent vigilias noctis super gregem suum. Decuit enim solem Justitiæ suo ortu prævertere solem mundi. Ut vel indè ex institutione S. Telesphori Papæ, mos pius & sanctus in universam Ecclesiam dimanaverit, hac festâ nati Christi die celebrandi missas longe tempore ante lucē. Ego quidem mundū ante nativitatem Christi imaginor mihi talem, qualem in primâ orbis creatione describit Moyses *Gen. 1. v. 2.* Terra autem erat inanis & vacua, & tenebræ erant super faciem abyssi. Ubi autem DEus dixit fiat lux, & facta est lux, tunc enimverò statim ornavit DEus cœlos sole Luna & stellis, terra ipsa produxit bestias & herbas, mare pisces germinavit & volucres, ut post enatam lucem planè alia mundi facies fuisse videatur. Quod si verò hæc in sensu mystico loqui velimus, quid prohibet, quo minus dicamus supra faciem totius mundi exceptâ unicâ Palæstinâ, fuisse ignorantiæ & errorum tenebras, & omnes gentes cœcæ idololatriæ caligine involutas cœcutivisse. At vero quo die Christus in orbem natus est, stella velut lux nova lucidissimis suis radijs Orientem illustravit, ut Reges pulcherrimum sideris exorti Dominum, verum DEum agnoscerent, eumque in stabulo jacentem supplices adorarent. Tres novos Soles Hispaniam hac die illustrasse docet Doctor Angelicus *3. p. q. 36. n. 3.* Tres item soles visos esse in Oriente narrant & testantur historiæ. Illa nocte solem dedisse insuetum splendorem testatur D. Ambros. Pastoribus nova lux apparuit. Et factum est quod dicit S. Bern. Nox sicut dies illuminabitur. Nox inquit ut dies illuminabitur, cum in-

Christus natus est 25. Decembris.

Cur in nocte Nativitatis sacrum dicatur.

Nato Christo orbi dies felicitatis illuxit.

Tres soles in nativitate Christi visi sunt.

intempestâ noctis horâ pastores circumfulsit lux nova de cœlo. Et fortè hinc factum est, ut hæc ipsa nox luminosa diei nomen acciperet dicente Angelo ad pastores *Luc. 2. v. 11.* Quia natus est vobis hodiè Salvator mundi. Nempè ut DEus ostenderet nobis beneficentiam suam, hanc noctem tot luminibus imo Solibus fecit illustrem, ut tanto magis ejus misericordiam & amorem erga nos videremus. Et hinc Novarinus *in c. 2. Luc. n. 190.* citans Richardum Pampolitanum dicit: natus est Christus die Dominicâ ut dicunt Sancti. Subdit: Dies hæc Solis dicitur, quià hac die Sol verus mundo illuxit, adeoque Ecclesia in Cantu suo dum explicat modum nativitatis similitudine solis utitur, qui illæso vitro transmittit suos radios: ita sol ille divinus illæso Virginitatis claustro, pertransivit uterum Mariæ, quem natum deindè reclinavit in præsepio. Quare licet dubitent impii hæretici, & Mariam filii DEI Matrem negent; Mariam tamen DEI Matrem omnis confitetur Ecclesia, testantur Evangelistæ, Christus ipse Matrem suam veneratur. Nisi fortè ex eo dubitet quispiam, quia ad veram generationem juxta Aristotelem requiritur conjunctio viri. Nunc verò quia etiam sine conjunctione Viri Maria Christum genuit, quod ostendimus Discursu 15. non ideo Maria Christi mater esse desinet. Tibi hoc laudis & præconii tribuit Angelicus Doctor *3. p. q. 2. art. 1. ad 3.* Quod tuâ puritate & sanctitate tibi merita sis, ut esses Mater DEI. Meruit inquit ex gratiâ sibi datâ illum puritatis & sanctitatis gradum, ut congruè posset esse Mater DEI. Quod singulariter illo actu factum est, quando se ancillam Domini, & postremam omnium professa est. Super quod S. Bern. *serm. signum magnum* exclamat: Merito facta est novissima prima, quæ prima cum esset, omnium sese novissimam faciebat. Benè hinc infert S. Th. *2. 2. q. 103. art. 3. c. 12.* Maximam eidem à nobis deberi reverentiam propter affinitatem, quam habet ad DEum, ad quam super omnes creaturas evecta est; ut sedeat à dextris sui filii. Pulchrè proindè observat S. Epiphanius *l. 3. contra hæres.* quod B. Virgo non fuerit cognita tanto honore & veneratione digna, donec filium DEI fuit enixa. Non enim novit hujusmodi gloriæ esse, donec vidit Dominum ex muliere genitum. Certè venerationis summæ ratio est, ut colamus ipsam, quæ quia DEI Mater est, admirabilem cum DEO traxit consanguinitatem, adeoque omnis veneratio quæ exhibetur DEI Matri, eo ipso censeri debet exhibita esse DEO. Quarè bene

Nato Christo nox luminosa, dies dicitur.

Maria verè est Mater DEI.

Maria meruit sibi ut congruè DEI Mater esset.

dixit Leontius *l. contra Judæos.* Qui Martyrem colit, DEum ipsum colit, qui matrem ipsius adorat, ipse DEO honorem assignat. Unde compendio quasi inclusit Marianarum laudum encomium S. Th. de Villa Nova *serm. 2. de Nat. Virg. super illud Matth. 1. De qua natus est JEsus.* Evangelistæ inquit omnia collegerunt, cum dixerunt, ex eâ natum fuisse JEsum. Quid amplius quæris? quid ultra requiris in Virgine? Sufficit tibi, quod mater DEI est. Quod *serm. 3. ibidem* repetit dicens. Sancti Evangelistæ de ejus laudibus silent, quoniam ineffabilis est ejus magnitudo, quia satis fuit de ea dicere de quâ natus est JEsus. Non miror jam S. Th. *p. 1. q. 35. art. 63. ad 4.* Hanc Mariæ sublimitatem sic extulisse, ut dixerit tria adeo perfectè fuisse facta á DEO, ut de absolutâ DEI potentiâ non potuerint fieri meliora. Humanitas Christi inquit, ex eo, quod est unita DEO; beatitudo cœlestis ex hoc, quod est fruitio DEI; & Beata Virgo, propter hoc, quod est Mater DEI. Quia habent quandam dignitatem infinitam ex bono infinito, quod est DEus. Ut propterea S. Bonav. *in spec. c. 10.* dixerit. Ipsa est quâ majorem DEus nequit facere, Majorem mundum posset facere DEus, majus cœlum posset facere DEus, majorem matrem, quam matrem DEI, non potest facere DEus: Quod ipsum agnoscens Virgo in suo Magnificat dicit: Fecit mihi magna, qui potens est. In quæ verba S. Bernardin. Sen. *Tom. 3. serm. 9. art. 2. c. 1.* ipsam Mariam loquentem inducit Magnum est, quod Virgo sum; Magnum est quod utrumque Mater & Virgo sum, sed maximum, si cujus mater sim, attendatur: scilicet Unigeniti Filii DEI, & omnium Salvatoris. Eruditè Origenes *super illa verba Matth. 2.* Joseph autem non cognovit eam, donec peperit. Quam diu inquit habuit Beata Virgo in utero suo solem Justitiæ, tantus splendor exibat de ejus facie, quod Joseph eam non agnoscere, & discernere valebat, nec in faciem ejus intendere poterat, donec ejus uterus fuit evacuatus. Neque mirum, quia Maria à S. Ignatio M. Sacratissimum monstrum dicitur. Monstrum ab Aristotele *2. Phys. c. 8.* definitur aliud non esse, quam creatum aliquod naturæ, à rectâ & solitâ ratione secundum speciem degenerans. Quis autem non videat naturam ab ipsis initiis conceptionis aberrasse, non quidem à rectâ sed solita ratione, quando post peccatum Adami naturali propagatione in posteros transfusum, dum omnes teste S. Paulo filii iræ nascimur, sola Maria inter omnes mortales non iræ, sed gratiæ

Marianæ laudis compendium est, quia est Mater Dei

Majorem DEI Matrem Deus non potest facere.

Joseph Mariam quam diu prægnans fuit, non potuit agnoscere.

Maria monstrum gratiæ.

gratiæ filia nata est, utpotè ab originali labe præservata. Quarè benè Andreas Cret. dixit: Sola præter naturam fuit electa, ad naturam fuit electa, ad naturam renovandam, sola deservivit opifici naturæ. Quod explicat Richardus *l. 6.* dum Mariam cum Evâ componit. Illa enim ex costâ Viri facta est, at ex Mariæ carne purissimâ factus est ipse Christus. Verba authoris sunt: Mirabile fuit de costâ Viri formare mulierem, imutatio mirabilis est, quod de carne solius mulieris formatus est homo. Ed ideo monstrũ fuit Maria, ob excessum gratiæ. Si enim gigantes ideo dicuntur monstra, quia in corporis mole reliquos excellunt, benè dicetur Maria monstrum sacratissimum, quandoquidem teste S. Anselmo & Bonav. immensitatem gratiæ est consecuta. Hanc immensitatem & excessum divinum aquilinis oculis suis contemplatus est S. Joannes, quando vidit mulierem amictam sole, in cujus capite fuit Corona stellarum duodecim. Bone JEsu! si minima stella, quæ juxta Astrologos est sextæ magnitudinis, multoties major est, quam terra. Quam magnum debuit esse caput illud, quod duodecim saltem tales, etiam minimas stellas in ornamento capitis sui circumferebat. Quale corpus illud fuerit, quod sol ipse, qui centies sexagies sexies major est quam ipsa terra, vestivit. Quæ tamen omnia nihil sunt respectu illius, quod in suo utero Virgineo clauserit illum, quem nec terra, nec cœli capere poterant. An non meritò exclamem cum S. Bernardo *serm. signum magnum.* Sola hæc est beata Deipara, in quâ Virginitas & maternitas obviaverunt sibi. In ea factum est, quod factum non fuerat, nec fiet in æternum. Et ne putemus hoc esse impossibile, ostendit possibile esse S. Ildephonsus: Non matrem deserit Virginitatis decus, non Virginem maternus impedit partus. Et Virginem non violat fœtus, & matrem nobilitat pudor Virgineus. Pulchrè proinde ait Bruno Carthus. *serm. de annunc. ps. 44.* Vultum tuum deprecabuntur omnes divites plebis. Quid enim mirum, si divites & nobiles Virgines, Matris, vultum & pulchritudinem desiderabant, cum modo superius dixerit: Quia concupivit Rex speciem tuam. Valdè enim pulchra est, quæ suâ pulchritudine DEum ipsum, ad amorem sui provocare potuit. Quam merito cum Ecclesiâ exclamem. Nativitas tua DEI Genitrix Virgo gaudium annunciavit universo mundo, ex te enim ortus est Sol Justitiæ Christus DEus noster. Philippus Rex Macedo, ubi nuncium accepit, de nato sibi Alexandro Magno, omnes Satra-

Maria mulier amicta Sole cum corona stellarum duodecim.

Maria Mater & Virgo.

pas

Philippus Rex Macedoniæ splendidum apparavit convivium.

pas Macedonum & Græcorum, uti & nobilium, ad sumptuosum invitavit convivium, sed multorum regnorum spoliis & terrarum vastationibus infame, hoc gaudium in lachrymas populorum est resolutum. Sola tua Nativitas, qua nobis genuisti DEum & hominem, perfecti gaudii amplissimum habet argumentum. Quia natus est nobis, non tantum Rex regum, & Dominus Dominantium, sed etiam Salvator. Et hinc teste Angelo hoc gaudium erit omni populo. Natales Principum eorum sunt populorum, quorum imperio reguntur populi subjecti. Sic si nascitur Infans Hispaniæ, lætatur Hispania; Nascatur Dauphinus Galliæ, plaudet Gallia. At Nato Christo gaudium erit omni populo. Videtur hoc gaudium prælibasse Sapientissimus Plato, de quo refert Reies *in suo Campo Elisio jucund. Quæst. quæst. 34.* quod imperante Constantino apertum fuerit Constantinopoli sepulchrum, in quo Platonis Corpus integrum inventum fuit, ex cujus collo pendebat lamina aurea, cum hac inscriptione Christus nascetur de Virgine Maria, Et ego credo in eum. O sol iterum me videbis sub Constantino & Irene. Memini nato Alexandro Magno Jovem illius incunabula insolito favore exornasse, misit namque Aquilam grandem, quæ super tectum Neonati Alexandri die totâ consedit. Non Aquilam sed stellam fulgentissimam accendit nato Filio suo æternus Pater, qua Duce sicut traxit ab Oriente Magos, sic ad cunas trahit animas nostras incarnatus DEus. Hinc enim nobis inclamat natus infans, illud *Mat. 11. v. 28.* Venite ad me omnes, qui laboratis & onerati estis, & ego reficiam vos. Ad has cunas, & omni solatio plenum præsepe, ab onere peccatorum suorum se liberatum gloriatur S. Hieronymus, qui hoc præsepe sibi delegit in solatii sui domicilium. Hoc præsepium cum tenero cordis affectu sic adamavit S. Franciscus Seraphicus, ut ipsum recens natum DEum, novâ nativitate in cunis repræsentatum, suis spectaret oculis, basiaret amplexibus. Non miror ego ad has cunas S. Franciscum in amoris incidisse Syncopen, & deliquium passum, cum dicat David *ps. 118. v. 123.* Oculi mei defecerunt in Salutare tuum, quando etiam his cunis immori volupe fuit. Urbanus quidam adolescens, cujus mentionem facit S. Chrysostomus postquam aliquot annos in omni propudiosâ voluptate insumpsisset, tandem seriâ pœnitentiâ commotus, solvi in lachrymas, suaque peccata detestari cœpit. Quod cum non minus piè quam constanter faceret, deductus est ab Angelo suo Custode

Plato credit in Christum.

Alexandri nati incunabula Aquila ornavit.

S. Hieronymus in præsepio deliciatur.

S. Franciscus ad præsepe novum præsepium cernit.

stode

ſtode ad antrum Bethlemiticum, ubi inter B. Virginem & S. Joſephum, in cunis jacebat JEſulus, ad latus unum aſtabat miſericordia tenens ramum olivæ, ad alterum amor divinus conſtitit, in manu tenens facem candidam & ardentem. Suadente miſericordiâ, inter mille pedum & manuum oſcula ardentiſſimos fundebat contritionis actus Urbanus, Stimulante hinc amore divino exardeſcebat in affectus tenerrimos amoris, ſic ut ſenſim inflammari totus, cor verò quaſi cera colliqueſcere viſum ſit. Cum ergo inter ardentiſſima ſuſpiria colliqueſcit cor juvenis, & ab amoris divini æſtu conſumitur, ipſe amando exanimatur. Quam verè dixit S. Chryſologus *ſerm. 158.* Sic naſci voluit, quia voluit amari. Et Guericus *ſerm. 1. de nativ.* Puerum ſe maluit exhibere, magisque amabilis quam terribilis apparere. Si tamen ô miſer trepidas, & Juſtitiam divinam ſtricto gladio minacem times peccator, vel ab animali nempè Simio conſilium ſalutare cape, Hiſpali mercator prædives Simium domi ſuæ aluit, quem ob illatum aliquod damnum occiſum voluit. Hoc ubi advertit Simius, per tecta diffugiens ſe ſalvare nitebatur. Ubi verò in tecti crepidine ſe ſagittis impetendum vidit, ſubito per tecti feneſtram unam inſiliit, & in cubiculum domus perrupit, ubi in cunis jacentem filiolum arripuit, & rurſus in tectum evolavit. Cumque ſagittarii in eum ictum intenderent, ipſe pro clypeo infantem tenerum objecit; nec ante infantem ſalvum reſtituit, quam ubi Dominus juravit, quod illi nihil mali facere velit, tunc enim ſimius infantem exoſculatus ad cunas repoſuit, & cunis aſſidens eundem motavit. Næ tu hoc animali timidior, audacter infantem DEum irato æterno Patri opponas; clypeum habes ſecuriſſimum, in quem omnis furor paternus, te illæſo terminatus, refringetur. Neque enim poteſt iratus Pater, in tenerum filium torquere furoris ſpiculum. Exarmabitur mihi crede Patris manus, ſi faſcias, ſi præſepe, non dicam filium oppoſueris. Neque eſt quod infantem timeas! Eſt filius faſciæ. Primum quod de Chriſto nato dicitur, eſt, quod pannis ſit involutus. Sic enim ubi Lucas dixit peperit filium, ſtatim ſubdit, pannis involvit. Et ideò angelus dixit paſtoribus. Invenietis infantem pannis involutum. Sicut ergo nubes Solem, ſic Maria velut faſcijs nubiloſis ſplendorem juſtitiæ Solis involuit. Sed quid mirum, ſi involutus eſt DEus? Ut noſtra laxaret vincula, inquit S. Leo, ligatur DEus faſciâ. Non dubita ô peccator, Maria pannis involuit filiolum, ut

Simius infante ſe tuetur.

Chriſtus natus eſt filius faſciæ.

nos omnes ex delictis nostris evolvat. Si tamen stringit brachia, tenera sunt, non stringit nisi in amplexus amoris. Hoc unum cum Vagiente JEsu rogo ne Civibus Bethlemiticis incivilior, cunas Christo tuo neges. Joannes Dux Andegavensis Neapolim cum valido exercitu profectus, ut rebellem Civitatem suæ fidelitatis commoneret. Vexillo suo inscripsit. Fuit homo missus à DEO, cui nomen erat Joannes. Sed Alphonsus, qui tunc tenebat Neapolim, suo inscripsit vexillo: Ipse venit, & sui eum non receperunt. Non sic mi Christiane! recipiendus est in corde nostro DEus; qui enim non amat DEum incarnatum & vagientem in cunis, non videbit aliquando gloriosè regnantem in cœlis.

Neapolis Duci suo rebellis suo vexillo inscripsit Sui eum non receperunt.



DISCURSUS XIX.

Christus natus est ex MARIA Virgine.

Augustus Sol, Livia Luna.

ROmani adulando dixerunt Augustum Cæsarem esse Solem, & Liviam Drusillam uxorem esse Lunam, uti testatur Goltzius *in numismatibus priscorum c. 9.* in quibus sculpebatur Augustus cum radiatâ coronâ, quæ erat signum Solis, & uxor repræsentabatur coronata imagine Lunæ, quæ erat Dianæ cum inscriptione Genitrix orbis. Quis non hic in Augusti Symbolo Christum, in Liviâ Drusillâ Mariam effigiari dicat? Cum *Cant. 6. v. 9.* dicatur Pulchra ut luna. In quæ verba Petrus Dam. *serm. 2. de nativ. Virg.* Quemadmodum nullum est astrum excepto Sole adeo pulchrum ut Luna, sic summa gloria est post DEum, videre Virginem, & in illius protectionis munimine commorari. In Lunâ quidem notat culpabile Plinius *l. 2. c. 9.* quod sit quidem immenso orbe plena, sed & repentè nulla. Hoc tamen in Mariâ pulchra ut Luna vitiosum censeri non potest; Licet enim suâ humilitate nulla fuerit, repentè tamen summa & immenso DEO plena facta est, quando Bernardo teste Virginitate placuit, humilitate concepit. Dum nimirum se humilem ancillam dixit, & per hoc Mater DEI facta est. Nec otiosum censeri debet,

debet, quod Plinius Lunam immenso orbe plenam dixerit, quando ipsa Maria corpus solare divinæ Justitiæ intra sua clausit viscera, & facta est DEI genitrix. Hanc fœcundam in Virginitate maternitatem in fabulis suis ipsi Poetæ meditati sunt, quando Lunæ & pudicitiam & fœcunditatem attribuerunt. Ita enim videre est in numismatibus Corneliæ Augustæ, de quibus Plinius *l. 44.* refert, quod quibusdam imprimebatur imago Lunæ, cum inscriptione fœcunditas, alijs vero supra Lunam inscribebatur pudicitia, quo Castitatem cum fœcunditate Lunæ tribuebant. Dixerunt enim à Lunâ vel Dianâ, subte[...] nea, & ipsa etiam animalia, mirè vegetari. Non potuit tamen [...] portentosa fœcunditas, vel per simplicem apprehensionem attribui Lunæ, qualem reperio in Mariâ, quæ Virgo & DEI Genitrix facta, pudicitiam cum fœcunditate divinâ conjunxit.

Maria DEI Mater Solem Justitiæ suo utero clausit.

Luna pudica & fæcunda.

Num. 13. misit Moyses exploratores in terram promissionis; qui ubi eandem circuiverunt per quadraginta dies, & exploraverunt, in signum fructiferæ fertilitatis, attulerunt botrum grandem dicentes: Venimus in terram, ad quam misisti nos, quæ reverâ fluit lacte & melle, ut ex his fructibus cognosci potest. Ego in hac vite beatissimam Virginem Mariam contemplor, in quâ qui vult benedictionem illius & fœcunditatem cognoscere, fructum mirabilem ab ipsâ productum consideret, quem Elisabetha *Luc. 1. v. 42.* admirata dixit: Benedictus fructus ventris tui. Et David *ps. 84. v. 13.* producendum prævidit dicens: Dominus dabit benignitatem, & terra nostra dabit fructum suum. Quem locum S. Hier. sic interpretatur: Terra nostra dabit fructum suum, nempè Maria Christum. De hac vite *Eccles. c. 24. v. 23.* dicitur: Ego quasi vitis fructificavi suavitatem odoris. Super quæ verba Guericus Abbas *serm. 1. de nativ. Virg.* ad meum propositum sic explicat in personâ Mariæ: Partus quidem meus non habet exemplum in sexu mulierum, sed habet similitudinem in naturâ rerum. Quæris quomodo Virginitas genuit Salvatoram? sicut flos vitis, odorem; Quid potes calumniari, in proprietate similitudinis? Quid enim est aliud Virginitas, quam flos inviolati corporis? Quid aliud est filius Virginitatis, quam suavitas odoris. Unde Chrysippus Presbyter Hierosolym. Mariam his verbis salutat: Ave Vitis, pulcherrimas uvas producens. Hebræi vocalem quam Segol vocant, uvalem literam nominant, quia formam uvalem habet, & per tria puncta .·. sic sibi subordinata scri-

Maria Vitis ex terrâ promissionis allata.

Maria Vitis pulcherrima.

bitur. Hæc litera Mariam notat fœcundissimam vitem, quæ cum fragrantiâ suavissimæ fœcunditatis, pulcherrimam uvam produxit Christum. Si enim Viris Sanctis, adhæsit Castitatis fragrantia, ut etiam suavissimo illius odore, turpissimam in aliis libidinem extingueret, quid de Maria dicemus, cujus Virgineus aspectus, suavissimum Castitatis amorem, imo solum nomen turpissimi amoris malè sanas faces extinxit. Refert Dionysius Carthus: quod inter præcipuos Anachoretas Abrahamus nomine intellexerit neptem suam ex [illegible]no profugam, vitam vivere prostitutam, quam ubi cognovit Alexandriæ in publico lupanari vitam agere meretriciam, ille Eremicolam exuit, & militari Chlamyde indutus, sub baltheo militem mentitus est generosum. Sic vestitus urbē ingressus est Alexandrinam, & ad lupanar accessit, ubi dum miles lascivus credebatur, & puella suos in illum amores intendit, dum eundem osculatura accessit, repentè tam suavis fragrantia castissimæ Virtutis à corpore Abrahami Eremitæ expiravit, ut illa non solum à crimine ulteriori fuerit deterrita, sed etiam in aliam planè fœminam fuerit commutata. Quanto magis exclamat Dionysius piè credendum est benedictissimæ Virginis corpusculum sanctificata ubera suavissimo fragrasse odore, præsertim cum tam prædominans Virtus ac puritas animæ, in corpore redundare soleat. Ut vel ideo sponsus uberum Marianorum fragrantiam, dicat meliorem esse unguentis optimis. Expertus est hanc Virginei odoris suavissimam fragrantiam Julianus Antiochiæ in Syria clarissimis ortus natalibus, qui cum annum ageret decimum octavum, à parentibus urgebatur ad nuptias. Petiit ille septem dies ad deliberandum, quo tempore DEum instantissimè rogavit, ut sine offensâ Parentum sibi liceret Virginitatem conservare. Ultimâ nocte illi Christus comparet, & illum de suâ, & etiam uxoris futuræ Castitate securum reddidit. Confortatus hoc Christi promisso parentes adit, & se in eorum potestate esse asserit. Quare Basilissa sponsa deligitur, & nuptiæ magnâ cum solennitate peraguntur. Ubi peractâ nuptiali pompâ soli morantur, totum cubiculum ipso Mense Januario rosarum & liliorum fragrantiâ redundavit. Quærit Basilissa, unde hæc odoris oriatur suavitas? Respondit Julianus, sunt hæc cœlestis fragrantiæ puritatis, his invitamur ad illibatæ Castitatis conservandum præmium. Conveniunt ergò de perpetuæ Virginitatis Voto, & subito præter cœlestem illam fragrantiam, auditur & verò etiam

Maria Castitatis suæ fragrantia libidinem extinxit.

Meretrix Abrahami Eremitæ castâ fragrantiâ à libidine revocatur.

Julianus & Basilissa nuptias celebrat Virgineas.

Castitas Virginea rosas & lilia redolet.

tiam videtur duplex Cœlicolarum chorus, quorum uni Christus, alteri Beata Virgo præfuit, qui Neonuptis applaudebat. Adolescentium chorus canebat: Vicisti Juliane! vicisti! Virginum Chorus respondit: Beata es Basilissa, quæ mundi illecebras generosè sprevisti. Rursus præsente Christo & Beatâ Virgine duo astiterunt paranymphi cœlestes, quorum unus exhibuit librum Sanctarum Virginum, cui nomen Juliani & Basilissæ fuit inscriptum; Alter pretiosâ Virginitatis stolâ indutus Virginales mentes sociavit, & manus castissimas copulavit. In his cœlestibus deliciis penè nox tota exacta fuit. Brevi deindè mortuis utrisque parentibus amplissimæ opes, ad hos sponsos devolutæ sunt, & Julianus viros, Basilissa verò Virgines ac mulieres in diversas familias collegerunt. Dubito an nuptialem Cœlibatum, an Cœlibes has Nuptias vocem, nam sponsæ contubernio sponsi Virginitas geminatur. Sic S. Greg. Nyss. *orat. de nativ. Dom.* dicit: DEI oraculo monitum S. Josephum ne à Conjugio Mariæ Virginitati suæ ullam labem timeret, à qua acceptura erat incrementum. Nam cum Beata Virgo diceret, se Voto Virginitatis obstrictam esse, deliberantes sacerdotes, in hanc sententiam divinitus convenerunt, ut eam connubii nomine cuidam desponderent, qui ad ejus duntaxat custodiam esset idoneus. S. Hieronymus superaddit, quod S. Josephi Virgæ insederit Spiritus sanctus in specie columbæ, & hoc prodigium fuerit cœlitus indicatum summo Sacerdoti, velut signum electionis divinæ. Juxta quod intelligunt illud *Isa. 11.* Egredietur Virga de radice Jesse, & flos de radice ejus ascendet, & requiescet super eum Spiritus Domini. Quare idem S. Hier. *super illud Luc. 1. Missus est*: Cur quæso inquit, nisi ut indicetur florida desponsatio Josephi cum Maria. Quod confirmat Rupertus *l. 1. de gloria filii hominis.* Quod horum Conjugum vita, sive Conjunctio Mariæ & Joseph, tota fuerit cœlestis; Et Spiritus sanctus amborum Conjugalis amor, quorum utique conversatio erat in cœlis. Unde exclamat; Conjugium verum & sanctum, conjugium cœleste non terrenum. Et ideo S. Ambr. *l. de instit. Virg.* admirabilem S. Joannis Baptistæ puritatem visitationi Deiparæ attribuit. Tanta inquit erat vis gratiæ, ut non solum in se Virginitatem servaret, sed etiam si quem inviseret, integritatis insigne conferrent. Benè inferam ego, si Visitatio Virginis mundissimam Virginitatem tam pauco temporis interstitio potuit ingenerare in præcursore Joanne? Quid

S. Josephus divinitus B. V. desponsatur.

Conjugium Mariæ & Joseph cœleste.

contulerit Maria tot annorum consuetudine Sponso suo, qui semper Virginem intuebatur, in mensâ assidebat, nunquam ab illius latere avellebatur. Pulchrè Dionysius Carthus: de Virgine Mariâ dixit: Deipara Virgo tam intensâ erat charitate repleta, quod intuentium corda sic penetravit suâ inæstimabili Castitate Virgineâ, ut à nullo potuerit concupisci. imò potius extinxit ad horam eorum libidinem. Unde Joseph licet totalem puritatem non fuerit assecutus, utpotè qui in originali fuit conceptus, tamen tanto puritatis fulgore donatus fuit, ut innocentiæ statu potiri videretur.

Pythagoræ in sinum aquila candida delabitur.

Pythagoras insignis ille Philisophus mirè in eo gloriabatur, quod sibi divinitus à cœlo in sinum delapsa esset Aquila candidissima, quo favore credebat se inauguratum in hominem divinum. Maria quæ sinu suo Virgineo excepit ipsum DEum, numquid meliori jure credi potest divinum aliquid induisse, quo omnes creaturas rationales transcendens, in divinam plane creaturam est transmutata. An non enim est Christus Aquila illa magna alarum grandium, à quarum umbrâ orbis omnis integitur, & ejusdem divinâ providentiâ gubernatur. Quæ cum *Sap. 7. v. 26.* sit Candor lucis æternæ, in uterum candidissimũ Mariæ Virginis delapsa, ipsam Virginitatem Marianam divinitate suâ exornavit; quia certissimum est quod S. Bernardus de Castissima Virgine dixit: Virginitate placuit. Vnde pulchrè Richardus de S. Victore *c. 39. in Cant.* Maria supra homines est in eo, quod nunquam peccatum fecit, supra angelos est, quia eos puritate supergreditur. Ut mirum non sit Mariam fruitam fuisse Angelorum servitio, quæ Virgineâ suâ Castitate quando castissima Dei mater facta est, ipsis Angelis Angelorum Regina dominabatur. Hæc Virginea Castitas cum notissima esset Josepho, ubi tamen contra naturæ leges Mariam vidit gravidam, maluit de mysteriosà Dei gratiâ timere, & se tanto mysterio subducere, quam de læsâ Virginitate suspicari. Ut meritò S. Chrysostomus illum extollat: Omnibus inquit, quibus solet mulieris fornicatio intelligi deficientibus, sola apud eum remanebat suspicio gratiæ Dei, & per hanc eam æstimabat habere in utero. Unde illâ se indignum reputans, deserere voluit. Exclamat proindè. O inæstimabilis laus Mariæ, plus credebat Castitati ejus, quam utero; plus gratiæ, quam naturæ. Conceptionem manifestè videbat, fornicationem suspicari non poterat. Possibilius esse credebat posse Virginem parere, quam Mariam posse peccare. Quod

In sinum Mariæ ipse Deus descendit.

S. Josephus se Maria indignum reputans eam deserere voluit.

probè

probè agnoscens Richardus a S. Laur. Tantam in Maria Virgine celebravit castitatem, ut non tantum à castissimis ejus oculis veluti purissimi amoris fonte omnes impuri amoris flammæ extinguerentur in illis, qui eam conspicerent, sed ipsum nomen Mariæ invocantibus contra carnis tentationes esset remedium. Dum enim expendit illa Verba, Et nomen Virginis Maria. Bene inquit jungitur immediatè Mariæ Virginitas, quod non solum eam nomine præferat, sed & aliis gratiam præbeat Castitatis. Ubi observandum est, quod benè nomen Mariæ cum Virginitate componatur, quia ideò fortè hoc nomen Mariæ à S. Lucâ non apponitur Mariæ Magdalenæ, quamdiu peccatrix & luxuriæ peccatis inquinata commemoratur, quo tempore ab Evangelista quasi ob reverentiam Mariani nominis, vel simpliciter Magdalena, vel mulier peccatrix appellatur. Quasi hoc ipso protestarentur Sacri Historici, quod nomen Mariæ stare non possit cum peccato impuritatis. Unde S. Petrus Chrysologus *serm. 146.* Nomen hoc Virginitatis insigne est, pudicitiæ decus, indicium castitatis, ut discant omnes, quæ vel hoc nomine gaudent, vel sub Mariæ patrocinio vivunt puritatem imitari Mariæ. Benè proindè Th. de Kempis. *3. p. serm. 5. ad Novit.* Dum mirandos effectus amoris Mariani expendit, in hæc verba erumpit. Dilectio Sanctæ Mariæ, expellit omnem æstum carnalis concupiscentiæ, & donat refrigerium Castimoniæ. Et hinc fortè communis usus & consuetudo obtinuit, ut nomen Mariæ per solam Majusculam literam M scribatur, quam majusculam si bene consideres, aliud non quam triplex V reperies, quasi diceremus Mariam triplicem esse Virginem, nimirum ante, in, & post partum. Noluit huic Majusculæ Virgineæ subscribere, quidam ex Ordine S. Dominici Theologiæ Doctor, qui cum diu in hoc puncto anceps hæsisset, quomodo nimirum Maria mater Dei & Virgo esse possit, neque se determinare valeret, resolvit se, quod velit B. Ægidium ex familiâ S. Francisci, qui tunc sanctitate pollebat accedere. Dum vero ille ad B. Ægidium progreditur, monetur in spiritu Vir Dei, de scrupulo insignis illius Theologi, atque adeò accepto baculo suo, eidem in portæ limine obviam factus, aliud nihil dixit, quam Frater Prædicator, Maria est Virgo ante Partum, percussâque terrâ lilium candidissimum eduxit. Rursus ut prius terram percutiens dixit: Maria est Virgo in partu; & lilium secundum

Magalena peccatrix non vocatur Maria.

Maria nomen non stat cum peccato.

Mariæ nomen salutare puellis.

M. est triplex V.

Dominicanus natis ex terra liliis docetur credere; Mariam esse Virginem.

dum produxit. Denique cum tertio percussit, & dixit, Maria est Virgo post partum, terra sterilis tertium lilium dedit; nec aliud dixit, sed abivit. Ex quo Theologus ille ex S. Dominici familia scrupulo suo liberatus, Mariæ Virgnitatem deinceps mirè deprædicavit. Unde non miror, quod S. Brigitta *in revel. suis* Mariam salutet his verbis. Virgo Virginissima & fœcundissima. Amedeus verò *Lausan. Episc. hom. 4.* dicat Virgo Virginum per partum. Docet me hoc Theodotus Ancyræ Episcopus qui dicit: Quod sicut Verbum æternaliter procedit ab intellectu Patris, absque eo, quod in Patre immensa sui esse integritas vel minuatur, vel amittatur; ita in tempore DEI filius ex visceribus DEI matris nasci voluit, absque eo quod in Matre Mariæ Virginitas vel minuatur vel deperdatur. Ita ut sicut immaterialitas & recessus ab omni corruptione est quasi dispositio intellectus paterni generantis ab æterno filium, sine læsione paternæ essentiæ; sic intemerata Virginitas Mariæ dispositio fuit obumbrantis Spiritus sancti, ut ex suo purissimo sanguine conciperet, & pareret filium DEI. Quarè sicut in divinis est generatus DEus de DEO, & lumen de lumine, ita de Mariâ Virgine nasceretur homo de homine, & Virgo de Virgine. Agnoscit hoc & confitetur universa Ecclesia, dum dicit: Qui de Virgine nascens Matris integritatem non minuit, sed sacravit. Adeoque quod Maria Virgo sit, habet hoc illa quasi per essentiam, quia est Mater DEI, adeoque illi rectè convenit illud Davidis *ps. 44. v. 16.* Adducentur Regi Virgines post eam, quia aliæ hanc Virginitatis gratiam habent tantum per participationem. Et hinc S. Bonav. *in psalt. min.* Post eam inquit, quia Maria Virgo primitiva est, utique quæ prima opprobrium sterilitatis abstulit, & Orbi Virginitatem fecit pretiosam. Ut meritò dicatur Maria Virgo Virginum, quia prima fuit, quæ designavit vestigia secuturis. Pulchrè observat Clemens Alexandr. quod prisci Gentiles res pulchras & pretiosas ad nomina & dignitatem DEorum elevaverint. Ita verecundiam veluti Deam venerabantur, & Pudorem DEum esse Xenophon in Symposio asseruit, illique Athenis in loco publico aram fuisse positam Pausanias affirmat. Quis non vel ipsâ Gentilitate teste Pudorem & Verecundiam Castitatis individuas pedissequas divinum quid habere videat? Videtur hoc clarè asseruisse S. Hier. *in Ep. 14. quam ad Mauritii Imperatoris filiam scripsit*, dum ait: In originem tuam respice, genus intuere, gloriam nobilitatis adverte,

Maria virgo per partum.

Maria Virgo Virginum.

verte, nec non hominis tantum, sed DEI filium & divinæ nobilitate nativitatis decoratam cogita. Ita te exhibe, ut in te cœlestis nativitas appareat, & tam divina ingenuitas elucescat. Ubi vides quod Virginem appellet DEI filiam; Quid sublimius? divinæ nativitatis nobilitate decoratam, quid altius? Vult ut in eâ divinâ ingenuitas elucescat, quid hac claritate divinâ clarius? Benè proinde dixit ille, qui natales Castimoniæ ab essentia divinæ mentis derivari dixit, dum cecinit: Prima Trias Virgo est. Ut propterea D. Ambr. *l. de Virg.* dixerit Virginitas à cœlo accersivit, quod imitaretur in terris. Hæc nubes, aëra, sidera, angelosque transcendens Verbum DEI in ipso sinu Patris invenit. Invenit inquam Virginitas, ut Verbum, quod in sinu Patris erat Virgo, esset & Virgo in sinu matris Virginis. Hinc Gentiles quod observavit S. Hier. *l. 1. contra Jovinianum*: Minervam quoque & Dianam Deas fecerunt. Verba sunt Hieronymi Minervam quoque & Dianam Virgines Deas error finxit gentilium, & inter duodecim signa cœli, quibus mundum volui putant, Virginem collocarunt. Credo ego existimasse cœlo natas, cœlo dignas, in cœlo quoque reponendas. Intelligo modo cur Virgines præter claritatem, quam à communione cum DEO & Angelis habent, mirabilem etiam claritatem à Christo accipiant. Quia nimirum Christus fuit Virginis filius, imo filius ipsius Virginitatis. Sic enim eum appellat S. Leo *serm. 1. in Epiph.* Diligit castimoniæ puritatem, Christus Virginitatis est filius. Undè S. Cyprianus *l. de bono pudicitiæ* nos monet. Nihil jam carni nos debere, utpotè renatos ex aquâ & pudicitiâ. Ubi vides quod pudicitiam quasi parentem agnoscat in regeneratione hominis, quâ homo obtinet, ut sit DEI imago respondens ad sanctimoniam Christi. Hanc vero Sanctimoniam Domini D. Greg. Nyssenus dicit esse incorruptionem, utpotè qui nec pollui, nec corrumpi, nec violari potest. Hoc nomine dicuntur etiam Virgines esse incorruptæ, & ipsa Virginitas consequenter est incorruptio, per quam divinæ claritati Christi magis assimilantur. Eruditè hanc incorruptionem demonstrat Gulielmus Abbas dicens: Cœteræ mulieres sunt velut arbores, quæ speciosæ prius sunt in floribus, & postea in fructibus, flores enim decidunt, ut fructus nascantur. At Maria pulchra est flore & fructu. Sola florem habet Virginitatis inter Matres, sola fructum fœcunditatis inter Virgines. Deflorantur aliæ, ut fœcundentur, & in eis flos Virginitatis necessariò præmori-

Gentiles Virgines cœlo inserunt.

Christus est filius Virginitatis.

Maria pulchra est flore & fructu.

tur ad fructum fœcunditatis. In sola verò Maria, flos propter fructum non est præmortuus, sed miro modo factus est fructuosus. Gratulentur nunc sibi Virgines, quod Sorores sint Angelorum, & cum Angelicis illis spiritibus, qui carnis & materiæ expertes sunt, de felicitate concertent, cum Virgines etiam in corpore, à corporearum voluptatum illecebris immunes existant. Maria etiam Angelorum Regina est. Licet autem illæ cœlestes mentes ab omni carnis impuritate innoxiæ sint, tamen carent illâ perfectione qua possunt sibi simile producere, atque adeo puritas angelica licet maximè sit pretiosa, non tamen fœcunda est, sed sterilis manet. Maria verò dum in sua Virginitate fœcunda est, non angelicâ tantum, sed divinâ puritate triumphat, quia cum DEO Virginitatem fœcundam participat. Dum enim in Sanctissimâ Trinitate Pater generat Filium, & Pater & Filius per spirationem activam producunt Spiritum sanctum, fœcundi per actus merè spirituales fiunt, nimirum per intellectum & voluntatem, & tamen Virgines perseverant. Ita Maria dum per obumbrationem Spiritus sancti sine adminiculo Viri, generavit DEI Filium, illæsâ Virginitate suâ eundem peperit, & mater, & Virgo simul permansit. Et hinc est quod à Sponso Christo toties tota pulchra, à cœlestibus vero geniis filio suo simillima celebretur. Neque enim Soli aliquid magis simile esse potest, quam aurora, quæ *Cant. 6. v. 9.* Sic ab angelis nominatur. Quæ est ista, quæ progreditur quasi aurora Consurgens. Et quia hoc Angelorum est testimonium, tanto magis in nobis conciliare debet divinam in Virgine Castitatis opinionem, quando iidem hi Cœlestes spiritus, in continuâ cognitione divinæ puritatis constituti, juxta illud Christi Angeli eorum semper vident faciem Patris, qui in cœlis est; magis syncere possunt de Mariæ puritate judicare. Quarè dum eam sic mirantur & prædicant, illam non solum supra homines, sed supra suam etiam extollere debent naturam, adeoque velut divinam, vel certè divinitati proximam debent venerari. Ut non jam mirer dixisse B. Zenonem Episcopum Veronensem *serm. 3. de nativ. Dom.* Requievit lubens in Castitatis domicilio, id est in Mariâ.

Virgines sunt Sorores Angelorum.

Mariæ Virginitas divina, quia fœcunda.

Mariæ Castitas plus quam angelica.

Quâ fronte ergo blasphemi Lutherani audent dicere, Mariam puriorem non esse, quam reliquas fœminas, quæ vel ex carnali concupiscentiâ concipiunt, vel peccatis & libidinibus involutæ, vitam agunt vel vilissimis mulierculis communem. Mariæ genæ á Sponso

Maria omni fœmina possibili purior.

cœ-

cœlesti dicuntur candore niveo ornari sicut turturis. Sicut enim in genis turturis, nullus unquam apparuit rubor verecundiæ, sed niveus candor & candida innocentia, ita nec in corde Mariano aut vultu Virgineo, totoque innocentissimo corpore, apparuit unquam alia actio, unde vel coram DEO, vel coram hominibus eam oportebat verecundari. Et hinc fortè *Cant. 5. v. 12.* dicitur. Oculi ejus sicut Columbæ super rivulos aquarum. Fontium & aquarum potissima laus est, quod sint puri. Quare Aristoteles de aquâ, quæ pura est, dicit; Quod neque colorem, neque odorem, neque saporem habeat. Si quid inquit horum habeat, mixtionem significat. Maria velut fons limpidissimus sic pura fuit, ut nec colorem terræ habuerit quia toto corde ferebatur in DEum, nec odorem mundi habere voluerit, utpote in quà nihil amplius mundani remansit, nec denique saporem humanorum tulit, quæ omnes ad cœli amorem inflammavit. Non enim erat fons de limo mundi, sed sicut dicitur *Sap. 11. v. 4.* Erat de petrâ vivacissimâ quæ Christus est, ex cujus Sanctissimo pectore, quando illud manavit sanguine & aquâ, sic est depurata, ut quidquid humanum esset exuerit, divinam plane conditionem assumens. Timeant ergo hi Marianæ puritatis corruptores, timeant inquam crudelem vindictam de quâ Nicephorus *l. 8. hist. Eccles. c. 33.* ubi refert lurcones quosdam ebrios, cum diem totum potando traduxissent, scurrilitates blasphemas in B. Virginem deindè eructaverunt, & dum Mariam aliis fœminis parem calumniis jactarent turpissimis, vivos ab dehiscente terrâ absorptos esse. Caupo qui hanc petulantiam dissimulavit, impunis tunc quidem mansit, post paucos tamen dies, ipsi dormienti astare visa est Maria, eum graviter objurgans, quod illa in se jacta convicia dissimulasset. Sed quia culpam suam agnovit, & salutis saltem si non vitæ veniam deprecatus est, misericordissima Virgo, confessionis quidem & pœnitentiæ tempus indulsit, sed Virgâ quam manu gestabat genuà & crura percussit, quæ deinde à somno excitatus Caupo abscissa invenit. Quarè peccata sua confessus, & Sacramentis rite munitus, vitam cum spe optimâ Salutis finivit. De Columbis refert Plinius, quod illæ maximæ sint pudicitiæ. Quid purius Maria? quæ Virginalem, Conjugalem & Vidualem pudicitiam sic coluit, ut orbi universo imò & angelis sit admiranda. De illâ merito dicitur *Eccles. 21. v. 25.* In me gratia omnis viæ. Quæ obsecro alia via est fœminæ in terris, ni-

Maria non est sicut cœteræ fœminæ.

Aquæ laus à puritate.

Maria fons limpidissimus.

Blasphemi qui Mariam aliis fœminis parem dixerunt vivi absorbentur.

Blasphemia in B. V. non dissimulanda.

Columbæ pudicæ.

si per tres dictos status. In hoc à Mariæ gratia distat humana conditio quod miseri homines, propter peccata nostra plurimum miseriarum admixtum habeamus, dum Maria ab omni culpâ immunis, gratiam omnis viæ habet, neque ulli miseriæ fuit subjecta. An non enim in Virginitate gratia est Incorruptio, sed malum illi adhæret sterilitas, antiquæ legis opprobrium, jactura secuturæ posteritatis. Est in Conjugio gratia fœcunditas, sed quantum malum est maledictio Evæ, in partu nimirum dolor, in educandâ prole solicitudo & molestia. Viduitas superest, quam etsi à Vinculo soluta libertas commendet, tamen nimium quantum manifesta & nota omnibus Viduarum oppressio, comitatur. Ut nesciam an bonum, quod in his statibus reperitur, non excedatur plurimum à malis, quæ patimur. Maria gratiam omnis viæ complectitur, omnique malo caret, quo humana nostra premitur fragilitas. Est enim Virgo sed simul fœcunda, adeo enim in immaculata Virginitate suâ Virgo mater triumphat, ut sterilitatis omne evitet opprobrium, utpotè quæ filium habet, cujus regni non erit finis. Maria est Mater, sed simul sine corruptione Virgo, neque maledictioni subjecta, quia sine omni dolore peperit. Est etiam Vidua, sed sine omni persecutionis formidine secura, quia ex Cruce à Filio Joanni est recommendata, quam etiam dilectus Christi Discipulus accepit in sua. Quare tibi soli ô Maria competit illud Elisabethæ, benedicta tu in mulieribus, quia benedictionem omnem, quam DEus ulli potuit dare fœminæ, in Maria abundantissimè cumulavit. Merito ergo de Virgine Matre dixit S. Aug. *serm. de nativ.* Fas non erat, ut per ejus adventum violaretur integritas, qui venerat sanare corrupta. De Jordane fluvio habemus, quod illum contactu suo sanctificaverit Christus, quando à Joanne baptizandus eundem ingressus est. Quanto hoc sublimius, & longè magis actum est in Mariâ, in cujus utero Christus requievit novem mensibus, & deindè per totam infantiam materno fovebatur in sinu. Quarè teste S. Anselmo tantam accepit Sanctificationis plenitudinem, quanta cogitari non potest, vel ab humano intellectu concipi. Et hæc sanctitas teste S. Anselmo consistit in eo, quod DEus ab ipsâ removerit omne id, quod poterat esse inclinativum ad peccatum, vel ad motum carnalem. Quæ tanta fuit, ut se extendisset etiam ad alios. Sic enim testatur P. Canisius *l. 2. c. 13.* dicens; ex illo venerando vultu & corpore, divinum aliquem & Virgineum prodiisse

Tres status fœminarum miseria non carent.

Maria Virgo Conjux, & Vidua semper felicissima.

Maria sola benedicta in mulieribus.

Jordanem sanctificavit Christus cur non Mariam?

Mariæ Sanctitas removit omne quod poterat inclinare ad peccatum.

prodiisse rorem, qui ad impuritatem omnem libidinemque restinguendam inspectantibus conferret. Unde benè *Eccles. 24. v. 17.* Cedro comparatur. Quasi Cedrus exaltata sum in Libano. Quia sicut Cedrus suo odore & fragrantiâ interficit serpentes, ita castissima puritas Mariæ, in aliis libidinosos carnis motus, penitus extinxit & interemit. Ut teste Josepho Hebræo historico tunc temporis Judæi dixerint, quod licet Maria pulcherrima fuerit, à nullo tamen potuerit concupisci, à nemine libidinoso oculo contemplatione longiore affectari, quia Virginalis castitas illius omnem motum carnalem, in quovis homine extinguebat. Hanc ego purissimæ & intaminatæ Mariæ integritatem colligo ex verbis illis *Num. 24. v. 17.* Orietur stella ex Jacob. Stella ex naturâ suâ ignea est, ut docent Philosophi, adeoque ab homine tangi non potest. Maria Virgo inviolata ignea plane fuit à charitate divinâ, & ideo omni prorsus tactu illicito intangibilis, custodiente illam speciali providentiâ DEO; juxta illud *Zach. 2. v. 5.* Et ego ero ait Dominus, ei murus ignis in circuitu. Quod DEus ita præstitit, ut usque hodie nemo libidinosus cubiculum illud ingredi valeat, ubi Sanctissima Virgo à Sancta Anna matre suâ fuit concepta. Quisquis enim Veneri deditus ingreditur, repentina ibi morte suffocatur. Non malè proindè Sancti Patres inviolatam hanc Matris integritatem comparant cum prima orbis fundatione quando *Gen. 1. v. 2.* Spiritus Domini ferebatur super aquas; quas Spiritus Sanctus suâ incubatione sic fœcundavit, ut aquæ pisces & volucres copiosè producerent & germinarent. Quid enim aquæ illæ, aliud significabant quam Mariam? Quia sicut illæ à congregatione aquarum dictæ sunt Maria, ita ex confluentiâ omnium gratiarum naturalium æque ac cœlestium dicta est Maria. Quam dum teste Angelo obumbravit Spiritus sanctus, illam non minus fœcundavit, quam olim aquas fœcundas fecit DEus, in primâ orbis molitione. Audite S. Amadeum Episcopum Lausanensem *hom. 3. de Laud. Virg. in illa verba: Spiritus Sanctus superveniet in te.* Superveniet inquit in effusione carnis & animæ, cumque repleverit te, erit adhuc super te, & super aquas tuas feretur facturus in te, quid melius & mirabilius, quam cum ferebatur super aquas in principio orbis conditi. Non miror ego jam solicitam Christi curam, qui ut omnem suspicionem ab innocentiâ Virginis averteret, maluit filius hominis censeri, cum tamen esset verè Filius DEI. Hinc B. Virginem

Maria Cedrus in aliis libidinem extinxit.

Cubiculum concepta Virginis nulli libidinoso patet.

Maria gratiarum omnium mare.

ginem Mariam excusat S. Ambros. excusat inquam B. Virginem ab illatâ injuriâ æterno Patri, quam illi poterat censeri intulisse, quando Josephum, qui aliud non erat, quam Nutritius Christi, dixit esse Patrem. Et sic Filium DEI Patris, fecit filium hominis nempe S. Joseph. Excusat autem per hoc quod B. Virgo tunc, non fuerit locuta sic, prout illa sensit, & sicut è parte rei erat, sed sicut divinam Veritatem tunc velle novit. Quæ sicut in mundo latere voluit, ita etiam divinam generationem suam, non voluit tunc hominibus publicari. Pulchrè planè in rem meam concludit: Maluit Dominus aliquos magis de ortu suo, quam de Matris pudore dubitare, nec putavit ortui suo fidem matris injuriis adstruendam. Cum enim Maria semper inviolata permanserit, & mysterium tantum penetrare non possent Judæi, maluit Christus, ut ipse ex Conjugio natus crederetur, qui tamen DEI Filius, ab æterno sine Matre, & deindè in tempore à Matre Virgine sine Patre fuit generatus. Est etiam hoc Virginalis pudicitiæ pulcherrimum ingenium, ut malit turpis videri quam esse. Romilda Forojuliensis Domina, mortuo marito Duce, cum relictarum quatuor castissimarum filiarum curam habere debuisset, turpissimè in Hunnorum Regem exarsit, cujus ut potiretur amoribus, totum Ducatum & Urbem ipsam Hunnis prodidit. Quæ tamen infelicissima unius noctis miserandam libidinem, post plurima militum ludibria in tristi palo terminavit. Hunnorum libidini relictæ castissimæ filiæ, ut castitatem in tanto periculo conservarent quod testatur P. Pexenfelder *p. 2. hist. 68.* crudas pullorum carnes sub telâ ad id disposita uberibus subdiderunt, quæ ubi à corporis naturali calore incaluerunt, putridum fœtorem impudentibus naribus objecerunt, quo quisquis illas accessit, aut tetigit, proprium illarum corpus ita putrescere credidit, atque sic ab omni inhonestiore tactu abstinuerunt, ut vulgo dictum fuerit Longobardorum puellas neque puram habere animam. Sic Clara formosa puella Ursam induit, ne lupa fieret, sed agnus imo Angelus castissimus remaneret. Hæc Virgo re & nomine Clara, cum à variis in urbe ad nuptias ineundas sollicitaretur, ut tutior esset, rus petiit, neque tamen hic quieta constitit, quia Dominus loci, illam ad nuptias cogere voluit. Inclusa ergo fuit Carceri cum robusto juvene, qui mandatum habuit, ut eam vi opprimeret. Illa vero se in carceris angulum recepit, & fronti ori ac pectori crucem imprimens, juvenem monuit, ne ad se accedat, futu-

Pudicitiam servant in sinu fœtentes carnes.

Puella casta ne lupa fieret, Ursam induit.

futurum certo, ut moriatur. Et ecce subito puella in Ursam verti & Unguibus horridè minari visa est. Quo viso juvenis desperatè planè clamare auditus est. Heu me! mihi non Conjugem, sed Ursam dedistis. Aperitur ergo Carcer & juvenis semianimis erumpit. Reliqui tamen dum curiosius carceris angulum observant, non Ursum sed Virginem intactam viderunt. An non has Virgines cum Mariâ, sub protectione Spiritus sancti fuisse dicemus? qui sicut est seminator casti consilii, ita Virginum specialis est Tutor & Custos, quas velut Sponsas, Christo cœlesti Sponso tradit, & loco Velaminis Virginalis, cœlestium gratiarum copiâ obumbrat; non secus ac in Mariâ Virginum primiceria fecit, cui Velaminis loco fuit, teste Archangelo Gabriele, qui à Patre æterno cum assecuratione illæsæ Virginitatis missus fuit; Quia Virtus Altissimi obumbrabit tibi. *Spiritus sanctus est singularis Virginum Custos.*



DISCURSUS XX.

Christus natus est ex MARIA Virgine Immaculatâ.

LOngo tempore magna in Ecclesia fuit quæstio, quid die Octava Decembris celebret sancta mater Ecclesia, cum alii dicerent Sanctificationis Mariæ, alii vero Conceptionis ejusdem festum vellent celebrari. Quod licet temporibus nostris Apostolica sedes ad instantiam Ecclesiæ in Hispania declaraverit, tamen jam multis abhinc annis prius Gulielmus Pepinus Theologus & Prædicator eximius, ex S. Dominici familia *l. de imit. SS. ferm. de Concept. B. V.* hoc docuit dicens: Duas tantum Conceptiones colit Ecclesia, videlicet Christi vigesima quinta Martii in festo Annunciationis, & die Octava Decembris conceptionem ejusdem Deiparæ dignissimæ. Cujus ratio est, quia tantum hi duo concepti sunt Sancti, absque labe originalis peccati. Differunt tamen hæ duæ Conceptiones, quia prior facta est sine Virili semine, secunda vero facta est ex Viro & muliere, scilicet ex Joachim & Anna. In hoc autem conveniunt, quod utraque fuit Sancta, & similiter de utraque festum *Duas Conceptiones celebrat Ecclesia.*

festum colit Ecclesia. Maria inquit, nunquam subjacuit peccato, sed semper fuit plena gratia, etiam ab instanti Conceptionis suæ. Quod ipsum Sixtus IV. *in secundâ Extravag. Grave nimis &c.* confirmat his verbis: Cum sancta Romana Ecclesia, de intemeratæ sanctæque Virginis Conceptione publicè festum celebret solenniter, & speciale super hoc officium ac proprium ordinaverit &c. In hoc verò Officio in Versiculo ad primas Vesperas expresse ponitur: Immaculata Conceptio est hodie sanctæ Mariæ Virginis. Deindè in Oratione seu Collectâ unâ habetur sic: DEus qui per immaculatam Virginis Conceptionem. Deindè in altera parte Collectæ sic legitur: Quæsumus, ut sicut eam ab omni labe præservasti &c. Taceo, quod Nirenbergius asserat se vidisse libellum, cui titulus Horæ B. V. Mariæ, ad usum F.F. Prædicatorum S. Dominici typis, datum, anno 1529. ubi tam perspicuè in Collectâ & hymno ad Sextam & Nonam præservata dicitur, ut clarius vix aliquid viderit quidpiam. Et verò DEus ipse videtur sibi in hoc Ecclesiæ Romanæ consensu complacuisse, quando insolito miraculo adventum diplomatis Pontificij confirmavit. Madriti enim eo ipso die, quo Cursor Regius diploma Pontificium Sixti IV. Papæ attulit, accidit; ut lampas nocturnis horis coram imagine immaculatæ Virginis in medio foro accendi solita, clarâ die eo ipso momento, quo Cursor Urbi pedem intulit, cunctis spectantibus & admirantibus, spontè ardere cœperit, & cum exiguo quod à præteritâ nocte supererat oleo flamma perduraverit, ipsâ quæ supposita erat aquâ ignis fomentum suppeditante. Ad quod omnium corda præ gaudio exiliverunt, maximè, quando ille Cursor tulit, Immaculatam Virginis Conceptionem à neminè debere impugnari, sed & calamis & linguis deprædicari, & sacro ac Officio divino celebrari ab omnibus posse. Quod ego Romanos Pontifices ordinasse non miror, quando vel ipsi Cœlites, hujus festivitatis solennitatem demandarunt. Narrat Dionysius Carthusianus de quodam Elisino Abbate Rhemensi navigante in mari, quod cum navis in manifesto versaretur naufragii periculo, apparuerit illi in nubibus Venerabilis Vir in Pontificali habitu, qui Abbatem his verbis allocutus est. Vis periculum istud evadere? Scias me à Genitrice DEI Mariâ missum, & si dictis meis obtemperare volueris, periculum istud evades. Promisit Abbas; & tunc Abbatem sic allocutus est S. Nicolaus: Diem Conceptionis Virginis gloriosæ, solenniter, sexto

Officium Immac. Concept.

Lampas sine oleo ardet quando cursor diploma Madritum tulit.

S. Nicolaus Elisino præcipit celebrare festum immac. Concept.

ſexto Idus Decembris fac celebrari, & celebrandum prædicari. Quibus dictis disparuit, & mox omnis in mari tempeſtas ceſſavit. S. vero Vincentius Ferrerius ex S. Dominici familiâ, ab ipſis Angelis feſtum hoc celebrari aſſerit in cœlo. Sic enim *ſerm. 1. in Nativ. B. V.* inquit: Non credatis, quia fuerit ſicut in nobis, qui in peccatis concipimur, ſed ſtatim ac anima ejus creata fuit, fuit ſanctificata, & ſtatim Angeli fecerunt in cœlo feſtum Conceptionis. Ut verò nemo ſibi perſuadeat fuiſſe mentem S. Vincentii dicere, quod pro priori inſtanti rationis fuerit in peccato Originali concepta, ſed pro poſteriori inſtanti rationis fuerit ſanctificata, ſciendum eſt, quod partes ſummæ Theologicæ S. Thomæ, quibus utebatur S. Vincentius ſerventur uſque hodie, ubi nonnullas annotationes & gloſſas manu propriâ adjecit, in iiſque *in 1. p. q. 27. art. 2. ad 3.* ejuſdem S. Vincentii manu, de B. Virgine hæc verba ſcripta leguntur. Fuit immunis à peccato Originali.

S. Vincentius Ferrerius dicit ab Angelis celebrari in cœlo.

Et meritò planè celebratur hoc feſtum Conceptionis in Eccleſiâ, cum ab hoc omnium aliarum feſtivitatum exoriatur devotio. Pulchrè enim Angelus de Pace obſervat verba illa *Prov. 8. v. 34.* Beatus homo qui vigilat ad fores meas quotidie, & obſervat ad poſtes oſtij mei. Ubi 70. legunt Beati qui ſervant limina introituum meorum. Triplex autem eſt introitus B. Virginis, nimirum in uterum S. Matris Annæ per Conceptionem, in mundum per nativitatem, in cœlum per Aſſumptionem. Ubi ergo introitum Mariæ in uterum ſanctiſſimæ Matris ſuæ conſiderat dicit: Quæ autem feſtivitas huic immaculatæ conceptioni præponenda eſt, ex qua, & per quam omnium aliarum feſtivitatum eſt exorta devotio. Nativitas Mariæ carebit ſuo ſplendore, ſi maculata ſit Conceptio. Fabula de Ægeo Theſei patre habet, quod confecto Minotauro ex Cretâ redux, juſſus fuerit alba vela protendere, cum autem nigra protendiſſet, pater his viſis in mare præcipitem ſe dedit. Ingemiſceret certè orbis, ſi Matrem DEI atrato vexillo aliquando involutam vidiſſet. Henricus Quartus devictâ Urbe Pariſienſi eaque occupata, ubi Duces & milites ex Urbe dimiſit, omnes coëgit complicatis vellis excedere. Unus ex Ducibus cœteris animoſior, eloquentiâ ſuâ tantum valuit, ut à Rege obtineret, quod explicato vexillo ordine militari poſſet egredi. Orbis univerſus totumque genus humanum à peccato ſubactum erat, egreſſi ex nihilo vilitatis noſtræ, in plicatis atris vexillis captivitatis

Immaculata Conceptio feſtivitatum marianarum origo.

Maria Vexillifera contra Dæmonem & peccatum.

nostræ, originalis peccati reatum traximus. Una Maria divinâ armata gratiâ, candidissimum vexillū innocentiæ explicuit. Hinc *Pro v.8. v. 23.* exultabunda inclamat: Ab æterno ordinata sum. Legit Hebræus Principatum habui in Vexilliferam operum tuorum. Decebat nimirum, ut candidis velis tumeret navis illa institoris cœlestis, de longè portans panem. Quid Præsentatio solenne haberet, si munus illud prius à serpente infernali arrosum fuisset, & primitias diabolus habuisset. Os Leonis quod semel attigit, insipidum reddit. Quod semel infernalis Leonis ore contactum est, Deo non potest singulariter esse pretiosum. Quâ fronte dicet Angelus in annunciatione suâ Ave, si aliquando fuisset subjecta miserando Væ? & quomodo salutari posset plena gratia, quæ aliquando fuisset in disgratia. Audite S. Fulgentium *de Laud. Virg.* Cum dixit Angelus Ave ostendit ex integro iram exclusam primæ sententiæ, & plenam benedictionis gratiam substitutam. S. Bernardus verò hoc Ave faustissimum nuncium asserit. Cum dixit Angelus Ave, protulit Verbum Redemptionis, Verbum misericordiæ, Verbum salutis. Cum dixit Angelus Ave faustissimum Auroræ affert nuncium, adesse Solem justitiæ, ut instar pulcherrimi sponsi Virginalis uteri ingrediatur thalamum, & humanæ naturæ desponsetur. Responde ergo animat Mariam S. August. *serm. 17. de Nativ.* Eia age responde, assensum tuum Angelus præstolatur. S. Bernardus exclamat. Responde Verbum, quod terra, quod inferi expectant & superi. Ipse quoque Rex & Dominus omnium, quantum concupivit decorem tuum, tantum desiderat & responsionis assensum. Cui placuisti in silentio, jam magis placebis ex Verbo. Responde itaque Verbum, & suscipe Verbum. Profer tuum, & accipe divinum. Emitte transitorium & amplectere æternum. Aperi Virgo beata cor fidei, labia confessioni, Viscera Creatori. Quarè ubi B. Virgo sibi sensit divinitus cor liquefieri, & voluntatem divinam agnovit, fixis humi genibus, & oculis in cœlum sublatis dixit: Ecce ancilla Domini fiat mihi secundum Verbum tuum. Certè si quod bene observat S. Greg. Thaumat. *serm. 3. de annunc.* ad Virginem immaculatam missus est Angelus incorporeus & omnis labis expers; quis ambigat etiam Mariam omnis labis expertem. Quomodo Elisabeth in Visitatione benedictam dicat, inter mulieres? si communi maledicto fuit subjecta. Eleganter omnino Salazar *de Concept. B. V.* Quomodo ad sanctificandum in utero Joannem veniret

Maria si maculata fuisset non fuisset gratiosa.

Ave Mariæ omni Væ caret.

Angelus ad Mariam missus est omnis labis expers, ergo & Maria.

ret illa, quam in utero matris vitiandam culpa præcucurrit? Dicunt Astrologi, quod si in nativitate alicujus hominis, occurrat propitius planeta, & domus favorabilis, in quâ Planeta hospitetur, magnæ felicitatis id esse præsagium. Cum S. Maria DEO prægnans accessit ad Joannem, Planeta regnans erat Sol justitiæ, & domus favorabilis quam inhabitabat, erat Maria, in cujus castissimo utero divinus Sol hospitabatur. Et statim primus effectus fuit Originalis maculæ emundatio. Sicut enim legimus in libris Regum, David Cytharam suam pulsans, malignum spiritum expulit à Rege Saul, ita verus David Christus insonante Marianæ salutationis cytharâ, ad sonum illius peccatum Originale à S. Joanne Baptistâ penitus relegavit. Quod licet primario personam Christi respicere videatur, tamen etiam ad Mariam Joanne Baptistâ longè majorem referri potest. Philostratus in Iconibus refert statuam Memnonis adolescentis impuberis imaginem referre, constructam esse ex nigro lapide, cumque primum Solis radius ad os illius pertingit, locutam memorant, hilaresque oculos ad Solem convertisse. Quidni hoc longè sublimius actum sit, ubi aurora Lucis perpetuæ Maria benignissimo radio suo Joannem collustravit? os infantis fecit esse disertum. Gratiosè planè S. Cyrillus, Salutatio S. Mariæ Virginis adhuc secum ferentis JEsum in utero, vocavit Joannem ad Prophetiam. Denique si sub primum congressum & Virginis affatum tantus gratiarum cumulus Joanni accessit, quantum assecutus fuerit toto trimestri, quo illi præsens fuit Maria. Benè omnino S. Ambr. *in c. 1. Luc.* Nam si primo ingressu tantus profectus extitit, ut ad salutationem Mariæ exultaret infans in utero, repleretur Spiritu sancto Mater infantis, quantum putamus tanti temporis usu, S. Mariæ attulisse præsentiam? Quarè S. Bern. *serm. de privil. S. Joannis Baptistæ*: Morata est inquit Maria, donec puerum beatissimo confoveret sinu, & propinquiorem redderet præsentiæ Creatoris. Ulterius progreditur. B. Petrus Dam. *serm. de S. Joanne Bapt.* Ipsa DEI Genitrix puerum Joannem prima de terrâ levavit. Quod pariter S. Bonav. *l. 5. Vitæ Christi* confirmat, dicendo. Peperit Elisabeth filium, quem Domina levavit à terrâ, & diligenter aptavit, & parvulus illam quasi intelligens aspiciebat, ac tandem concludit. Considera magnificentiam Joannis, nullus unquam talem gerulam habuit. Intelligo jam illud *Matth. 11. v. 11.* Inter natos mulierum non surrexit major Joanne Baptista. Ex

Visitatio Mariæ S. Joanni salutaris.

Statua Memnonis.

Maria gerula S. Joan. Baptistæ.

quibus verbis deduci non potest, Joannem esse majorem ipso Christo, quia hic non de muliere, sed Virgine natus est. Assentitur mihi S. Hier. *in Matth.* dicens: hic igitur præfertur hominibus, qui de muliere nati sunt, ex concubitu Viri, & non ei, qui natus est de Virgine & Spiritu sancto. Confirmat hoc Christianus Dietmarus *in c. 8. Matth.* Non est putandum Domino JEsu Christo esse comparatum, quia Dominus noster non de muliere, sed de Virgine natus est. Modo ergo difficultas superest quomodo etiam B. Virginem Mariam salvemus; Ipsa enim virtute humanâ, de muliere nata est, non secus ac Joannes. Dicere Joannem esse Mariâ DEI Matre majorem, est niti contra torrentem benè moratæ Theologiæ, est injuriari Genitricis DEI maternitati. Quomodo ergo sine injuria Mariæ, verba Christi intelligemus? Attendamus rogo verba, & Mariam salvam videbimus. Non enim dixit Christus non est natus, sed non surrexit. Surgere autem, supponit casum & lapsum. Pulchrè sane Galatinus *l. 7. de architect. fidei c. 5. super hæc verba*: Hoc inquit dici non potest, nisi de eo, qui prius cecidit, ac postea surgit, ac si diceret: Inter eos, qui in peccato originali concepti sunt, non surrexit major Joanne Baptista. Maria teste B. Petro Damiano & Bonaventura Joannem de terrâ levavit, ergo stetit. Adeoque cum Beatissima Virgo ipso Joanne major sit, ipsam in peccato Originali nunquam cecidisse, consequens est. Quomodo enim ad levandum à casu venisset illa, quæ ipsa in terram lapsa, sub onere peccati Originalis ingemuisset. Purificationem ex Mariæ humilitate Mariæ veneramur, sed quid miremur humilem, si illam peccati macula vitiasset, Demum omnium festorum complementum est Assumptio in cœlum. Atqui Reginam cœli tanto solio dignam non venerabuntur Angeli, si eam aliquando fuisse solium dæmonis cognoscant. Neque nos peccatores illam haberemus fiduciam, si aliquando labe peccati infecta fuisset. Non male dicitur Maria Civitas refugii, de his in sacra scripturâ nempè in Exodo dicitur, quod fugientibus in assylum & refugium fuerint. Oleaster *in c. 25. Numer.* Viæ inquit ad eas, quæ ducebant, complanatæ erant, ut nullum esset offendiculum aut obstaculum fugientibus reis. Qui ponit in Maria maculam, offendiculum ponit cum peccator merito timere posset, quomodo me illa divinæ gratiæ reconciliabit, quæ aliquando fuit sine gratia. Quare hoc nobis solatio esse debet, quod talem habeamus

Joannes Baptista non est major Christo vel Maria.

Maria levavit Joannem, ergo stetit.

Si Maria maculata fuisset non esset illa fiducia.

Civitates refugii sine omni impedimento.

beamus Mediatricem apud Christum, qualem mediatorem apud DEum Patrem describit Paulus *ad Hebr. 7. v. 26.* Sanctum, innocentem, impollutum, segregatum à peccatoribus, qui non habet necessitatem prius pro delictis suis exorare.

Maria Mediatrix pura apud Christum sicut Christus est apud Patrem.

Credo ego non sine speciali instinctu Spiritus sancti factum esse, ut Ecclesia in festo Conceptionis utatur ipso initio Evangelij S. Matthæi. Quid enim est Evangelium aliud quam bonum & felix nuncium. Sic namque S. Chrysostomus *hom. 1. in Matth.* Matthæus non abs re scriptionem suam Evangelicam Evangelium vocavit, continet enim pœnarum sublationem, veniam peccatorum, sanctificationem atque Justitiam, redemptionem atque adoptionem filiorum, & cœlorum hæreditatem, cum DEO fraternitatem omnibus probis & improbis, ac in tenebris etiam sedentibus bonum nuncium. Subdit paulo post. Numquid posset aliquid his tam bonis nunciis æquale esse, nempe DEus in terris ? homo in cœlo ? & tunc hujus tam felicis nuncii seu Evangelii factum est initium, quando in utero sanctæ Annæ concepta est Maria. Quis non merito lætetur, & exultet ? Olim boni nuncii dies fuit illa, quando per Estherem populo Salus parta est: Pendebat jam mortis edictum, per Urbes, cum ecce mutata est scenæ facies, & Vitæ rursus nova lux oborta est. *Esther. 8. v. 26.* Judæis autem nova lux oriri visa est, gaudium, honor & tripudium. Stabat mundus totus capitis reus, cum ecce membrana nitida paratur, aptantur tabulæ, ordinatur liber, ut inscribatur Verbum DEI, eritque verum dicere; Verbum caro factum est *Joan. 1. v. 14.* Et ecce jam tum incepit scribi chirographum nostræ salutis. Quod miratus B. Ephrem exclamat, salve Charta divinissima. S. vero Epiphanius in illud *Isa. 8. v. 1.* Sume tibi librum grandem Mariæ applicans, dicit, Vere grandis hic liber, in quo tria ista Verba reperiuntur. Verbum caro factum est. Legit in his verbis Theodotus Ancyranus duplicem Christi generationem primam ab æterno ex Patre sine Matre, quam confert cum Verbo mentis, quod per intellectum solum est in cogitatione; alteram in tempore ex Matre sine Patre, quam confert cum Verbo quod in charta scribitur. Ex quo inferre licet Virgo Maria liber est, cui Pater æternus Verbum suum inscripsit, quem librum in Annæ utero ipse formavit; ergo necesse est mundissima sit charta illa, cui tantum Verbum, inscripsit manu sua Spiritus sanctus. Claudianus *Poeta l. 3.* fingit Dianam mul-

Evangelium est bonum nuncium.

Maria grandis liber cui inscriptum, Verbum caro factum est.

Maria est liber purissimus. tos Elephantum dentes operosè in tabulas vel laminas duxisse, in quibus aureis literis inscripsit nomen Consulis. Si nomen Consulis in candido scribi debuit ebore, in niveo planè vel liliato ebore scribatur Verbum divinum. Ut proindè bene de hoc verbi Divini libro dixerit S. Thomas de Villa nova. Hæc scriptura, in quà charta & papyro scripta est? utique in pergamenâ niveâ, Virgineâ, purissimâ sine omni nævo & nota peccati. Nunc enim vero intelligo illud sponsi divini. Tota pulchra es, & macula non est in te. Quia nimirum liber es generationis JEsu Christi. Quis enim melioris indolis homo immundæ chartæ aut pergamenæ inscribat quidquam. Et nos credamus Spiritum sanctum Mariæ peccati labe maculatæ inscripsisse verbum divinum? Hunc librum profectò non stylo hominis, sed Spiritus sancti scriptum agnovit S. Antoninus, quem proindè hujus libri authorem veneratur. Celebravit olim antiquitas scribam illum qui totam Homeri iliadem nuci inclusit; Mariæ utero Spiritus sanctus inscripsit DEum incomprehensibilem. Miratur enim verò seipsam Maria adeoque exclamat: Quomodo fiet istud: Sed non est, quod mireris ô Virgo; Scriba qui Virgineo utero tuo inscripturus est Verbum infinitum, ab ipso Angelo Spiritus sanctus nominatur. Scribit is, quemadmodum cum S. Paulo loquitur S. Bern. Verbum abbreviatum, dicente Evangelista, Spiritus sanctus superveniet in te. Nec timendum nobis est, quia Verbum abbreviatum non legemus. Legit S. Athanasius in suo symbolo secundum omnia puncta, dum dicit: Quia Dominus noster JEsus Christus DEI Filius, DEus est & homo. Jam verò si quemadmodum testatur Oleaster *in c. 13. Exodi.* Rabinis consuetum fuit, quod certa scripturæ Verba maximè vero ipsum nomen Jehova libro inscripturi, alia charta usi non sint nisi pelle ex pecore sine omni maculâ. Profectò Spiritus sanctus inscripturus Verbum divinum, utero Mariano usus est, quia nulla fuit unquam purior Creatura. Unde benè Novarinus *in Umbrâ suâ Virginea Excurs. 16. n. 195.* Tantam inquit puritatem requirebant Judæi in membranâ, in quâ DEI verba scribenda essent, quanto magis in Maria. Ut proindè bene S. Joan. Damasc. *orat. 2. de Assumpt.* dicat; Verè purissimus liber, in quo inennarrabili modo DEus Verbum suum inscripsit. Mirabilem scribam DEum miratur psalmographus, qui dicit, quod cœlo veluti libro terso stellas inscripsit. *ps. 103. v. 3.* Extendens cœlum sicut pellem,

Spiritus sanctus est author libri generationis Christi, ergo est mundissimus.

In Maria libro legibile est verbum abbreviatum.

lem, cum tamen cœli juxta Jobi opinionem, quasi ærè fusi sint. Ut proindè Ramirez *orat. 2. de Cruce* dicat, quod Cœli sint plana, & æquabilis ad scriptionem charta, exarata literis aureis. An non credimus Mariam omni cœlo puriorem? cui non stellas, sed ipsum Verbum divinum inscripsit DEus. Meritò proindè S. Joan. Damasc. Mariam vocat librum novum quia sine maculâ. Eduntur & typo mandantur libri plurimi, sed sæpe pleni erroribus: Quales nos sumus omnes teste Davide: Ecce in iniquitatibus conceptus sum; Non sic Maria, in qua litura nulla, & macula non est in te. Quare non frustra Hugo Cardinalis Mariam librum vitæ nominat; Ex illo *Exodi 32. v. 32.* Dimitte eis hanc noxam, aut dele me de libro Vitæ. S. Aug. *quæst. 147. in hunc locum* securus inquit dixit hoc, sciens quod DEus nihil deleret de libro suo, & populo potius peccatum remitteret. Non patitur lituram liber Vitæ. Credamus nunc in Mariâ lituram tam infamem, ut turpissimo nomini dæmonis, substituatur nomen Verbi divini. Egregiè plane *Proclus de nativ. Christi.* O venter in quo communis libertatis syngrapha confecta est. At verò vim nullam obtinuisset hæc syngrapha, si Pater æternus in eâ reperisset lituras aut characteres alienos. Dicamus ergo cum S. Ephrem: Ave charta divinissima; Ave liber sine omni macula purissime, quia liber es generationis JEsu Christi. Non timete errorem, liber hic ab omni errore est immunis. Maria stella est, quod explicat Jacobus de Voragine ArchiEp. Genuensis: Dicitur stella, quia nullus in ea fuit error. Non dicitur Planeta, quia Planetæ dicuntur errantes. Stellæ autem fixæ sunt, quæ non nisi à DEO moventur. Simili modo loquendi utitur Cartagena. Non incongruè puto mysticè significari B. Virginem, librum omnis peccati adeo expertem, ut nec in prima ejus impressione, ullus unquam irrepserit error. Profecto non tam audaciam dicam, quam fiduciam venerabor illius, qui hoc posuit Enthymema: Maria liber est generationis JEsu Christi, ergo impossibile fuit ob gratiam specialem maternitatis, illam ullo instanti temporis, contraxisse peccatum Originale.

Maria liber sine omni litura.

Theologi dum de immaculatæ Virginis Conceptione agunt, totum hoc privilegium refundunt in maternitatem DEI Genitricis, & ideo dicunt immaculatam fuisse, quia à DEO electa fuit, ut esset mater DEI. Ita enim Fulbertus Episcopus: Ave Maria quæ immaculata semper extitisti, ab exordio tuæ Conceptionis, quia pa-

Maria est immaculata, quia erat futura mater Christi.

ritura

ritura eras Creatorem totius Sanctitatis. Majori cum gravitate verborum loquitur S. Aug. *serm. 20.* Maria mater electa est, ut de mundissimâ matre, mundissimus nasceretur filius, & ita ab omnibus gratiis fuit fœcundata, & omni sanctitate repleta, ut sicut in cœlo filius habet Patrem immortalem & æternum; sic & in terrâ haberet Matrem, omni corruptione carentem. Addo S. Hier. pariter Ecclesiæ Doctorem. Nullum inquit is, dubium est de Matre Domini, quia talis debuerit esse, quæ de peccato redargui non posset, cum hoc ad improperium filii sui fuisset. Ex quo Theologi inferunt: Debuisse Matrem DEI esse absque omni labe, quia erat futura mater ipsius Sanctitatis. Jam verò cum S. Th. *in 1. distinct. 44. q. 1.* doceat, quod puritas & Sanctitas intendatur per recessum à Contrario, fatetur autem deindè quod B. Virgo potius elegisset esse in inferno, quam offensam DEI incurrere per peccatum, qua sic recessit vel maximè à peccato, & Christo ipsi Sanctitati increatæ fuit similior. Pergit ulterius; Et ideo potest aliquid creatum inveniri, quo nihil purius esse potest in rebus creatis, si nulla contagione peccati inquinatum sit. Talis fuit inquit ipse S. Th. Adam & Eva in statu innocentiæ, quos fatetur sine peccato & maculâ in gratiâ productos. Unde à fortiori concludit: Et talis est puritas B. Virginis, quæ à peccato originali & actuali immunis fuit. Quomodo enim staret alias doctrina ejusdem S. Th. dum dicit in Beatâ Virgine debuit apparere omne illud, quod perfectionis fuit. Unde statuendum est cum Hugone Carnotensi *serm. de nativ. Deip.* Quod hæc gratia Soli Mariæ sit concessa, maximè si dicatur, quod Beata Virgo non habuit peccatum Originale, licet processerit ab Adamo secundum rationem seminalem. Dicendum enim est, quod ipsa sola speciali gratia præventa est & præservata quod fuit prævisa mater & domus DEI. Unde præclarè S. Laurentius Justinianus *tract. de casto connub.* dicit. Quotquot ex ipsius nempe Adami sunt progenie nati, duntaxat mediatore DEI & hominum homine Christo JEsu & ejus matre exceptâ, sub hac peccati lege sunt conditi. Et nemo ab ipso mundi initio, usque ad temporis plenitudinem duntaxat mediatore ejusque Genitrice exceptis, jugum damnationis suæ evasit. Instat S. Bernardinus Sen. *Tom. 1. serm. 61. art. 1. c. 4.* qui docet primos parentes meritos fuisse, ut propter peccatum suum penitus fuissent annihilati, idque futurum fuisse, nisi DEus illis propter prævisam in serie Adami matrem

S. Thom. fatetur B. V. à peccato esse immunem.

trem pepercisset. Verba illius sunt: Ex propriâ transgressione Adam & Eva, non solum mortis, sed & annihilationis exterminium meruerunt, & divina ultio, quæ personarum acceptionem ignorat, sicut nec culpam angelicam, sic etiam neque humanam dimisisset. Sed propter præcipuam reverentiam, quam habebat ad Virginem, præservavit, quia hæc puella in lumbis erat Adæ secundum seminalem rationem. Ubi videmus clarè dicere, quod humano generi misericordiam fecerit DEus, quia Maria erat futura filia Adæ. Eruditè planè explicat hoc Mautinus Ecclesiastes Pontificius, qui advertit quod Matthæus in Genealogiâ Christi, mutet modum loquendi. Dum enim communem enarrat generationem, semper parenti subnectit filium dicens: Abraham genuit Isaac, quod servat in omnibus, quicunque peccato Originali subjecti fuerunt. Dum verò ad B. Virginem devenit, omittit Genealogiam parentum, eamque interrumpit, ac statim ipsi innocentiæ increatæ Christo, matrem conjunxit. Quod in Evangelio factum videmus, credamus in libro vitæ & prædestinatione divina factum esse, in quo libro primus scriptus est JEsus, proxima Maria, juxta illud Prophetæ: in capite libri scriptum est de me. Demus jam inquit hic author DEum in primo instanti rationis prævidisse peccatum, & in secundo instanti rationis prævidisse ejusdem peccati remedium incarnationem, sequitur tamen evidenter in eodem instanti reali, DEum prævidisse Mariam unitam filio. Quia incarnationem necessario prævidit cum Matre, cum non sit conceptibilis unio hypostatica, sine prædestinatione Virginis seu Matris, adeoque ipsi filio unita est in prædestinatione. Quod voluit S. Paulus *ad Rom. 1. v. 3.* quando dixit, qui factus est ei ex semine David secundum Carnem. Qui prædestinatus est filius DEI in Virtute, id est Virgine; quasi diceret, qui prædestinatus est, ut sit filius DEI, non per filiationem adoptionis sicut cœteri, sed in Virgine, id est, ut sit Filius DEI, habens æqualem potentiam & divinitatem cum Patre, & hoc per Virginem. Ubi benè advertendum est, quod S. Paulus præmittat temporale æterno, dicendo, qui factus est ei ex semine David secundum carnem, & deindè subdit: Qui prædestinatus est ei filius DEI in Virgine. Jam ergo si ex doctrinâ S. Thomæ in hac propositione relativum Qui, qui prædestinatus est ei filius DEI, referatur ad antecedens nimirum Christum secundum carnem; Neque enim poterat Christus prædestinari

ſtinari ut Verbum, ut eſſet filius DEI, ſed neceſſario, qua talis erat coexiſtens ipſi prædeſtinanti nimirum Patri. Voluit ergo Paulus inſinuare ſolum prædeſtinationem Chriſti, & ideo præmiſit humanitatem, ſecundum quam prædeſtinabatur. Ubi ad meum propoſitum eſt, quod Chriſtus dum prædeſtinabatur, non fuerit prædeſtinatus ſine B. Virgine. Cum enim prius dicit Chriſtum incarnatum, & poſteà prædeſtinatum, vult Chriſto incarnato jungere matrem, ſine quâ, filius illius non poterat prædeſtinari ad filiationem divinam. Cum hæc ſit natura relativorum, ut poſita ſe ponant, atque ſic ad prædeſtinationem Virginis ad maternitatem divinam, ingrediebatur perſona infinita Verbi, ſine quâ non erat futura mater DEI. Pulchrè S. Bernardinus *Serm. 51. de Virg.* Tu autem ante omnem Creaturam in mente DEI prædeſtinata fuiſti, ut DEum ipſum hominem verum, ex tuâ Carne procreares, & præ omnibus poſt filium, cœlorum Regina effecta glorioſè regnares. Niſi fortè credamus Chriſtum non magis amaſſe ſuam matrem, quam Æneas Anchiſen Patrem ſuum, quem homo Gentilis & militaris ex Trojæ incendio communi ſalvavit. Cum tamen S. Th. *3. p. q. 27. art. 1.* dicat Rationabiliter creditur, quod illa quæ genuit unigenitum à Patre plenum gratiæ & Veritatis, præ omnibus aliis, Angelis ſcilicet & primis parentibus, privilegia gratiæ acceperit. Ergo ſi cœleſtes illæ intelligentiæ, ac primi parentes noſtri, in gratia conditi ſunt, DEI Matri id ipſum privilegium conceſſum eſſe convincitur. Non dicam quod S. Th. *p. 3. q. 27. art. 4.* doceat, Mariam ab omni peccato Veniali prorſus fuiſſe liberam. Quia inquit non fuiſſet idonea Mater DEI, ſi peccaſſet aliquando. Atqui deteſtabilius eſt peccatum originale, quam aliquod Veniale actuale, ergo dicendum eſt, quod non fuiſſet idonea Mater DEI, ſi originale peccatum incurriſſet, cum hoc rumpat & tollat charitatem, Veniale autem ſolum minuat. Decuit ergo hoc facere Chriſtum, qui Matrem ſuam honoravit. Graviter omnino Methodius *ſerm. de Hypapante*: Qui dixit honora patrem tuum & Matrem tuam, ut decretum à ſe latum obſervaret, atque adeo hac in parte alios præcelleret, omnem Matri gratiam & honorem impendit. Quarè ſi Pompejus Atticus jactare de ſe potuit, quod Matris ſuæ obſervantiſſimus filius, eidem ſemper obſecutus ſic fuerit, ut diceret, nunquam cum Matre in gratiam redii, quia cum illa nunquam diſſidebat. Potiori jure id dicat

Chriſtus non prædeſtinatur ſine Virgine.

Chriſtus amavit & honoravit matrem, ergo eſt ſine macula.

Angeli & primi parentes ſunt immaculati ergo etiam Maria.

Pompejus Atticus nunquam cum Matre diſſidebat.

dicat Christus de Matre suâ, cum qua tamen diffidere debuisset, si in Originali peccato, vel in uno instanti rationis fuisset. Maximè cum S. Thomas doceat, quod per peccatum originale innocentia tollatur, quæ sicut Virginitas semel perdita, recuperari non potest. Dicit enim *3. p. q. 98. art. 3. ad 1.* Eadem enim est ratio de recuperatione Virginitatis & de recuperatione innocentiæ. Eleganti hoc explicat similitudine S. Bonav. qui B. Virginem aptissimè plane nivi comparat. Virgo inquit Pulchra ut nix Candida. Non comparat cum bysso vel cum candidissimo lino, quia hæc sunt vel fuerunt aliquando nigra, sed frequentissimâ dealbata rursus sunt lotione. Nix autem semper fuit candida, & omnis ex se deformitatis expers. Graviter proindè instat S. Aug. *serm. de Assumpt. Virg.* Si potuit Daniel à Leonibus, Jonas in ventre Ceti præservari, cur non Maria à peccato Originali? Audite verba S. Aug. Jonam servare in ventre Ceti præter naturalem usum voluit incorruptum, Mariam incorruptam, præter rerum ordinem non servaverit gratia? Servatus est Daniel ab intemperantissimâ fame leonum, non præservanda est Mater tantis dotata meritis dignitatum? Est quod legi in India serpens adeo infestus plantæ alicui odoriferæ, ut sub terrâ etiam adrepat, ideò solum, ut venenato morsu suo radices arrodat & arefaciat, hanc tamen ut humana conservet industria, hortulani amarum succum circa radices affundunt, quem serpens cum pati non possit, ubi advertit, illæsâ radice recedit. Quæ pulchrior & suavior planta fuit quam genus humanum, sed Venenoso serpentis infernalis morsu exarvit in radice primi parentis. Divinus hortulanus tamen Christus, ut plantam saltem unam servaret Mariam, amarissimæ passionis suæ affudit liquorem, & sic præservavit Mariam. Docet me hoc Joannes Cartagena *l. 1. de Concept. B. V.* Mirabilis illa & salutifera aquæ & sanguinis confectio ex latere Christi, in Cruce velut probatissima theriaca, ab æterno prævisam matrem suam inunxit, atque hac ratione illam præservavit. Assentitur S. Ctesiphon discipulus S. Jacobi majoris: Illa Virgo! illa Maria! illa sancta! præservata fuit à peccato Originali in primo instanti suæ Conceptionis, & libera ab omni culpâ. Meritò proindè dicamus cum cœlesti sponso: Tota pulchra es Maria, & macula non est in te. Septuaginta legunt. Tota formosa es proxima mea, & Momus non est in te. De Momo homine odiosissimo fabulantur Poetæ, uti scribit Hesiodus, quod

Innocentia & Virginitas perdita recuperari non potest.

Maria nivi comparatur quæ semper est candida.

Jonas & Daniel servantur, & non servetur Maria.

Herba in India à serpentis morsu servatur, non servabitur Maria?

Momus DEO & hominibus invisus.

Nocte matre, uno partu cum ærumna effusus fit. Et benè nox mater & ærumna soror fingitur, quia homines illi, qui omnia carpunt, noctis potius quam lucis filii in ærumnâ vitam agunt infelicem, hominibus æque ac DEO, imo vero sibi etiam ipsis odiosi. Hic Momus adeo effrons fuit, ut Jovem ipsum culparet, quod in creatione hominis in præcordiis illius, nullam fenestellam posuerit, quo facilius arcana cordis latentis potuissemus rimari. Venerem deindè Dearum omnium pulcherrimam, dum diu nasutè observasset, ut ejus pulchritudinem mordaci dente arroderet, cum nihil in eâ maculæ reperiret, in crepidas tandem virus carpendi exeruit, stridulas illas esse, malè ganiens. In Mariâ DEI Matre, ne quidem ipsa calceamenta mordaci dente impius Momus poteſt lacerare, quia *Cant. 7. v. 1.* ipse cœlestis Sponsus illa commendat. Quam pulchri sunt gressus tui in calceamentis filia Principis. In quem locum eleganter plane Rupertus Abbas *l. 6. in Cant.* Idcirco inquit ancillæ, Evæ scilicet calcaneum serpens momordit, quia discalceatis pedibus incessit. Tu autem ô filia Principis benè calceata, caput serpentis contrivisti. Ut proindè S. Jacobus *in suâ Lyturgiâ* dicat: Dignum est, ut te beatam semper dicamus Deiparam, & omnibus modis irreprehensam. Benè namque doctissimus Pepinus ex S. Dominici familiâ insignis encomiastes *serm. de Concept. B. V.* designatur inquit illa per rubum *Exodi 3.* qui comburi non debebat per culpâ, sed semper in virore gratiæ permanere ab instanti Conceptionis suæ. Comparatur inquit Palmæ & Rosæ; Palma deferri solet in signum Victoriæ. Rosa autem pulchra est & munda, quamvis procedat ex spinosa arbore. S. Virgo Maria habuit Victoriam contra serpentem antiquum, ne morderet ipsam per culpam originalem. De rosa verò Maria canit Ecclesia, sicut spina rosam genuit Judæa Mariam. Allegat deinde SS. PP. dicens in scriptis præcipuorum Ecclesiæ Doctorum invenitur Beatissimam Christi Matrem immunem fuisse à peccato originali in suâ gloriosâ Conceptione. Et primo quidem allegat Aquilam Doctorum S. Aug. qui *de nat. & grat. contra Pelagianos c. 36.* dicit: Excepta S. Virgine Mariâ, de qua propter honorem Domini nullam prorsus, cum de peccato agitur, habere volo quæstionem. Adjungit deinde S. Hieronymum à me superius citatum: Nullum inquit is, dubium est de Matre Domini, quia talis debuerit esse, quæ de peccato redargui non posset, cum hoc ad improperium filii sui fuisset.

Momus Veneris calceamenta carpit.

Mariæ calceamenta sunt sine nævo.

SS. PP. dicunt B. V. esse sine macula.

fuisset. Tertio adducit S. Ambr. *in quodam serm. de B. Virgine Maria*. Maria inquit est, in quâ nec nodus originalis, nec cortex actualis culpæ fuit. Citat deinde S. Anselmum qui *in Ep. ad Episcop. Angliæ* sic scribit. Non puto verum amatorem Virginis, qui respuit celebrare festum suæ conceptionis. Addo ego S. Andream, qui de immaculatâ Virgine ait: sicut primus Adam formatus fuit ex terrâ, antequam esset maledicta, ita secundus formatus est ex terrâ Virgineâ nunquam maledictâ. S. Ctesiphon inquit: Mariam non tetigit peccatum primum, quam opinionem suam tam firmiter tuetur, ut etiam anathema statuat contrariæ sententiæ. Origenes *hom. in c. 1. Matth.* Josephum alloquitur. Accipe eam sicut Unigeniti mansionem, sicut honorabile templum, sicut Agni cœlestis sponsi domum immaculatam. Paulo post subdit: Beata Virgo Maria neque serpentis persuasione fuit decepta, neque ejus venenosis afflatibus infecta. S. Greg. Neocæsar. *serm. 1. de annunciat. B. V.* S. Mariam ex omnibus generationibus solam elegit, nec similis ei ex omnibus generationibus ulla unquam est reperta. *Serm. deinde 3. de eadem.* Missus servus incorporeus ad Virginem inviolatam atque immaculatam, missus est à peccato liber, ad corruptionis seu labis expertem. S. Cyprianus *l. de Christi operibus* Spiritu sancto inquit obumbrante incendium Originale extinctum est, nec sustinebat Justitia, ut illud vas electionis communibus lassaretur injuriis, quoniam plurimum à cœteris differens natura communicabat, non culpa. S. Ephrem *orat. ad Deip.* dicit: Immaculata, intemeratâ, incorrupta & prorsus pudica, & ab omni sorde & labe peccati alienissima Virgo DEI, ac sponsa Domina nostra. S. Ambr. *l. 2. de Virg.* Quid splendidius eâ, quam ipse splendor elegit. Cui conformiter loquitur S. Dionys. Arcop. *l. 4. de divin. nom.* Ingens ille, & totus splendidus, ac semper lucens Sol, imago expressa est divinæ bonitatis. Quid aptius ad splendorum Mariæ, quæ ab æterno ordinata, & electa ut Sol, tota splendida, non ex parte, semper lucens, nunquam caligine involuta visa est. Longus essem si in enarrandis SS. PP. testimoniis procederem, claudo cum S. Augustino, qui ubi *in libro de nat. & grat.* non vult habere quæstionem de Maria, quando de peccato agitur, hanc rationem reddit; Unde enim scimus, Vasquez legit: Inde enim scimus plus gratiæ, quod ei collatum fuerit ad vincendum ex omni

mni parte peccatum, quæ concipere & parere meruit eum, quem constat nullum habuisse peccatum.

Maria vera Esther. Venio nunc ad figuras quibus immaculata Mariæ Conceptio figurabatur. In *l. Esther c. 15.* ingressa ad Assverum Esther, assumpsit duas famulas, & super unam quidem innitebatur præ deliciis, altera autem sequebatur Dominam, defluentia in terram vestimenta sustentans. Subdit textus quod eum in conspectu Assveri labasceret Esther, festinus is exilierit de solio, & sustentans eam ulnis suis, his verbis blanditus sit: Quid habes Esther? Ego sum frater tuus, noli metuere, non morieris. Non enim pro te, sed pro omnibus hæc lex constituta est. Esther figura est B. Virginis, quæ sola placuit DEO, quando decretum Originalis peccati in genus humanum fuit sancitum. Duæ domicellæ, sunt natura angelica & humana. Humana est pedissequa, quæ nimirum Marianarum Virtutum vestigia legit. Angelicæ innititur deliciis affluens cœlestibus. Verum non solum Angelis, sed ipsi Christo innititur, vel maximè in primo instanti suæ Conceptionis, ne scilicet in lubrico peccati Originalis laberetur, hinc est quod festinus exilierit de solio suo, & sustentaverit eam ulnis suis. Ut quid enim exilivisset, si tardè venisset, nec eam ulnis suæ gratiæ sustentasset Christus; si scilicet eam in reatum Originalis Culpæ labi passus fuisset. Hanc sustentationem seu brachia pulchrè insinuat Evangelista, quando in initio & fine Evangelij memorat nomen JEsu. Sic enim in principio inquit Liber generationis JEsu Christi. In fine vero dicit: de quâ natus est JEsus, qui vocatur Christus. Ut scias has duas ulnas esse, quibus ne laberetur, fuit sustentata. Neque enim frustra nomen Salvatoris adjecit. Ubi adverto quod sicut Esther à puellâ cui innitebatur non fuisset sustentata, nisi Assverus de solio suo adfuisset, ita Maria nullo modo solo obsequio angelico fuisset præservata, sed ipso Christo prævertente debuit sustineri, ne in peccatum Originale laberetur. Quarè sicut Assverus non posset dici sustentasse Estherem, nisi labascentem prævertisset, ita pariter Christum non diceremus sustentasse Mariam, si eam labì passus fuisset. Neque eam satis dignè suæ passionis meritis Matrem prædestinasset, nisi ab ipso peccato Originali eam omni tempore præservasset. Quod ipsum Maria speciali affectu gratitudinis sibi collatum fatetur, dum Christum suum Salvatorem deprædicat, dicens: Et exultavit spiritus meus in DEO salutari meo. In quem locum

Assverus non sustentasset Estherem si labi passus fuisset.

locum Hugo de S. Victore. Merito B. Virgo, quæ se singulariter electam videbat, fiducialiter quem pro mundi salute conceperat, suum etiam cum lætitiâ & exultatione Salvatorem vocat. Undè non est quod S. Th. *p. 3. q. 27.* objiciat: Quod si Mariæ anima, nunquam fuisset peccato originali maculata, quod hoc derogaret honori Christi; quia sequeretur quod is non esset universalis Redemptor, esset enim aliqua Creatura, quam suo sanguine non redemisset, nempè B. Virgo, non enim redemisset illam, quia nunquam sub diaboli potestate fuisset. Ad quod facilè respondetur cum communi Theologorum, quod creatura posset dici redempta ante & post lapsum, quia non minus redemptus dicitur, qui à lapsu præservatur, quam qui post lapsum, elevatur. Næ tu Aquilam illam redemptricem negaveris pueri, quæ ex turri labentem puerulum pennis suis & corpore excepit, & in proximum hortum deportavit, ibique sic adamavit puerum, ut illi cibos ministraret, ac tandem etiam commoreretur. Sic non minus dicitur redemptus ille, pro quo litrum solvitur, antequam carcerem ingrediatur, quam dicitur redimi ille, qui ex carcere, cui jam inclusus fuerat, educitur. Maria ergò redempta fuit ut scholæ loquuntur præservativè, non liberativè. Quod pulcherrimè explicat S. Antoninus ArchiEpiscopus Florentinus. Nobilius inquit & melius liberatur, cui providetur ne cadat, & in servitutem incurrat, quam ut lapsus erigatur, & factus servus redimatur. Ex quo apparet, quod nulla sit illata injuria Christo, qui licet non redemerit Mariam liberativè, præservativè tamen ita sustentavit, ne unquam in diaboli potestatem deveniret. Quod Christi Redemptoris majestatem sicut longè magis extollit, ita Mariæ honori magis convenit, eique longè gloriosius est. Intelligo jam illud *Prov. 8. v. 22.* Dominus possedit me in initio viarum suarum, antequam quidquam faceret; à principio, ab æterno ordinata sum ex antiquis. Quod communiter SS. PP. intelligunt quidem de Sapientiâ increatâ. Convenienter tamen, & ex mente Ecclesiæ applicatur B. Virgini Mariæ. Ubi adverto quod textus sacer non dicat DEus sed Dominus possedit me. Quia DEus in hebræo sonat idem quod Judex quasi diceret; non ut DEus Judex, sed ut DEus benignus Dominus, qui suâ omnipotentiâ præter naturæ ordinem operatus est, Mariam præservavit. Quare ipsa *Luc. 1. v. 47.* lætabunda exclamat: Magnificat anima mea Dominum.

Maria Christum suum Salvatorem depradicat.

Mariæ immaculata Conceptio non derogat honori Christi.

Aquila puerum ex turri lapsum alis suis excipit & à lapsu servat.

num. Et paulo post: Quia fecit mihi magna scilicet Dominus, qui potens est. Dicitur etiam Dominus possedit me, non habuit me, ut intelligatur possessa esse à Christo, non quomodocunque, sed velut res propria. Sanctos alios quando nascebantur possedit diabolus licet essent ipsius Dei res propria, dæmon tamen, qui per peccatum eos prædatus est, velut iniquus possessor, eos detinuit. Ita enim vel ipse Machomet causam ploratus assignans, cur infantes quando nascuntur plorent, dicit in libris AlboKarim & Mozlim, quia cum primum nascuntur, dæmon illos tangit. Addit vero ibidem B. Virginem & illius filium, à tali Sathanæ contactu, ex omnibus qui nati sunt immunes fuisse. In Maria possessio Dei, à dæmone nunquam fuit interturbata. Quid enim aliud intelligi potest verbis illis. In initio viarũ suarum, nisi opera Dei ad extra, quæ prima non fuerunt alia, quam Christus & Beatissima Virgo Maria. Ad propositum meum S. Th. loquitur *in cap. 4. Job.* dum allegat illa verba Universæ viæ Domini misericordia & Veritas dum ait: Ponit primo misericordiã, quasi Deo magis notam, quia velox est ad misericordiam & tardus ad iram. Dicens, itaque Dominus possedit me in initio viarum suarum, idem est ac dicere, quod Deus non accepit possessionem Mariæ in ratione Justitiæ, sed misericordiæ. Hæc verò misericordia tanta fuit in conceptione Mariæ, ut merito non tantum redempta, sed ex omnibus maxime redempta, & primogenita Redemptoris dici possit. Ita enim S. Bernardus Beatissima Virgo fuit primogenita Redemptoris, & plus pro ipsa redimenda venit Christus, quam pro omni aliâ creaturâ. Pulchrè autem observat S. Joannes Damasc. quod Deus quando prædestinat aliquem ad singulare aliquod opus, non tantum tunc, cum destinat & disponit, sed longè antè jam prævidit. Hinc Mariam jam ab æterno ordinatam, utpotè in quâ laboravit DEus ipse cui in prædestinatione suâ velut correlativa innitebatur, in eâ adornanda collaboravit. Quid mirum proindè si subtilissimus Scotus *in 3. destinct. 3. q. 2.* eleganter dicat. Alii post casum erecti sunt, Virgo quasi in ipso casu est sustentata. Explicatur hoc in fructiferâ pomo, ex quâ si poma decidunt, maculam contrahunt. Maria etsi ex pomo decideret, id est ex stirpe Adami orta sit, terram tamen non attigit, neque maculam contraxit, quia de illâ verificatur illud Davidis *ps. 36. v. 24.* Cum ceciderit non collidetur. Cur hoc? quia Dominus supposuit manum suam. Ubi mihi occurrit ingeniosa observatio cujusdam

Infans cum nascitur, cur fleat.

Homines dum nascimur, sumus possessio Dæmonis.

DEus accepit possessionem Mariæ in misericordia, non Justitia.

Maria in casu quasi est præservata.

jusdam Mariophili, qui dum verba illa Angeli Dominus tecum, expendit. Quærit cur Angelus dicat Dominus tecum, & non DEus tecum, cum tamen dicat textus, Angelum à DEO, non Dominô missum esse. Scio ego quantum ad rem significatam esse terminos realiter convertibiles, sunt tamen differentes, quo admodum significandi. Quia DEus propriè significat Creatorem. Sic enim habemus *Gen. 1. v. 1.* In principio creavit DEus cœlum & terram. Dominus verò rigorosè videtur significare moderatorem secundum imperium divinæ voluntatis. Sic enim quà DEus creavit ignem cum naturali suâ proprietate calefactivâ & illuminativâ; qua Dominus verò, id est juxta imperium suæ voluntatis & arbitrii, impedivit, quo minus accenderet & noceret pueris in fornacem babylonicam injectis. Sic etiam defacto in inferno impedit, quo minus luceat & illuminet, licet urat. Et videtur hoc intellexisse David *ps. 28. v. 7.* Vox Domini intercidentis flammam ignis; hic enim flammæ insitam vim calefactivam, ibi Virtutem illuminativam suspendit. Quod pariter confirmari potest ex motu stellarum, quas cum fecerit DEus in signa & tempora, voluit DEus planetas majores esse mobiles, juxta quorum motum dirigitur dies & nox, juxta illud *psal. 118. v. 91.* Ordinatione tua perseverat dies. Interim tamen velut Dominus mandante Josue, fecit Solem stare. Cum ergo dicit Angelus Dominus tecum, rem plenam mysterij nobis insinuat, nempe quod DEus fecerit quidem legem hanc, Omnes in Adam peccaverunt, adeoque omnes in Adam morientur. Omnes nascimur filii iræ, sed legem hanc velut Dominus, secundum imperium voluntatis suæ moderatus est in Mariâ, ut neque debitum quidem labis Originalis contraxerit. Confirmant me in hac opinione meâ hæc eadem verba Dominus tecum; quibus Angelus Mariam salutavit. Si enim hæc verba combinem cum phrasi hæbraica illorum verborum *Cant. 4. v. 7.* Tota pulchra es amica mea, & macula non est in te; observo quod hebræus non habeat particulam Est, sed sine differentiâ temporis ullius dicat: Et macula non in te. Qui sensus licet videatur incompletus, est tamen maximi mysterii. Dum enim Angelus Mariam salutans *Luc. 2. v. 28.* dixit: Ave gratia plena Dominus tecum, & nullam ponit in verbis differentiam temporis, connotat coexistentiam gratiæ tempori præterito, præsenti, & futuro, in quo omni imaginario tempore fuit, est, & erit cum Mariâ Dominus.

Maria à Domino ex imperio divinæ voluntatis præservatur.

Maria sine differentia temporis est immaculata.

Nn Ita

Ita planè cum dicit & macula non in te. Connotat omne præteritum tempus Conceptionis Mariæ, in quo sine omni peccato fuit semper immaculata Virgo. Pulchre plane Abulensis in hunc locum: Oportunissimam Verbi omissionem, ut intelligatur nullum unquam extitisse tempus in quo Virgo Maria maculam contraxerit, adeoque nec de præsenti, aut futuro, neque de præterito posse affirmari originalis peccati nævum illi adhæsisse.

Omnis orbis Mariam immaculatam honorat.

Quid ergo mirum est, si omnis orbis in hanc cöeat juratam quasi sententiam, ut piè credat, Mariam sine omni labe semper fuisse immaculatam. Agnoscit immaculatam ex Italiâ S. Ambr. Te ô Virgo! Virgam sine omni nodo originalis, & cortice actualis peccati &c. Ex Hispaniâ S. Vincentius Ferrerius; hoc festum in cœlo ab angelis festivè celebrari asserit. Ex Galliâ prodeat S: Bernardus *serm. 4. in Cant.* ubi dicit: Tu innocens fuisti ab originalibus & actualibus peccatis, nemo ita præter te. Ex Angliâ S. Anselmus *l. de Concept. Virg. c. 6.* sic profatur. Hoc habitaculum cum Sancto Spiritu operante construeretur, si fundamentum illius, scilicet primordium conceptionis Mariæ corruptum fuisset, ipsa certè structura non congruebat. Neapolis 1618. Voto se obstrinxit pro hujus Veritatis piæ propugnatione; & quantis beneficiis DEus per Mariam immaculatam Regnum est remuneratus? Certè quando anno 1650. Augustissimus Ferdinandus Tertius Votum fecit de festo Immaculatæ conceptionis solenniter cum pridiano jejunio celebrando, in turbatissimo statu Imperii Pacem à solo DEO impetravit. Anno 1662. dum Hispania ab Alexandro VII. Romano Pontifice resolutionem ursit, Quid die Octavâ Decembris celebret Ecclesia, an nempe Conceptionis, an vero Sanctificationis hoc festum nominari debeat, & Decisionem pro Conceptione obtinuit, Infantem Hispaniæ periculosè decumbentem in Vitâ servavit. Proximo deinde anno, quo remoram Turcæ injecturus Excellentissimus Comes Nicolaus Zrinius ad pontem Össekiensem accessit, ut eum everteret, cum jam triduo laboratum fuisset, ut adhibitâ etiam stupâ, pice, resinâ, stramine, & sarmentis pons ille flammis absumeretur, nec tamen ignem concipere vellet, eo momento quo Græcii in festo Purificationis Provinciæ Styriæ Status, Votum fecerunt de festo Conceptionis immaculatæ solenniter celebrando, totus pons repentè in flammas conversus, incendio absumptus est, qui prius tanto labore ardere non potuit.

Neapolis ex Voto se obstrinxit.

Ferdinandus III. Votum fecit & Pacem impetrat.

Infans Hispaniæ bono nuncio recreatus convalescit.

Pons Össekiensis voto Græcii facto exuritur.

potuit. Quid quod vel hæc ipsa verba chartæ inscripta sanitatem corporis contulerunt? P. Placentia Societatis JEsu Sacerdos ubi Romam venit, periculosè cœpit ægrotare, & ad mortem usque decubuit; malum erat grave, stranguria scilicet, jam in dies plures continuata. Ubi tamen schedam cui erat inscriptum, Conceptio immaculata B. Virginis, quam in aquâ benedictâ S. Ignatii hausit, malum omne illico remisit, & ipse convaluit. Placet tamen maximè, & fidem huic piæ veritati adstruit ipsa S. Thomæ doctrina, quam dedisse refert Busæus *serm. 2. de Concept. B. V.* Cum enim Fantinus Episcopus Paduanus miraretur, & hæreret in doctrina S. Thom. *1. distinct. 44. q. 1.* ubi expresse docet, quod B. Virgo elegisset potius esse in inferno quam offensam DEI incurrere per peccatum Originale. Deindè cum rursus dicit. Puritas intenditur per recessum à Contrario, Et ideo potest aliquid creatum inveniri, quo nihil purius esse potest in rebus creatis, si nulla contagione peccati inquinatum sit. Et talis est puritas B. Virginis, quæ à peccato originali & actuali immunis fuit. Cum inquam illationem hanc S. Thomæ consideravit & expendit, Meritò quæsivit apud seipsum. Quomodo ergo S. Th. docere potest quod Maria cum peccato Originali sit concepta. Dum ergo anxius hos textus combinat ab ipso S. Thomâ sibi manifestè apparente doctus est sequentibus verbis: Scias Episcope, quod quando talem opinionem posui, solum habui respectum ad divinum statum, in quo B. Virgo peccatum Originale contrahere debuerat, nisi per filium suum fuisset præservata; sed DEI Filius Matrem suam ab Originali peccato præservavit. Quod ipsum in Commentariis suis, quæ certum est S. Thomam suâ manu scripsisse, post summam *ad Gal. 3.* sic ait: Virum de mille unum reperi, scilicet Christum, mulierem ex omnibus non inveni, qui à peccato omnino immunis esset, ad minus Originali vel Veniali. Excipitur purissima & omni laude dignissima Virgo Maria. Laudabile proindè fuit decretum, quod sub Reverendissimo Patre Hieronymo Xaviere totius Ordinis S. Dominici Generali 1602. emanavit in hæc verba: Strictè prohibemus, ne quis audeat in publico prædicare vel docere, quod B. Virgo fuit Concepta in Originali propter scandalum fidelium. Raynaudus vero *tom. 7. pag. 139. & tom. 8. pag. 325.* accidisse refert Cracoviæ, ut cum Doctor quidam Paulus nomine prædicare contra Immaculatam Virginis Conceptionem cœpisset, nondum finito ser-

Verba chartæ inscripta, sanant Stranguriam.

Fantino Episcopo S. Thom. doctrinam suam de Imm. Conc. explicat.

S. Th. Mariam immaculatam fatetur.

Manresæ resuscitatus à mortuis, Mariam immaculatam tuetur.

venerati sunt, multitudine; extemplo cum omnium adstantium stupore apertâ tumbâ resedit mortuus, & loqui cœpit. Suum nempe in Deiparam Virginem affectum fusius contestatus est, unum tamen fuisse dixit, ob quod concessum fuit animæ in corpus regredi, nimirum quod B. Virginem in peccato Originali conceptam credidisset, & hanc ob causam rediisse ad corpus, ut hanc opinionem suam retractaret, eamque immaculatè conceptam fuisse profiteretur. Quod ubi fecit, quasi legatione suâ functus fuisset, placidè rursus recubuit, & obmutuit. Injurius essem mariano honori, si eam ulterius à reatu Originalis peccati exculparem; hoc unum præterire non possum, quod ante paucos annos, nostrâ hac ætate nempe 1653. in celebri Urbe cum nominato quodam concionatore accidit. Hic ad Concionem in festo Assumptionis B. V. habendam invitatus, à Rectore Congregationis illius hospitio exceptus fuit. Pridiè festi de nocte affigitur ad valvas templi scheda magnis literis inscriptum habens: Maria concepta in peccato Originali. Vidit hoc Congregationis Rector, & schedam Concionatori exhibet, qui simul Schedam Episcopo Valentiam transmiserunt. Interim Concionator totum Concionis thema mutat, & plausibiliter de Immaculata Conceptione dixit, cujus thema fuit sicut lilium inter Spinas. Factâ concione domum reversus in montem Quercinum à quibusdam invitatus, ibi cœnam sumit, quâ absolutâ aliis in diversa abeuntibus, ipse penes fontem consistens meditatur, quomodo lilia inter spinas crescant. Dum hæc secum recogitat, incidit in spinetum, in cujus medio pulcherrimum & candidissimum lilium enatum vidit, quod ubi reverenter carpit, mirè in illius contemplatione deliciatur. Non procul inde digressus, aliud reperit pariter inter spinas exortum, cujus bulbum dum effossâ humo inspicit, detractâ flavâ pelliculâ, pulcherrimam B. V. expressam imaginem vidit. Ne verò oculis suis imponi crederet, socios evocat, qui omnes piissimam immaculatæ Virginis imaginem viderunt & venerati sunt. Scio ego ô immaculata Virgo quod dilectus tuus S. Hermannus uti refert *Surius 7. Apr.* te Mariam alio nomine non compellaverit, quam Rosam, & quoties te sic nominavit, miram omnium florum fragrantiam senserit. Quia tamen vel ipsa sicut lilium inter Spinas tuæ immaculatæ Conceptionis veram effigiem repræsentasti, te ego cum S. Antiocho *tom. 2. de Virg. Deip.* salutabo:

Zelus tuendi immaculatam Virginem.

Bulbus lilii immaculatam Virginem refert.

Hermannus Mariam Rosam vocat.

Salve

Salve Christi sacra Parens,
Flos de Spinis, Spinâ carens,
Flos Spineti gloria.
O Maria! nos peccati
spinâ sumus cruentati
Sed tu Spinæ nescia.



ARTICULUS IV.

Passus sub Pontio Pilato, crucifixus, mortuus, & sepultus.

DISCURSUS XXI.

Christus passus est pro nobis.

S. Bernardus dum expendit verba illa Christi in horto, Pater mi si possibile est transeat à me calix iste, & illud pendentis in cruce; sitio, quasi contradictoria putat, adeoque inquit: Quid est hoc? antequam gustes ô bone JEsu, petis calicem omnino auferri, & postquam bibisti, sitis? Dilectionis tuæ erga nos magnitudinem commendans. Quasi diceres: Quamvis passio mea tam acerba fuerit, ut quamvis ad humanitatis sensum illam declinare petiverim; tamen tuâ ô homo charitate me vincente, & ipsa tormenta Crucis superante, adhuc plura & majora, si necesse sit, sitio subire tormenta. Profectò Venerab. Beda *in c. 27. Mat.* Verba illa DEus! DEus meus, ut quid dereliquisti me, non dolentis sed amanter Patrem incusantis, vult esse vocem. Cum enim Christus vi tormentorum accelerari mortem videret, vellet autem diutius pro nobis ferre tormenta, hanc amore plenam querimoniam Patri proposuit; Pater! cur me tam cito mori dispofuisti? cur non magis protrahis moras? ut magis magisque pro hominis amore patiar. *Christi ardens pro nobis patiendi desiderium.*

Quarè

Quarè S. Ambrosius & Cyrillus, linguæ has voces tribuunt, quasi patiente corpore illa doloris expers, queri cœpisset de sibi negatâ patiendi materiâ. Ac si diceret, cur me neglexisti? an non præ ardore patiendi me deficere vides? Sitio! ah sitio! Exauditus est in patiendi cupiditate bonus JEsus, *Matth. 27. v. 48.* Et continuò currens unus ex eis acceptam Spongiam implevit aceto, & imposuit arundini, & dabat ei bibere. Cum ecce restabat, cor, quod à vulnere illæsum, in passionis censum nondum venisse se contendebat. Sic enim Carthagena cum ijs, quos citat, hæc verba *Joan. 19. v. 30.* Consummatum est? non definitivè sed interrogativè dicta vult, quasi filius interrogaret Patrem si tormenta jam cessarent? Atque adeò ex ulteriore patiendi desiderio questus est. Ergo nulla pars doloris vel martyrii cordi cedet? Neque tam expeditus fuit Longinus, ut in tempore cor lanceâ feriret, cum enim unus militum lanceâ latus ejus aperuit, viderunt eum jam mortuum. Et hinc ego credo, quod Lancea dicatur crudelis, quia clavi & Crux, spinæ & ipsa nuditas vivo Christo, & in Cruce desideranti pati, dolorem attulerunt, quem lancea fera nimium, negavit. Neque enim Christo majus fuit martyrium, quam non pati. Pulchrè hoc ardens in Christo patiendi desiderium explicat B. Laurentius Justin. *de triumphali Christi agone. c. 19.* quando Christũ inducit sic loquentem: Si hæc quæ tolero, parum videntur, adde flagellum flagello, appone vulnera vulneribus, lacera, ure, confige, percute, occide. Universa hæc & majora sitio. Unde Carthagena Christum in Cruce considerans, illum cum febricitante comparat, qui in ardoribus febrilibus dum à medico poculum aquæ frigidæ accipit, idemque ebibit, queritur de poculo jam vacuo. Sic planè in ardore & desiderio patiendi æstuans DEus, in cruce pendens quærit, consummatum est? Quam verum est illud Bern. Mirabilis potator es tu, Domine JEsu postquam enim bibisti, sitis ulteriorem calicem passionis. Et hinc credo Christum elegisse mensem Martium pro passione suâ, & diem vigesimum quintum, quo ante triginta tres annos conceptus fuit, uti docent S. Aug. *4. de Trin. c. 5.* & *Beda de rational. Temp.* Cujus causam assignat S. Bernardinus *Tom. 3. serm. 41.* quia eo mense sanguis in corpore ebullire solet, quod vel maximè propter circulationem sanguinis fieri videmus in febricitantibus, ut nimirum illum sic ebullientem in salutem humani generis totum effunderet. Similitudine

Lancea cur crudelis?

Christus patiens in Cruce febricitat.

ducta

ductâ ab illis, qui sæpè quotannis certâ die & horâ crisim febris annuæ, per multos annos patiuntur. Explicatur hoc paritate ollæ bullientis, in quâ quidquid liquoris est, dum apud ignem ebullire incipit, effunditur. Adeoque benè observat S. Hier. & Oleaster *in c. 36. Isa.* dum exclamant cum Propheta. Torcular calcavi solus. Voluit, inquit S. Hier. conculcari, ut quidquid sanguinis, quidquid succi in corpore suo latebat, totum effunderet in lavacrum nostrum. Imò ne forte gutta aliqua sanguinis in corde remaneret, lanceâ cor ipsum aperiri voluit, & teste Cypri: *de duplic. martyr.* Quidquid residebat sanguinis in corde, emisit. Ut verum sit illud S. Bernardin. Sen. *tom. 1. serm. 55.* Totus sanguis in illo divino corpore defluxit, asserente id S. Joanne *c. 19. v. 34.* Et continuò exivit sanguis & aqua. Quid amplius expectamus? Exclamare cogor, satis est mi JEsu! Sed interpellat me, interpretem agens amantis JEsu, S. Chrysologus *serm. 128.* Satis est saluti, sed non amori, & quod sufficiebat redemptioni, non satis erat amori. Clarè hoc explicat familiari similitudine S. Bern. Sicut aliquis amasius, postquam bibit calicem capacem in sanitatem amasiæ, adhuc sitit majores & capaciores calices, sic inquit S. Bernardus Christo accidit, quia charitate vincente, adhuc majora si necesse sit, sitio subire tormenta. Sed nunc mi Christiane audi conclusionem: Imitetur ergo quævis fidelis anima sponsum suum dulcem JEsum, qui se sequentibus formam præscripsit, quod imminentibus periculis, morbis, tentationibus posse à nobis frequentius Dominum exorari, ut flagella iracundiæ suæ dignetur avertere; Si tamen ablata non fuerint, exemplo Passionis Christi gratanter, patienter, viriliter & cum omni patientiâ tolèranda sunt. Et huc videtur spectare illud *ad Coloss. 1. v. 24.* adimpleo ea, quæ desunt passionnm Christi in carne meâ, pro corpore ejus. Nimirum ut amori divino satisfieret ad æqualitatem, sui ardentissimi desiderii, Christus in membris suis nempè nobis, voluit satisfacere. Sciendum enim est, quod Adam, quemadmodum docet S. Th. extendendo manus suas ad fructum sibi prohibitum, non solum læserit Justitiam divinam, sed etiam amorem divinum, quia dum usurpavit illicitè rem alienam, offendit Justitiam divinam, quod explicat S. Th. sic, appetiit inquit ille divinitatem seu similitudinem DEI, quantum ad scientiam boni & mali, sicut ei serpens suggessit. Ubi clarè vides læsam Justitiam. Amorem autem divinum dicit læsum

Adam peccando læsit Justitiam & amorem in DEO.

 fuisse,

fuisse, quod per peccatum aversus sit à bono incommutabili conversus verò ad bonum commutabile. Amavit scilicet creaturam magis, quam DEum Creatorem suum. Porro Justitiæ divinæ satisfecit ad æqualitatem per mortem suam, imò satisfactio Christi fuit superabundans. Quoad amorem tamen divinum videtur Christus non eatenus, quatenus desideravit, cum omni plenitudine satisfecisse, quia uti prius cum Venerabili Beda diximus, Christus in Cruce conquestus est, quod pater ei non concesserit longiorem moram, ut plura pati potuisset. Hinc accidit nobis quod hæredibus, quibus Paterfamilias hæreditatem oneratam debitis transcribit. Tunc enim hæres tenetur Creditoribus *authent. de hæredit.* solvere debita Patris. Nos ergo hæredes relicti sumus Principatus Christi *Isa. 9. v. 6.* factus est Principatus super humerum ejus. Amori ergo divino satisfacere debemus, quia cum ardentissimo suo desiderio patiendi, morte præventus satisfacere ipse non posset, nos obligavit, ut impleamus ea, quæ desunt. Et hinc quod hæredibus usu venit, qui communiter libenter adeunt hæreditatem, id evenit SS. Apostolis, de quibus in *Act. Apost. Act. 5. v. 41.* dicitur: Ibant gaudentes à conspectu concilii, quoniam digni habiti sunt, pro nomine JEsu contumeliam pati. Sic enim S. Andreas crucem visam tam amanter consalutavit, & amplexus est. S. Xaverius ampliores cruces exoptavit, Sancti denique Martyres tanto ardore cruces & tormenta expetiverunt & exantlarunt. Et hinc mirum non est, quod S. Andreas biduo toto in Cruce vivus pependerit, cum tamen Christus in illâ non fuerit nisi tribus horis teste *Matth. c. 27.* nimirum ab horâ sextâ usque ad horam nonam. Licet Andreas purus homo & ætate jam senex fuerit, Christus vero fuerit simul DEus, & in ætate vegetâ trigintâ trium annorum passus sit. Sic ut ipse Pilatus miraretur, si jam mortuus esset Christus. Quia nimirum Christus S. Andreæ extensionem passionis suæ transcripsit quâ ipse brevitate vitæ à Patre definitâ præventus, non potuit extendere. Cum vero dies vigesima quinta Martii, eo die inciderit in parasceven uti dicit S. Joan. *c. 19. v. 14.* quæ præcedebat sabbatum Paschæ, dicitur à Novarino & aliis Christus passus esse die Veneris, cui proindè allusit Poëta:

Crux Christi libenter ferenda.

Sancti implent ea, quæ desunt passionum Christi.

Christus passus est die Veneris.

Luce obiit Veneris, Veneris fle turba, videtur
Causa DEI passi, non minima esse Venus.

Tre-

Tremendum est namq; illud S. Remigii *in Ep. ad Rom. c. 1.* quod dicit: Demptis pauculis ex adultis propter carnis vitium pauci salvantur. Confirmat hoc P. Drexelius, qui ait Memini, & horreo quod à Præceptore meo audivi, si centum juvenes damnentur, ex centenis illis nonaginta novem, ob vitium carnis damnari. Sanè Sancta Christina vidit aliquando in spiritu mundum totum turpissimo pollutionis spiritu plenum, uti refert Cornelius á Lapid. *in c. 38. Gen.* ideoque DEum mundo gravissimè offensum, crudeles minatum plagas fuisse, quas ut Sancta Virgo, à mundo averteret, ipsa horrendis modis & mortificationibus, se ipsam excruciavit. Justa proindè est querela S. Hier. *Ep. 22.* Piget dicere, quot quotidie Virgines ruant, quantas de suo gremio mater perdat Ecclesia, super quæ sidera inimicus superbus ponat thronum suum, quod petras excavet, & habitet coluber in foraminibus earum. Videas plerasque viduas, antequam nuptas, infelicem Conscientiam mentita tamen veste protegere; quas nisi tumor uteri & infantium vagitus prodiderit, sanctas & castas se esse gloriantur, & erectâ cervice & ludentibus pedibus incedunt. An non his dixeris quod Diogenes cuidam dixit, qui cum vitæ esset mollissimæ, Leonis tamen exuviis tectus, Herculis instar incessit. Non tu desines Virtutis stragulas pudefacere? Indecens enim esse existimabat, quod homo mollis fortissimi Herculis amictum sibi vendicaret. O quot puellarum vertices non rosæ coronarent aut lilia, sed straminis ramenta, easque de venditâ pudicitiâ prostituerent! quæ tamen sub pudicitiæ velamento turpissimas libidines suas contegunt. Potestnè excogitari turpius aliquid aut fœdius concipi, quam ut vel ipsæ suas propalent libidines, & omni posteritati velint transcribere. Phryne infamis meretrix facta est, ut fieret opulenta, evasit tot accumulatis libidinibus locuples, ut fieret superba; & quidem fastu sic intumuit, ut etiam de turpissimo questu superbiret. Promisit se Thebas circumdaturam muris, si hæc inscriptio fieret, Alexander evertit; Phryne meretrix reparavit. Quid mirum ergo quod *Gen. 6. v. 12.* Cum vidisset DEus omnem terram esse corruptam, (omnis quippe caro corruperat viam suam super terram) quid inquam mirum, quod omnem terram diluvio vastare decreverit DEus. S. Chrysostomus *in hunc locum hom. 22. in Gen.* per carnem intelligit homines carnales. Nam inquit licet animam rationalem haberent, utpotè potio-

Libido potissima est damnationis causa.

S. Christina videt mundum plenum pollutionibus.

Meretrices plurimæ.

Homo mollis, Leonis Exuviis tectus ridetur à Diogene.

Infamis meretrix Thebas muris ex questu vult ornare.

rem & meliorem sui partem perindè tamen vivebant sine ratione, ac si sola carne constarent. Ita enim S. Greg. *l. 4. mor. c. 10.* DEus destruxit Pentapolim, igne enim punitus fuit ardor libidinis. Quod fusius & clarius explicat Innocentius III. *in l. de contempt. mund. c. 25.* Pluit DEus non imbrem vel rorem, sed sulphur & ignem. Sulphur super fœtorem luxuriæ, ignem super ardorem libidinis, quatenus pœna esset similis culpæ. Nec misisse dicitur sed pluisse, quatenus ipso verbo magnitudinem & abundantiam pœnæ notaret. Sed quid remedii? Tremendum est quod Spiritus sanctus *Prov. 2. v. 19.* dixit: Omnes qui ingrediuntur ad eam, non revertentur, nec apprehendent semitas vitæ, sunt enim ad libidinis ingressum portæ quasi papyraceæ, sed volenti reverti ferreæ, & quasi adamantinæ: Huc namque respexit Oseas cum dixit *c. 5. v. 11.* fornicatio & vinum & ebrietas, auferunt cor. Docuit hoc exemplo suo impius Herodes, cui *Marc. 6. v. 18.* tam instanter dixit Joannes: Non licet tibi babere uxorem fratris tui. Audite Andream Cretensem! apud Lipomanum *in Vita SS. tom. 1. orat. de decol. Præcursoris.* Et quidem ille à ratione alienæ voluntariæ congressionis deliciis obrutus, neque se potuit erigere, neque potuit aspicere lucem veritatis, sed mansit gravatus crapulâ libidinis. Quasi diceret, noli mirari, quod monita S. Joannis apud Herodem nihil effecerint, nam ut mortuum nemo alloqui, neque monere potest ut surgat, quantumvis vocibus altis quis illum inclamet. Sic cum Herodes esset obrutus luxuriæ vino, jaceretque in tumulo libidinis sepultus, Joannem nec in deserto, nec in regiâ, voluit audire dehortantem. Nam sicut est frustraneus labor, velle aliquid persuadere ebrio, sic etiam vana est opera, quæ revocando homini libidinoso impenditur. Accidit enim his, quod Alipio, qui theatrum ingressus, obfirmato plane animo oculos clausit, sed tandem ad instantiam amicorum aperuit, ast nihil in animum immittere decrevit. Decrevit quidem, sed factum est nihil. Audite S. Aug. *l. 6. Confess.* Ut vidit illum sanguinem, immanitatem simul ebibit, & non se avertit, sed fixit aspectum, & hauriebat furias, & nesciebat, delectabatur scelere certaminis, & cruentâ voluptate inebriabatur, & non erat ille jam qui venerat, sed unus de turbâ, ad quam venerat. Quid plura? spectavit, clamavit, exarsit, abstulit secum insaniam, quâ stimulabatur redire, non tantum cum illis, à quibus ipse prius abstractus est, sed etiam præ il-

Libido assueta non emendatur.

lis

lis alios trahens. Si uno aspectu mutatus sic est Alipius, quis præfidat se permansurum in spiritu, inter res quæ blandiuntur sensibus. Heu mihi etiam in vitiis quæ prius abominationi erant, si fortè prolabimur, timendum est, ne in iis ultro tam turpiter jaceamus. Ipsa pix pro balsamo est inquit quispiam, si cum culpâ manus candorem inficit. Quam bene S. Greg. *hom. 11. l. 2. in Ezech.* Ubi tædebat cadere, ibi libet jacere. Quare monitum Philonis est, *l. de decal.* Ni malum nascens inhibeas, crescit in immensam magnitudinem. Infandæ libidinis monstra fuerunt aliqui, ex quibus eminuit Proculus Imperator, Quo monstro, quid fœdius? Diodorus vero Herculis quinquaginta Thestiadas memorat. O ferina! & plus quam bestialis vesania! O si quis Deorum hæc monstra libidinis in eos impulisset amores, in quos œstro voluptatis percitus fuit Dulcitius Diocletiani Tyranni tribunus. De hoc refert historia Ecclesiastica, quod cum S. Anastasiam & socias à fidei proposito nullis blandiciis neque minis posset deterrere, neque sacram Virginem in suos amores valeret pertrahere, repentè oculis & ratione captus de loco judicii fugerit, & in vicinas domos irruerit, ubi lebetes & ollas ad ignem stantes, amplexatus & osculatus est, seque tantâ nigredine infecit, ut omnibus inspectantibus fieret ludibrio. O dignum vesanis amoribus objectum! Illuc nimirum irruit cœca libido, quo insanæ voluptatis ardor, & cœca concupiscentia pertrahit. Expertus est hoc luctuoso plane interitu Tribunus ille, qui dum assuetus libidinibus, noctu cum sociis vigilias obit, illustrem matronam festino pede domũ redeuntem cum facigero famulo conspexit. Quærit is, unde veniat, & quo tendat? seque si molestus non esset, in viæ socium offert. Dum simul procedunt, tres minus aptos socios à se dimittit, cum duobus reliquis matronam comitatur. Venitur ad domum, quam ardens libidine Tribunus subit, ibique fræna libidini laxans, aliundè in scelus jam paratæ fœminæ adulterium defert; neque ipse solus libidinem suam explet, sed socios etiam in scelus provocat. Vix autem ter repetito se polluerunt adulterio, cum ecce formosa illa Helena, quæ simul ac vestes, simul etiam mentitam formam dimisit, putridum cadaver se esse ostendit; & miserabilis Tribunus in cloacâ & omnium sordium colluvie cum sociis se reperit. Alterâ die Tribunus sine confessione periit, reliqui duo pari fato inter paucos dies crepuerunt. Et tamen inventus est quispiam, qui

Assueta fiunt usu ipso grata.

Libido cados & lebetes osculatur & amplexatur.

Tribunus in cloaca cum cadavere deliciatur.

teste Majolo *l. 2. Colloq. 2.* Halberstadii dives & luxuriosus, adeo Christianæ pietatis vixit immemor, ut dixerit, si talem vitam haberet in æternum, se libenter DEO cœlum cessurum. Moritur interim infernalis hæc talpa, totamque domum ita replevit spectris, ut incolæ domum deserere coacti fuerint. Apparuit ille quotidie vesperi, & cum Convivis suis oppiparæ mensæ assedit, inter choros musicos & mulierum amplexus, sed quomodo illa tractatio sapuerit, nimium heu miserandus ille senserit. O cœcas hominum mentes! O tristia voluptatum mancipia! Heu quam verum est, quod tam graviter lamentatur S. Cyprianus, Mentior inquit, si non viderimus exinde interitus plurimorum. Quanti & quales Episcopi & Clerici simul ac laici, post Confessionum, Victoriarumque calcata certamina, post magnalia & signa vel mirabilia usque quaque monstrata, noscuntur cum his omnibus naufragasse, cum volunt in navi fragili navigare. Et paulò post: Ante nos ista tractantur, & nullis terroribus coërcemur. Quid faceremus si opinionibus tantum gestas historias audiremus? Sed hæc est semper humanæ duritiæ perversitas ut non solum audiendo, sed etiam videndo, non credat alterum interiisse, nisi & ipse se viderit. Unde idem Cypr. Casuale dicit esse omne, quod fœmina est, & copulationem ejus semper infestam esse. De carbonibus inquit scintillæ dissiliunt, de ferro rubigo nutritur, morbos aspides sibilant, & mulier fundit Concupiscentiæ pestilentiam. Plutarchus de Olympia uxore Philippi Macedonis refert, quod aulici voluerint illi persuadere, quod Rex alienis amoribus detentus philtro fascinatus esset, at illa curavit regiam pellicem ad se adduci, quâ visâ dixit; cessent calumniæ, tu in te Veneficium habes, erat enim formosissima. Taceo quod à naturâ ipsâ quidam sit appetitus animalis & inclinatio nobis indita, quæ nisi à virtute & rectâ ratione coërceatur, cum ipsis bestiis in libidinem præceps ibit. Quis obsecro juveni illi à lacte materno abstracto, inter Eremi solitudinem educato, ubi nec fœminam vidit, nec voluptatis nomen audivit, ubi tamen vix vidit, fœminæ desiderium indidit. Hic enim in monasterii solitudine educatus, ubi casu ex monasterio cum Abbate ad civitatem progreditur, obvium sibi habuit currum plenum mulieribus, quæ cum vario garritu inter se cachinnantes garrirent & conferrent, juvenis monachus ex Sene Abbate quæsivit, quid nam hoc esset? cum vero respondisset Senex Abbas esse

Assuetus voluptatibus DEO cœlum cedit, si sibi vivere sic liceat.

Fœminarum consuetudo est periculosa.

Fœmina formosa est philtrum.

Natura nos ad amorem fœminarum inclinat.

esse anseres. O mi Pater inquit, etiam mihi talem anserem emas. Non dicam, quod Turcæ in Alcorano suo fingant, quod Aratus & Marotus duo angeli, à DEO missi fuerint, ut homines docerent, ne occiderent, ne falsè jurarent, ne vinum biberent. Hos venustissima quædam fœmina ad cœnam invitavit, in qua Angeli vinum biberunt, & deinde in illius concupiscentiam exarserunt, quibus illa cum conditione succubuit, si sibi viam ad cœlum monstrarent. Ubi illa viam didicit, Angelis digressis cœlum petiit, & DEO omnia prout acta sunt retulit. In præmium itaque fidelitatis, illa in stellam Luciferum est mutata, angeli verò à cœlo exulare jussi sunt. Delirium hoc est Turcarum, veritas est, quod multi in Ecclesiâ DEI velut Angeli, nimirum DEO dicati sacratique religiosi, à fœminis seducti apostatent. Interfuit author qui hoc scribit, quando in aulâ Marchionis Brandeburgici apostatæ varii religiosi suæ apostasiæ causam reddere jussi sunt. Plerique dicebant se propter religionem, ad libertatem Evangelicam advolasse. Princeps haud ignarus, quis eos spiritus impulisset, cum inquit propter Religionem huc veneritis, dicite quæso cujus generis sit Religio, illi credentes se grammaticè interrogari, pueriliter responderunt esse generis fœminini. Bene inquit Marchio respondistis, nam non tam propter religionem, quam fœmininum genus, atque ut Evam sociam haberetis, huc ad nos commigrastis. Verissimum namque est illud Petri Blesensis *serm.34.* Grave enim est consueta relinquere,& ferè impossibile est de carne triumphare, si de nobis ipsa prius triumphavit. Quia ex turpissimâ tandem assuetudine, in ipsam desperationem devoluuntur, juxta illud *ad Eph.4. v.19.* desperantes, semetipsos tradiderunt impudicitiæ in operationem immunditiæ omnis. Quod *glossa in c.31.Job.* confirmat. Visum sequitur cogitatio, cogitationem delectatio, delectationem consensus, consensum opus, opus consuetudo, consuetudinem necessitas, necessitatem desperatio, desperationem damnatio. Refert ad meum propositum Thomas Cantiprat. *l.2. Apum c.30. §.9.* quod circa festa paschalia convenerit se suffraganeus quidam, qui se absolvi petebat à mollitie, quâ se fœde polluere solebat. Ego, dicit ille, pro officii mei ratione ipsi absolutionem negavi. Promittens tamen emendationem multis precibus me induxit, ut absolutionem illi darem, ubi tamen ad suos rediit, iterum se fœdâ mollitie polluit, & subito DEI pœnam sensit,

Turcæ fingunt angelos captos amore mulierum.

Religio est generis fœminini.

Apostasiæ causa, fœmina.

Pollutionis consuetudo difficulter emendatur.

nam

nam in lethalem morbum incidit, & horrendè exclamans Vindicta DEI super me, expiravit. Quid quod nec ad patentes inferni fauces fatalis libidinis necessitas hominem resipiscere patiatur. Narrat Joannes Major *in spec. Exempl. distinct. 10. Exempl. 30.* apud Geldrienses juvenem eo libidinis prolapsum esse, ut omnino emendationem desperaret. Confessus quidem est sæpius, sed ad pristina relapsus, nullum specimen dedit seriæ pœnitentiæ. Quarè cum Confessarius negaret absolutionem, dixit juvenis: Ea vis est tentationis, ut si hinc hiantes inferos, illinc assueti criminis viderem occasionem, me cohibiturus non sim, sed ad consuetas voluptates me converterem. Sic desperatus abscessit, atque suis in sordibus computruit. Si te ô Christiane non movet tremendus inferni aspectus, moveat te vel ipsa crudelitas libidinis, quæ filium DEI tam atroci subjecit passioni. Audi vel ipsa Veneris mancipia *Sap. 2. v. 8.* Nullum pratum sit, per quod non pertranseat luxuria nostra. Conclusionem audi: Morte turpissimâ condemnemus eum. Quis obsecro de coronis florentibus & fertis suaveolentibus, cruenta vincula formidaret? quis in dulcibus Vini poculis gravissimos augurare-tur dolores? Et tamen S. Aug. *in hunc locum.* Ex his mollibus luxuriæ pratis, durum Crucis lignum enascitur. Quoties enim à nostrâ libidine cruentatur DEus? Unde bene S. Eucherius *in illud S. Pauli ad Rom. 3.* Quem proprosuit DEus propitiatorem per fidem in sanguine ipsius, sic loquitur: Dominus noster JEsus Christus non solum divinitatem, sed etiam mortem & Crucem futuris sæculis vult celebrari, ut à peccatis, propter quæ mortuus est, non solum nos DEI mandata revocent, sed illata pro nobis supplicia & vulnera deterreant. En prostat Christus cruentus de Cruce pendens exclamat Stephanus Cantuar; accedat qui peccat, accedat & videat Crucem, videat Crucem, videat propter se mulctatum morte, turpatum in cruce, sputis illitum, plagis lividum, spinis coronatum lanceâ perforatum, & esse adversarius erubescat. Si enim quod de se ipso refert S. Ephrem Syrus, quoties in tabella spectavit sacrificium Abrahæ immolantis filium suum, Patrem nimirum evaginato instructum gladio, filium vero Isaac super ligna flectentem, & Patris ictum expectantem, à lachrymis se continere nequivit, quotiescunque inquit ille hujus pueri contemplatus sum imaginem, nunquam sine lachrymis præterire potui. Certè si figura tam potenter movere potuit

Libido assueta neque inferno terretur.

Christus crucifixus à peccato nos deterrere debet.

Isaaci imago movit, quidni Crucifixi.

tuit ad compassionis lachrymas? Quid cruentus in Cruce JEsus faciet, si pio ante te pendentem oculo fueris contemplatus.

Dicitur autem Christus passus sub Pontio Pilato, qui erat Præses Judææ nomine Romanorum, qui tunc Judæis dominabantur, atque Regis titulum Herodi contulerunt. Erat is homo Gentilis ut notanter ostenderetur, quia fructus passionis maximè ad Gentiles transiit, quo se propter duritiam cordis sui fecerunt indignos: Dum verò Christi passionem contemplor, & illius in horto initia intueor, occurrit mihi Criminalistarum consensus, qui primum Torturæ gradum esse dicunt, si reus ducatur ad locum, ubi ei ostenduntur instrumenta supplicii. Accidit hoc Christo, cui Pater æternus ab unâ parte Adamum in paradyso exhibet de ligno vetito pomum sustulisse, ab alterâ instantis passionis supplicia ab angelo repræsentata, ut mirum non sit, quod hinc velut homo tam cruentæ passionis seriem paveret, indè ad multitudinem & fœditatem nostrorum peccatorum erubesceret, atque adeo toto corpore sanguinem sudaret. Ubi enim illi Pater imposuit onus peccatorum nostrorum, procidit in faciem. Eleganter S. Ambr. *in ps. 118.* Peccato gravescit oratio. Tanto autem plus gravatur, quanto magis improba est vita nostra. Causam dat Tertullianus. Oratio de Conscientiâ procedit, erubescit itaque oratio. Scilicet Christus etiam alienorum peccatorum conscius in faciem procidit, dicente Salmerone *tract. 12. in c. 26. Matth.* Erubescebat faciem levare ad DEum, cum peccata totius mundi sustineret. Et hæc erubescentia ex onere peccatorum nostrorum prodiit, velut dum quis gravatur pondere, rubro colore in facie perfunditur, quia nimirum condensantur partes corporis, ipseque sanguis in partes exteriores cogitur. Ideoque ex tanto pondere compressus Christus ejusque sanguis, vel per ipsos poros effusus est, adeoque *Luc. 22. v. 44.* factus est sudor ejus sicut guttæ sanguinis decurrentis in terram. *Lucanus l. 9.* de serpente Hymorchæo refert, quod morsu suo ita corpus hominis inficiat, ut per oculos & per omnes corporis poros sanguinem copiosè provocet. Serpens qui in paradyso humanum genus momordit, & culpæ veneno in primo Adamo infecit, in secundo Adamo nempè Christo amore nostri passo, per omnos poros corporis innoxium sanguinem elicuit ac expressit. Perge nunc amantissima Sponsa, & in horto tuo à validis Boreis stillantia aromata expecta. Dic audacter *Cant. 4. v. 16.* Sur-

Fructus passionis ad gentiles transiit.

Christus in horto velut in primo gradu torturæ.

Christus in horto orans erubescit ad peccata nostra.

Serpentis morsus toto corpore sanguinem elicit.

ge Aquilo, veni Auster perfla hortum meum, & fluent aromata. Ubi advertendum est, quod cum Plinio naturalistæ dicunt, quod in Ægypto myrteta validioribus ventis agitata, guttas & liquorem balsami emittant, quæ myrrha prima & selecta est, altera quæ per decisionem destillat, minus odorifera sit. Hinc Aquilones & Boreas Sponsa rogat ut insurgant. Christus in horto montis Oliveti velut arbor myrrhæ solidissimè radicata, sic enim teste Beda in oratione fixus fuit, ut vel ipsa orantis vestigia lapidi impresserit. Verba sunt authoris. Ex vehementia internæ afflictionis sudans adeo genua fixit, ut vestigia eorum in lapide remanserint. Venti autem qui hanc arborem myrrhæ agitarunt, caro & spiritus, amor & timor in Christo, dici possunt, quibus agitata Christi humanitas, pretiosum sui sanguinis balsamum, non dicam stillavit, sed profudit. Sed surgit ab oratione JEsus, surgamus & nos. Ecce enim Judas unus de duodecim venit, & cum eo turba multa *Matth. 26. v. 27. & Joan. 18. v. 12.* Cohors ergo, & tribuni, & ministri Judæorum, comprehenderunt JEsum, & ligaverunt eum. Credamus myrrham nostram nimium jactatam, meliori fortè consilio ligari, ne omne planè balsamum exsudet. Rabbi Isaac ex hebræo Christianus dicit, quod funis collo Christi injectus, fuerit ipse ille, quo victimæ offerri solitæ ligabantur, contextus ex pilis equi illius, in quo olim equitaverat Abraham. Nunquam tam pretiosa victima, hoc fune ad aram fuit attracta. Undè vel ipsæ statuæ Romanorum Imperatorum, quod asserit S. Vincentius Ferrerius, cum captus JEsus ingrederetur civitatem, eidem transeunti se inclinaverunt. Sic ergo vinctus sistitur summo Pontifici, & coram Prætorio Caiphæ fit blasphemiæ rea, ipsa DEI Sanctitas. Videte obsecro in atrio Caiphæ filium DEI, quem cum falsis etiam calumniis impetitum convincere non possent, propria confessione, quod filius DEI esset, declararunt blasphemum. Postquam enim Caiphas interrogavit an ipse esset filius DEI? & JEsus respondisset ego sum, statim discidit vestem, & litem decisam pronunciat, fitque filius DEI reus blasphemiæ. Audistis inquit blasphemium? O egregiam Judicii formam! Nunc primum ad Assessores convertitur; quid vobis videtur? postquam jam sententiam publicavit: Audistis blasphemiam; postulat suffragia. Quid juvat dicere, quid vobis videtur? si dictum est prius audistis blasphemiam? Non fert Caiphas condemnationis sententiam per se, exclamat Victor Antiochenus

Christus in horto velut myrrha balsamum fundit.

Christus orans vestigia lapidi imprimit.

Funis Christi captivati, fuit funis Victimarum.

Statuæ Roman. Imp. se Christo capto inclinant.

Christus in prætorio Caiphæ accusatur.

in

in c. 14. Marc. sed exigit illam ab assessoribus & circumstantibus, qui tamen tuniculæ discissione omnes permoverat, & in suam sententiam pertraxerat. Sic non finiuntur, sed prostituuntur judicia ô Caipha! quando is qui dominatur reliquis, mentem suam primus aperit, & inclinationem manifestat. Hinc ut amplius placeret Pontifici impius aliquis ministrorum, qui tunc erat assistens, in augmentum ludibrii validam alapam Christo impegit; de quâ Landspergius *serm. 2. pass. Dom.* Tradunt alapam adeò fuisse validam, ut digitorum vestigia retineret Christus in maxillâ, quod in Veronicæ Sudario Romæ cernitur manifestè. S. Brigitta *l. 1. revel. c. 10.* in persona Virginis Mariæ dicit: filius meus tam fortiter & valenter percussus fuit in faciem, ut licet ego non viderem percutientem, audivi tamen clarè sonitum percussionis. Eadem rursus *l. 4. revel. c. 7.* Christi maxillas persæpe pugnis, alapis, colaphis, Virgis, armatâ etiam manu cædebant, ut dentes quoque licet non effringerent, ita tamen concuterentur, ut copiosè sangis efflueret. Quid scelestius? coram Principe? in aula? Christo innocentissimo alapa impingitur. D. Cyrillus *l. 12. in Joan. c. 46.* putat aliquos ministros fuisse Caiphæ suspectos de meliore in JEsum affectu, idcirco ne de suo animo benevolentiaque principes suspicarentur, alapâ Christum cædit. Benè namque inquit Cyrillus, Ea quibusdam servis insita est ambitio placendi potentioribus, ut nullum horreant scelus, ne ab illorum benevolentiâ excidant. Quod fit maximè, si ipsi Domini scelerati sint. Quod de his Sacerdotum Principibus dixit S. Chrysostomus *hom. 33. in Matth.* quia figura ibi duntaxat erat judicii, re autem ipsâ latronum impetus. Et hinc quia omnis licentia scurrilis contra Christum placuit iniquissimis judicibus, tanto crudelius sævierunt in innocentissimum JEsum, ut quo quisque eum audacius feriret, tanto laudabilius operaretur, gratiorque crederetur. Nudatur itaque vestibus & ad columnam alligatus flagellatur: Revelavit B. Virgo S. Brigittæ *l. 1. revel. c. 10.* Alligatus autem nihil operimenti habebat, & patiebatur erubescentiam nuditatis suæ. Hæc porro nuditatis pœna intendebatur ex eo, quia facta est in publico loco, in prætorio spectantibus cunctis aulæ custodibus & militibus, quorum erant penè sexcenti, qui attentè & consideratè inspexerunt omnia juxta illud *ps. 21. v. 18.* Ipsi vero consideraverunt & inspexerunt me. Fugit Adam nudus in paradyso *Gen. 3. v. 10.* Timui quod nudus es-

Christus alapa cæditur.

Servi ut Dominis placeant sunt scelerati.

Christus flagellatur.

Nuditas Christo dolorosa.

 sem,

ſem, & abſcondi me. Sed quem fugiebas ô Adam? forſitan DEum? at ipſe te nudum creavit. Forſan animalia? ſed hæc ratione carent, & vel nudo tibi ſubjecta fuerunt. Si uxorem fugis? eſt etiam illa nuda. Niſi forte ideo, quia probroſum eſt, vel ſe ipſum nudum conſpicere. S. Martinum Archidiaconus monuit, ut ad ſolennia Miſſarum procederet, Videns autem quod tunicam ſuam pauperi dediſſet, compulſus ab urgente tempore ad forum procurrit, & vilem veſticulam pro pauculis denariis emit, eamque indignabundus ante pedes Epiſcopi abjecit; quam Epiſcopus humiliter elevavit, & induit, licet illius manicæ ad cubitos ſe ſolum extenderent, Longitudo verò vix genua attingeret. Cum verò S. Martinus in ſacrificio Miſſæ Corpus Chriſti in Elevatione manibus ſuis altius extuliſſet, ambæ manicæ ſic retractæ fuerunt, ut nuda brachia apparerent, quæ ſtatim ſpectante univerſo populo famulantes Angeli contexerunt. Ubi modo moramini cœleſtes Miniſtri? toto corpore ad ludibrium proſtat nudus DEI Filius. S. Agnes veſtibus jam ſpoliata, dum in lupanar abripitur, per Angelum divinâ luce induitur, & veſte de cœlo datâ ornatur. S. Barbara cum ex ingenti odio impiiſſimi parentis ad ignominiam raperetur, DEus illam mirabili luce contexit, & Virgineum illius corpus impudicis Ethnicorum oculis ſubduxit. Graviter S. Bern. *ſerm. de paſſ. Dom.* dicit, quod Chriſtus tantæ fuerit honeſtatis, ut majorem ſenſerit confuſionem ex denudatione unius ſcapulæ, quam alius quisque ex denudatione totius planè corporis. Quare ipſe per Prophetam dicit *pſ. 43. v. 16.* Totâ die verecundia mea contra me eſt; & confuſio faciei meæ cooperuit me. Id eſt juxta mentem Divi Ambr. Inter alia tormenta graviſſimum fuit, ut reliqua omnia exceſſerit. Et hinc ut exprimeret ſenſum ſuum *pſ. 34. v. 15.* Congregata ſunt inquit ſuper me flagella, & ignoravi. Quem locum explicat S. Anſelmus ſic: Nuditas hæc tantum Chriſto inflixit dolorem, ut alium non ſentiret. Hinc dicit, & ignoravi. Tanta inquit dictus Anſelmus *tract. de paſſ.* erat pudoris Chriſti vis, ut nec oculos auderet levare, ſtrepitum ſævientium militum audiebat, & ignorabat flagella, quæ guſtabat.' Taceo jam horrendam flagellationem, de qua S. Laur. Juſtin. *l. de triumph. Chriſti agone c. 14.* Ligatus cæditur, totumque corpus flagris diſſipatur. Nunc ſcapulas, nunc ventrem, nunc brachia, nunc crura, cingunt, vulnera vulneribus, plagas plagis recentibus addunt.

S. Martini nuda brachia in ſacro Angeli tegunt.

S. Agnes nuda, divina luce tegitur.

S. Bern.

S. Bern. *serm. de pass.* ipsum sacratissimum sanguinem per aërem sparsum dicit. Landspergius 73005. guttas hac crudeli flagellatione effusas affirmat. S. Brigitta *in suis revel.* ait Christum cœsum esse flagellis aculeatis, sic ut infixis aculeis non evellendo, sed sulcando totum corpus ejus flagellaretur, subdit deinde: Vidi corpus ejus flagellatum usque ad costas, ita ut costæ ejus viderentur. Caro enim ex sulco flagellorum jam planè disrupta erat, & undique aperta, sicque in medio patebant ossa candida. S. Greg. *l. 6. mor. c. 31.* illud Jobi Christo applicat, pelli meæ consumptis carnibus adhæsit os meum. Job inquit Redemptoris nostri, ejusque corporis cruciatus passione sua signavit. Nomen Job quidem interpretatur esse dolores. Et quis alius in Job dolente figurabatur nisi is, de quo scriptum est, Vere languores nostros ipse tulit, & dolores nostros ipse portavit. Quare illud Isaiæ: Nos putavimus eum quasi leprosum SantPagninus legit: Nos putavimus eum plagatum & percussum velut Job ulcere pessimo. Meritò proindè exclamat S. Bern. *serm. de Pass.* Volve & revolve pellem corporis JEsu, à plantâ pedis usque ad verticem capitis nihil invenies in eo, nisi dolorem, nisi mœrorem. Denique inquit S. Justin. inter ipsos lictores ille beatior, illeque præstantior credebatur, qui in contumeliis irrogandis, infligendisque verberibus crudelior extitisset. Neque hic stetit furor Judaicæ vesaniæ, in ipsum caput sævitum est, & plurima vulnera sanguine manantia, in solo capite sunt reserata. O quam verè exclamat S. Bern. Ingreditur JEsus hortum florum, sed non tempore florum, ipse flos humanæ naturæ, ut naturam nostram minimè florentem efflorescere faciat; & ut indè traheretur ad pœnam, undè primus homo fuerat tractus ad culpam. Aristæus refert de rege Salomone quod annulum habuerit, cui insculptæ fuerunt variæ literæ & signa, inter alias imagines duas habebat coronas; auream unam, spineam alteram, cum hac inscriptione Victoria amoris. Profectò in Spineâ Coronâ Christi legere debemus Victoriam amoris. Et hoc est, illud mysterium *Gen. 22.* de ariete, quem Patriarcha Abraham, cornibus hærentem inter vepreta loco Isaaci filii sui victimavit. Pulchrè namque S. Hier. *in Genes.* Dominus erat affligendus spinis peccatorum, at divinitas fuit illæsa, uti Isaac manu Angeli fuit liberatus, sed aries inter vepreta fuit mactatus. Sic humanitas Christi inter vepres peccatorum nostrorum est passa. Arundinem Christo dolorum Regi in manum

Flagellatio cruenta

Coronatio Cruenta.

Salomonis annulus Spinea corona ornatur.

 dexteram

dexteram dederunt, quia ut inquit S. Anselmus *serm. de Pass.* Manu tenere voluit cannam, ut deleret magnam illam debiti summam, quam natura humana divinæ debebat justitiæ, ratione Chirographi, cui subscripserat voluntas humana, dum peccavit in primo parente. Nisi forte dicamus cum S. Hier. hanc cannam fuisse instrumentum scribendi. Cum enim jam haberet paratam chartam nimirum sacratissimam Carnem suam, & simul in promptu esset atramentum tam largiter profusi sanguinis, non inveniebatur calamus aptior hac arundine, quâ efformari debebant characteres tam admirandi amoris, quod scilicet DEus moreretur pro homine, Dominus pro servo, innocens pro peccatore. Ita enim S. Hier. *in c. 27. Matt.* Et posuerunt arundinem in dextra ejus, quia calamus illi deerat ad scribendum novi amoris opus, quod in se operabatur: Denique ad Pilatum devolvitur processus innocentis sanguinis, ut verum sit dicere, passus esse sub Pontio Pilato. Est hæc sæpè politica moderni temporis, ut crebro Reges & Principes non intersint consiliis criminalibus, non subscribant sententiis capitalibus, denique non damnent illi; efficiunt tamen, ut alii id faciant, & sæpè juratis votis in mortem alterius cogunt assidentes. Palliata hæc fuit Judæorum nequitia, dum dicunt; nobis non licet interficere quemquam, interim tamen, quod dicit S. Leo *serm. 8. de Pass. Dom.* Offerebant JEsum duris nexibus vinctum, colaphis cœsum, sputis oblitum, clamoribus prædamnatum, ut inter tot præjudicia, cum omnes vellent Christum perire, Pilatus non auderet absolvere. Dicite! si potestis, quid aliud sonant voces illæ, si hunc dimittis non es amicus Cæsaris, nisi Pilatum impellere in fatalem necessitatem sententiæ, & iniquissimæ damnationis. Bene namque S. Leo citatus, Qui divino jure neglecto, clamarunt se Regem non habere nisi Cæsarem, tanquam Romanis devoti legibus, quasi omne Judicium potestati Præsidis reservassent; expetierunt utique Pilatum magis Executorem sententiæ, quam arbitrum causæ. Prævalet tamen perfidia, prostituuntur jura & leges, conculcatur æquitas, & innocentia Cruci adjudicatur.

Arundo in manu Christi.

Judiciorum corruptela.

Interim dum Crux paratur ego cum Latrone bono, innocentis JEsu sanctimoniam, cum nostris peccatis exæquabo, ut tanto facilius justæ Compassionis affectum in nobis excitemus. Ordiamur ergo ab ipsâ mundi origine; **Et eccè Adam in sudore vultus sui vescitur**

tur pane suo. Christus in horto sudat sanguinem. Eva in dolore parit filios, Christus in dolore crucis parit salutem. Sed dicant parentes nostri, nos quidem digna factis recipimus; Dicam ego de Christo, hic autem quid? Cain passus est tremorem corporis, cœpitque omnia timere; JEsus meus cœpit pavere. Paveat fratricida infamis, quia digna factis recipit, cur autem JEsus trepidat? hic nihil mali fecit. Orbis universus diluvio oppressus est; Ecce in diluvio sui sanginis est Christus, factus est sudor ejus sicut guttæ sanguinis decurrentis in terram. Sed omnis caro corrupit viam suam, sic ut pœniteret DEum creasse hominem; hic autem quid? Noë ridetur a filio,& ob nuditatis opprobrium apud fratres traducitur; JEsus innocentissimus vestibus nudatur ad columnam, & in Calvariæ monte corā omni populo nudus exuitur; Noë incautus se inebriat; hic autem quid? Sedecias captivus in Babyloniam abducitur, ejus filii occiduntur. Christus osculo Judæ proditur, catenatur & captivatur, ducitur in Concilium Seniorum & Sacerdotum omni Babylone magis confusum, fugiunt discipuli, Petrus ipse negat, Apostoli præ timore latent in abdito. Sed Sedecias fecit malum coram Domino, digna proindè factis recepit. JEsus autem quid? Maneamus in Babylone quod tragicum videri potest vindictæ divinæ theatrum, in hoc innocens Daniel in lacum leonum abjicitur, & ideo servatur; Ejus maligni accusatores in lacum injiciuntur, & devorantur, accusatores Susannæ lapidantur; sed juste, digna enim factis recipiunt. JEsus autem quid? In deserto murmurat populus, ab ignitis serpentibus mordetur, & meritò quidem, quia contra DEum murmuravit. Hic autem quid? Achan lapidatus est ob furtum purpuræ; Ecce Christus purpurâ illuditur, quia primi Parentes purpuram divinitatis affectarunt; hic autem quid? Tu mi Christiane hæc spectas; & tamen Christo pro te passo non compateris? Audi vel ipsum Christum apud S.Bern. sic loquentem: O homo! vide quæ pro te patior, ad te clamo, qui pro te morior, intus tamen est dolor intensior, dum te tam ingratum experior. Unde expende an possibile sit, ut creaturæ sensus expertes ingratissimum hominem possint superare? Merito proinde inter suspiria & lachrymas exclamat Drogo Ostiensis *l. 1. de Sacram. Dom. Pass.* Passio Domini celebratur, & nos voluptati operam damus. Clamat nobis de cruce; O vos omnes, qui transitis per viam, attendite & videte,

Christus innocens patitur, nos nocentes.

Christus ingratidudine nostra affligitur.

si est dolor similis, sicut dolor meus. Et nemo est qui audiat, nemo est qui consoletur, nemo est qui respondeat. Quam justè queritur S. Hier. super Mat. Omnis creatura compatitur Christo morienti, Sol obscuratur, terra movetur, petræ scinduntur, velum templi dividitur, sepulchra aperiuntur, solus miser homo non compatitur. pro quo solo Christus patitur. In Palæstinâ cuidam Anglo Saracenus ostendit, quod totâ Carenâ seu hebdomadâ Sanctâ, quamvis verno & amœno tempore, aves quasi mortuæ in formam Crucis expansis alis jaceant, idque quotannis fieri dixit, sed die paschatis manè, suavissimo cantu rursus modulantur. Justo cum dolore queritur S. Bern. *serm. de pass.* Christus ascendit in altum Crucis, ut ab omnibus videretur, cum magnâ voce clamavit, ut ab omnibus audiretur: clamori lachrymas addidit, ut ei homo compateretur. Qui ad ejus clamorem non compungitur, gravior est terra; fœtidior sepulchris, & durior petris. Memini me legisse quod S. Joannes Evangelista maximo desiderio flagraverit, videndæ in cœlo gloriosæ B. Virginis, cui se illa stitit, sicut illi sub Cruce fuit commendata. Neque illi se tantum videndum obtulit, sed eidem etiam fusius est collocuta, atque longum cum ipso de Christi passione sermonem habuit. Dixit inter reliqua, se cuivis fideli passionem Christi piè meditanti, tres prærogativas daturam; Primo ut antequam è vivis decedat, sinceram de suis peccatis eliciat contritionem. Secundo quod ipsi singulari semper sit adfutura præsidio. Tertio quod sibi Christus transcripserit omne jus, quidvis pro tali impetrandi. Felicem te mi Christiane dicam, si quod jure suo exigit à nobis amore nostri passus DEus, tu tot gratiis illectus, pro salute tuâ feceris. O! si audire mevereris cœlestem illam benedictionem, quam beata Angela de Fulginio audivit, uti refert historia vitæ. Hæc enim cum diè Veneris sancto devotè planè & affectuosè meditaretur passionem Christi, audivit vocem cœlestis sponsi: Benedicat vos Pater meus, quicunque acerbissimos dolores meos commiseratione prosequimini. Cœlum in vos omnia dona sua depluat. Benedico vobis Cruci meæ addictis. O quantum benedictionis cœlestis depluerit cœlum in Cor S. Claræ, quæ ex jugi meditatione passionis Christi, ita sibi ardenter passionē Christi impressit, ut vel in ipso exenterato emortuæ corde, Christus columnæ alligatus cum cœteris Passionis instrumentis inventus sit. Tu aliquando saltem hæc eadem meditare, & Christo tanta pro te passo gratias age.

Morienti Christo omnis creatura compatitur, solus homo non.

S. Joan. Evang. desiderat videre B. V. videt, sed sub Cruce.

Passionem amanti Maria gratias tres promittit.

Angela de Fulginio vidit devotos passioni à Christo benedici

S. Clara in corde suo Christum in columna exhibet.

DISCUR-

DISCURSUS XXII.

Christus Crucifixus est pro nobis.

BAsilides hæreticus dixit Simonem Cyrenæum loco Christi Crucifixum, quod etiam, credunt Mahometani, dicuntque Christum sicut in vita fecit magna miracula, ita in morte magnum hoc fecit portentum, quod militum oculis imposuerit, & se subduxerit. At quis has fabulas credat, quod à Cruce se subtraxerit is, qui teste Paulo *ad Phil. 2. v. 8.* æterno Patri usque ad mortem Crucis factus est obediens. Neque enim frustra DEus *Deut. 28. v. 66.* promisit Israeli custodienti mandata sua: Erit vita tua pendens ante te. nisi Christum ipso Davide teste à ligno regnantem voluisset pronunciare. Loquantur vel ipsa Christi resurgentis vulnera & ostendant non scenam fuisse personatam in Christo Crucifixo, cujus tam manifesta vestigia fixuras nimirum clavorum vel ipsis Apostolis in argumentum veræ resurrectionis demonstravit. Nisi forte dicere velimus, quod & credere debemus, DEum nostræ carnis in veste suspensum, subiisse loco nostri pœnam Crucis; & culpam exsoluisse, quam ipse nunquam contraxit. Sic enim S. Thomas de Villa nova *serm. de advent. Dom.* Quid magis homini peccanti horrorem incutere potest, quam videre filium DEI pro peccato in patibulo Crucis morientem, & terribilem pro peccato hominis satisfactionem reddentem. Nihil me Domine ita à peccato deterret, sicut videre filium tuum dilectissimum Unigenitum propter peccatum clavis affixum, latronibus associatum & crudelissimâ morte mulctatum. Unde meritò exclamat Origenes. Filius DEI pro peccatis mortuus est ô Christiane, & te peccare delectat? DEum ô homo! pro peccato consputum, flagellatum, laniatum vides? & peccas? Pari verborum pondere peccatorem alloquitur S. Bern. *serm. de Pass.* Considera ergo ô homo quantum summam DEI majestatem offendis, quam post talem dilectionem contemnis, & quantum in te est, eundem filium DEI pro te Crucifixum, iterum vitiis tuis crucifigis. Non

Vulnera in Christo resurgente ostendunt Christum vere Crucifixum.

Crucifixus nos à peccato deterrere debet.

Christus Mariæ Magdalenæ de Pazzis dicit se Crucem prælegisse.

miror equidem ego DEI filium amore Crucis, quam pro nobis passus est, de cœlo in terras attractum adeo adamasse Crucem, ut S. Mariæ Magdalenæ de Pazzis pie, curiosè tamen interroganti: Dic mihi ô Verbum ubi libentius manebas? in utero Mariæ? an in Cruce? Responderit Christus in Cruce! in Cruce? Hoc enim est quod dicit S. Bernardus chariora illi fuêre brachia Crucis, quam, ubera Matris. Ludovicus Landgravius Thuringiæ interrogatus an Elisabetham Ungaram sponsam suâ amaret? Respondit, se plus diligere Elisabetham, quam montē vicinum, licet is totus aureus foret. In signum amoris cum limbis argenteis inclusum ei misit speculum, quod internè clausit Crucifixus elegantissimè pictus. Dubitare poteramus de amore DEI erga nos peccatores, sed amoris sui tesseram, nobis exhibet æternus Pater, dum nobis in signum amoris sui, dedit filium in Cruce pendulum. Amat ergo nos, qui amore nostri est Crucifixus. Sed & nos amemus, adeoque in Calvariæ montem ex prætorio Pilati, cum piâ plangentium turbâ egrediamur. S. Bonav. *in suis de Pass. meditat.* Christum crucem bajulantem contemplatur, & sub Crucis onere lapsum lamentatur. Et verò doloris plenum est spectaculum, innocentissimum Christum à flagris cruentum onerari gravi Cruce quercinâ, & ipso in lapsu à Cruce crudeliter concuti. Scio ego Isaacum ligna sibi in holocaustum tulisse, nec tamen lapsum audio. Christus in arâ crucis pro nobis victimandus, sub crucis pondere concidit. Ille nimirum fortis DEus, cui duodecim legiones Angelorum ad nutum famulantur, ille qui omnem terram, vel uno nutu facit tremere, ille qui tribus digitis totam terræ molem suspendit, & omnia portat verbo virtutis suæ; Cruce suâ gravatur in tantum, ut ponderi succumbat, & toto corpore concidat. Sandæus *in sua pædia super illud Isa. 58.* Solve fasciculos deprimentes, per fasciculos deprimentes peccata nostra intelligit, quæ Christum tantoperè gravitasse asserit, ut ad terram usque depresserint. Quid mirum? si sub tanto pondere labascat? Coacti ergo Crucem Simonis humeris imponunt, non ut misericordiam Christo exhibeant, sed ut illum ad crudeliorem sævitiæ suæ & inhumanitatis tragædiam reservent. Præcepit DEus *in Levit. c. 7.* Quod si quispiam ex populo sacrificare vellet vitulum, ut detractâ primum pelle, & sanguine sparso per circuitum altaris, carnes deindè in frusta concidant, sicque futurum sacrificium DEO gratissimum, adeoque peccatum remit-

Ludovicus Elisabethæ sponsæ in signum amoris speculum cum Crucifixo mittit.

Christus Crucem bajulat.

mittendum. Certè sacrificiorum quæ DEo offeruntur maximum fuit Christus, ut ait *Cyrillus in Joan.* cujus sanguis totus in monte Calvariæ sparsus est, quando illum Judæi exuerunt vestibus. Inhæserat quippè corpori cruentato inconsutilis tunica, ut inquit S. Laur. Justin. *de Christi agone c. 10.* quæ sanguine hausto siccata erat, quamobrem pellem totam detrahere compulsa est. Quod devotè aliquando contemplatus S. Bern. profuso lachrymarum imbre sic Christum est allocutus: O Afflictissime JEsu! ô dulcedo cordis mei! an non sufficit tibi, ut instar latronis te Crucifigant, sed insuper vis, ut tibi pellem & cutem animalis instar ad victimam destinati detrahant. O crudeles ministri! Si brutum & rationis expers animal, non nisi mortuum excoriatur, cur ab hoc innocentissimo agno adhuc vivo pellem detrahitis? Inaudita hæc est crudelitas, & nullo unquam retroacto sæculo tolerata. Crudelis omnino hæc fuit denudatio, quia non solum ei vestes, verum ipsam pellem detraxistis. Quid hac nuditate turpius? quam dum S. Brigitta piè contemplata fuit, revelante Christo didicit, quod tantum probrum ferre non potuerit Beata Virgo, & cum aliud quo ipsum cooperiret non haberet, sancto amore excitata, sumpto capitis sui velo intrepidè accesserit, nudique JEsu lumbos contexerit. Sic enim ipsa S. Anselmo fassa est, in quadam revelatione, ubi dixit: Cum venisset ad locum Calvariæ ignominiosissimum, nudaverunt JEsum unicum filium meum totaliter vestibus suis, & ego exanimis facta fui, tamen velamen capitis mei accipiens circumligavi lumbis suis.

Christus dolorosè nudatur vestibus.

Denudatio Christi dolorosa.

B. Virgo Christum nudum velat.

Parata jam morti victima credi poterat, adeoque humi prostrata aræ Crucis incumbere jubetur, & brachia extendere, atque in non auditæ crudelitatis scenam pedes aptare. Si dubitas ô Christiana anima de tui amore, & accedere formidas, aspice in Cruce extensa brachia Christi tui, vocat te ille, ut audacter accedas. Extendi, queritur ille, *Prov. 1. v. 24.* manum meam, & non fuit, qui aspiceret. Quem locum Lyranus sic explicat. Extendi manum meam, quia DEus semper paratus est levare à peccato, dummodo faciat homo, quod in se est. Et Jansenius in hunc locum inquit; Extendi manum meam ad vos, ut scilicet illam vobis præberem, meoque auxilio ad me pertraheremini. Pulchrè plane S. Bern. *serm. de Pass. Dom.* Quis non rapiatur ad spem impetrandi veniam, quando considerat brachia Salvatoris extensa ad amplexandum, & manus

Christus crucifigitur.

perforatas ad largiendum. Ut meritò nos confundi debere dicat S. Greg. *l. 9. mor. c. 6.* ob nimiam filii DEI patientiam, si ejus Justitiam nolumus formidare. Et verò quis formidet? quando in cruce clavis confixas manus perfodi sibi passus est, ut omnia effunderet, suosque donorum thesauros in nos largiretur. Instat Joannes Pinna DEus dum in hæc humana descendit crucis mortem elegit, sibi etiam manus confodi passus est, ut nihil omnino intra manus conservare posset, sed nolens volens omnia quæ habet, largiretur. S. vero Antonius de Padua *Dom. 12. post Trin.* Cum Christus in Cruce manus extendit, & extensam clavo aperiri voluit, tunc per ipsius manus foramen misericordiæ thesaurum effundens, omne animal implevit benedictione. Hinc bene Petrus Damianus exclamat: O Sanctè prodige! Quod integrum in te natura formavit, hoc clavus aperuit. Erigitur jam in Cruce Christus, & medius cœlum inter & terram pendet. Volebant aliquando Judæi Christum lapidare, sed subduxit se. Neque enim in terrâ, neque in aquâ moritur Christus. Scilicet ne sit qui dicat. Hæc terra, aut hæc aqua mea est. Aërem nemo proprium habet. Communis aër est omnibus. De Christo dicit Paulus, pro nobis omnibus tradidit illum. Memorat scriptura *4. Reg. 3. v. 27.* quod Israël obsederit Regem Moab, qui obsidione arctâ pressus, idolo suo proprium filium litavit super mœnia. Vidit id Israël, & facta est indignatio magna in Israël statimque recesserunt ab eo. Videri poterat cœlestis Urbs Jerusalem, & DEus ipse quasi à peccatoribus obsessus, ut nos à peccatis absterreret DEus, Pater filium suum Cruci affixum è cœlorum mœnibus in ipso aëre suspendit. Sed quid hoc? DEus à nobis offensus ipse ultro reconciliationis gratiam offert? Sic enim *2. ad Cor. 5. v. 19. Paulus*: DEus erat in Christo, mundum reconcilians sibi, non reputans illis delicta ipsorum; & posuit in nobis Verbum reconciliationis, ideoque subjungit. Pro Christo ergo legatione fungimur, tanquam DEO exhortante per nos. Concludit deinde. Obsecramus pro Christo, reconciliamini DEO. O verba quavis lanceâ acutiora. Affectubsè S. Greg. *hom. 3. in Evang.* Ad nos DEus suos Legatos prior misit, ut nos ipsi qui peccavimus, ad pacem DEI rogati veniamus. Quod miratus Guericus Abbas *ferm. 1. de nativ. Dom.* Pacem tuam satisfactionemque prævenit DEus, prior legatos de pace mittit, ut qui reus es, velis reconciliari. Tantummodo velis, & vere perfecteque velis,

Christus clavis confossus liberalis

Christus est crucifixus ut esset communis omnibus.

Christus offensus ipse reconciliationem offert.

lis, non modo veniam indulgebit, sed & gratiam cumulabit. Sed time, quod S. Aug. *serm. 102. de Temp.* monet. Audiamus DEum dum rogat, ne postea non audiat, dum judicat. Recordemini si lubet dati Signi pacis Noëmo Patriarchæ post diluvium. Hoc est signum fœderis *Gen. 9. v. 17.* quod do inter me & vos in generationes sempiternas. In quo loco sæpius repetit nomen arcus. Hic arcus Iris est, quæ aliud non est, nisi quædam colorum illusio, toties tamen à DEO repetitur, quia figura erat Christi in arâ Crucis extensi, cujus humanitas ad instar nubis roscidæ, stillavit misericordiam, reverberavit radios Justitiæ in sanguine & livore suo, ruber & cœruleus, arcus verè cœlestis, cum quo firmatus est contractus inter DEum & hominem. Ibi confregit potentis arcum, scutum, gladium & bellum *ps. 75. v. 4.* Quia fecit in Cruce utraque unum, interficiens inimicitias in semetipso *ad Eph. 2. v. 15.* Quarè ut spectabilis esset ab omnibus, in Cruce exaltatur. Est hæc doctrina Theophylacti *l. 4. divin. instit. c. 26.* ubi causam reddit, quare Christus in cruce mori maluerit. Quod scilicet in illa exaltari necesse fuerit. Nam is qui in patibulo suspenditur, conspicuus est omnibus, & cæteris altior, crux potius electa est, ut significaret illum tam conspicuum, tamque sublimen futurum, ut ad eum cunctæ nationes ex omni orbe convenirent. Quod ipsum dictus Theophyl. *in c. 27. Mat.* commemorans verbis S. Joannis confirmat: Cum exaltatus fuero á terrâ, omnia traham ad me ipsum. Nunc inquit videtur effectum sortiri, quod Dominus dixerat, exaltatus namque in Cruce traxit latronem & Centurionem. Confirmat hoc Drogo Hostiensis *serm. 1. de Pass. Dom.* Traxit ad se omnia cœlum, terram & inferos. Contremuit terra, & petræ scissæ sunt, & monumenta aperta, quia vocem filii DEI audierunt. Quæ omnia altiori indagine expendens S. Aug. *serm. 3. in Annunc.* dicit: Continetur in Crucis figura altius sacramentum, quod quanto est altius, tanto est diligentius attendendum, quod significavit Dominus in Cruce. Caput ad Orientem erigens, pedes ad Occidentem submittens, manus ad Aquilonem & Austrum extendens, quod de se ante passionem dixerat adimpleturus. Cum exaltatus fuero à terrâ, id est cum fuero Crucifixus, omnia traham ad me ipsum, id est totum mundum. Cui consonat S. Greg. Nyss. *in orat. Christi resurrect.* super illud Pauli: Ut possitis comprehendere quæ sit latitudo & longitudo &c. per sublimitatem

Christus Crucifixus Spectabilis omnibus.

nare injurias. Nec Christus majus miraculum fecit, quam quando in Cruce oravit Pater dimitte illis. Multa & magna miracula fecit Christus, nunquam tamen filius DEI à Judæis est dictus; Cum verò à pendente in Cruce audiverunt, dimitte illis, tunc enim vero *Mat.28.* revertebantur percutientes pectora & dicebant verè Filius DEI erat iste. Videturque Christus loquendo hoc verbum, in Cruce, plus operatus esse pro salute multorum, quam sanguinem tunc fundendo. Credibile namque est Christum tam in flagellatione, quam in Crucifixione aliquos suo sanguine conspersisse, nec tamen legimus aliquem conversum fuisse. Ubi vero dixit, Pater dimitte illis, quia nesciunt quid faciunt. Convertitur latro, Centurio pectus percutit, alii publicâ confessione Christum filium DEI agnoscunt, & percutientes pectora reversi sunt. Ut non abs re dicere possim, plus Christum profuisse brevi Verbo tunc concionando in Cruce, quam largissimè sanguinem profundendo. Hæc itaque Virtus hominem divinum facit. *Christus condonans efficacius convertit quam aspersione sanguinis sui.*

Moyses totus vindicativus erat, antequam DEI Legatus esset ad Pharaonem. Sic enim cum Ægyptium quendam videret cum Hebræo contendere, eodem in loco illum occidit & contumulavit. Factus verò Legatus ad Pharaonem habitâ amplissimâ cœli terræque potestate, semper coram Pharaone fuit mansuetissimus. Mutationem hanc divinam fuisse non humanam putant authores aliqui, idque colligunt ex verbis ipsius DEI, quando dixit: Ego te constitui DEum Pharaonis, DEus enim est, qui velox est ad misericordiam, & tardus ad vindictam. Hinc audivit Moyses mitissimus super omnes homines, qui morantur in terrâ. Hæc namque Virtus, est quædam DEI proprietas, quia illius est misereri semper & parcere: Hinc inter divinitatis opera reposuit S. Bern. *serm. de pass. Dom.* Vide nunc opera DEI, quæ posuit prodigia super terram. Flagellis cœsus est, Spinis coronatus, clavis confossus, patibulo affixus, probris saturatus, omnium tamen dolorum immemor, ignosce illis ait, quod faciunt. Certè divinitatis opus fuit illud, quod *3. Reg. c. 18.* quando Sacerdotes Baal cum Elia pacti sunt de DEO vero, per ignem de cœlo mittendum. Erexerunt aram Baalistæ, imposuerunt ligna & sacrificia diligentissimè; omnia denique pro Sacrificio juxta ritum & consuetudinem erant disposita acuratissimè. Idem fecit Elias, & quod amplius erat, ligna & victimam, aramque omnem copiosis *Injuria condonatio hominem divinum facit.* *Eliæ concertatio cum Sacerdotibus Baal.*

piosis aquis perfudit. Clamabant Sacerdotes Baal sed frustra; Oravit Elias, & ignis de cœlo egressus, Omnia ligna & Victimam & ipsam aquam in fossis collectam, absumpsit. Carnem & ligna consumpta ab hoc igne, non miror, sed aquam in fossis exsiccatam & exhaustam. Et hic ignis, inquit ipse, est DEus. Divinus scilicet amor, non tantum amicos aut Consanguineos, sed ipsam etiam aquam, id est inimicos, Sibique oppositos, accenso pietatis fervore prosequitur. Qui ignis divinus est non humanus, teste S. Laur. Justin. Hoc supremæ Deitatis, quod quotidie innumerabiliter lacessitur, & non irascitur. Divinitatis istius gratiam participasse censeri potest Robertus Francorum Rex in cujus mortem, in ipso die Cœnæ Domini, duodecim illius primæ notæ Duces conspiraverunt; quia tamen detecta est conspiratio, omnes capti, & in domo Caroli Calvi sunt asservati. Jussit illos hic cibis regalibus refici, & deindè Dominicâ Resurrectionis sacrâ communione præmuniri. Ubi verò audivit eos à Judicibus læsæ majestatis reos esse damnatos, & postridiè supplicio afficiendos, ille omnes Christi nomine absolvit, dicens: Non debere damnari eos, qui fuerunt cibo cœlesti præmuniti. Deindè tamen, ne quid simile amplius attentarent, benignè monitos ad sua remisit. Novit hoc probè S. Franciscus Seraphicus, qui uti legitur *in Chronica p. 1. c. 48.* cum Leone fratre conferens de perfectione absolutâ hominis Christiani, perfectionem veram & consummatam, in injuriarum tolerantiâ & synacerâ offensarum remissione statuit. Hinc totum discursum concludens: O Frater Leo inquit, primaria Virtus Christiana est vincendo seipsum, paratissimo animo omnia probra sibi illata ignoscere. Hac enim ratione similiores DEO reddimur. In hoc enim quod diligamus amicos, convenimus cum cœteris etiam hominibus, ipsis improbis, imo cum Ethnicis & Gentilibus. Omnes enim amicos diligunt. Undè Christus *Mat. 5. v. 46.* Si diligitis qui vos diligunt, quam mercedem habebitis? nonne & Publicani hoc faciunt? nonne & Ethnici hoc faciunt? imo etiam ipsæ ferocissimæ belluæ. De quibus S. Aug. *serm. 6. de Temp.* Amicos & benefactores quis non amet? Amat latro, amat Draco, amant lupi, amant & ursi. At vero per dilectionem inimici, à cœteris tam brutis animantibus, quam sceleratis hominibus recedimus, soli DEO appropinquamus, & assimilamur. Diligite inimicos vestros, ut sitis filii Patris vestri. Ac si nul-

Roberti Regis Galliæ in conjuratos mira Clementia.

S. Franciscus putat perfectionem Christianam esse injuriarum remissionem.

si nullo alio amoris actu tam expressè divinæ perfectionis similitudo à nobis exprimi posse videatur. Solius enim DEI bonitas ad ipsos quoque inimicos amplectendos effunditur. Sic Christus ipse, licet bis à Patre declaratus fuerit, quod sit filius dilectus, ab hominibus tamen pro filio DEI non est habitus. At vero in Cruce, dum se à Patre derelictum deplorat, pro inimicis verò à Patre veniam implorat, statim à Centurione filius DEI agnoscitur. S. Chrysostomus causam dat. Non quomodo periculis liberetur considerat, sed ut se persequentes lucretur & salvet. Ut merito dixerit Tertullianus *l. 3. de pat. c. 3.* Hinc maximè Pharisæi Dominum agnoscere debuistis, patientiam hujusmodi nemo hominum perpetravit. Certè sollicitè inquirit David *ps. 39. v. 6.* Non est qui similis sit tibi. Sed Respondet S. Aug. Qui bene vult inimico suo, DEO similis est. Nec est ista Luciferi superbia, sed obedientia, quia præceptum est. Sic Sanctè & securè fieri poteris similis Altissimo. Dixerit Evangelista Majorem hac dilectionem nemo habet, ut animam suam ponat quis, pro amicis suis, *Joan. 15. v. 13.* Excogitavit quid altius S. Bern. *serm. de Pass. Dom. fer. 4.* Tu majorem habuisti Christe Domine, ponens etiam pro inimicis. Intelligo jam illud *Apoc. 5.* ubi Joannes vidit, quod Seniores in genua sua prociderint ante agnum. Hunc agnum *Isaias 53.* ex eo agninâ formâ & pelle induit, quia tanquam agnus coram tondente se obmutuit. Tertullianus *c. 5. de patient.* hominem pacificum & ad veniam facilem, in hoc agno veneratur. Verba illius sunt, possumus dicere allegoricè significari nobis in agno homines pacificos, qui in sanctis Viris à nobis propter eminentiam Virtutis honorantur. De hoc ergo agno audi Sanctos in cœlo. Dignus est accipere Virtutem, & divinitatem & sapientiam, & fortitudinem, & honorem, & gloriam, & benedictionem. Si virtutem accipere dignus est testè cœlo, quid judicio hominum pessimorum formidabimus Vitium timorem? inquit Tertullianus; sic licet dicant alii non masculi & virilis pectoris esse, ignominiam illatam, vel injuriam non vindicare. Est tamen teste cœlo divinitas injuriarum remissio, sapientia est, honor est, fortitudo est & gloria, & hoc quidem totum divino testimonio. Non ergo humana formidabimus testimonia, si illi stultitiam, timorem & infamiam jactaverint. Næ tu timidum dixeris Herculem Ferrariæ Ducem, de quo gloriosè memorant fasti Italiæ. Leonellus & Borsus Spurii legitimum filium Her-

Christus ex condonatione in cruce DEI filius agnoscitur.

Condonatio facit nos DEO similes.

In offensæ remissione non curandum judicium humanum.

Hercules Dux Ferrariæ in conjuratos mirè mansuetus.

culem Ferrariensem, paternâ hæreditate & Principatu spoliarunt, ad quem Virtute & fortunâ Comite est restitutus. Ubi vero mores & vitia nobilitatis correxit, in odium incidit nobilitatis licentiosæ. Quæ cum Leonello & Borso nepotibus conspiravit, atque Hercule Mantuæ absente, varias naves Conjuratorum milite implevit, & beneficio noctis secundo Pado Ferrariam induxit. Exscensione itaque facta, quinque millia militum suorum Leonellus in arcem irruere jussit, qui facile muros perruperunt, & reliquo militi aditum aperuerunt; sic ut in ipso diei diluculo miles armatus in foro staret. Quid hic faciat civis adhuc semisopitus? Sigismundus Herculis Frater, ubi uxorem & liberos Herculis in tuto posuit, armatus in forum cum validâ manu prodit, & Leonellum in fugam conjicit, ipsumque Leonellum capit. Venit interim Ferrariam Hercules, & ubi Deo propitio omnia pacata reperit, primum DEO gratias egit, deindè conjurationis reos se scire dissimulavit. At unus ex aulicis, sine dubio gratiam & remunerationem sperans ex delatione, solicitè in conjuratos inquisivit, atque ubi omnes notanter catalogo suo inscripsit, chartam in die novi anni pro Xenio Herculi Duci obtulit. At Hercules Catalogum in ignem abjecit, & mandavit, ut si quid similium Chartarum domi suæ haberet, abjiceret, quo facilius omnis illatæ injuriæ memoria aboleretur. Advertit namque bene S. Bernardus quod Christo Crucifixo, omnis creatura armabatur in ultionem. Omnis creatura inquit armata fuit ad ulciscendam injuriam sui Creatoris. Horribiles tenebræ factæ sunt super faciem terræ, terra tremuit; at ecce sic armatis omnibus. *Luc. 23. v. 34.* Exclamat Christus; Pater ignosce illis. Quarè cum hæc vidisset Centurio, ubi audivit Christum ignoscentem suis Crucifixoribus, exclamat etiam ille: Verè filius DEI erat iste. Bene proinde Isidorus Pelusiota *Ep. 169.* dicit Lædendo vincere Sathanicarum legum est, pietate vero vincere Christi & Christianorum est. Quod affectuosè in Christo exhibet Petrus Damianus *serm. 47.* Magnum quidem & ultra hominum asperitatem verborum & verberum, non solum pati, sed & non reddere; illud vero majus est, & divinum quidpiam sapit, benefacite his qui oderunt vos. Magister noster & Dominus Christus filius DEI & lædentes patienter pertulit, & benefecit lædentibus. Affectum concludit his verbis. Considera beneficium, dum fel ori, clavi manibus, lancea lateri apponeretur ab inimicis; Os & manus

Creaturæ Christo Crucifixo armantur in ultionem.

& latus agebant pro inimicis. Unde ad Christum Crucifixum nos remittit S. Greg. Naz. Cum ergo dolore ardes maximo, memor sis vulnerum, & quota hæc pars sint dolorum, quos Herus tuus tulit. Sic nempè velut vides, obrutus mœror perit. Quibus Nicetus Nazianzeni Scholiastes addit sensum suum dicens: Cujusdam in te Contumelia ingestam in te furoris flammam excitavit, fac protinus tibi Christus in mentem veniat. Da operam ut contumelias, illusiones, plagas, & vulnera ea, quæ ille salutis tuæ causa pro te in cruce pertulit, quamprimum recorderis, sic fiet ut hujusmodi cogitationibus tanquam aquis animam tuam leniens, & irrigans, mœroris atque iracundiæ æstum extinguas. Fecit hoc Sixtus V. Romanus Pontifex, qui cum in Pontificem electus fuisset, & illius Creatio jam per Urbem totam percrebresceret, quidam Romanus Senator reminiscens, quod illum Cardinalem graviter offendisset, vindictam timens, Româ cedere voluit, ast ubi rescivit id Pontifex, misit ad eum, eique significari curavit, non fuisse ab eo offensum Sixtum V. sed Cardinalem Montaltum. Magnum omnino mansuetudinis hujus & non vindicatæ injuriæ exemplum habemus in Samuele, hunc enim Judicem populi abjecit Israel, dum Regem postulavit. Post paucos tamen dies, uti videre est *1. Reg. 12. v. 20.* à DEO afflicti redeunt ad Samuelem: Ora pro servis tuis ad Dominum DEum tuū, ut non moriamur. Quid rogo offensus Samuel? Absit à me hoc peccatū, ut cessem orare pro vobis. Et docebo vos viam rectam & bonam, igitur timete Dominum. Samuel itaque ut ostenderet, se cor ab omni vindicta alienum habere, oraturum se pro populo protestatus est.

Crucifixi Christi memoria injurias lenit.

Sixtus V. se Cardinalem, non Pontificem læsum dixit.

S. Aug. *in suo Enchir. c. 33.* Postquam dixit post Sacramenta non esse majus salutis remedium, quam condonationem injuriarum; sæpe audivistis inquit Christum in Cruce in illo trihorio ferventissimè orasse. Sed cur initium fecit à deprecatione pro inimicis, Pater dimitte illis? quia divinus sacerdos totius mundi peccata in se susceperat, ut eorum obtineret indulgentiam, apud altare Crucis sic oravit. Sciebat enim ad eorum remissionem omnium maximè conducere, ignoscere inimicis. Cujus ratio est, quia hæc dilectio inimicorum, purè in DEI honorem dirigitur; solum ideo namque fit, quia ipse jussit. Confirmat hoc exemplo Abrahæ cujus obedientiam laudavit DEus, quod jussus, voluerit filium suum immolare. Non enim movebatur Abraham ullo alio motivo, contra naturalem suam

Remissio injuriarum salutis est certum remedium.

inclinationem, contra voluntatem propriam in cædem filii sui, cujus sanguine sciebat se conspergendum, sed ideo solum, quia DEus jussit. Hinc DEus extollit, & commendat hanc Abrahami promptitudinem. Quia non pepercisti Unigenito tuo propter me. Et hinc David plenus fiduciâ *ps. 56.* clamat: Miserere mei DEus, quia in te confidit anima mea. Unde obsecro Davidi tanta fiducia; ne dicam præsumptio? Hic psalmus factus est tunc, quando David latuit in spelunca, quam ex necessitate ingressus est Saul, ubi in manibus erat Davidis, & ideo Socii illius eidem dixerunt: *1. Reg. 24. v. 5.* Ecce dies, de quo locutus est Dominus ad te. Ego tradam tibi inimicum tuum, ut facias ei sicut placuerit in oculis tuis. Et tamen David stricto gladio, non caput Sauli sed oram chlamydis illius præcidit. Et confregit David viros suos sermonibus, & non permisit eos ut insurgerent in Saul. Denique David potuit nocere hosti suo Capitali, & non fecit. Hinc itaque plenus fiducia clamat miserere mei, quoniam in te confidit anima mea. Quasi diceret: Ecce potui me ulcisci, nec tamen feci, Miserere mei, hinc enim confido. David noluit occidere Saul, quia unctus Domini fuit, quæ inunctio fiebat solum oleo olivarum. Hostis tuus inunctus est, pretioso filii DEI sanguine, abstine proinde manum, parce! & tunc audacter dicere poteris DEO, miserere mei. Quid enim sic turbat orationem nostram ac ira, vel animus vindictæ cupidus? S. Bern. *serm. 5. de Assumpt. Virg.* causam dicit: Si oculus aliqua injectione pulveris lædatur, oculus patitur, ita vel minimus pulvisculus oculis nocet. Novarinus id confirmat dicens: parvula arena & exiguus pulvisculus, si in oculum incidat, non exiguam affert molestiam. Sed audiamus applicationem proposito meo plane propitiam. Ita in oratione, quæ se oculi instar habet, si levis alicujus amaritudinis aut rancoris pulvisculus incidat, magnam animi facit perturbationem. Unde divina Veritas Christus ipse sic nos orare docuit *Mat. 5. v. 23.* Si ergo offers munus tuum ad altare, & ibi recordatus fueris, quod frater tuus habeat aliquid adversus te, relinque ibi munus tuum ante altare, & vade prius reconciliari fratri tuo. Pulchrè Nilus Abbas *de Orat. c. 19.* Memoria enim alicujus injuriæ, obscurat orationis oculum. Quarè Christus, qui hoc mandatum dedit, vel ipso exemplo suo, hanc suam doctrinam sacram commendavit. Oraturus enim in Cruce Christus, etiam cum fletu oravit: Sic enim S. Paulus

David erga Saulem inimicum mansuetus

Inimico condonandum, quia unctus est sanguine Christi.

Inimicitiæ orationem turbant.

Christus orans condonat.

lus *ad Hebr. 5. v. 3.* Cum clamore valido & lachrymis offerens, exauditus est pro reverentiâ suâ, & veniam nobis exoravit, quando dixit; Pater ignosce illis, quia nesciunt quid faciunt. Poterat enimvero vindictam petere in blasphemos sub Cruce scribas & Pharisæos, poterat in sacrilegos crucifixores torquere horrenda cœli fulmina, tamen omnium oblitus injuriarum, demissè etiam, & inclinato capite, veniam & vitam supplex postulat pro illis, qui eum tam ignominiosè crucifixerunt. Jam videbat ille Patrem suum ad iracundiam concitatum, & paratum ad evertendam totius mundi machinam, jam cœperunt fragorem edere ut ait S. Bern. columnæ cœli, obscurari Sol, Luna & reliqua cœli luminaria confundi, elementa etiam cum totâ naturâ creatâ conturbabantur ac propterea protensis manibus prodit in conspectum Patris, eumque instantissimè deprecatur, offerens ei cunctas angustias & dolores, quos patiebatur, insuper suspiria illa, lachrymas & sanguinem, quem pro nobis tam copiosè actu effundebat, totoque affectu cordis conversus ad Patrem dicit; Ignosce illis, quia nesciunt quid faciunt. Vides ô anima Christiana affectuosè concludit S. Bernardus quanto affectu pro inimicis veniam rogat. In horto enim rogando pro seipso, totum se committit Patris voluntati: Pater si possibile est, transeat à me calix iste, ast hic absolutè rogat & veniam pro Crucifixoribus suis postulat. Romani olim ex Civitate suâ Ducem celebrem proscripserunt, qui multo tempore exul & profugus, collecto demum magno exercitu Romam obsidione cinxit, coëgitque Cives Romanos, ut proscriptionem annullarent, & exulem revocarent. Inhabitavit ille Romam, sed non fidebant Romani, licet compluribus argumentis affectum suum contestaretur. Quare die quodam longâ oratione in Senatu habitâ ipse pugione sibi pectus transfodit dicens: Quisquis per hanc fenestram inspiciet, cor omni vindictâ vacuum videbit; & simul morte suâ senatum Romamque omnem, metu omni liberavit. Si Medicos consulam, ab iisdemq; petam: Quid sit ira? dicent esse accensionem sanguinis circa cor, seu ut inquit Doctor Angelicus, est abundantia sanguinis circa cor ebulliens. Quid magis nos timere poteramus, quam cor Christi à tam copioso sanguine inundasse, & metuere merito debebamus illud vindictam spirare; cum sciremus DEum tam graviter à nobis offensum. Ne timeamus aut diffidamus, exclamat de Cruce Pater dimitte illis quia

Christus pro nobis veniam absolutè rogat.

Romæ Dux pugione cor aperuit, ut vindicta vacuum ostenderet.

nesciunt quid faciunt. Non tamen credebamus, neque suspicionem malè conscii ponebamus. Ut Christus proindè, cor ab omni vindictâ vacuum monstraret, cum ipse non posset, utpotè manibus suis Cruci affixus, Longinum animavit ipse, ut fenestellam cordis sui aperiret, ubi cum omnem sanguinem effluxisse videamus, & ex corde ipsam aquam emanasse conspexerimus, quidni integre refrigeratum nobis persuadeamus. Unde cum omni Vindictâ carere cerneret cor Christi Centurio, exclamavit & dixit: Verè filius DEI erat iste, nam cujus cor ab omni vindicta vacat, is verè filius DEI est. Asserit hoc S. Greg. Nyss. *l. de orat. Dom. petit. 5.* Propemodum non amplius intra naturæ humanæ terminos conspicitur, sed ipsi DEO per hanc Virtutem assimilatur, qui inimico ignoscit, & facit ea, quæ solius DEI sunt facere. Quid autem facit DEus? Audite S. Ambr. *in ps. 118.* Ascendens illud patibulum Dominus noster JEsus Christus peccatorum nostrorum chirographum crucifixit, & totius orbis peccatum, suo sanguine mundavit. Conformiter loquitur S. Aug. *serm. 28. de verb. Dom.* Cautionem tuam tenebat inimicus, sed eam Dominus crucifixit, & suo cruore delevit; alii legunt combussit illud igne charitatis & amoris. Veluti Adrianus Imperator, qui ad reconciliandam sibi populi Romani gratiam, viginti septem millionum debitum, quod fisco debebat Cæsareo, publicè combussit in foro Trajano. Age mi Christiane, si descripsisti nomina tuorum inimicorum, si notasti injurias tibi illatas, si addidisti numerum, diem & locum tibi dictæ contumeliæ; noveris velim esse etiam librum grandem divinæ Justitiæ, in quo notata sunt tua peccata, vi hujus tu reus es æternæ damnationis. Ut hunc librum strictissimo Judici Christo extorqueas, libellum tuum, ubi injurias tibi factas annotasti, affige Cruci Christi, & Christus tuæ damnationis chirographum eodem loco, cruci nimirum suæ affiget. Audite S. Bernardum hic cum aliquando pugno percussus fuisset, dixit: Cum aliis, hoc par est ignoscere, cui toties ignoscitur à DEO. Æternâ memoriâ dignum est facinus generosum Guisii Ducis Galliæ, qui cum ex captivo hoste suo, qui suæ vitæ struxerat insidias petivisset causam, cur sibi insidiatus fuisset? respondit Calvinista homo, movit me ad hoc facinus Zelus & fervor pro meâ religione. Reposuit catholicissimè Guisius: Ita nè tua te religio docet? ut me occidas? mea me docet,

Christus habet cor apertum, ut sciremus esse cordis aperti.

Qui Vindicta caret, filius DEI est.

Adrianus Imperator debita populi Romani combussit.

Ut deleamus debita nostra apud DEUM, nos deleamus inimicorum.

S. Bern. facile condonat injuriam.

cet, ut tibi ignoscam. Vade in pace! O vere! etiam hic Inter filios DEI fuit.

Ut verò hujus mansuetudinis suæ effectum ostenderet Christus in Cruce, Latroni omne delictum dimisit, imo illi prius, quam matri suæ charissimæ loquitur. Habuit David duos filios, Adoniam primogenitum, & Salomonem secundogenitum, ex eâ quæ fuit Uriæ. Quis non crederet in regni successionem assumendum Adoniam præ Salomone secundo genito? assumitur tamen Salomon ad regnum, & Patri succedit, non verò Adonias. Franciscus Mendoza *in 1. libr. Reg. c. 7. annot. 25. sect. 1.* putat DEum ita rem disposuisse, ut contra consuetudinem junior poneretur in regno, propterea quod Adonias genitus sit à Davide adhuc innocuo, Salomon vero genitus sit à Davide post peccatum patratum; de quò deindè tam graviter & tam diu pœnituit. Concludit deindè sicut autem pœnitens sæpe innocenti præponitur, ita pœnitentis filii, filiis innocentis aliquando præferuntur. Fecit hoc ipsum Christus in Cruce, quando prius pœnitentem latronem, quam amantissimam matrem suam fuit allocutus. Prius enim latroni dixit, hodie mecum eris in paradyso, quam Matri Ecce filius tuus. Pulchrè Marcus Vigerius Cardinalis: In mortis articulo constitutus, prius peccatori providet, quam Matri. Et vero quis non crederet temerariam petitionem latronis petentis regnum? memento mei dum veneris in regnum tuum. *Luc. 23. v. 43.* Olim petiit Anaxarchus Philosophus ab Alexandro Magno centum talenta auri, putabant familiares Aulici, petitum hoc esse inurbanum, ne dicam temerarium. Alexander tamen dari mandavit, & dixit: Rectè fecit, intelligens se habere amicum, qui tantum dare possit, & velit. Christus Alexandro est liberalior, etiam regnum dedit Latroni, Hodie mecum eris in paradyso. O magna DEI liberalitas! Imo latro tunc tantum petiit, quando veneris in regnum tuum, quod erat futurum post dies quadraginta, quando nimirum Christus erat ascensurus ad cœlos. Sed non eò distulit Christus, hodiè inquit. Adhuc rogabat Dominum latro, ut meminisset sui, inquit D. Ambr. dum venisset in regnum suum, & Dominus antequam venisset, jam illi regnum cœleste tribuebat. Quam velox & liberalis est Dominus? Tardius est votum precantis, quam sit præmium remunerantis. Quam verè Ecclesia dicit: Omnipotens sempiterne DEus, qui abundantiâ pietatis tuæ, & merita supplicum excedis & vota.

Christus latroni prius quam matri loquitur.

Salomon filius pœnitentiæ, regnat præ Adonia.

Alexander Mag. petita 100. talenta auri Philosopho amico dari jubet.

Christus Alexandro liberalior.

vota. In quæ verba Paulus Burgensis DEus ex abundantiâ suæ bonitatis, non solum merita supplicum excedit, sed etiam orationum vota. Hinc mirum non est, quod in Cruce omnium dolorum immemor clamat, sitio. Quærit Drogon Episcopus *de pass. Dom.* Domine quid sitis? Ergo ne plus cruciat sitis, quam Crux? de Cruce siles, & de siti clamas. Sitio. Quid ergo sitis? audite respondentem in persona Christi. Vestram fidem & salutem. Plus animarum vestrarum, quam corporis mei Cruciatus me trahit. Hinc derelictum & desolatum se queritur. Non inquam ait Origenes æstimes Salvatorem humano more ista dixisse propter calamitatem, quæ comprehenderat eum in Cruce. Sed videns peccata hominum, propter quæ patitur, & pro quibus patiebatur. Confirmat hoc Rabanus Maurus *citatus in Catena D. Thomæ*: Non quia humana natura à Deo fuerat derelicta, sed quia filius DEI factus est Advocatus noster, & quorum suscepit culpam, deploravit miseriam. In quo ostendit, quantum flere deberent qui peccant, quando sic flevit, qui nunquam peccavit. Scilicet tantæ passionis fructus, in tot hominibus otiosus, in cruce desolatum fuisse demonstrat.

Nostra impœnitentia DEUM affligit.

In tuâ potestate est ô anima Christiana, ut Christo desolato solatium offeras. Certè Eusebius Emiss. dum latronem in Cruce conversum considerat, & illa verba: Memento mei expendit. Gloriosâ inquit voce præsentes temperat cruciatus. Quid stas miser peccator? Audi S. Chrysostomum: Non tantum universam terruit terram, non tantum petras & saxa disrupit, sed animam etiam latronis omnium lapidum insensibilitate duriorem ad se traxit. Scio ego Christum totum cruentum se stitisse S. Lutgardi dicens; Vides mea Lutgardis vulnera mea, clamant ad te, ne frustra fuderim sanguinem, mortemque sustinuerim. Exclamat S. Bern. *tract. de pass. c. 33.* & totus lachrymis perfusus te ô peccator alloquitur. O cor durum! audis ad lachrymas commotum illum, qui æternum stat; & commoveri non potest cor tuum? nec tamen ad lachrymas commoveris? Subdit; Addam ergo charitatis & passionis sanguinem, si fortè calefias, si emolliaris & dulcissimo JEsu pro lachrymis suis, & effuso sanguine saltem lachrymas rependas. Excussit lachrymas toti Ægypto mors primogenitorum. Et tu siccis oculis primogenitum DEI in Cruce spectabis morientem? Inclinat DEus Caput, & tu erigis? ah Time! ne cum Pharaone obdurato submergaris in mari rubro

Christo in cruce latro Cruciatus temperat.

Christus cruentus se S. Ludgardi sistit.

rubro sanguinis filii DEI, otiosè pro te profusi. Referunt annales Anno 1399. quod Romam sub Bonifacio Pontifice abiverit sacerdos cum Crucifixo fictè lachrymante; quem ille scitè adeò aptavit, ut spectante universo populo copiosas funderet lachrymas. Quo spectaculo attonitam copiosam spectatorum multitudinem secum adduxit inter continuos singultus & Suspiria, ita ut personarent plateæ omnes ac compita; & quacumque incederent, ad Christi flentis spectaculum, collachrymantium & complorantium ejulatus audiretur. Non sunt hic fictæ lachrymæ O Christiane; quas S. Paulus *ad Hebr. 5. v. 7.* cum clamore valido in Cruce effusas dicit, & propter has à Patre pro nobis exauditum. Scio ego *Ezech. 28.* ostendisse DEum Prophetæ mulieres plangentes Adonidem, qui ex ære solido fuit fabrefactus, cui cum intrinsecus supponeretur ignis plumbeæ ex oculis lachrymæ defluebant, quibus visis non poterant non collachrymari præficæ fœminæ. Non Adonidem sed Adonai Deum verum, inter lachrymas nobis prætendit Paulus, cur lachrymas moramur? Beatissima Virgo quando depositum de Cruce filium suo complexa est gremio, adeo lachrymis suis, corpus filii perfudit, ut iisdem omnia illius vulnera quasi laverit. Et S. Bern. *de planctu Virg.* inquit; Lachrymarum tanta ubertas effluebat, ut carnem omnem cum spiritu in lachrymas dissolvi putares. Maldonatus *in c. 19. Joan.* Tot ac tantas dicit effudisse lachrymas, quot fuerunt guttæ sanguinis, quæ profluxerunt ex vulneribus Christi salvatoris. Imo S. Germanus *de Compass. Virg.* dicit eandem sanguineas flevisse lachrymas. Planxit inquit ille in tantum affligens se, quod etiam lachrymæ sanguineæ, de ejus oculis manaverint, propter fletum tam amarum. Ex quo S. Anselmus concludit, illam Martyrum reginam esse. Hinc cum alii Sancti Martyres, cum instrumentis martyrii sui pingantur, uti S. Petrus cum Cruce, S. Paulus cum gladio. S. Catharina cum rota, S. Agatha cum forcipibus, S. Laurentius cum craticula, S. Stephanus cum lapidibus, S. Sebastianus cum sagittis: Beatissima Virgo Maria cum filio emortuo, & in suo gremio deposito, septem dolorum gladiis confossa repræsentatur. Quia ut inquit S. Anselmus per singula momenta dolor vitam ejus sufficiens extinguere fuisset, nisi ex speciali providentiâ DEI conservata fuisset. Non exigo à te ô anima Christiana, ut sanguineas cū dolorosâ Matre fundas lachrymas. Non exigo ut tibi cum Joanne Baptista de Fiunço

Sacerdos cum Crucifixo ficte flente.

Maria mirè flevit passionem sui filii.

S. Maria ex compassione Martyrum Regina.

Capucino in pectore venam rumpas. Hic enim à Guardiano suo acrius reprehensus, cum vellet impatientis animi motus reprimere, eam sibi vim intulit, ut venam in pectore ruperit, ex quâ cum copiosus per os regurgitaret sanguis, illico ad consuetum sibi refugium Crucifixum accurrit, & candido ac simplici affectu, sic Christum est allocutus. En tibi ô Domine sanguinem meum! Vide JEsu multum amabilis, quantum amore tui patiar! Dixerat & ecce ligneus crucifixus dexteram manum à Cruce refixit, atque hiantem lateris plagam monstrans. Vide inquit ô Joannes Baptista quanti sint dolores, quos in Cruce amore tui passus sim. Dixit, & dexteram rursus Cruci affixit. Ego piam à te Christi Crucifixi meditationem peto, & dum Christum cruci affixum vides pium Suspirium postulo. Certè S. Bernardus cum quodam die coram sacrâ Christi Crucifixi imagine altissimâ contemplatione abriperetur. Christus brachia sua à Cruce resolvit, & mirâ teneritudine Bernardum est amplexatus, atque ad potum pretiosi sui sanguinis invitavit dicens; Bibe Bernarde. Potaberis & tu hoc cœlesti nectare ô anima Christiana, si Christum Crucifixum in vivis tenerè amaveris. Ita enim teste Blosio S. Gertrudem ipse Christus monuit dicens, Quod qui Christum Crucifixum affectuosè & amanter sæpius aspiciet in vivis, futurum, ut ab eodem Crucifixo amabili obtutu conspiciatur in horâ mortis.

Crucifixus S. Bernardum amplexatur.

Crucifixus amanter aspectus in vivis, in hora mortis nos aspiciet.



DISCURSUS XXIII.

Christus pro nobis mortuus est.

Cupido cum morte peregrinatur.

APologus est, quod unà cum morte Cupido iter fecerit, cumque sub vesperum lassi obvium intrassent hospitium & cœnâ sumptâ decumbere vellent, quisque arcum suum & pharetram neglectim in mensam abjecerit. Et quia quies modica amori est, Cupido maturè se ex strato proripuit, & adhuc ante lucem plenam ex diversorio abivit; nescio autem quo infortunio, arcum & pharetram mortis pro suo arripuit. Dum ergo Cupido varios obvios arcu suo ferit, hos ille pallescere, languere, imo etiam emori vidit

vidit, non sine admiratione & suâ & aliorum, qui amorem adeo crudelem stupebant. Accidit hoc ipsum morti, quæ ubi homines arcu suo vulneravit, non pallescere sed æstuare, non mori sed novis amoribus accendi vidit. Vidit inquam & obstupuit. Res ad Jovem delata, Cupidinem & Mortem ad suum tribunal evocavit, ubi mutatis clypeis res in statum pristinum est revocata. Qui Christum amore nostri mortuum contemplabitur, facile videbit illum amore nostri æstuantem in telum mortis incidisse, & amori mortique in victimam cessisse. Unde licet Turcæ rideant Christianos, & existiment Christum mortuum non esse, est tamen articulus fidei quod Christus verè mortuus sit, & nos morte suâ vivificarit. Nec absque causâ Christus se Pellicano assimilavit. De hoc enim referunt naturalistæ, quod ubi pullos à serpen e sibi infensissimo occisos repererit, ipse rostro sibi pectus aperiat, & sanguinem ex corpore suo eliciat, quo mortuos pullos suos rursus animat, & vitæ priori restituit. Universum genus humanum ab illo, qui se in serpentis formam transmutavit miserrimè interemptum fuisse nemo est nescius, & clarè scriptura testatur *Gen. 3.* sed & serpens erat callidior cunctis animalibus terræ, quæ fecerat Dominus. Quæritur autem apud authores, quare dæmon volens decipere Evam speciem serpentis induerit? Majolus *Colloq. 8. in sua Physica* dicit, nam cum acriore sunt ingenio, eoque acriore sunt veneno. Tota nimirum intentio erat diaboli, ut nos veneno peccati inficeret, & occideret, ideo ut nos citius enecaret, serpentis speciem assumpsit. At JEsus cum homini per peccatum mortuo mederi vellet, in similitudinem hominum factus velut alter pellicanus in ligneum Crucis nidum evolavit, ibique lanceâ velut rostro pectus suum pertundi passus est, atque ex intimo corde suo sanguinem & aquam profudit, ut nos vivificaret. Sic enim *Isa. 53. v. 15.* dicitur: Iste aspergeт gentes multas, ut nimirum quæ ob peccatum primorum parentum à serpente deceptorum mortem incurrerunt, per aspersionem sui sacratissimi sanguinis rursus animarentur. Et verò convenientissimum erat ut Christus verè & realiter moreretur. Qui enim pro alio satisfacit, subjicit se pœnæ quam alius meritus est. Quia verò homo primus *Gen. 2. v. 17.* mandatum habuit: Ex omni ligno paradysi comedes, de ligno autem scientiæ boni & mali ne comedas. In quacunque enim die comederis ex eo, morte morieris. Quod *Gen. 3. v. 6.* est transgressus: Deditque viro suo & comedit, ideo

Christus verè mortuus est.

Evam cur serpens deceperit.

Conveniens erat ut Christus moreretur.

ideo decretum mortis in Adamum à DEO latum est *Gen.3.v.17.* Quia audisti vocem uxoris tuæ, & comedisti ex ligno, de quo præceperam tibi ne comederes, maledicta terra in opere tuo &c. donec revertaris in terram, de quâ sumptus es, quia pulvis es, & in pulverem reverteris. Adeoque pœnam mortis, quam cum protoplasto Adamo contraximus, Christus ut pro nobis satisfaceret, ipse in se suscepit, mortemque subiit, ut nos à morte æternâ liberaret. Quare mortuus vere, homo esse desiit, quia unio animæ ejus cum corpore verè disrupta est, perindè ut in nobis disrumpitur, quando morimur. Et verum erat dicere tunc, fuisse sepultum & descendisse ad inferos ratione partium assumptarum; Sicut dicimus S. Petrum esse in cœlo quia ibi est secundum animam, & esse sepultum in Vaticano, quia ibi est sepultum ejus corpus, & ossa sacra illius ibi asservantur. Quod Christus ipse sæpius suis discipulis prædixit se nimirum moriturum, ne deindè in morte ipsius scandalizarentur. Atque adeo de morte Christi omnes unanimiter testantur Evangelistæ, ut scilicet mortem nostram destrueret, & deindè vitam resurgendo repararet. Adeoque mori debuit JEsus, ut nos salvaremur, mori debuit, ut nos æternum vivamus.

Christus vere mortuus est.

Decrevit DEus olim nefarios plectere Sodomitas *Gen. 18. v. 20.* Descendam inquit & videbo, utrum clamorem qui venit ad me, opere compleverint, an non est ita. Abulensis in hunc locum dicit, hoc factum esse ad instruendum Judices, qui licet cognoscant delictum per famam quasi publicam, tamen ex eo sententiam ferre non debent, sed rei gestæ tenentur indagare veritatem. Quarè ut damnetur quis juxta leges, oportet id fieri coram Judice, præsente reo, astantibus accusatoribus, advocato, testibus & assessoribus seu Consiliariis. Quod ut ad apparentiam facerent Judæi, ut Christum morti adjudicarent, & Christum Cruci affigerent, coram tribunali Pilati comparuerunt. In hoc tribunali Pilatus est Judex, Reus & accusatus est JEsus Nazarenus, cujus advocatus est Innocentia, & ipsa Sanctitas, accusatores sunt Judæi, Testes vel ipsa scripturâ attestante testes falsi, Consiliarii & Assessores, Scribæ & Pharisæi, imo & universus populus, qui repetito infami: Tolle! tolle! Christum mori coëgerunt. Sed si remotis iniquis consiliariis & corruptis Judicibus etiam ad sanctissimos & incorruptos arbitros appellemus, & ex lege naturæ vocemus Sanctos Patriarchas, adhuc vel horum judicio

Christus Judicio publico damnatur.

Christus communi consensu debet mori.

dicio & sententiâ debet mori bonus JEsus. Agnovit hanc necessitatem mortis S.Bern. qui Adamum cum omni posteritate perditam deplorat, nisi DEI filius moriatur pro homine. Quid mirum proinde si Adam dicat debet mori, ut mihi & posteris meis restituat vitam. Debet inquam mori, & quidem in arbore Crucis, cum ego per arborem scientiæ boni & mali me meosque omnes occiderim. Audiamus innocentem Abelem, qui mortis pariter dictabit sententiam, nimirum mori debet bonus JEsus, quia etiam ego innocens, & figura Christi à fratre meo occisus fui. Quare sicut ego à fratre meo eductus fui in agrum, & ab eodem ibidem interemptus, sic ille educi debet à populo suo in montem Calvariæ, ut ibidem crucifigatur. Noë confirmabit mortis sententiam & insuper addet; mori debet, & quidem totus nudus in Cruce, quia ego nudatus, à filio meo, risus fui. Isaac & ipse figura Christi statutum mortis decretum stabiliet. Quia sicut ego humeris meis à Patre onustus portare debui ligna ad holocaustum necessaria, sic ille in montem efferre debet lignum Crucis, in qua immolabitur. Et quidem coronâ Spineâ redimitus, quia hoc significabat ille aries, quem Pater meus ex spinis extraxit, & loco mei DEO obtulit in holocaustum. Aliud non dicet Patriarcha Jacob, qui olim cum dormiret in monte Calvariæ super lapide, in somno vidit mysticam scalam Sanctæ Crucis. Parem mortis sententiam pronunciabit Patriarcha Joseph, qui sicut à fratribus venditus est viginti argentes & traditus fuit Ægyptiis, ita ille à Judâ proditore vendetur triginta argenteis, & tradetur in manus militum, quorum deinde manibus crucifigetur, & in illâ suspensus morietur. Interponit se quidem innocentia, sed Verbum Domini manet in æternum. Quomodo enim impleretur Scriptura *Joan. 19. v. 26.* Pari ratione judicabunt Sancti Prophetæ, ad quos si me convertero, plena hic inveniam illorum Oracula, quibus mortem Christi prænunciarunt. Quid enim aliud facit David toto *ps. 21.* Omnes inquit videntes me, deriserunt me, locuti sunt labiis & moverunt caput. *v. 8.* an non his verbis clarè per Spiritum sanctum præsignificavit illudendum Christum? Quid aliud verba illa *v. 13. & 17.* Circumdederunt me Vituli multi, & Tauri pingues obsederunt me, significant? quam quod iniquo judicio opprimendus morti adjudicabitur. *V. 18.* Foderunt inquit manus meas & pedes meos, dinumeraverunt omnia ossa mea. Quid clarius potuit explicare Christi manus & pedes cruci clavis affingendos?

Christus damnatur ab Adamo & Patriarchis, debet ergo mori.

dos? Eumque in Cruce sic extendendum, ut omnia ossa facilè potuerunt dinumerari. Omnia hæc impleri debebant, ut inveniretur Propheta fidelis. Mori ergo debet JEsus. Quomodo enim aliàs implebitur illud *Sap. 2. v. 20.* Morte turpissimâ condemnemus eum. Concludit ergo Salomon; Debet mori. *Isa. 53. v. 4.* Verè languores nostros ipse tulit, & dolores nostros ipse portavit, & nos putavimus eum quasi leprosum, & percussum à DEO & humiliatum, *v. 5.* Ipse autem vulneratus est propter iniquitates nostras, attritus est propter scelera nostra. Disciplina pacis nostræ super eum, & livore ejus sanati sumus. *V. 7.* Oblatus est, quia ipse voluit, & non aperuit os suum, sicut ovis ad Occisionem ducetur, & quasi Agnus coram tondente se obmutescet, & non aperiet os suum. Denique debet mori & quidem pendens in Cruce inter duos latrones atque pro Crucifixoribus suis rogare Patrem. *V. 12.* Et cum sceleratis reputatus est, & ipse peccata multorum tulit, & pro transgressoribus rogavit. Debet mori inquit Daniel *c. 6. v. 26.* Et post hebdomadas duas occidetur Christus, & non erit ejus populus, qui eum negaturus est.

Charitas divina damnat.

Quomodo ergò implebuntur scripturæ? Non ego in judicium adducam divinam Charitatem, non allegabo obedientiam filij DEI, non memorabo Justitiam; Christum morti adjudicat Charitas *Joan. 3. v. 14.* Sicut Moyses exaltavit serpentem in deserto, ità exaltari oportet filium hominis. Et *v. 16.* Sic DEus dilexit mundum, ut filium

Obedientia jubet mori.

suum Unigenitum daret. Non allegabo Obedientiam quam Paulus *ad Philip. 2. v. 8.* commendat. Humiliavit semetipsum factus obediens usque ad mortem, mortem autem Crucis. Denique Justitia

Justitia fert sententiam mortes.

clamat, debet mori, & vel ipso testimonio Christi se tuetur *Luc. 24. v. 26.* Nonne hæc oportuit Christum pati, ut scilicet satisfieret æterno Patri, sine quâ satisfactione totum genus humanum periisset. Quid agat modo innocentia? quid Sanctitas tentabit? apellabit ad Patrem? sed ipse misit filium suum in mundum ut moriatur, & non tota gens pereat. Imploret misericordiam apud Spiritum sanctum? ipse per os Prophetarum locutus est, retractare non potest. Neque ipse filius dispensationem petiturus est, quia oblatus est, ipse enim voluit *Isa. 53. v. 7.* Ad amantissimam Matrem me convertam? sed consensit in hanc mortem, & præ desiderio salutis nostræ, sicut ipsa ex multorum opinione Christum circumcidit, ita si mandasset Pater, ipsa Cruci affixisset. Mori ergo debuit JEsus, ut nos vivamus. Atque adeo

adeo verificatum est illud, quod *Act. 4. v. 27.* dicitur: Convenerunt enim verè in civitate istâ adversus Sanctum puerum tuum JEsum, quem unxisti. Herodes & Pilatus cum gentibus & populis Israel, facere, quæ manus tua & consilium tuum decreverunt fieri. Quæ enim mors à Christo decreta fuit, eadem à Judæis pravâ intentione executioni est mandata. Hinc Scotus *in 3. Distinct. 16.* inquit, Judæi concordarunt in volito, sed non in modo volendi. Conformiter ad illud S. Aug. *tract. 7. in Ep. S. Joan. & in ps. 97.* Facta est traditio à Patre, facta est traditio à Filio, facta est traditio à Judâ. Una res facta est, sed diversa intentio, diversa facta fecit. Videtis? non quid faciat homo considerandum, sed quo animo & voluntate faciat. Ex quo concluditur, quod mors Christi à Christo præ electa, & à Patre decreta fuerit; Concilium tamen hanc mortem statuens fuit sacrilegum, dum anathematizantes se ipsos, sententiam mortis Christi proprio sanguine scripserunt. In quam rem aptè S. Hier. dicit: Judæos Christo passionis tempore arundinem in manus dedisse, ut velut summus Pontifex sanguine suo sententiam contra ipsos Judæos sacrilegos scriberet. Verba illius sunt *in caput 26. Mat.* Calamum tenebat in manu, ut sacrilegium scriberet. Papa Theodorus referente id Baronio ad annum Christi 640. excommunicationem scripturus contra Pyrrhum Byzantinorum Patriarcham, unum tantum in Christo voluntatem asserentem; hic inquit Baronius, cum in Vaticano divina ageret, stillavit guttam de sanguine vivifico in atramentum, & propriâ manu excommunicationem Pyrrhi scripsit. Vix scripsit, Domus Patriarchæ ruit, caro & panis domi illius computruit, interierunt pecora &c. Dum Christus suo sanguine subscribit sententiam mortis, imò dum Judæi in sanguine Christi sententiam mortis ferunt, dum clamant sanguis ejus super nos, & super filios nostros, Judæi regno & Urbe privantur, vagi per orbem dissipantur, & usque hodie sine sanguine Christiano eniti non possunt illorum Matres. Si dicas hoc à me dici, non vero probari? Adduco Mancinum *de pass. Dom. l. 3. dissertat. 5. mor. doctr. 5.* Videatur Joannes Ekius in refutato Patrono Judæorum hæretico, qui insuper ait, quod ad Judæos Indos, Thraces; & Arabes mittatur sanguis induratus, qui in pulverem redactus, datur Judæis puerperis. In tantum sitientes Christi sanguinem merito exclamat S. Cypr. *serm. de resurrect.* ut se ipsos maledictione æternâ damnarent, & in parvulos suos ana-

Judæis Christus sententiam mortis arundine scribit.

Excommunicatio Christi sanguine scripta.

anathematis illius reliquias immobili stabilimento firmarent. Quare cum Pilatus diceret, non invenio in eo causam mortis, ausi fuerunt exclamare Judæi sanguis ejus super nos & filios nostros. Quasi dicerent, si innocens est, tu Judex Pilate eris liber, nos culpam & pœnam in nos suscipimus. Crucifigatur! moriatur! Quod cæsus sit Virgis, quod flagellis cruentatus, quod Spinis coronatus, parum est; plura meritus est, atrociora expectet. Debet mori! Super nos sit vindicta hujus sanguinis. Quod etiam justissimo DEI Judicio factum est, sanguis enim ille quo genus humanum redemptum est, genti Judaicæ miserandum excidium, perpetuum exilium, omnium populorum odium atque irrisionem & contumeliam, ac denique plerisque illorum perpetuum interitum & damnationem attulit. In hodiernum enim usque diem divina Justitia vellicat Synagogam dicendo! ubi est innocens Abel? ubi Messias tuus? quid fecisti? Sanguis ejus clamat ad me de terrâ. Ante annos paucos commissa est cædes clandestina in Hispaniâ, cædis suspicio fuit de pluribus, omnes innocentiam simulabant, & ipse homicidii reus & author, cœteris audacior vultus sereniores induit, ut suspicionem omnem à se propulsaret, sistuntur suspecti Judici, qui de loco suo consurgens, jubet omnium nudari pectora, quæ ipse curiosâ manu examinavit, & cum audacissimi illius cor, præ reliquis palpitaret, atrocibus verbis hominem allocutus dixit. Tu fecisti. Territus ille & conscientiâ propriâ convictus, se reum fassus est. Vos Judæi dum manu plenâ sanguine nascimini, sanguinis Christi vos reos esse ostenditis. Reies insignis Medicus *in campo Elisio jucundarum quæstionum quæst. 34.* refert: Quod Joannes Spissius miles uxorem suam pulvinari suffocaverit, ad quæstionem attractus, nihil fassus est. Judices ergo Cadaver jam viginti diebus humatum, effodi jubent, ad quod ubi maritus accessit, totum corpus sanguinem sudare, ubi vero jurare supra corpus voluit, etiam sanguine fluere cœpit. Refert idem Danielem Pradel à Patre & filio Petro & Jacobo Lefant occisum; suspicio erat de his homicidis. Quare Judices cadaver ad oppidum devehi curarunt, quod primo circuiverunt ipsi Judices, neque vulnus indicium dedit, adductus deindè homicida atque circuire jussus fuit, cum primo quasi vulnus aperiri, in secundo vero circuitu sanguis emanare, & tertio copiosè fluere cœpit, absterso deinde sanguine, alii qui fuerant innocentes circuiverunt, cadaver tamen nullum

Sanguis innocens Christi contra Judæos vindictam petit.

Cor palpitans reum homicidii ostendit.

Cadaver uxoris maritum reum ostendit.

lum sanguinis indicium dedit. Etsi verò causæ variæ & naturales assignentur, cur in demortui hominis cadavere possit sanguis fluere; causa tamen nulla assignari potest, cur fluat tantum ad præsentiam ipsius homicidæ, & non alterius cujusdam præsentis innocentis. Ut non immeritò dicat *Hieronymus Nymanus orat. de Mag. quæst. 7.* In cadavere coram occisore sanguinem stillante, si à divinâ providentiâ recedamus nulla sese manifesta offert ratio. Undè licet cum Aldrovando, profluvium sanguinis dicere possimus naturaliter fieri quandoque, si venæ multo & aquoso ichorosoque sanguine redundaverint. Vel cum Huchero per spontaneum sanguinis motum, ex recenti conflictu etiamnum fervidi & vaporosi cadaveris. Cum Fabiano Hildano ex motu humorum extrinsecè vel intrinsecè accepto, cum enim sanguis in venis & arteriis, diu sæpè fluidus & inconcretus permaneat, nec tam celeriter humores corrumpantur; fieri potest, ut sanguis resolvatur & effluat? Hæc tamen omnia etsi probent cadaver naturaliter sanguinem fundere posse, non tamen convincunt, quomodo ad rei seu occisoris præsentiam id fiat. Undè ad divinam providentiam recurrendum est, quæ innocentis sanguinis vindex, authorē sceleris vult proditum. Et fundatur hæc opinio in illo *Gen. 4. v. 10.* Vox sanguinis fratris tui Abel, clamat ad me de terrâ. Et *Apoc. 6. v. 10.* Usquequo Domine verus & sanctus, non judicas, & non vindicas sanguinem nostrum, de iis, qui habitant in terrâ. Quod maxime in teneris & innocentibus infantibus facit DEus, & necessario factum esse in cadaveribus jam frigidis, aut diu sepultis dici debet. Variis enim modis DEus in vindictam trahit reos, & sanguinis innocentis temerarios decoctores. Mirabile est illud quod Cicero *l. 1. de divin.* narrat, de duobus amicis, quorum unus apud amicum suum, alter apud Cauponem diverterat. Is qui apud Cauponem hospitatus est, alteri in somno adfuit, monuitque sibi à Caupone parari interitum, ut sibi proindè adsit & juvet rogavit; sed somnium hic putans, dormire perrexit, adfuit illi secundo rogans, ut quoniam sibi vivo non tulisset opem, saltem mortuum non patiatur inultum. Se enim à Caupone interfectum, in fimi plaustrum injectum esse, & manè ex oppido evehendum. Adfuit ille manè ad portam oppidi, & plaustrum fimi examinavit, atque cadaver amici sui invenit. Væ vobis Judæi! manus vestræ plenæ sunt sanguine, ita enim nascimini, & voluntariâ maledictione condemnati, manum plenam

Causæ fluentis in Cadavere sanguinis.

Sanguis ex cadavere fluens ad præsentiam rei, est divina providentia.

Occisus à Caupone socium de morte sua monet.

 san-

sanguine ab utero materno profertis. Vos! Vos! innocentis Christi sanguine polluti, non abluti estis. Sanguis Christi ille vos persequitur. In hoc sanguine legite innocentiam sanguinis Christi. En sanguis Joseph exquiritur. *Gen. 42. v. 23.* Tremendum est quod anno Christi 1271. accidisse lego. Nempe Vetula quæpiam Judæis puellam Christianam vendidit, quam illi multis vulneribus cruentatam & mortuam in fluvium abjecerunt. Post tertium diem puella à piscatoribus inventa est, indicio manus in cœlum erectæ; extractum puellæ cadaver in oppidum delatum est. Erat in viciniâ Marchio Badensis, qui audito nefando crimine, ipse ad cadaver accessit, quod statim erectum resedit, & quasi vindictam imploraret ad Principem utramque manum tetendit. Post horam quasi dimidiam rursus se reposuit supinum defuncti more, & requievit, usque dum suspecti adducerentur Judæi, & tunc vulnera copiosum effuderunt sanguinem, atque homicidii reos prodiderunt. Vel ipsæ manus vestræ cruentæ, quibus rei sanguinis & Vitæ Christi contaminatique generamini, vos illius innocentis Christi sanguine pollutos contestantur, ut verum sit illud *Josue 20. v. 5.* Sanguis ille persequitur vos, & redundat in capita vestra.

Puella à Judæis occisa, à Badensi vindictam petit.

Non sic nobis accidit Christianis, quibus mors Christi unionem attulit, ut inter nos cum Christo, in vinculo Charitatis viveremus. Sic enim *Joan. 17. v. 22.* inquit ipse Dominus: Claritatem quam dedisti mihi dedi eis, ut sint unum. Maldonatus noster *in Joan.* Ideò pro illis morior ut unum sint, do igitur illis hanc unitatem spiritus quam illis merui. Et hic est ille thesaurus amoris, quem Christus moriens inclinato in pectus capite ostendit. Refert in Vita Leonis Platina, quod in Apuliâ inventa fuerit statua ærea, cui in capite hæc inscriptio apposita fuit. Calendis Maji oriente sole caput aureum habebo. Quidam prima Maji orientis solis umbram observavit, quam caput fecit, ibique in Umbra defossum thesaurum reperit. Christo in Cruce pendente erat hora quasi sexta scilicet in meridie, stabat sol perpendiculariter, inclinans Christus caput umbram projecit in pectus, & quia capiti apposita erat superscriptio, J. N. R. J. Legit Longinus Invenies Nummos Require Intus, adeoque lanceâ pectus fodicavit, & thesaurum scrutatus est *Joan. 13. v. 34.* Unus militum lanceâ latus ejus aperuit, & continuo exivit sanguis. Alphonsus Paleotus Cardinalis *tract. de pass. Dom.* dicit, quod Christus sanguinem

Mors Christi nobis unionem dedit.

Statua Calendis Maji umbra thesaurum designat J.N.R.J.

Titulus legendus.

guinem ibi velut in secretiore corporis parte reconditum nobis velut ultimum amoris pignus exhibere voluerit. Locum enim illum clavus non perforabat, spina non pungebat & flagellorum sulcatio non apertebat. Lanceâ igitur paratur ictui locus, vocat Christus militem, quasi diceret, occultum in morte sanguinis mei thesaurum nondum invenit impius persecutor. Hunc ergo tu scrutare, & invenies ex meo latere emanare thesauros Ecclesiæ DEI, ipsa nimirum Sacramenta in lavacrum regenerationis humanæ, & ablutionem omnium peccatorum. Inclinato ergo capite moritur JEsus, ut quando jam omnia dedit, videat quid adhuc vel dandum supersit, vel alicui dare possit. Pulchrè S. Bern. O quam munificus factus es bone JEsu! quam largè omnia quæ habuisti, tradidisti? Latroni paradysum, Joanni Matrem, Matri Joannem, mortuis vitam, manibus Patris animam, toti mundo signa potentiæ tuæ. Liberalior longè fuit Christus, quam Marcus Lucius Romanus Eques, qui cum prodegisset omnia, & pauper factus esset, nihil sibi superesse dixit præter cœlum & cœnum. Christo nec cœlum superfuit quod donavit Latroni, nec cœnum seu terra, quia sepultus est in sepulchro alieno. Alexander Macedo navigaturus antequam mare conscenderet amicis largissimè omnia donavit. huic enim castrum, illi villam, isti vectigal, alteri auri vim maximam. A Parmenione rogatus quid Regi superesset? blandè subridens dixit, spes acquirendi majora. Fecit hoc moriens in Cruce DEus, qui vestes & ipsam Matrem suam donavit. Scilicet illi spes certa superfuit obtinendi majora, adeoque etiam post resurrectionem suam exclamat: Data est mihi omnis potestas in cœlo & in terra.

Lateris Christi apertio.

Inclinato capite moritur JEsus.

Romanus Eques Marcus Lucius pauper moritur.

Christus in Cruce moriens est liberalis.

Mirabile videri posset, quod Christus Zacchæum, qui in ficum ascenderat, ab arbore evocaverit. Quid obsecro turbavit Christum ascensus Zacchæi in arborem? ut dicat Zacchæe festinans descende. Si bene inquit Chrysologus *serm. 54.* ascenderat, cur dicitur ei descende? Respondet hic S. Pater illam arborem præsignificasse Crucem Christi, quam ipse Christus ascensurus erat. Undè inquit Zacchæus ascenderat in Crucem, quam Dominator ascensurus erat. Et hinc est quod lapidari noluerit, sed Judæis lapidare volentibus se subduxerit, non quia mori timuit, sed quia Cruci se reservavit. Et hinc mors Christi in cruce omnino fuit voluntaria, licet à Patre æterno fuerit decreto sancita. Adeoque quando dicitur, quod Chri-

Zacchæus ex ficu descendere jubetur.

stus factus sit sub lege, intelligi debet de lege voluntaria; non verò ex aliquo debito vel necessitate. Ipse enim oblatus est, quia ipse voluit. Quod de Christo tam in templo præsentato, quam in Cruce mortuo intelligi debet. Quarè dum malitiosè licet, dicunt Judæi *Joan. 19. v. 17.* Nos habemus legem, & secundum legem debet mori, quia filium DEI se fecit. Verè tamen dixerunt, quia scriptum est *Dan. 9. v. 26.* Post hebdomadas sex occidetur Christus. Et ipse Christus de se dixit: Nonne sic oportuit pati Christum *Luc. 24. v. 26.* Et tamen non obstante hac lege seu decreto divino oblatus est, quia ipse voluit. Unde licet verum sit, quod DEus, qui nos fecit existere de nihilo, revocare nos non potuerit, nisi per mortem suam & passionem, hoc tamen intelligendum sic est, quod stante præcepto id fieri debuerit, quod tamen præceptum voluntariè suscepit, neque in eo dispensationem, quam petere poterat, habere voluerit. Spontè ergo mortem in cruce subjit, & tamen etiam mori debuit, non necessitate coactionis, sed immutabilitatis decreti facti. Hinc S. Anselmus dum objectionem Gentilium examinat, qui nobis objecerunt. Si aliter peccatores salvare non potuit? ubi ejus omnipotentia? Si vero aliter potuit, & non voluit, quomodo defendemus ejus misericordiam & Justitiam? Eleganter respondet. DEus nihil potest dimittere inordinatum, sed si peccatum dimitteret impunitum, dimitteret aliquid inordinatum. Punire autem potest DEus peccatum dupliciter, vel per Justitiam in inferno, vel per misericordiam in præsenti. Sed non convenit divinæ bonitati, totaliter perdere naturam humanam in inferno, quæ tamen tota obligabatur per peccatum Adæ, oportet ergo, quod hic recipiat satisfactionem, & quidem ab eo qui potest & debet. Sed homo non poterat satisfacere licet debebat, DEus vero poterat, sed non debebat, oportuit ergo ut satisfaceret homo DEus, nempe homo, qui debebat, & DEus, qui posset. Mori ergo debuit bonus JEsus, hoc ipso felicissimos nos reddens, quod nos à morte æternâ liberaverit, & quod morte suâ ipsam mortem vicerit ac debellaverit. Pulchrè *S. Hier. Ep. 3. ad Heliodor.* ipsius ex Nepotiani morte conceptum mœrorem levaturus. O mors devorasti nostrum Jonam mysticum, ut tempestas mundi conquiesceret, & Ninive nostra illius præconio salvaretur. Illius morte tu mortua, illius morte nos vivimus. Videbatur homo totus ad labores & angustias natus; Videbatur

Christus mori debuit quia voluit.

debatur sol ipsi lucere tantum ad damnum & miserias spectandas, cœcutiebat in DEO summo bono inspiciendo. Nunc aliter se res habet; sedatæ sunt tempestates, mortis spiculum est comminutum, arcus confractus est, & mors quæ ante ferociebat, modo nec ab infantibus, timetur. Gratias tibi Salvator inquit citatus S. Hieronymus, gratias inquam tibi agimus creaturæ tuæ, quod tam potentem adversarium nostrum dum occideres, occidisti. Videmus hoc accidisse *3. Reg. 19.* cum Elia Prophetâ. Cum enim is intellexisset vitæ suæ insidias strui à Jezabele, timuit; & surgens abiit. Mira res! Elias modo timet mortem, qui ignem nuper de cœlo evocabat, qui cœlum aperire & claudere noverat, qui iram Regis Achab infregit, qui Regem non timuit, modo Jezabelem fugit. Pulchrè S. Chrysostomus *hom. de Elia & Petro*: DEus declarare voluit, illa miracula quæ ostensa fuerunt, non ab Elia, sed suâ potentiâ facta esse. Vide inquit quid faciat, Quo tempore DEus ipse operabatur, Reges, Principes, & populi succumbebant ipsi Eliæ, at verò cum DEus abscessit, etiam mulier una, illi prophetæ terribilis visa est. In Jezabele agnoscit mortem, quæ ante adventum Christi omnibus fuit terribilis. *Elias mortem timens, sub junipero animatur.* Porro comitemur fugitivum Eliam in desertum, ad hoc cum pervenisset, totus lassus consedit subter unam Juniperum, & petivit animæ suæ ut moreretur. Quærit S. Chrysostomus: Quomodo? Elias fugit Jezabelem, & ideo fugit, ne occidat; & jam sub umbrâ Juniperi considens, ipsam mortem implorat, & mori vult. Planè egregiè Rupertus Abbas. Confugit ad vivificum lignum Crucis, illic ambit mortem, illic festinat commori Christo, ut cum eodem fiat particeps gloriæ. Agnovit nimirum Elias, in spinosâ Junipero mysterium passionis & mortis Christi in Cruce, in cujus agnitione, ita illuminatus fuit & animatus, ut mortem nihil amplius timuerit. Placuit hæc Juniperi allegoria Dionys. Carthusiano, ut dixerit per spinosam Juniperum, cujus umbra fugat serpentes, & sub cujus cineribus diu conservatur ignis, intelligitur Crux Salvatoris Christi, in quâ ipse mortis aculeos toleravit, quæ suâ virtute fugat dæmonia, & cujus memoria conservat ignem amoris divini. Sub hac Cruce ergo debemus sedere, hoc est amoroso corde revolvere, quid, quanta, & qualia passus sit filius DEI. Nec absque re est quod Angeli sæpius visi sint in loco passionis consedisse. Sic apud Josue angelus consedit sub quercu, quasi jam tunc Angelis amabilior locus non fuerit

 ipsâ

ipsâ Cruce. Sic in Evangelio *Matth. 28. v. 2.* Consederunt angeli ad monumentum, & invitarunt pias mulieres: Venite & videte locum, ubi positus erat Dominus. Quod mirum videri non debet, quod ibi conquiescant angeli, ubi ipse Angelorum Dominus caput suum reclinavit, & velut sub umbrâ crucis quievit. Lipomanus *super illud Gen. 22.* ubi Abraham volens sacrificare filium, cum fuisset ab Angelo prohibitus, jussusque arietem cornibus hærentem in vepribus sacrificare, dum inquam eundem in holocaustum obtulisset, observat pulchrè, quod Abraham finito sacrificio redierit ad servos, textus autem nihil aliud dicat, quam abierunt simul Betsabee, & habitavit ibi. Magna res exclamat Lipomanus, nihil justus de tanto opere vel promissis dicit, simpliciter arbitrabatur se fecisse, quod obligabatur, & Domino debebat tanquam servus inutilis. Ego quidem inquit rem planè arduam credo, adeoque facinus plane generosum, intuitu cujus DEus illi promisit, adventum Messiæ. Quia fecisti rem hanc, benedicam tibi & benedicentur in semine tuo omnes gentes. Quidam putant, quod DEus tenuerit manum Abrahamo, & quod sic respexerit, viditque post tergum arietem inter vepres hærentem cornibus, quem assumens obtulit holocaustum pro filio. Syriaca versio habet. Ecce aries unus pendens in arbore Sabech. Quod explicat Procopius & dicit, hanc figuram fuisse Christi in Cruce pendentis, quam arborem ipse conscendit in mortē suâ, in eaque pependit clavis affixus, & in Cruce pro nobis mortuus est: Scilicet postquam vidit Abraham figuram Christi Crucifixi, eique revelatum fuit Crucifigendum filium DEI propter peccata nostra, statim omnis amaritudo passionis transiit, nec videbatur sibi aliquid magni fecisse, licet promptissimus fuerit ad immolandum filium Isaac. Tantam virtutem habebant solæ figuræ, & umbra Christi in cruce morientis, ut omne amarum in memoriâ futuræ passionis dulce redderetur. Benè concludit Lipomanus, Lignum id est crux Christi, dulcia facit omnia hujusmodi adversa. Quia sanguis Christi & mors, omnem tristitiam abstulit morituris pro Christo, multique sancti Martyres etiam in morte majorem habuerunt voluptatem, quam filii hujus mundi, vel in ipsis nuptiis. Non ego hic commemorabo Apollonias, Barbaras, Catharinas. Non dicam Andreas, Stephanos, Laurentios, non integras catervas SS. Martyrum percensebo, obvia muliercula in amplum testimonium sufficiet.

Abraham non extollitur in consideratione Christi Crucifixi.

Crux Christi omnia facit dulcia.

Tem-

Tempore Valentis Imperatoris visebatur à plurimis illustre templum S. Thomæ Apostolo sacrum, quod indignè ferens Imperator, mandavit Præfecto, ut populi concursum prohiberet, sed quia mandatum dissimulavit Præfectus, indignatus Imperator, eidem alapam inflixit. Contumeliâ hac affectus infremuit quidem, sed tamen crudelitatem exosus, monuit ne aliquis à se in templo deprehenderetur. Tunc enimverò animosior factus est concursus, & in in ipso itinere Præfecto obvia fit mulier, quæ interrogata, quo infelix tenderet? respondit quo alii pii Christiani. Cui cum miles dixisset. Non audisti Præfectum omnes interempturum, quos ibi reperiret. Audivi respondit mulier, & ob eam causam festino, ut & ipsa ibi inveniar. Fregit non tantum Præfectum, sed ipsum etiam Imperatorem, tam constans in muliere hac animus. Utique morte Christi confirmatos Sanctos Martyres, nulla tormenta Tyrannorum frangunt. Pontianus nobilis adolescens à Fabiano Præside ardentibus prunis inambulare jussus fuit, fecit; & in prunis consistens Præsidem sic allocutus est. Ecce in nomine Christi DEI mei, illæsus prunas tuas veluti rosas calco. Tu si Scævola es, vel in aquam ferventem manum tuam impone, & experire, num te Jupiter DEus tuus sit à dolore & læsione liberaturus. Quibus dictis incensus Tyrannus, corpus sancti Martyris ungulis ferreis dilacerari jussit. At verò fracta sunt omnià martyrii instrumenta, & pellis ne quidem læsa fuit. Quarè in obscurum carcerem abjicitur, ubi angeli divinâ luce omnem caliginem dispulerunt. Objicitur Leonibus, sed à famelicis licet, non læditur, ultimo in sartaginem abjicitur, & plumbo liquato perfunditur, ac torretur, sed neque sic læditur, usque dum gladio cœsus Martyr occubuit. Verum ad nostra accedamus tempora, videbimus vel ipsos parvulos maxima Tyrannorum tormenta risisse. Narrat Thomas Bozius *de signis Ecclesiæ l. 11. signo 43.* Puerum quendam Commorino ad Malabares Caletum inter prædationes abductum fuisse. Hic puer duodene major non erat, datus est in donum cuidam Regulo Mahometano, qui gratiâ & formositate pueri allectus, nihil non egit, ut eum à fide Christi abduceret. Promisit in matrimonium filiam, quam ei mirè ornatam stitit, sed neque blanditiis neque minis aliquid potuit efficere. Puduit barbarum vinci à puero, adeoque martyrio afficitur. Frustratim manus pedesque confracti & divisi sunt. Inter hæc tormenta dixit puer, se nunquam suavius vixisse, tandem

Mulier promptior ad subeundam quam Tyrannus ad inferendam mortem.

S. Pontiano prunæ ardentes rosæ videntur.

Puer duodennis in fide constans Martyr occumbit.

tandem inter continuatos cruciatus mortuus ad superos evolavit. Alius minoris ætatis puer Japon Petrus nomine, Anno Christi 1609. uti testatur Bartolus *p. 2. Asiæ L. 2.* cum parens martyrio affectus esset, more gentis in societatem martyrii fuit attractus. Hic cum à domo paternâ abesset, & in domo avi sui repertus fuisset, ad necem postulatus suaviter quiescebat. Evigilans intelligit se mortis causâ peti à Carnificibus. Benè inquit est, date vestes pulchras, quibus se statim induit, & cum Carnifices æquis passibus insequi non posset, ab uno ex Carnificibus est portatus. Ubi ad locum supplicii venit, petiit ubi pater esset? Carnifices illi corpus parentis monstrarunt in plurima frustra dissectum. Quo nihil turbatus, statim ad cingulum usque se denudavit, & corpus cuivis vulneri aptavit. Jubentur amputare caput Carnifices, accedunt, sed reformidant, ferè quadrante integro expectavit ictum puerulus, usque dum ipse aliquem invitavit, paratior ad ictum excipiendum, quam carnifices fuerint ad inferendum. Cum tandem accessit unus, cui ex commiseratione ictus aberravit, neque prius, quam tertio ictu gloriosum caput cecidit. Adjungo ex parvulis tertium, in quo constantia virilis eluxit. De hoc *martyrol. Rom. 24. Octobris* habet, quod cum Mater frontem illius sanguine S. Aretæ M. inunxisset, puer magno ardore martyrii accensus fuerit, sic ut matrem ad rogum usque sequeretur, cum vero Tyrannum in alto solio conspexisset, puer pro matre balbutiens peroravit. Rex genibus suis impositum interrogat, an secum, an potius cum matre permanere vellet? Matrem inquit, nam propter illam ad te veni. Solvatur ergo; sin minus? me simul martyrii socium habeat, ad quod illa me toties hortabatur. Tunc Rex puerum rursus interrogat. Quid vero hoc est, quod dicis martyrium? Respondit puer, est pro Christo mori, & rursus vivere. Quærit iterum Rex, quis est hic Christus? Veni inquit puer huc ad Ecclesiam, & illum tibi ostendam. Dum vero Rex puerum multis crepundiis demulcet, ubi puer vidit matrem in flammas injici, regis femur momordit, & is à Rege excussus, directè ad flammas accurrit, atque in illas insiliit, ibique in complexu matris mortuus est. Benè profecto Tertull. *l. de anim. c. 50.* ait publicâ totius humani generis sententiâ, mortem naturæ debitum pronunciamus, hoc spopondit omne quod nascitur. Mox enim ut vitam ingreditur homo, mortis clientem se profitetur, eique homagium ut vocant, præstat, & velut

Puer parvulus ad mortem promptior quam carnifices ad occidendum.

Puer mavult mori Martyr, quam in gratia regis vivere.

Mori omnes debemus.

lut in manus compromittit. Etenim inquit dictus Tertullianus *de Carne Christi c. 6.* mutuum debitum est inter se nativitati cum mortalitate, forma moriendi causa nascendi est. Christus mori jussus, nasci quoque necessario habuit, ut mori posset. Non enim mori debet, nisi quod nascitur. Quasi diceret, non potest homo per mortis portam egredi, nisi prius per vitæ januam fuerit ingressus. Nam ut S. Chrysostomus *hom. 42. in Mat.* inquit, ideo morimur, quia nascimur, & cum in vivis homo esse incipit, tunc albo mortuorum adscribi potest. Hanc veritatem assecutus est Seneca *l. de Consol. ad Helvid. c. 11.* Quisquis ad vitam editur, ad mortem destinatur. Ergo mors vitam loco pignoris arripit, ut certum habeat debitum. Pulchrè hoc explanat Nissenus *in suo Cæli Polit. p. 1. l. 2. c. 6.* per Herodis Regis ingeniosam structuram de quâ Flavius Josephus *l. 3. de bello Judaico: c. 16.* Tumulum inquit ille in mammæ formam manufactum excitavit, qui stadiorum sexaginta spatio ab Hierosolymis aberat. Mirabilis fuit ea tumuli in mamæ formam compositi figura. Si illarum superbarum Ægypti pyramidum instar fuisset, aut quale illud Arthemisiæ mausolæum, neminē figuræ novitas traheret, in admirationem, sed quod ad similitudinem uberum confectus fuerit, quis tale aliquando vidit? Quid verò mirū, si nativitati cum mortalitate mutuum inter se est debitum judicio Tertulliani? prudens inventum fuit, ut indè acciperemus ubera materna, unde primæ vitæ alimoniam recens natus infans haurit; tumulumque cui denatus infertur, ita sibi mutuo sciat respondere, ut tunc in mortuis statim numerari possit homo, quando in vivis esse cœpit. Mors enim ex nativitatis malo nascitur. Quod cum scirent sancti Martyres, debitum pœnamque mortis, quam Christus pro nobis sustinuit, verterunt in instrumentum Virtutis. Audiendus est namq; Author operis Imperfect. *hom. 26.* Si ergo post modicum morituri sumus, nullâ DEI causâ proposita, quomodo non ante modicum, in DEI causâ cum gloriâ morimur, ut fiat voluntarium, quod futurum est necessarium. Non enim otiosa est S. Greg. Mag. *l. 5. moral. c. 30.* commonitio. Justi mortem, quam vitare funditus nequeunt, cum pro Virtute imminet, differre contemnunt, eamque dum æquanimiter ferunt, pœnam propaginis vertunt in instrumentum Virtutis. Et hæc causa fuit cur S. Ambr. vitam suam periculis exponere non dubitaverit, qui magis cohorruit, quando ab Arianis lauto exceptus est convivio, quam quando minabantur

Herodes tumulum in mammæ formam ædificat.

Moriendum gloriosè pro Christo.

S. Ambr. in periculis imperturbatus.

bantur carceres, & millena mortis pericula. Novit hic Sanctus Præsul, vitam suam in solius DEI pendere arbitrio, qui illam etiam inter medios hostes potest servare illæsam; cui vel ipsa aranei tela fortissimus murus est, à nullo tyranno expugnandus. Sicut accidit S. Felici, quem aranei textura fortius, quam ullus clypeus defendit. Taceo quam plurimos alios, qui vel cœli obtinendi desiderio, vel metu offendendi DEum, instanter optarunt, vel venientem mortem exceperunt. B. Aldomira Virgo Castellana, cum ei mortis suprema hora annunciata esset, exclamavit: Hæc illa ultima hora est, quâ Dominus à famulâ suâ nequeat amplius offendi. Sancia Carilla accepto divinitus nuntio se post annum primo morituram, mirè ejulans dilatam mortem est lamentata. P. Joannes Sanchez tanto cœli ardebat desiderio, ut diceret si certò sciret, se illâ die non moriturum, satis id fore, ad se ex vivis exturbandum. Pari desiderio flagravit S. Theresia, quæ concinens illa verba: Videant te oculi mei suavissime JEsu, adeo in ecstasim rapta fuit, ut velut exanimis in lectulum suum reportari debuerit, ubi usque in diem sequentem extatica jacuit. Rarum hoc Gerardo S. Bernardi Germano fratri accidit, ut is moriendo Cygni instar cantaret, & cantando moreretur. Accitus ego sum inquit S. Bern. *serm. 26. in Cant.* ad id miraculi; videre nempè in morte exultantem hominem, & morti quasi insultantem; Ubi est mors stimulus tuus? Jam non est tumulus sed jubilus; jam cantando moritur homo, & moriendo cantat. Verè omnino stimulus mortis per Christi mortem confractus est, & mors, quæ antea omnium terribilium terribilissima habita est, ut fugeretur ab omnibus, post mortem Christi magnis sæpè desideriis & suspiriis appetatur. Georgius Charentiæ Comes ob suspicionem affectati regni ab Eduardo Angliæ Rege fratre suo jussus mori, & mortis sibi genus eligere, mortem elegit suavem, nempe in vino malvatico suffocari. Conjectus igitur in vas plenum vino malvatico, tandem bibendo suffocatus est. Ludicra hæc est delicatorum hominum in confinio salutis de morte cogitatio, quæ fortè dum palato suavis accidit, insipidam tandem deglutivit æternitatem. Nulla mors suavior esse potest, quam quæ fit in vulneribus Salvatoris. Occurrit hic quod P. Alegambe *in bibliotheca scriptorum Societatis JEsu refert*, de quodam Societatis Sacerdote, qui Passioni Christi devotissimus singulis diebus DEum instantissimè rogavit, per angustiam morientis Christi, ut sibi

S. Felicem contra hostes aranei tela defendit.

Aldomira mori gaudet ne DEum amplius offendat.

S. Theresia mori anhelat, ut JEsum videat.

Gerardus cantando moritur.

Mors suavis in vino Malvatico.

Mors verè suavis quæ fit in vulneribus salvatoris.

sibi beatam ac felicem mortem concederet. Hic cum jam in agone jaceret, & crucifixum ligneum manibus teneret, atque id ipsum á Christo amorosissimè peteret, simulque exclamaret: In manus tuas Domine, commendo spiritum meum. Viderunt circumstantes ligneum Christi corpus paulatim se à Cruce solvere, excidere primum clavos ex manibus, deinde etiam à pedibus, deinde sese demittere, & corpus suum infirmi Corpori, & cor Cordi applicare atque morientem amplecti. O verè suavis mors, quæ in amplexibus Christi amore nostri mortui est terminata.

Morientem Crucifixus solutis à ligno manibus amplexatur.

Nec terreat nos luctuosus ille planctus de quo Euseb. *l. 5. præpar. Evang. c. 9.* ex Plutarcho refert, quod sub Tiberio apud Paxas insulam audita vox fuerit tristissima, Magnus Pan mortuus est. Et subito insonuit gemitus innumerabilis multitudinis, quæ comuni planctu morientis in Cruce Christi exitum & mortem deploravit. Gemitus enim hic, aliud non fuit, quam dæmonum luctus, qui tardè nimium, etiam per uxorem Pilati mortem Christi impedire volebant, sed non poterant, quia per hanc una cum morte devicti & debellati sunt. Sic enim *Habac. 3. v. 5.* dicitur. Et egredietur diabolus ante pedes ejus. Ubi vides post devictam mortem, triumphatum pariter esse dæmonem. Pulchrè proinde S. Chrysostomus *hom. de Cruce & Latr.* Decuit splendorem Crucis, illuminare credentes sola enim Crux est quæ dissolvit tenebras & regnum dæmonum dissipavit. Crux nobis Sol Justitiæ factus est. Neque etiam est quod tenebras timeamus, quas integro trihorio perdurasse. *Mat. c. 27. v. 45.* scribit, à sextâ autem horâ tenebræ factæ sunt super universam terram usque ad horam nonam. Quas S. Hier. *in c. 27. Mat.* dicit inductas, ut natura ipsa ostenderet se Deicidium detestari, nec intueri posse. Quæ defectio juxta S. Hieronymum citatum, & S. Augustinum *Ep. 86. ad Hesichium* fuit omnino super cursum naturæ, cum fuerit in plenilunio quando non fuit Luna sub Sole, sed soli erat opposita, & rectè tunc Judæi celebraverunt pascha, quod ex præscripto Moysis debebat celebrari in plenilunio. Adverto autem cum Nysseno *tom. 2. Dom. 21. post Pentec.* quod DEus, quando *Exod. 10. v. 22.* induxit tenebras super universam Ægyptum, toto triduo illas continuaverit, cum tamen in tremendo illo deicidio non voluerit tenebras esse nisi tribus horis. Ut intelligamus inquit Nissenus quanto majoris DEus æstimat injurias obstinato illi populo factas, quam offensas pro-

Pan magnus mortuus est.

Tenebræ moriente Christo factæ sunt.

proprias ab ipsis illis populis, sibi illatas, utpotè qui suammet mortem tam turpem & crudelem trium solum horarum Ecclipsi vindicavit, populi autem sui servilem oppressionem trium dierum densissimis tenebris castigavit. Adeò vel in ipsis tenebris, punientis DEI benignitas clarescit. Sed & in Christi morte velum scinditur, ut intelligamus, vel nunc patefactam nobis viam esse, quâ in cœlum tendamus. Quod cum hactenus clausum fuerit, nunc tandem per passionem Christi est reseratum. Advertit autem S. Ephrem. *serm. de pass.* quod quando velum templi scissum fuit, ex templo evolaverit Columba, quo DEus uti dicit Theodoretus *in c. 15. Marci* manifestare voluit, quod gratia Spiritus sancti, quæ hâctenus Synagogæ fuerat concessa, ad veram Ecclesiam Christi transiverit. Sic planè in morte Christi, terra mota est, & quidem universa, uti vult Orosius *l. 7. c. 4.* non solum ut significaretur quasi naturalis sensus terræ ad tantum scelus indignantis, sed etiam ut Eusebius clarè asserit, templi superliminare collapsum est, atque Angeli templi Præsides auditi sunt, qui dixerunt, Migremus hinc. quod tamen Josephus de bello Judaico ad excidium Urbis & Templi transfert, ut inquam discamus DEum penitus à Synagogâ recessisse. Monumenta aperta sunt, ut ostendatur vi passionis Christi, mortem esse superatam, & vitam nobis esse restitutam. Petræ quoque scissæ sunt, tam in ipso monte Golgothæ, quam in montibus Alverniæ, ubi S. Franciscus erat à Seraphino aliquando crucifigendus. Ut & nostra scindantur corda, quando omnia moriente Christo moventur, rumpuntur, scinduntur. Verè omnino & benè observat Eusebius *de præpar. Evang.* Omnes creaturas in morte Christi modo suo, signa doloris & compassionis dedisse, solum & unicum mare stetisse immotum. Stella *in c. 12. Luc.* dicit hoc factum esse, quia mare est Symbolum peccatoris. Ita enim *Isa. 57. v. 20.* Impii quasi mare feruens. Ut ostendatur inquit Stella, quod solus impius peccator non moveatur ad compassionem, spectando tot ac tanta morientis Creatoris sui mysteria. O summam hominis peccatoris ingratitudinem! quam sufficienter mirari non potuit S. Hieronymus: Quare inter suspiria & lachrymas *in c. 26. Mat.* exclamat: Omnis natura compatitur Christo morienti, sol obscuratur, terra movetur, petræ scinduntur, velum templi dividitur, sepulchra aperiuntur. Solus miser homo non compatitur. Tuentur se quidem hæretici nostri temporis, verbis illis

Velo scisso via ad cœlum panditur.

Velo scisso columba Spiritus avolat.

Christo in Cruce passo tota terra movetur.

Monumenta aperta sunt.

Petræ scissæ sunt.

Luc. 23. v. 24. Nolite flere super me, ideoque non tantum die Veneris Sancto, sed & totâ illâ hebdomadâ sumptuosa agunt convivia. Sed audite cœcissimi mortalium; audite inquam Adamum Contzen *de consens. Evang.* scilicet non tam super me flete, quam super vos ipsos, utpotè quibus mors mea cedit in æternam damnationem. Cœterum cum Christus ipse cœperit contristari, pavere, & mœstus esse, cur nos tunc inani gaudio evanescamus? cur non cum Christo JEsu in Cruce sitiente, sitiamus potius & jejunemus, quam ut commessationibus & compotationibus intempestivis nos ingurgitemus; maximè cum legamus Veteres & primos Christianos, hac hebdomadâ majore, se vigiliis, jejuniis, & humicubationibus afflixisse. Ut vel sic suam erga Christum morientem compassionem contestarentur, quod jejunii genus nempè in abstinentia ab omni cibo, vel saltem in solo pane & aquâ cum veteres Carenam dixerunt, ad nos Germanos defluxit verbi illius usus, ut hebdomadam illam dicamus Die Carwochen. Quid tu ô anima Christiana? pro cujus salute ipse pro te amantissimus tui, mortuus est JEsus? si jejunia perferre nescit corporis debilitas, si humicubationes recusat fragilitas, si flagra & Cruces nequit tolerare Complexionis teneritudo, hoc unum cum S. Augustino superius citato exigo. Sit tibi in corde fixus JEsus tuus, qui pro te fixus fuit in Cruce. *Carwochen.*



DISCURSUS XXIV.

Christus sepultus est.

TUrcæ non volunt Christum verè mortuum esse, adeoque nos Christianos rident, quod tantâ veneratione ejus sepulchrum colamus. Cum tamen ipsi tam solicitâ religione, ne dicam vesanâ superstitione sui Mahomet sepulchrum venerentur; & ipsa prisca gentilitas apud Cretenses Jovis supremi Deorum delubrum celebraverit. Sic enim apud Cretenses habetur simulachrum Jovis, cum hac Epigraphe: Hic sepultus est Jupiter. Quid mirum nunc

nunc si in omne scelus proruat gentilitas, quia mortuum DEum habet, qui nunquã amplius, nec suâ nec aliena Virtute resurget. Et certè tam prisca ætas, quam moderna nostra tempora, & omnis retroacta sæculorum gentilitas, Et tam veri DEI cognitione illustrata Synagoga, quam vera Christiana Ecclesia, in illâ semper fuit concordi religione, ut licet gentilium plurimi non crederent futuram re-

Si non est resurrectio aliquid apud omnes est tanta & cura funeris.

surrectionem, semper tamen singularem sui funeris habuerint curam, ut corpus cujuscunque defuncti hominis, honestâ curaretur sepulturâ, & vel ipsi cineres qualicunque tandem pietate & à naturâ insitâ religione colerentur. Quod tanto magis apud eos semper vim habuisse videtur, qui veræ fidei lumine illustrati, futuram Carnis resurrectionem credimus, quia spem certam revivíscentiæ habemus, & unionem novam animæ cum corpore longe firmiorem, in die judicii piè & religiosè speramus. Hinc enimverò vel in ipsis Sacris paginis legimus, quam religiosa fuerit cura Patriarchæ Abrahæ integro plane *Gen. 23. capite*, in curando funere Saræ uxoris suæ, quæ ubi exactis 127. annis mortua est, præmisso officio funeris & planctu, solicitè sepulta est per Abraham, apud filios Heth; & apud Ephrem filium Seor institit, ut sepeliret uxorem suam in speluncâ duplici, quam ære suo comparavit. Dicitque textus *Gen. 23. v. 19.* Atque ita sepelivit Abraham Saram uxorem suam in speluncâ agri duplicis? In quem locum Abulensis. Vocatur spelunca duplex, quia erant duæ speluncæ, & in unâ sepeliebatur vir, in alterâ uxor. Cur obsecro Abraham quod moris est, non in eodem cum uxore tumulo sepelitur? Scilicet matrimonium inquit est nexus solâ morte dissolutus; hinc si resurgeret alteruter, cum quovis esto vivente

Fœminarum consortium periculosum.

adhuc marito contrahere posset. Quod probè sciens Abraham, Saram scilicet per mortem non amplius esse uxorem suam, eam suo noluit commisceri cineri, ut nos doceret, cohabitationi non fidere mutuæ, qui adhuc calemus. Et hinc Clemens Alexandr. *l. 3. strom.* legem refert, quæ præcipit ut adulter obruatur lapidibus, sed non in eodem loco etiam adultera, ut mors quidem eis sit communis. Us-

Adulter cum adultera non in eodem loco lapidantur.

que adeo lex omnem occasionem intercidit. Quod in mortuis cavendum est corporibus, æquè & magis cavendum est in pictis & visis *Apoc. c. 17. v. 3.* Angelus Joanni Virgini lascivam mulierem monstravit, sed eum prius carne & corpore quasi exuit. Et abstulit me quasi in spiritu, & vidi mulierem super bestiam sedentem. Ut Joannes secu-

securè aspiceret mulierem lascivam, cum extra corpus rapit. Hugo in locum præsentem. Non incongruè hoc arbitror accidisse, quo nos docuit, ut à mulierum consortio abstineamus. Quid tu adolescens impudens dices, qui effigiem amasiæ tuæ velut libidinis jugum in collo tuo circumfers? Scilicet tu Joanne castior es? qui ut tutè mulierem videret corpore exutus est. Redeamus & nos ad exuti corporis exuvias; & ipsius Abrahami funus quam solicitè ab Ismaële & Isaac fuerit curatum videamus. *Gen. enim 25. v. 8.* ubi dicitur, quod deficiens mortuus est in senectute bonâ provectæque ætatis & plenus dierum, congregatusque est ad populum suum, statim subjungit *v. 9.* Et sepelierunt eum Isaac & Ismaël filii sui, in speluncâ duplici, quæsita est in agro Ephrem filii Seor Hethæi, ubi sepultus est ipse, & Sara uxor ejus. Pari solicitudine sepulta est Rachel & Isaac *Gen. 35. v. 19.* Mortua est ergo Rachel & sepulta est in viâ, quæ duxit Ephratam, hæc est Bethlehem. Erexitque Jacob titulum super sepulchrum ejus. Hic est tumulus monumenti Rachel, usque in præsentem diem. Paulo post *v. 28.* dicitur: Et completi sunt dies Isaac centum octuaginta annorum, consumptusq; ætate mortuus est, & appositus est populo suo senex, & plenus dierum, & sepelierunt eum Esau & Jacob filii sui. Ubi occasione tituli, quem posuit Jacob super sepulchrum Rachelis, laudabilem consuetudinem Ecclesiæ Catholicæ commendare debeo, quæ filiis suis in Domino dormientibus crucem apponit, quâ contestamur defunctum fuisse Christianum, qui in eum credidit, qui amore nostri in cruce mortuus est. Et superius ostendimus Crucem à sepulchro pagano in tumulum Christiani hominis per S. Patritium fuisse translatam. Cum quantâ pompâ Joseph curaverit funus Patris sui Jacob, copiosè refertur toto capite *Gen. 50.* ubi non solum ipse cum fratribus suis de Ægypto ascendit in terram Chanaan, sed etiam plurimos Satrapas Ægyptios in societatem luctus & funeris attraxit, & ingenti cum planctu Patrem suum sepelivit. Scio ego S. Marcellinum Pontificem post fidem abnegatam, facti pœnitentem, se ipsi Concilio ad pœnitentiam obtulisse, ac deindè magnâ constantiâ errorem suum retractasse, adeoque à Diocletiano ad martyrium abreptum esse. In ipso itinere ad martyrium comitatus est illum Marcellus Presbyter, qui Pontificem ad constantiam animavit. Marcellinus vero Marcellum constanter rogavit, ne corpus suum sepulturæ traderet, dicens, ob negatum Salvatorem, se id nequaquam mereri.

Cruces bene apponuntur sepulchris.

Marcellini Papæ corpus S. Petrus honorificè sepeliri mandat.

reri. Cum ergo ex mandato Diocletiani, illius & reliquorum Martyrum corpora triginta sex diebus inhumata jacuissent, apparuit Marello Presbytero S. Petrus, monuitque ut in viâ Salariâ in cœmiterio S. Prisciolæ, illius, & reliquorum corpora conderentur.

S. Ignatius insterquilinio petit tumulari.

S. Ignatius quod refert Petrus Ribadeneira, illud sæpius à DEO petebat, ut post mortem cadaver suum avibus & feris laniandum objiceretur. Nam cum ego inquiebat ille, sterquilinium & detestabilis omnino sim, quid aliud meis criminibus dignum expetam? Sed aliter visum est DEO, cœlum ipsum S. Ignatio parentavit. Stellas namque viventi amicas, pro decentiâ funeris ad Sarcophagum transmisit, ut cœli stellata parte involveretur, qui à mundo nec tegi, nec tumulari voluit. Animam astris quis dubitet esse receptam, quando ipsum corpus inter astra jacet. Si quæras quid stellæ in funere

Stellæ in funere S. Ignatii.

S. Ignatii faciant? Scias Ignatium in frequenti contemplatione cœli fuisse familiarem & amicum stellis, hinc quando moritur, velut amici ad funus veniunt. Profectò fuit hoc funus sumptuosum, in quo cœlum dedit funalia. O pulchri cineres, qui tales fovent scintillas!

S. Gregor. Turon. post mortem calcari voluit sed meliori loco tumulatur.

Sic S. Gregorius Turonensis, qui ut consuetam sibi in vivis servaret humilitatem post mortem, in aditu templi sepeliri voluit, ut ibi omnium intrantium & exeuntium pedibus conculcaretur. Verum populus id diu passus non est, ut tantus DEI servus omnium pedibus conculcaretur; à templi ergo aditu, ad medium chori illius reliquias devotus populus transtulit, ubi ejus gloriosa memoria celebratur. Ita nimirum suorum funerum curam DEus habet. *Josue 24. v. 32.* memorat scriptura, quam solicitè filii Israel ossa Josephi Patriarchæ ex Ægypto transtulerint, & in Sichem, in agro Patrum suorum sepeliverint. Ossa quoque Joseph, quæ tulerunt filii Israël de Ægypto, sepelierunt in Sichem in parte agri, quem emerat Jacob à filiis Hemor Patris Sichem. Noluerunt utique cineres Patriarchæ Joseph in Ægypto quiescere, ne gentilium Cineri commisceretur. Unde usque hodiè in Ecclesiâ DEI solicita est cura vel

Cura sepulturæ Ecclesiastica apud Christianos.

ipsorum morientium, ut loco sacro inferantur. Hoc unum durum est, quod in tantum pretium sepulturæ accrescant, ut fideles à funeribus penè arceantur. Nugatus est seriò vir clarissimus, at non specialiter nummatus, de quo Stengelius *Tom. 4. c. 66. §. 6.* qui dicere solitus est, vel ideò se illibenter mori, quod tanti mors constet, & à defunctis tumulandis nimium exigatur. Charontem olim naulo

suo

suo contentum fuisse, sed nunc ipsos Vespillones, ne dicam alios, Charonte magis esse avaros. Cœterum sepulturam Ecclesiasticam DEO cordi esse ostendit ipse DEus, vel per ipsum animal rudissimum. Apologus est. Usurarium in morte aliqualiter pœnitentem, parochus absolvere non voluit, nisi male parta suis Dominis restitueret, neque deindè nolenti satisfacere, ulterius assistere, neque mortuum in loco sacro sepelire voluit. Amici & Consanguinei de sepulturâ defuncti soliciti, fraudem excogitarunt, & ut Parochum, quem simplicem credebant, deluderent, cum eodem paciscuntur, ut asino cadaver imponant, & quo ab asino cadaver deportabitur, ibi sepeliatur. Credebant autem asinum, qui libros ad templum portare consueverat, more suo ad templum iturum. Asinus verò apertâ portâ cum onere sibi imposito, rectâ ad patibulum abivit, ubi sepultura asini sepultus est. Neque enim mali à Sanctis in templo tolerantur. Contigit in Urbe Genuensi, ut in Ecclesiâ S. Syri Martyris sepeliretur quidam Valentinus homo libidinosus. De nocte statim auditus est clamor, quasi aliquis violenter ex Ecclesiâ extraheretur, ad quos clamores dum accurrunt Ecclesiæ Custodes, viderunt duos nigerrimos spiritus, qui tenebant Valentini pedes funibus ligatos, qui corpus ejus extrà Ecclesiam extraxerunt; mane Custodes ad tumulum defuncti Valentini abeunt, in quo cadaver non inveniunt; Quarè extra Ecclesiam quærunt, ubi in alio tumulo corpus illius colligatis adhuc pedibus reperiunt, atque ibi ex voluntate divinà, ubi invenerunt, sepeliverunt. Ita refert Stengelius *Tom. 4. c. 67. §. 5.* Tremendum magis est quod Theophilus Raynaudus *tom. 17. in prato suo spir.* refert. In Apuliâ non procul Bario anno Christi 1643. accidit. Marchio quidam violenter puellam DEO sacram fœdavit, cumque illa inter lachrymas & resistendum sæpius vindictam à Beatâ Virgine sumendam inclamaret, ille blasphemo ore subridens dixit; & quam tu Virginem dicis, à quâ hujus facti pœnitentia mihi serò nimis obveniet. Dixit, & sine ulterioris pœnitentiæ signo exanimis concidit. Anima inferno à dæmonibus est illata, corpus à propinquis in Cœnobio PP. Capucinorum fuit tumulatum. Nocte insequente casu religiosorum aliquis templum ingreditur, & horrendum spectrum super tumulum defuncti Marchionis vidit. Ubi se recollegit, Guardianum adit, & visum refert. Imponit Guardianus illi mandatum, ut ex spectro quærat quid velit? Paret is, & interrogat; reponit spectrum, se Umbram esse sacrilegi illius & blasphemi homi-

Asinus usurario dignam sepulturam designat.

Mali à Sanctis in templo non tolerantur.

Ecclesia S. Syri M. libidinosum non patitur.

Blasphemi Marchionis Cadaver à dæmonibus rapitur ex sepulchro.

hominis damnati, cujus corpus etiam dæmones rapuerunt ex tumulo. Aperiant proindè sepulchrum, cadaver non inventuros sed horrendam mephytim. Aperto ergo tumulo inanis & vacua tumba inventa est, tantusque fœtor exhalavit, ut homines vix non mortui fuerint. Tumba carbonis instar fuliginosa, in sterquilinum abjecta fuit, quæ à quatuor corvis inspectantibus plurimis in aërem elata, ab iisdem in frusta discerpta, & frustatim comminuta est. Memorabilis est illa sepultura Saul Regis & filiorum de quâ *l. 1. Reg. c. 31. v. 11.* habetur, quod postquam Phylistæi devicto Saule, corpus illius suspendissent in muro Bethsan, cum id audivissent habitatores Jabes Galaad, surrexerunt omnes Viri fortissimi, & ambulaverunt totâ nocte, & tulerunt Cadaver Saul, & cadavera filiorum ejus de muro Bethsan, veneruntque Jabes Galaad, & combusserunt ea ibi, & tulerunt ossa eorum, & sepelierunt in nemore Jabes, & jejunaverunt septem diebus. Quod factum tantoperè probavit David Rex, ut statim post auspicia imperii & regni sui. *2. Reg. 2. v. 5.* miserit nuncios ad Viros Jabes Galaad, dixitque ad eos: Benedicti vos Domino, qui fecistis misericordiam hanc, cum Domino vestro Saul & sepelivistis eum. Et nunc retribuet vobis quidem Dominus misericordiam & Veritatem; Sed & ego reddam gratiam, eo quod fecistis verbum istud. Licet enim mortuus sit Dominus vester Saul, tamen me unxit Domus Juda in Regem sibi. Non miror ego jam Marcianum Imperatorem factum, & à charitatis Christianæ officio, ad ipsam Imperii dignitatem elevatum. Ibat ille Philopopolim daturus nomen militiæ, in viâ cadaver hominis occisi invenit, quod ubi inhumatum vidit, misertus illius, tumulum parat, ut illud sepeliret, sed à vicinis observatus cædis factæ reus accusatur, & capitis damnatur. Interim deprehenditur cædis author, Marcianus verò absolvitur & dimittitur. Incidit deindè in milites, inter quos adscribitur, brevique Præfecturam illius adipiscitur, cujus occisi corpus humare voluit. Tribunus deinde factus, tandem à Pulcheriâ in Imperii consortium est adlectus. O quam meritò dixerim Marcianum coronatum Vespillonem! Pulchrè omnino monet *Eccles. c. 38. v. 16.* Fili! in mortuum produc lachrymas, & quasi dira passus incipe plorare, & secundum judicium contege corpus illius, & ne despicias sepulturam illius. Memorabile est quod Cæsarius *l. 7. c. 39.* memorat de latrone quopiam, qui totâ vitâ suâ coluit sabbatinum jejunium; Gratum

Tumba blasphemi à Corvis discerpitur.

Marcianus quia inhumatum sepelivit fit Imperator.

tum hoc adeo fuit Beatæ Virgini, ut non solum ei peccatorum suorum seriam confessionem, & dolorem obtinuerit, sed etiam post mortem speciali honore illum fuerit dignata. Postquam enim Judicis sententiâ gladio percussus obiit, sepultus is fuit sub patibulo extra urbem. De nocte statim adfuit B. Virgo, cum aliis quatuor sacris Virginibus, & tumulo rursus aperto corpus exhumarunt, atq; caput tam aptè corpori univerunt, ut non nisi cicatrix remaneret. Hæ sanctæ Virgines corpus feretro quod elegantissimâ purpura instructum fuerat, imposuerunt, illaque honorificentissimè contexerunt; feretrum deindè in humeros exceperunt, & accensis in manu cereis ad urbis portas detulerunt Beata Virgine funus comitante. Cujus miro splendore perstricti Custodes, vehementer contremuerunt. Maria tamen blandè illos est allocuta, & dixit: Ite! & dicite Urbis Episcopo, ut cras manè, hunc meum Clientem, in certo loco, quem nominaverat, honorificè sepeliat. Manè portis apertis adfuit Episcopus, & cadaver purpuræ involutum invenit, ubi & purpuræ mirabilem texturam, & caput corpori tam prodigiosè unitum miratus, coacto Urbis universo Clero, & omni populo honorificentissimè in templo & loco nominato sepelivit. Docuit nos Beatissima Virgo hac prodigiosa Clientis sui sepulturâ, quam verum sit illud *Ecclesf. 7. v. 36.* Consilium, Mortuo non prohibeas gratiam. Hæc enim gratia Tobiam servavit à morte *Tob. 1. v. 25.* postquam enim à filiis suis occisus est Rex Senacherib, qui Tobiam propter sepulturam mortuorum occidi mandaverat, revocatus est Tobias in domum suam, omnisque facultas ejus restituta est illi. Sed & laudata fuit ab angelo mortuis exhibita cura sepulturæ. Sic enim Angelus *Tob. 12. v. 12.* quando orabas cum lachrymis & sepeliebas mortuos, & derelinquebas prandium tuum, & mortuos abscondebas per diem in domo tuâ, & nocte sepeliebas eos, ego obtuli orationem tuam Domino. Non otiosa profecto est quæstio, cur vespillones tempore pestis maximè à morte communiter immunes sint, cum tamen peste infecta corpora tractent, de quibus Lemnius celebris Medicus dicit, quod eveniat in corporibus recenter extinctis, quod in lichnis & funalibus, quæ accensa à se nullam graveolentiam diffundunt, extincta verò fœtorem molestissimum spirant. Pro quo licet varii varias assignent causas, placet tamen maxime Reies *quæst. 66.* ubi dicit, quod non minima hujus præservationis causa, videatur divina

Maria latronem sibi devotum honeste sepeliri mandat.

Vespillones cur in peste serventur.

providentia, quæ Vespillones vult ad tale ministerium reservare, ne ad tam necessarium munus deficiant homines. Quia si videremus communiter vespillones infici & interire, arcerentur à tali ministerio homines, & multa corpora manerent insepulta. Et hinc est, quod obsequium hoc DEO semper fuerit gratum, eique singulariter placuerit. Nunquam Josephus ab Arimathæa tam celebris fuisset, nisi à sepulturâ ipsius Christi. Sic enim *Marc. 15. v. 43.* dicitur: Venit Joseph ab Arimathæâ nobilis Decurio, qui & ipse erat expectans regnum DEI, & audacter introivit ad Pilatum, & petiit corpus JEsu. Observat Drutmarus *in c. 27. Mat.* quod nullus aliorum Evangelistarum illius tam nobilis Viri faciat mentionem, nisi in hoc loco, & hac occasione. Non inquit in alio loco Evangelii, de hoc dicitur, nisi hic. quid est quod hic solum meminerint? cum non sit dubium eum Christo plures obtulisse occasiones & actiones memoria dignas. Certè ego causam aliam dare non possum, nisi quia audacter intravit ad Pilatum, & petiit corpus JEsu. Erat Joseph dives & opulentus, uti *S. Joan. c. 19. v. 18.* videtur insinuare, nihilominus quamvis prævideret, quod petendo corpus JEsu, divitias suas, officium, & vitam ipsam periculo exponeret, contemptis & calcatis universis, omnique timore post habito, defuncti corporis reliquias depoposcit, ut sumptuosè monumento suo inferret. Quare ut Joseph æternæ memoriæ consecraretur, & de omni oblivione triumpharet, satis erat hanc unam solamque illius innotuisse actionem. Qui enim pro salute alterius & honore, opes, honorem & vitam exponit propriam, in supremum fortitudinis fastigium evasisse videtur. Cur verò Christus sepeliri voluerit, etsi causa non minima fuerit, ut se probaret & ostenderet verè mortuum, primaria tamen fuit, ut suam resurrectionem faceret magis gloriosam. Cœterum quia mandatum fuit *Deut. 21. v. 23.* Non permanebit cadaver ejus in ligno, sed in eadem die sepelietur, & quidem ut ait Philo antè solis occasum, Christus eadem die licet tardius, Sole tamen adhuc lucente, sepultus est. Depositum est ergo corpus Christi de cruce cum veniâ & consensu Pilati, neque enim uti ex jure constat L. corpora ff. de Cadaveribus, licet corpora reorum sepelire sine consensu Judicis: & in sinum B. Virginis est demissum ab aliis, præsentibus nempe Joanne, Nicodemo, & Josepho sedulò ablutum, & aromatibus pretiosis inunctum, ac sindone sacrâ involutum, in sepulchrum plane

Josephus ab Arimathæa à Christi sepultura celebris.

Christus sepultus est, ut suam resurrectionem faceret gloriosam.

plane novum illatum est. Ubi benè advertendum, quod Christus homo factus, nativitatis suæ locum elegerit, tuguriolum in petra excavatum, pro sepulturâ pariter acceperit monumentum in solido saxo excisum; ut introitus illius in mundum, & etiam exitus sint in firmissimâ Petrâ, nempè ut credentes, ad quos salvandos venerat, scirent se supra petram firmissimam introitum & exitum habere salutis, utique in summo angulari lapide Christo JEsu. Ubi bene dicitur in petrâ excisâ, ut tanto verior sit fides resurrectionis, & quidem in monumento novo, ne vel alius ibi resurrexisse, vel subruto fundamento furto sublatus credi potuisset. Quod verò aliqui opinentur, Evangelium tribuere piis illis mulieribus, quæ Christum sunt secutæ, illud pietatis & charitatis obsequium, quod Christum de cruce depositum inunxerint; tamen Cardinalis Baronius in aliâ est opinione, & putat à solis Viris fuisse conditum. Videtur hoc colligi ex verbis illis *Matt. 27. v. 59.* & accepto Joseph corpore involuit illud in Sindone mundâ. Cui correspondet Marcus *c. 15. v. 26.* ubi dicitur Joseph mercatus Sindonem, & deponens eum involuit Sindone, subdit statim *v. 47.* Maria vero Magdalenæ & Maria Joseph aspiciebant, ubi poneretur. Quod pene paribus verbis refert S. Lucas. Accedit deinde authoritas Rabinorum Jacob & Moysis, qui dicunt, apud hebræos eam consuetudinem fuisse, ut Virorum cadavera Viri, mulierum mulieres condirent. Oculos inquit & ora primum claudebant defunctorum stringebantque fasciâ, tondebant capillos, lavabant corpus, unguentis ungebant, linteis involvebant, sicque curatum corpus in sepulchro locabant. Hoc autem constitutum erat, ut Viri Viris, fœminæ fœminis illa officia exsolverent. Licet autem deindè dicatur, quod ipso die resurgentis Christi valdè manè venerint ad monumentum, ut inquit *S. Luc. c. 24. v. 1.* Una sabbati valdè diluculo, apparet tamen, quod licet ungere voluerint Christum, illum tamen revoluto jam per Angelum lapide invenerint surrexisse; adeoque illud charitatis pietatisque officium Josepho & Nicodemo fuit reservatum, qui etiam Christi corpus in Sindonem involuerunt. De hac Sindone Christi, quæ usque hodiè apud Sabaudiæ ducem Taurini asservatur, illud memorabile habetur, quod anno 1532. cum quartâ Decembris incendium obortum fuisset, illa in mediis flammis illæsa perstiterit. Cum enim capsa argentea, cui inclusa erat, jam inciperet colliquescere, Philibertus Ducis Cubicularius,

Christus nascitur & tumulatur in petra.

Christum Viri non fœminæ unxerunt.

Sindon Christi in maximo incendio servatur.

larius, assumpto secum fabro, & duobus Patribus Franciscanis, per medias flammas accurrit, fugiebantque flammæ in conspectu Sindonis, dum sacram Sindonem à flammis illæsam exportaverunt, quique in mediis flammis credebantur ardere, velut frigido rore perfundebantur, seque ipsos illæsos sunt mirati. Aperta deindè & expansa fuit Sindon, quæ non nisi in extremitatibus ambusta visa est. Debuit nimirum tam pretiosum salutis nostræ monumentum, posteritati perennare, ut haberemus etiam nostræ resurrectionis tesseram, in ipsis Christi gloriosi vestigiis. Verum quemadmodum Judæi Christum in Cruce pendentem blasphemaverunt, & contumeliis affecerunt, ita pariter in sepulchro jacentem, contumeliosè opprobriis molestarunt. Quis non miretur inexplicabilem DEI patientiam, quam licet totâ vitâ suâ mirabiliter planè exercuit, in passione tamen veluti scenâ pateticâ, fusius longè repræsentavit, & post mortem in ipso sepulchro voluit demonstrare. Ægyptii olim impensè in eo laborarunt, ut suis mausolæis magnificas & gloriosas inscriberent Epigraphes; Judæi blasphemi Christi tumulo inscribunt. Sèductor ille. Nec terræ quidem insepultus quiescit bonus JEsus. Tertullianus hanc DEI patientiam capere non valens, penè obmutescit, quod tantis opprobriis fuerit repletus DEus. Si enim pro nobis mori voluit DEI filius, cur quærit ille, tantis id factum est contumeliis? Respondet S. Greg. *l.* 30. *moral.* Ut redimeremur sufficiebat mors Christi, sed ut erudiremur, non sufficiebat mors, nisi doloribus contumeliæ adjungerentur; Audebant enim inquit ille, omnes Adami stirpe progeniti opprobria fugere, gloriam sequi, venit inter nos Dominus opprobria amplectens & gloriam fugiens. Nam cum Judæi illum Regem constituere voluissent, fieri Rex refugit. Cum verò eum interficere mòlirentur, spontè ad crucis patibulum venit. Fugit ergo, quod omnes appetunt; appetit, quod omnes fugiunt.

Christus nec in sepulchro à calumniis illæsus.

Mors Christi cur tot contumeliis plena.

Superest ut triduum in tumulo jacentis Christi expendamus. Et licet Alcuinus *l. de offic. c. de cœna Dom.* putet Christum jacuisse tribus integris diebus & noctibus in sepulchro, tamen non nisi quadragintâ horis iisque saltem incompletis, in sepulchro fuisse communior est opinio. Si enim dicamus Christum in Cruce, nostrâ horâ tertiâ quod dicit Evangelium expirasse, & circa quartam illius diei sepultum esse, habemus usque ad duodecimam noctis, diem & noctem pri-

Quomodo Christus tribus diebus fuerit in sepulchro.

primam. Ab hac numerando viginti quatuor horas totius ſabbati, numerabimus diem & noctem ſecundam, ab hac rurſus horâ duodecimâ noctis, quæ ad diem Solis ſpectat uſque ad ortum Solis, qui tunc oriebatur noſtra horâ ſextâ matutinâ, ſi dicamus ſtatim poſt ſextam Chriſtum ſurrexiſſe, habebimus etiam diem inchoatam, & noctem tertiam. Cum textus ipſe dicat *Luc. 24. v. 1.* Una autem ſabbati valde diluculo veniſſe, quo tempore tres mulieres piæ, cum ad monumentum veniſſent, invenerunt jam ſurrexiſſe, dicente Angelo *Mat. 28. v. 6.* Surrexit ſicut dixit. Quarè cum Chriſtus ipſe *Mat. 12. v. 40.* dicat: Sicut fuit Jonas in ventre Ceti tribus diebus & tribus noctibus, ſic erit filius hominis in corde terræ: Nec alius aptior modus eſt ſalvandi textum ſcripturæ maximè cum unanimi Evangeliſtarum conſenſu dicatur, Chriſtus in aurorâ diei Dominicæ ſurrexiſſe. Quod conformiter accedit ad illorum opinionem, qui Jonam in ventre Ceti quadragintà horis fuiſſe exiſtimant; adeoque illam particulam ſimilitudinariam ſicut, etiam in hoc puncto commenſurant. Quod ſicut Jonas in ventre Ceti non tranſivit in ſubſtantiam Ceti, ſed jubente Domino illum piſcis evomuit illæſum in aridam *Jonæ 2. v. 11.* Et dixit Dominus piſci, & evomuit Jonam in aridam; ita volunt hinc aliqui rationem ſimilitudinis etiam in hoc inveniri in Chriſto, quod etiam mors Chriſtum ſub ſuo Dominio non tenuerit, ſed in glorioſâ ſuâ reſurrectione, nobis de ſe magnificè triumphantem reſtituere coacta ſit. Theophylactus hanc rationem ſimilitudinis in ſenſu morali ad ſacram Communionem revocat. Sicut in balenæ cor inquit ſuſceptus Jonas, non tranſmutatus eſt in ejus ſubſtantiam, eſto à piſce in cibum ſuſceptus fuerit, ita neque Chriſtus tranſmutatus eſt in noſtram ſubſtantiam, eſto in cibum ſumptus in corde noſtro ſepeliatur. O quoties ego tremendas balænas metuo, quæ Chriſtum rurſus ex corde ſuo evomunt & expellunt. Quoties vel ipſo die Communionis vino ſe ad ebrietatem ingurgitant, ut vomere cogantur. At de hoc ſuo loco in parte 3. ubi de ſacra Communione agemus.

Hoc mirabile eſt, quod ipſa communis parens tellus ſcelerata hominum cadavera reformidet. Quando vel ipſa terra in corde ſuo ſepultos paſſa non eſt, ſed rurſus ejecit, & veluti ſepulturâ indignos faſtidivit, & rejecit. Tremendum eſt quod nobili Hiſpano accidit, qui ſine pœnitentiâ & confeſſione mortuus nobili & ſolenni planè pom-

Funus nobilis Hispani fulminatur & comburitur.

pompâ elatus atque sepultus fuit. Dum autem actu effertur funus, horrida exoritur tempestas. Sic ut quisque relicto funere in tutiora fugere coactus sit. Et quia incredibilis erat fœtor cadaveris, duo vel tres vespillones funibus illud asseri vel carro impositum, ad sepulturæ destinatum locum pertraxerunt, ubi funus terræ impositum, vel potius injectum fuit, fulmen ex nubibus excussum, combussit primo insignia, deindè ipsum cadaver, relictis solis ossibus, quæ infernali fuligine denigravit. Quid obsecro prodest tantâ pompâ ad infernum pergere? Moriuntur heu potentes & divites, & grandi pompâ funus deducitur, sed justo DEI judicio fatalis lessus tandem occinitur & sepultus est in inferno. Non minus tremenda est illa de incestuoso à DEO sumpta vindicta. Philosophi quidam ex Græciâ in Persiam profecti sunt ut Chosrois Regis viderent majestatem. Quadam die itinerantes incidunt in recens cadaver penes viam in humatum jacens, viso cadavere consternati, simul tamen misericordia moti, cadaver inde sublatum sepeliunt. Divertunt deinde ad hospitium, & cœnâ sumptâ decumbunt. Sed hem! spectrum illud horrendum adstat, & mandat, ut cadaver sepultum exhument; & inhumatum relinquant. Terram enim matrem omnium, non suscipere talem gremio suo, qui suam matrem constuprasset. Alterâ die ubi ad tumulnm abeunt, cadaver ex tumulo ejectum inveniunt. Non miror ego jam S. Faustinum vicinum sibi funus non tolerasse, neque enim sanctis convenit, cum sceleratis habitare. Cum enim Valerianus Patritius libidinibus suis in vitâ modum non poneret, impœnitens á morte præventus est, & in Ecclesiâ S. Faustini sepelitur honorificè, uti testatur Stengelius *Tom. 4. c. 67. §. 4.* At vero S. Martyr sequente nocte æditui comparuit dicens, vade dic Episcopo, ut projiciat hinc fœtentes carnes, quas hic posuit. Quod si non fecerit die trigesimo ipse morietur. Cum vero Episcopum monere neglexisset æditurus, Episcopus repente die trigesimo defunctus est. Huic simile est quod de S. Dunstano habetur in vitâ illius. Cum enim juxta illum infidelis quispiam sepultus fuisset, monuit puerum templi, ut cadaver illius infidelis penes se sepulti, tolleret, sed cum id non fieret, ipse S. Dunstanus à monachis visus est, ex illo loco discedere, à quibus cum interrogaretur, cur discederet? Respondit se fœtorem paganæ carnis, & quorumdam ibidem viventium iniquitates, ferre non posse. Magis violentum illud videri potest, quod accidit in templo

Cum matre incestuosus à terrâ non recipitur.

S. Faustinus libidinosi cadaver in templo non patitur.

S. Dunstanus infidelem penes se non tolerat.

S. Vin-

S. Vincentii, in quo cum improbus & notorius homo sepultus fuisset, concubiâ nocte, tumba illa cum cadavere de loco sancto est sublata, atque per fenestrã ex templo exturbata, effractoq; sepulchri operculo, omnibus hæc res est facta manifesta. Propinqui eodem die magnis precibus sarcophagum in loco priori restituunt, & altius defodiunt. Redeunte vero nocte, rursus ut ante tumba cum cadavere per fenestrã ejecta fuit, & in atrio publico inventa. Ita refert Stengelius *tom. 4. c. 67. §. 6.* Quam verum est illud *Isa. 14. v. 19.* Tu enim projectus es de sepulchro tuo, quasi stirps inutilis, & obvolutus cum his, qui interfecti sunt gladio, & descenderunt ad fundamenta laci, quasi cadaver putridum. Non habebis consortium, neque cum eis in sepulturâ. Justo enim judicio fit, ut qui humanis non vixerunt moribus, ut neque mortui habeant consortium in sepulturâ cum hominibus. Benè his comminatus est *Jerem. c. 16. v. 4.* Non plangentur & non sepelientur, in sterquilinium super faciem terræ erunt, & erit cadaver eorum in escam volatilibus cœli & bestiis terræ. De Memnone qui Corvorum similitudinem præ se ferebat, fabulantur Poëtæ, quod ad illius cadaver & funus advolaverint corvi, ut sibi simili, celebrarent exequias, & fratris sui funus lamentarentur. O quoties talis funeris socios, videremus si atrati illi corvi oculis nostris in formâ visibili objicerentur! quos tamen prohibet justus DEus se facere spectabiles; quia sæpè externam funeris pompam permittit in aliquam compensationem bonorum aliquorum operum. Nota est illa historia de Eremita quopiam, uti scribit Gabriel Jachinus in scala cœli ex vitis PP. Hic dum ageret vitam plane solitariam, soli DEO orationibus & jejuniis vacabat. Vir bonus & pius ex civitate vicinâ, illi hebdomatatim cibaria necessaria attulit, ita tamen, ut quæ alteri vix suffecissent per diem, illi etiam per integram hebdomadam deservirent. Fuit vero in civitate vir dives, tam infamis sceleribus, quam dives opibus, hic tunc rectè sepultus est, cum obsonator ille sedulus, pro cibariis Urbem ingreditur. Magnâ cum pompâ elatum est funus, quod cum curiose observasset, collectis cibariis ad eremum regreditur. Ubi dum specum hiante portâ intrat, Eremicolam mortuum reperit, & quod tristius erat, à bestiis magnâ ex parte devoratum. Stupuit vir bonus & capere non potuit, quomodo notorius & infamis homo cum tanta pompâ sepulchro inferatur, & hic Anachoreta Vir sanctus & innocens, â bestiis devoretur. Adfuit autem illi An-

Tumba hominis improbi cum cadavere ejicitur per fenestram templi.

Qui humaniter non vivit non meretur sepulturam hominum.

Funeris pompa est sæpe compensatio alicujus boni operis.

Nec mali homines funeris honore privandi. gelus dicens; dives pro pauculis bonis, quæ habuit, pro mercede splendorem funeris accepit; Eremita vero magnis apud DEum meritis insignis, paucos in animâ suâ nævos habuit, quos non à purgatorio, sed à ferarum morsu, DEus voluit expiari, qui modo cœlesti gloriâ fruitur, dum alter in inferno æternum torquetur. Hinc neque pessimorum hominum funera contumeliosè sunt habenda.

Funus sputo maculatum rogo expiatur. Certè cum defunctæ Fabiæ Heraclii Conjugis funus exportaretur, puella quædam per fenestram spuit, atque elatum cadaver sputo commaculavit. Indignati cives comprehensam puellam unà cum Fabiæ cadavere rogo impositam vivam exusserunt. Et Plinius memorat fuisse Athenis pretiosam domum, quæ quia à spectris fuit infestissima levissimo pretio fuit elocata.

Funera compedes non ferunt. Hanc Athenodorus Philosophus conduxit, qui dum primâ nocte in aditu domus moratur, lumen poscit, mensæ assidet, atque studet. Vix parum consedit, audiuntur Vincula & catenæ, ille verò obfirmato animo studiis intendit, usque dum spectrum cubiculum ingreditur, ibique eum digito, quasi illi annuisset evocavit; ille sine morâ lumen accipit, & spectrum sequitur. Ibat spectrum lento passu, at ubi in aream domus pervenit, repente disparuit. Locum ubi evanuit, Philosophus herbis & foliis notavit. Magistratum alterâ die adit, & locum notatum effodi postulat; effodiunt, & ossa hominis catenis implicata invenerunt, quæ cum solutis compedibus in alio honesto loco sepulta fuerunt, domus à spectris penitus fuit eliberata.

Sepulturæ honestè habendæ. Sic vel apud Ethnicos honestæ sepulturæ ratio habebatur, adeoque majorum nostrorum sepulchra, debitâ veneratione sunt colenda. Non tamen sic uti refert Suetonius & Macrobius *l. 2. Saturnal. c. 14.* qui de Augusto

Quidam monumentum patris colit. referunt, quod is cum vidisset hominem quemdam, aratro terram illam proscindere, qua tegebatur parens illius ibidem sepultus, dixisse fertur; Hoc est verè monumentum Patris colere. Dicuntur autem monumenta, quasi moneant mentem. Unde Veteres suorum sepulchris Cor inscripserunt. Sed heu! quid juvat sepulchro patris cor inscribere, si mentem avoces? Quot enim sunt, qui majoribus in Ecclesiis & cœmiteriis mira & sumptuosa monumenta erigunt, nec tamen unquam defuncti Patris aut matris recordantur?

In Mogor nupturi monumenta obeunt. In regno Mogor nupturi ante nuptias solent obire monumenta, eaque inspicere. *Matth. 22. v. 9.* paratur convivium, sed cum invitati non comparerent. Ite dicitur ad exitus viarum. Albertus Magnus *serm. 74.*

Hi

Hi sunt ad exitus viarum, qui mortem suam jugiter prospiciunt, & hi sunt digni, qui ad nuptias invitentur. Olim thesauri recondebantur in sepulchris. Si hodiè id fieret, quanti sacrilegi prædones forent? nisi fortè vel ipsi mortui suas tuerentur opes, & vel portentosâ custodiâ conservarent. Ridiculū est quod de duobus Vespillonibus refert Jordanus *l. de pestil. tract. 1. c. 18.* quos avaritia impulit, ut noctu nobilissimæ fœminæ aperirent tumulum, rapturi annulum, quem defunctæ manibus avelli passus non est maritus. Dum ergo aperto tumulo facinus attentant, quæ peste mortua credebatur mulier, se erigit: Hoc viso territi vespillones, facem quæ excidit, reliquerunt, & fugerunt. At illa resumpto spiritu facem arripit, & domum revertitur, ubi diu spectri loco habita, admissa non est. Tandem tamen reseratâ portâ immissa lecto imponitur, & verò non tantum à morte, sed etiam à peste planè libera invenitur. Enarratio hujus historiæ habetur Coloniæ ad ingressum templi SS. Apostolorum, germanicè lapidi inscripta. Henricus Kormannus addit, illam post hoc prodigium, & insolitum casum, tres liberos peperisse. Quod si hic tumulus fuisset in viâ publicâ quemadmodum Rachelis, de quo *Gen. 35. v. 19.* Mortua est Rachel, & sepulta est in viâ. Crederem ego his expilatoribus fuisse irritamentum avaritiæ ipsam prædandi occasionem; nunc vel ipsa cœmiterii religio turpissimos prædones coërcere debuisset. Solebant in Ecclesiæ principio sepeliri mortui in cryptis subterraneis, quæ cœmiteria vel dormitoria dicta sunt. Ubi cessavit publica in Ecclesiam persecutio, locus templo vicinus est assumptus, qui quasi quædam templi area vel atrium germanicè Kirchhof dicitur. Quia tamen in civitatibus populosis spatium defuit, extra Urbem locus assignatus & benedictus fuit, quem velut agrum DEI fertilem, Germani den Gottes-Acker nominarunt, ut nimirum sicut semen in agro seritur, ita etiam corpora mortuorum velut semen terræ concreditum conservatur, usque dum in resurrectione mortuorum, metantur in gloriam vitæ beatæ, & inferantur in horreum cœleste. Eriguntur in his ossaria, in quibus ossa nondum consumpta reponuntur, ut ibi annorum lapsu, in pulverem redigantur, juxta illud *Gen. 3. v. 20.* Pulvis es, & in pulverem reverteris. Unde otiosa videri debet illa superstitio hæreticorum, qui ossa volunt comburi, ut in cinerem redigantur. Quo jure vero literales hi glossarii faciunt cinerem, cum scriptura tantum dicat de pulvere,

Vespillones duo mortuam matronam excitant.

Olim in Cryptis sepeliebantur Christiani.

Cœmiteriorum origo.

Ossaria eriguntur.

vere, nisi quia abolere conantur, omnemque mortis proscribere volunt memoriam, adeoque nullum mortuum suis imponunt Synagogis, sed tanquam abominabile quid, ex suis conventiculis excludunt. Scilicet sacri Evangelii studiosissimi sectatores, illo *Luc. 7.* se tuentur, cum filium unicum Viduæ ex Nain civitate efferri dicunt. Sed verius est quod Nyssenus dicit, Memoria mortis non tanguntur; cum salubrius nihil sit, quam mortis meminisse. Nimirum terrenis immersi tenebris, cum aliud non quærant, quam hujus vitæ voluptates & illecebras, mortis quæ janua est ad æterna, nolunt meminisse. Tu mi Christiane qui mortuum tuum Salvatorem vides, sæpius gratâ animi recordatione, ejus memoriam recole. S. Brigitta Suecica decimo ætatis suæ anno cum de passione Christi aliqua audivisset, in amorem illius vehementissime exarsit, sic, ut illam nocte insequente Christus Crucifixus alloquio suo dignatus sit. Apparuit enim illi JEsus in cruce cruentus, ita ut illá horâ crucifixus credi potuisset. Cumque interrogaret Brigitta, quis illud fecisset? audivit, illi qui meam passionem contemnunt, & illam negligunt. Ex quo Christi responso mirè exarsit Brigitta in amorem passionis, ita quidem, ut sinè lachrymis, ejus non posset meminisse. Et nos cordi nostro ejus memoriam imprimamus, imo cor nostrum in monumentum eidem offeramus. Ludovico undecimo Galliarum Regi Tornacum triumphaliter intranti venustissima occurrit Virgo, quæ submoto modicum pectorali, quod elegantissimum habebat cor aureum offerebat, quo aperto gemmeum lilium prodiit, quod utrumque Virgo Regi obtulit. Hoc DEus à nobis petit *Prov. 23. v. 26.* Præbe fili mi, cor tuum mihi. Hoc petiit DEus à S. Mechtilde, quæ cum aliquando *in ps. 67.* legisset verba illa, Reges munera offerent, sollicitè à Sponso suo petiit. Et quid est dilecte cordis mei, quod tibi munus offeram? cum nihil habeam tuâ majestate dignum? Cui Sponsus, Filia præbe mihi cor tuum, offer mihi illud primo velut arrham desponsationis; vult enim DEus à nobis amari velut sponsus à Sponsa. Secundo velut aureum monile, quia vult amari super omne aurum, & omnes thesauros. Tertio velut regium diadema, id est magis amandus est, quam omnes honores sæculi. Quarto instar phialæ, quam gratiis suis repleat. Quinto velut vas electum, in quo sit omne oblectamentum. Quod illa sic præstitit, ut in ipsius demortuæ corde hæc verba scripta fuerint. Mallem mori, quam per minimam noxam,

Hæretici ne mortis recordentur mortuos ex Urbe efferunt.

Christus Crucifixus Brigittam ad passionis memoriam excitat.

Ludovico XI. Regi puella cor aureum cum lilio offert.

DEus à S. Mechtilde cor petit.

Cor DEO offerendum.

noxam, à te ô bone JEsu separari. Scio ego amabilissime JEsu, quod dixeris Brigittæ famulæ tuæ *l. 5. revel.* Ideo dedi cor homini, ut in eo me DEum suum, qui ubique sum, & incomprehensibilis, includeret; ut sit arca ingentis thesauri, & ut cogitando in me, esset delectatio sua. Non tantum in arcam dulcissime JEsu sed in sepulchrum in quo conquiescas, corda nostra tibi substernimus, ut in vivaci memoriâ sacratissimæ passionis tuæ & mortis, tecum conquiescamus. Ut tandem etiam post hujus vitæ cursum tecum gloriosè resurgamus. Amen. *Cor nostrū vult DEus arcam, cui sit inclusus.*



ARTICULUS V.

Descendit ad inferos, Tertia die resurrexit à mortuis.

DISCURSUS XXV.

Christus descendit ad inferos.

HIc articulus fidei non solum inter hæreticos, verum etiam Catholicos varias movit quæstiones; hoc mirabile, quod cum hæretici amantes sint puri Verbi, à sensu tamen puro & literali sine omni necessitate recesserint; cum tamen scriptura de hoc descensu agens, propriè sine aliquo absurdo intelligi queat, adeoque juxta regulam S. Augustini, in sensu proprio est accipienda. Quis enim illa verba S. Pauli *ad Ephes. 4. v. 9.* Quia & descendit primū in inferiores partes terræ, cum Brentio aut Anabaptistis explicet, quod Christus descenderit, id est penitus interierit, cum statim Paulus *V. 10.* subjungat. Qui descendit, ipse est, & qui ascendit super omnes cœlos. Adhuc turpius sacrilegus Calvinus *Instit. c. 16. §. 8.* dicit: Descendit, id est desperavit. O rudem & bardum Grammaticum! qui credo in Luciferi vocabulario hanc synonimiam legerit,

ut

ut descendere desperare dicatur. Quarè audiendus est S. Hier. qui citatum Pauli textum sic explicat. Per inferiora terræ infernus accipitur, ad quem Dominus noster Salvator descendit. In quo tamen attineri non poterat, juxta dictum S. Petri *Act. 2. v. 23.* Juxta quod impossibile erat teneri illum ab eo, quo tamen infinitis Angelorum millibus Dominum gloriæ comitantibus, & illud *ps. 23. v. 7.* Attollite portas Principes vestras acclamantibus, descendit, atque juxta verba S. Petri *1. Petr. 3. v. 19.* Spiritibus prædicavit in carcere. Ex quo deducunt Theologi, quod cum varia sint loca subterranea, quæ inferni nomine accipi possunt, quod debeat esse alius locus is, ad quē Christus descendit, quam ille qui est proprius damnatorum. Licet enim *Eccles. 24. v. 45.* dicatur, penetrabo omnes inferiores partes terræ, & illuminabo omnes sperantes in Domino. Hoc tamen de damnatis non potest intelligi, quia non sperant in Domino. Quarè suppono cum communi Theologorum sensu, præter infernum fuisse limbum SS. Patrum. Qui juxta Evangelistam *Luc. 16. v. 22.* Sinus Abrahæ dicitur, in quem deportatus est ab Angelis pauper Lazarus, dum in inferno sepultus est à dæmonibus dives Epulo. Et quia præter limbum, qui post gloriosam Christi resurrectionem & Ascensionem evacuatus est, adhuc supersunt animæ, quæ aut sine baptismo absque omni peccato actuali decesserunt, uti sunt infantes & parvuli nondum babptizati, vel certè animæ, quæ sine peccato mortali non tamen sine Veniali, vel sine sufficiente satisfactione præstitâ expirarunt, ideo priorem illum locum limbum puerorum, hunc vero purgatorium dicimus, de quibus ordine agendum est.

Est infernus seu locus damnatorum.

Est ergo infernus locus proprius, in quo damnati æternum torquentur. Quod licet neget Calvinus *3. Instit. c. ult.* Est tamen de fide, & clarè habetur ex Verbis Christi *Luc. 10. v. 15.* ubi Christus comminatus Judæis severitatem stricti judicii, dixit. Et tu Capharnaum usque ad cœlum exaltata, usque ad infernum demergeris. Unde Eusebius Emissenus *hom. de Epiph.* benè dixit: Ardens inferni puteus aperietur, descensus erit, reditus non erit. De hoc enim Propheta Coronatus dicit: Neque absorbeat super me profundum, neque urgeat super me puteus os suum. Quia cum susceperit reos, claudetur sursum, & aperietur deorsum, dilatabitur in profundum; nullum spiramen, nullus liber anhelitus claustris desuper urgentibus relinquetur. Detrudentur illuc valedicentes rerum naturæ, ultra

nescien-

nescientur à DEO, qui DEum scire noluerunt. Quàm benè dixit de illis David *ps. 9. v. 18.* Convertantur peccatores in infernum, omnes gentes, quæ obliviscuntur DEum. Meritò ergò dixit S. Anton. *p. 4. sum. tit. 14. c. 5. §. 3.* Locus damnatorum, est locus obliviosus? quod vel ipsis Gentilibus, & Poëtis illorum notum fuit, qui inferno affinxerunt fluvium, qui Lethes dicitur, quod interpretatur Oblivio. Quia scilicet sui, id est ejus, qui est damnatus, tradent eum oblivioni, & DEus etiam eorum videtur oblivisci. Et vero si DEus electis suis & beatis in cœlo deputavit locum aliquem in præmium bonorum operum, & vitæ sanctè & Christianè obitæ, quidni deputaverit etiam certum aliquem & determinatũ locum in pœnam? cum clarè dicat *Mat. 25. v. 41.* Discedite à me maledicti in ignem æternum; qui paratus est diabolo & angelis ejus. Atque hinc de divite Epulone, uti dictum est habetur, quod sepultus sit in inferno, quo descendunt impii, dicente David *ps. 113. v. 17.* Non mortui laudabunt te Domine, neque omnes qui descendunt in infernum. Ubi videmus quod damnatis descensus imperetur, & probabiliter ad centrum terræ, quo velut hostes DEI, quam remotissime proscribuntur. Sic *Isa. 7. v. 11.* dicitur: Pete tibi signum in profundum inferni, ad quod præcipitati sunt sacrilegi illi, cœlo & Moysi rebelles, Core Dathan & Abiron *Num. 16. v. 32.* Disrupta est terra sub pedibus eorum, descenderuntque vivi in infernum. Hinc vel experientiâ teste, plures habemus, quos dehiscens terra in inferno excepit, quam quos per aërem abripuerunt dæmones, infernalibus pœnis adjudicatos. Hic enim locus à beatorum sede & cœlo empyreo est maximè dissitus, quo DEI hostes velut in perpetuum exilium relegantur. De hoc exilio graviter S. Aug. *in ps. 80.* asserit. Perire à regno DEI, exulare à civitate DEI, carere tam magnâ multitudine dulcedinis DEI, quam abscondit timentibus se, tam grandis est pœna, ut nulla possint ei tormenta, quæ novimus, comparari. Sed quid mirum? hostes sunt DEI, qui in inferno continuò maledicunt DEO, eumque blasphemant. Sic enim Innocentius III. *super illa verba ps. 6. v. 6.* Quoniam non est in morte qui memor sit tui, in inferno autem quis confitebitur tibi, ita scribit. De morte gehennali hic debet intelligi, quod non est in morte qui memor sit DEI, quoniam in gehennâ non est recordatio ad salutem, sed potius ad tormentum. Quia damnati maledicent Altissimo, & blasphemabunt, conquerentes

Damnati quasi nescientur à DEO.

Inferni locus est determinatus.

Damnati maledicunt DEum.

eum

eum esse malignum, qui creaverit illos ad pœnam, & nunquam inclinetur ad veniam. Quid mirum ergo, si DEus illos velut juratos hostes suos, persequatur? ut merito dixerit Discipulus *serm. 101.* Sciendum quod si B. Virgo, cum omnibus Sanctis, usque ad novissimum diem pro unâ anima damnatâ supplicaret, Christus eam nullatenus exaudiret, quia damnati sunt citra statum & terminum gratiæ & misericordiæ, ita quod nulla gratia potest pertingere ad eos, dicente Domino, per Malach. *c. 1. v. 4.* Isti vocabuntur termini impietatis, & populus cui iratus est Dominus usque in æternum. Citat deinde authoritatem S. Aug. qui dixit; Si scirem Patrem meum in inferno, non plus orarem pro eo, quam pro diabolo. Quod expendens S. Cyrillus *orat. de exitu anim.* Gemunt inquit sine intermissione, sed nullus est, qui misereatur. Vociferantur ex profundo, sed nullus est qui exaudiat, lamentantur, sed nullus est qui liberet, exclamant & plangunt, sed nullus est qui commoveatur. Benè S. Chrysostomus *super illa verba ps. 48.* Auxilium eorum veterascet, ita loquitur. Non habebunt, qui defendat & opem ferat, & manum præbeat, & eorum supplicium consoletur. Sic neque Virgines prudentes stultis opem ferre potuerunt, quibus dictũ est, nescio vos. Sic nec Abraham, diviti in inferno opem tulit, quia recepit bona in vitâ suâ. Cum enim damnatus à DEO proscriptus sit, & derelictus, omni consequenter subsidio divino in sempiternum destitutus erit, adeoq; omnis spes impiorũ peribit. O mors quam dulcis esses exclamat graviter S. Hier. citatus à S. Bonav. quibus tam amara fuisti? te solumodo desiderant, qui te tam vehementer oderunt, ut meritò dixerit S. Prosper. O quam amarum est, edacissimis in æternum dilacerari vermibus, nec finiri. Sed terribilius est quod S. Chrysostomus *hom. 28. in Mat.* dixit: Terribilis est gehenna, terribilior facies judicis irati, sed quod omnium vincit timorem, est elongatio sempiterna à contemplatione superbeatissimæ Trinitatis. Gulielmus ex D. Bernardi sociis, post mortem amico suo se noctu videndum exhibuit, & lamentabiliter questus est, se aliâ pœna non torqueri in purgatorio, quam quod visione beaticâ privetur. Rogavit proindè ut statum suum Abbati exponat, atque pro se Fratribus preces indicat. Jussit Abbas fratres omnes per octo continuos dies dicere *psalmum 41.* Quemadmodum desiderat cervus &c. & die septimo sub pallio B. Virginis, rursus, sed gloriosus visus est Gulielmus. Damnati

Damnati sunt citra statum gratiæ.

Damnati mortem quam oderunt desiderant.

Visionis beatificæ privatio tormentum maximum.

mnati in æternum visione DEI carebunt. Quanta pœna est exclamat S. Aug. *in ps. 49.* tantummodo à facie DEI seperari. Qui autem illam dulcedinem non degustaverunt, si non desiderant DEI faciem, timeant vel ignem; supplicia terreant, quem præmia non invitant.

Sciendum autem est, quod damnati in inferno puniantur pœnâ duplici; unâ, pœnâ damni, ut loquuntur scholæ, quæ consistit in carentiâ visionis beatificæ; altera vero est pœna sensus, quæ ab igne aliisque inferni suppliciis infliguntur. Et meritò, quia etiam in omni peccato mortali duo intercedunt, nempè aversio à DEO, & conversio ad creaturam, à quâ, relicto DEO infinito bono, momentaneum solatium expectamus. Aversioni ergo à DEO respondet pœna damni, conversioni verò ad creaturas pœna sensus imponitur. Licet vero aliqui putent, quod saltem sanctos aliquando in cœlo videant, quemadmodum Lazarum in sinu Abrahæ vidit Epulo. Tamen S. Greg. *hom. 40. in Evang.* dicit: Ex hoc accidente intendi pœnam damnatis, ut peccatores in supplicio amplius puniantur, dum eorum vident gloriam, quos contempserunt. Jam vero si ad pœnam sensus veniamus audite S. Hier. *in c. 59. Jerem.* In uno igne omnia supplicia sentient peccatores in inferno. Licet autem Calvinus & Beza voluerint, hunc ignem solum esse metaphoricum, non video tamen quomodo metaphoram somniare possit Calvinus, dum audit Christum dicentem *Mat. 13. v. 50.* Mittent eos in caminum ignis, ibi erit fletus & stridor dentium. Et dives Epulo *Luc. 16. v. 24.* exclamat: Crucior in hac flamma, adeoque arenti linguæ, vel guttam aquæ petiit. Certè Hugo de S. Victore *l. 2. de sacram. p. 16. c. 3.* nullam metaphoram hic ait intercedere. Verissimè enim inquit authoritate sacri eloquii & veritatis Catholicæ probatur testimonio, corporaliter etiam animas ante receptionem corporum cruciari. Maximè cum omnipotentiæ divinæ, creaturæ ad quemvis effectum qui non repugnat, subjectæ sint. Ut propterea dicatur *Deut. 32. v. 22.* Ignis succensus est in furore meo, & ardebit usque ad inferni novissima. Quare S. Aug. *serm. 63. ad frat.* Ibi nulla vox nisi gemitus, nulla requies sed ardor continuus. Ibi nullum in flammâ refrigerium, sed ignis perpetui continuum incendium, ibi lux nunquam videbitur, ibi tenebris nunquam carebitur. Horroris plenum est, quod dicit S. Chrysostomus *l. de repar. laps.* Cum ignem inferni audis, ne

Pœna damni & sensus in inferno.

Damnati ad supplicium vident Beatorum gloriam.

Ignis inferni non est metaphoricus.

arbitreris esse similem huic igni, qui accensus defervescit & mutatur, ille autem semel in flammâ exurgens, ardet perpetuò & nunquam moritur. Quod clarius explicat *hom. 94. ad pop.* Ignis noster materialis comparatione infernalis, umbræ duntaxat habet rationem. Quod penè iisdem verbis dicit S. Anselmus *in Elucid.* Tartarei ignis ardor sic ignem istum naturalem vincit, ut iste pictum ignem. Meritò proindè S. Greg. *in synopsi*: Intende animo quascunque sæculi pœnas, quoscunque tormentorum dolores, quascunque dolorum acerbitates, compara hoc totum gehennæ, & leve est omne, quod pateris. Hugo de S. Victore omnia tormenta possibilia hujus mundi confert, & nihil esse dicit. Sic enim *l. 4. de anima c. 13.* loquitur. Ibi omnia genera tormentorum, quorum minimum, est majus omnibus his tormentis, quæcunque in hoc sæculo fieri possunt. Graviter proindè concludit S. Aug. *l. de catechiz. rud. c. 24.* Sicut nullum gaudium rerum temporalium ex aliquâ parte potest inveniri simile gaudio vitæ æternæ, ita nullus cruciatus pœnarum temporalium, potest iniquorum cruciatibus sempiternis comparari. Quæ licet de toto genere pœnarum dicuntur, tamen in igne mirabiliter prævalent, quomodò nimirum ad nutum omnipotentiæ divinæ materiale quid spirituale afficiat. De quo ulterius S. Thom. *quæst. 7. art. 6.* quærit, an ignis inferni sit ejusdem speciei? & videtur cum nostro differre, quod non habeat flammam splendidam. Ita enim S. Anselmus: Ardet ignis, sed non lucet. Quod expendens S. Basilius ad illa verba *ps. 28.* Vox Domini intercidentis flammam ignis. Duo enim habet ignis inquit: Uret & lucet. Qualitates has præceptum Domini intercidit. Vim urendi reliquit, sed abstulit illuminativam. Unde in inferno dicuntur sedere in tenebris: Quod Job solicitè prævidit. *c. 10. v. 21.* Antequam vadam & non revertar ad terram tenebrosam, & opertam mortis caligine. Ulterius S. Aug. observat, qui dum inferni tormenta expendit, illudque summè miratur, quod nempè ab intensissimo excessu caloris ad summum algoris gradum devolvantur. Principalia inquit sunt duo tormenta in inferno, frigus intolerabile, & calor ignis inextinguibilis, quod spiritu Prophetico affirmat Job *c. 24. v. 19.* Ad nimium calorem, transeat ab aquis nivium. Hinc enimverò Christus ipse stridorem dentium penè toties repetit, quoties ferè ignis infernalis meminit. Sic *Mat. 8. v. 12.* Ibi erit fletus & stridor dentium. Quod rursus apud eundem *c. 13. v. 15.* & ite-

Ignis noster pictus est.

In inferno est summus ardor, & summum frigus.

& iterum *c. 22. v. 13.* aliisque in locis plurimis affirmat. Qui stridor dentium sive ex enormitate frigoris oriatur, quod putat S. August. & asserit Laurentius Forrerus, qui ait infernum plenum esse febricitantibus, sive consurgat ex nimia irâ, & furore erga DEum, & contra tormenta, quæ patiuntur, semper ingentis tormenti sensum exprimit. Dum enim impatienter pœnam ferunt, eam longè graviorem suâ impatientia sibi efficiunt. Verba sunt Galfridi *apud Titelmanum*: Nimirum sicut passiones omnes patientia sublevat, sic impatientia, quamlibet leves aggravat. Ibi ergo erit stridor dentium, ex impatientiâ, alioquin si æquanimiter ferrent, si dicere possent digna factis recipimus, audeo dicere ignis ille inextinguibilis, tunc extingueretur. Quia verò ex odio erga DEum damnati Justitiam divinam agnoscere nolunt, meritò omnino æternam sentiunt. Hinc Judith. *16. v. 21.* dicitur: Dabit ignem & vermes in carnes eorum, ut urantur & sentiant usque in sempiternum. Et licet Origenes mitius de divinâ misericordiâ sentire voluerit, Christus tamen ipse Justitiæ divinæ æquissimam indignationem ostendit, dum dixit *Mat. 25. v. 41.* Discedite à me maledicti in ignem æternum. Habet nimirum hoc ignis infernalis, ardet semper & urit, sed non comburit. Quod asserit S. Bern. *l. medit. c. 5.* Ignis in inferno sic consumit, ut semper ad tormenta reservet. Et confirmat S. Aug. *l. 32. de civit. DEI*, qui incorruptibilitatem corporum damnatorum, & verò perpetuitatem ignis infernalis probat ex eo, quia notissimi quidam montes Siciliæ tantâ diuturnitate temporum æstuant usque nunc flammis, & integri perseverant. Ut meritò dixerit S. Bern. *serm. 42. in Cant. super illa verba ps. 48.* Sicut oves in inferno positi sunt, mors depascet eos. Mors inquit depascet eos, quia in inferno semper moriuntur ad vitam, & semper vivunt ad mortem. Quæ verba S. Aug. pulchrâ allegoriâ amplificat: Mors inquit pastor est eis. Pastor ad hoc pascit oves, ut in vitâ conserventur. Mors ergo, quæ in hac vitâ non pastor videtur, sed nos pascens est, in inferno pastor est, quia non occidere sed conservare intendit, ne in æternum moriantur, & tamen æternum moriantur. Simili allegoriâ prædicta verba explicat S. Greg. *9. moral. c. 7.* Depascere dicitur mors, quia sicut ovis depascens herbam, non eam radicitus evellit, sed ita pascit, ut remanente radice iterum herba crescat, & iterum depascatur; ita semper mors depascit miseros, quia semper illis relinquitur vita, ut tormenta va-

Damnati mori non possunt.

ta valeant sustinere. Denique concludit S. Bern. *l. medit. c. 4.* Sic ignis ibi consumit, ut semper crescat. Sic tormenta aguntur, ut semper renoventur; ardebunt miseri in igne æterno in æternum. Horribilem hujus æternitatis scenam exhibet P. Georgius Stengelius *in sua hist. Trag.* ubi sic refert. Eremicola in quodam monasterio invenit Virginem sanctam, ex quâ suæ Conversionis vocationisque causam sciscitatus est, quæ ingemiscens respondit: Diversos habui parentes, patrem virtuosum, matrem vanissimam. Mortuo patre in ipsâ sepulturâ magna orta fuit tempestas, illo vero sepulto, domus nostra brevi in lupanar abiit. Paulò post tamen mortua est & mater, & cum ingenti honoris pompâ funus elatum fuit. Dum ego hæc apud me expenderē, & deliberarem, cujus vestigiis insistere vellem, rapta sum in extasim, & primo deducta fui in paradysum, ubi inter Sanctorum choros animam parentis mei reperi. Indè ad alium locum deducta fui, & quidem ad fornacem igneam, in illa vidi jacentem fœminam, & omnia ejus membra ignea, cum tanta faciei & oris deformitate, ut agnoscere non possem. Ubi tamen DEO volente eam agnovi esse matrem meam, his illa verbis me est allocuta. Heu me filia! mater tua sum, & de propriis operibus hæc patior. Eheu! ecce propter parvam libidinem quæ tormenta patior? hoc tamen præcipuè affligit, cum has flammas, hæc tormenta, tot millibus annorum passa fuero, quot sunt in cœlo stellæ, erit tormentorum principium. Fuerunt mihi olim hæc dicta & decantata, sed risi; nunc experior, quid sit ardere in inferno. Vade tu, & aliter vive! His auditis, ubi mihi restituta fui, valedixi mundo, ut hic DEO servirem, ne æternum sim misera. O quam bene S. Aug. *super illa verba Apoc. 19.* In diebus illis quærent homines mortem, & non invenient eam: Quærit deinde quare mors in inferno quæritur, & non invenitur? Respondet ipse. Quia quibus in hoc sæculo vita offertur, & nolunt accipere, in inferno quærent mortem, & non poterunt invenire. Unde Innocentius III. eadem verba declarans dicit: Tunc erit mors immortalis; Tunc vivent mortui, qui vita sunt mortui; quærent mortem & non invenient, quia vitam habuerunt, & perdiderunt. O mors! exclamat, quam dulcis esses, quibus tam amara fuisti. Te solum desiderantes optabunt, qui te prius vehementer abhorruerunt. Meritò ergo concludit S. Greg. Quid igitur acerbius, quam mortem semper desiderare, & non obtinere? Imò quid tam

Puella ex dispari parentum statu, secundum eligit.

tam pœnale, quam semper velle, quod nunquam erit; & semper nolle, quod nunquam non erit. Cruciatur ergo, & non extinguitur, moritur & vivit, deficit & subsistitur, finitur, & sine fine est. Ex quo necessario sequitur desperatio. Ut bene dixerit sapiens *Proverb. 10. v. 28.* Expectatio justorum lætitia, spes autem impiorum peribit. Quod nimis evidens est in damnatis, quibus spes omnis est succisa. Unde S. Bern. *l. medit. c. 3.* hanc omnis spei carentiam dolorosissimam futuram putat. Adeo enim atrox erit hic Cruciatus, ut cum S. Cypr. *serm. de ascens.* omnibus aliis pœnis præferat. Omni inquit tormento atrocius desperatio condemnatos affliget. Occurrit hic fornax illa babylonica de qua *Dan. 3. v. 47.* habetur, quod cum ministri non cessarent succendere fornacem naphthâ & stuppâ & pice & maleolis, effundebatur flamma super fornacem cubitis quadraginta novem. Hic merito quis mirabitur, tam curiosè à Propheta observari numerum quadraginta novem cubitorum. Quæ tamen si benè considerentur magni mysterii sensum aperiunt. Cum enim numerus quinquagenarius sit numerus remissionis & indulgentiæ uti habemus ex scripturâ sacrâ. Quod nimirum anno quinquagesimo Jubilæus fuerit celebratus, quo tempore omnia debita, quibus unus alteri obstringebatur, remittebantur. Ignis verò infernalis, quia per omnem æternitatem duraturus est, ne quidem per figuram vel umbram in minimo expiari poterit, adeoque nunquam ad numerum quinquagesimum & Jubilæum attinget, sed flamma quadraginta novem cubitorum, utique perpetua, in æternum durabit. Spes enim impiorum peribit, & in inferno nulla est redemptio. Ut merito dixerit S. Gregor. *l. 9. mor. c. 49.* fit miseris mors sine morte, & finis sine fine, quia & mors vivit, & finis semper incipit, & deficere defectus nescit. Quia & mors perimit, & non extinguit; dolor cruciat, & nullatenus pavorem fugat; flamma comburit, sed nunquam tenebras discutit. Denique ignis inferni est sempiternus.

Desperatio pœna damnatorum gravissima.

Quod certè Justitiæ divinæ inconveniens videri non debet. Licet tanta sit damnatorum copia; de qua agens Michæas *c. 7. v. 1.* Væ mihi inquit, quia factum sum, sicut qui colligit in autumno racemos. Non est botrus ad comedendum. Tremenda est hæc sententia Prophetæ, quia ut Glossa dicit, hic loquitur Propheta in personâ Salvatoris. Quasi post vindemiam, vix racemi in aliquibus vitibus reperiantur. Lyra in hunc locum causam dat, quia diabolus

Damnatorum copia.

primo colligit plures & majores. Quod certè DEO imputari nequit, quia damnati sponte suâ in damnationem ruerunt, ut merito dixerit DEus per Oseam *c. 13. v. 9.* Perditio tua Israël, tantummodo in me auxilium. Quod pulchrè declarat Paschasius *super illud Mat. 25.* Satuet hædos à Sinistris. Nec DEI est quod à Sinistris sint, sed ipsorum, qui in sinistris malitiæ suæ, se collocaverunt, nolentes dextrorsum sequi vestigia. Unde Theophylact. *in Mat.* ait; DEI est vocare, electos autem fieri, aut non fieri, nostrum est. Quod paribus verbis confirmat S. Ambr. *super illud 1. ad Tim. 2.* DEus vult omnes homines Salvos fieri. Vult inquit DEus omnes homines salvos fieri, sed si accedant ad eum. Non enim sic vult ut nolentes salventur, sed vult illos salvari, si & ipsi velint. Benè proinde S. Aug. *l. de correct. & grat. c. 15.* Qui creavit te, sine te, non justificabit nec salvabit sine te. Quia tamen ex suâ obstinatâ malitiâ DEum amanter vocantem non audiverunt, & ut benè observat S. Greg. *l. 4. Dial. c. 44.* voluissent quantum in se erat, & si potuissent sine fine vivere, ut possent sine fine peccare; ideo ad Justitiam DEI pertinebat, ut nunquam careant supplicio, qui in hac vitâ nunquam voluerunt carere peccato. Quod Hugo Cardinalis *in illud Isa. 50.* In doloribus inferni dormietis, confirmat, dum dicit: In doloribus inferni dormietis, id est permanebitis ibi semper jacentes in pœnâ, qui semper dormivistis hic in malitiâ. An non hoc vidimus in Godschalco amplissimarum possessionum Colono, de quo Pexenfelder *p. 3. hist. 124.* qui à quodam Equite jussus conscendere equum ductilem, illum conscendit, cumque illo ad infernum abivit, ibique parentem consanguineos, & amicos suos vidit, & in flammis ardere crudelissimis conspexit. Dixit ei dæmon, post triduum morieris, eademque patieris. Rediit ex inferno, visa narravit, nec tamen pœnituit, sed post triduum impœnitens obiit. Quam verè Glossa *in c. 13. Oseæ*: Tu ipse es causa tuæ perditionis. An non merito cum Origene *hom. 30. in libr. Numer.* exclamem. Major causa est in DEO, ut homines pertrahat ad veram salutem, quam diabolo ut nos ad æternam damnationem impellat. Quandoquidem hic DEus ipsum dæmonem coëgit, ut colonum à manifesto periculo damnationis avocaret. Simile huic est, quod in quodam monasterio accidit & habet Pexenfelder *p. 1. hist. 46.* ubi paulò antè concionem in gravem morbum incidit Concionator, quare de Concione solicitus Superior, dum varia secum reputat, quid-

Pœna cur æterna?

Godschalcus viso inferno non emendatur.

Dæmon cum magno motu Concionatur.

quidque agat deliberat, videt venientem Janitorem, qui refert advenisse peregrinum Virum insignem; hic à Superiore humaniter excipitur, dumque suam de Concione solicitudinem aperit, personatus hic hospes, operam suam liberaliter obtulit. Dixit, & quidem magnâ cum facundiâ, motu, plausuque Auditorum. Concessit autem DEus uni ex Religiosis, ut personatum Concionatorem agnosceret, quem proindè finitâ Concione sic est allocutus. Quid tibi cum verbo veritatis? cui dæmon, an non verum dixi? Ita inquit vir ille religiosus, sed intentio tua pessima est. Quarè ut veritatem fatearis, te in nomine JEsu Christi crucifixi adiuro. Tunc Sathanas. Eccè omnes isti, ad horam dictis meis credent, sed minimâ tentatione urgente, recedent. Erit ergo illis verbum veritatis in futuro judicio ad majorem condemnationem. Quid ergo mirum quod Christiani longè profundius in inferno ardeant? qui cum notitiâ suæ ad DEum obligationis, tam obstinatè à DEO aversi æternis pœnis se sponte addixerunt. Cum S. Macarius Alexandrinus in deserto invenisset caluam hominis defuncti, interrogavit an Christiani an pagani hominis hæc calua esset? respondit se esse pagani hominis. Institit ulterius Macarius, ubi anima illius moretur? dixit in inferno. Rursus ergo Macarius an in inferno sint Christiani? imò verò inquit Calua, sunt multi, & quidem profundiore loco, quia doctrinæ à Christo datæ rebelles, Christiano nomini & legibus conformiter non vixerunt. Ite nunc Christiani & hoc nomine vobis blandiamini, quia Christiani estis. Ite Lutherani & vos pretioso Christi sanguine redemptos vanâ complacentiâ jactate! damnati in inferno Christiani, hoc nomine æternis torquentur inferorum suppliciis, quia legibus Christi rebelles vixerunt. S. Aug. *in ps. 127.* refert se in Concione de inferno ad populum dum hanc Concessionem Rhetoricam fecit. Ite impii! peccate quantum lubet; Ite voluptuosi! coronate vos rosis; ite invidi! ite Iracundi! quærite vindictam, effundite sanguinem. Sed unum moneo! faciem DEI, non videbitis in æternum &c. Tantum dicit fuisse factum motum inter suos auditores, ut omnis populus inceperit plangere, flere, & misericordiam DEI implorare. O si ego hodie toti mundo inclamare possem illud S. Gregorii, quo allocutus est omnes peccatores. O impii! nolite misericordiæ tempora perdere. Ideò inquit S. Leo *serm. de Collect.* Nunciata est severitas, ut quæratur misericordia. Misericordiam nobis offert Christus,

Christiani sunt profundius in inferno quam Ethnici.

quii

Christus S. Gertrudi ostendit solicitam suam apud Patrem mediationem.

qui teste Blosio *in monili suo Spir. c. 1.* S. Gertrudi dixit: Utilissimum foret homines scire, & in memoriâ semper habere, quod ego Virginis filius, pro salute eorum adsto ante Patrem, & quandocunque ipsi ex fragilitate delinquunt corde suo, offero pro eis DEO Patri cor meum, immaculatum, in emendationem. Quando vero peccant opere, exhibeo manus meas perforatas, & ita statim placo Patrem, ut illi pœnitentes facilem semper obtineant veniam suorum peccatorum. Quià verò plures timore potius, quam amore reguntur, sequantur illi consilium S. Augustini & timore pœnarum æternarum se ipsos cohibeant & refrænent. Audiamus S. Bern. *serm. ad Cler. c. 4.* Qui pavet, cavet. Qui negligit, incidit. Sic enim S. Chrysost. *hom. 31. in Ep. ad Rom.* nobis timorem omnem eripit, dum dicit: Non finit in gehennam incidere gehennæ recordatio. Evidenter hoc ostendit D. Dominicus in cujus vita refertur, quod mulier quæpiam impatiens adulteriorum, quæ in facie illius maritus commisit, se resolverit par pari referre. Noctu autem habuit visionem, in quâ vidit pœnas inferni, quibus adulteri puniuntur. Circumdabantur nimirum pice & sulphure, & ardenti metallo persundebantur. Vidit & ardentem fornacem marito suo paratam. Ubi mulier ad se rediit. S. Dominicum accessit, à quo rosarium accepit, ut dormientis mariti pulvillo subjiceret, quod ubi fecit uxor, maritus similem visionem habuit, ad quam salutariter exhorruit, & vitam emendavit.

S. Dominicus ostensis inferni pœnis, ab adulterio deterret.

Christus nos sæpè terret inferno.

Mirum ergo videri non debet, quod Christus toties in Evangelio suo inferni faciat mentionem. Ut benè dixerit S. Aug. Quem non terreat ista repetitio, & illius pœnæ comminatio tam vehemens? & quidem ore divino prolata. Taceo SS. PP., ipsos Prophetas, ipsam denique naturam, quæ in Ætna, Vesuvio, Vulcano montibus, nobis ipsius inferni caminos repræsentat, de quibus eleganter Tertullianus *l. de pœnit.* Quidni illum thesaurum ignis æterni æstimemus, cum ejus quædam fumariola, tales flammarum ictus sustinent, ut proximæ Urbes aut nullæ extent, aut idem sibi in dies metuant. Cur obsecro? nisi ut nos à peccato deterreant. Benè S. Anselmus *in c. 5. Mat.* Audiamus DEum gehennam minantem, & per hoc exterriti mundo renunciabimus, & DEO servire cum amore incipiemus. Si amor DEI terrere non potest, exclamat S. Bern. *l. de inter. domo c. 30.* saltem teneat, & terreat timor judicii, metus gehennæ, laquei mortis, dolores inferni, ignis urens, vermis corrodens, sulphur fœtens,

Natura, inferni spiracula ostendit.

tens, flamma tartarea, & omnia mala. Quarè ne fugiamus sermonem de gehennâ inquit S. Chrysostomus *hom. 1. in Ep. 1. ad Thessal.* ut gehennam fugiamus; Ne fugiamus pœnæ mentionem, ut non puniamur. Si dives ille ignem cogitasset, non peccasset, quoniam autem ejus nunquam meminit, idcircò in eum incidit. Salutariter proindè S. Chrysostomus *hom. 31. ad Rom.* monet. Utinam in prandiis & cœnis, imo & ubique de gehennâ disputaretur, nec enim mœrore affecti essemus in vitæ hujus malis, neque in bonis illius deliciati aut lætati. Concludit deinde, Continuos itaque sermones de gehenna misceamus, non enim finet in gehennam incidere, gehennæ recordatió. Refert in vitis PP. Rosweidus duodecim Anachoretas ad Colloquium convenisse ut de piis rebus inter se colloquerentur; cum unus de cœlo, alter de morte & Judicio, alius de misericordiâ DEI proponeret, ultimus dixit, ego non judico me dignum ut tam sublimia animo meo volvam, hoc ego frequenter ago, vivus descendo in infernum, videre videor ardentes animas, & cogito; istis fortassis post modicum tempus annumerabor. Quanti non peccarent? si infernum sæpius cogitarent. Isaac *Gen. 27. v. 33.* deceptus in benedictione eandem retractasset; sed Lyranus dicit, à DEO ostensam esse Isaaco gehennam, & statim acquievisse voluntati divinæ. Quarè ne eò deveniamus, sæpè cogitatione eò descendamus. Benè namque David *ps. 54. v. 16.* Veniat mors super illos, & descendant in infernum viventes. Pulchrè S. Bern. *l. 1. de vit. solit* Ad infernum descendit quippe homo vivens per considerationem. Cum scilicet aliquis, se ipsum mortuum cogitat, & in sepulchro jam positum, putredine & vermibus plenum, omnibus nudatum, & insuper animam suam considerat divino judicio infernalibus pœnis traditam. Expertus est hujus vim juvenis ille regius Ratislaus nomine, de quo Pexenfelder *p. 2. hist. 88.* refert quod Lescus Parens Poloniæ Rex, propter sibi structas insidias, & consuetas ebrietates emendatum volens, potum & vino somnoque sepultum, noctu à quatuor larvatis spectris lapidum fodinæ subterraneæ inferri curaverit, ibique deponi, atque à spectris variis terriculamentis exerceri. Ubi crapulam edormivit Ratislaus, & expergefactus fuit, primo longas miratus est tenebras, deindè cum neque exitum videret, neque fugæ locum ullum, horrere cœpit & sudare. Interim se illius oculis varia horrenda monstra objecerunt, quæ illi rotas, enses, aliaque hor-

Patres inferni memoriâ se excitarunt ad virtutem.

Rex insidiantem filium emendare volens, ebriū ad infernum mittit.

rida mortis instrumenta repræsentarunt, illisque extrema omnia eidem minabantur. Totum diem tenuit hæc visio, ubi rursus nox cœca advenit, hi portitores larvati rursus juvenem regium sandapilæ imponunt, & domum referunt, atque in tenebris ad lectum regium deponunt atque disparent. Nec dum Ratislaus scivit, quo loco salus sua consisteret, usque dum dies illuxit. Ubi enim de more adsunt aulici, & suum intuentur Principem, simul vident juvenem viginti duorum annorum cum barbâ & capillitio canum referre senem octogenarium. Audivit hoc parens, & in collum filii proruens dixit; volebam ex filio perduelle probum & morigerum facere, sed simul ex juvene feci senem. Quot hodie incanescerent & juveniles libidines exuerent, si serio infernum cogitarent. Quam verum est illud Chrysostomi *hom. 5. ad pop.* Gehennam continuo timens, nunquam in gehennæ ignem incidet. Pulchrè enim S. Basilius dicit: Multi gehennæ multum debent, quia gehenna illos ducit ad paradysum.

Ex malo juvene bonus senex fit viso inferno.

Cœterum licet aliqui sint DD. qui putant Christum secundum substantiam descendisse ad hunc infernum damnatorum seque fundent in illo *Eccles. 24. v. 45.* Penetrabo omnes inferiores partes terræ, tamen quia ibidem statim additur, & illuminabo omnes sperantes in Domino; quod de damnatis dici non potest, ideo videtur probabilius, illuc tantum per virtutem suam devenisse, & vi divinitatis suæ totum infernum conterruisse. Neque enim ille amabilissimus aspectus Christi gloriosi, sine consolatione esse potuisset, quos tamen nullo solatio vult affici strictissima DEI Justitia. Confirmat me in meâ opinione S. Aug. qui *in suo manual. c. 2.* DEI vultum tantæ dicit esse pulchritudinis, ut si damnati per ictum oculi vel momento unico viderent, omnia tormenta in gloriam, tenebræ in lucem, horror in suavitatem, totus infernus converteretur in paradysum. *Luc. 16.* Elevat dives epulo ex infernalibus flammis ardentes oculos, quibus ubi vidit Lazarum in sinu Abrahæ, petit ab illo, ut intingat digitum in aquam, ut unicâ guttulâ, liceat incendium mitigare. Quid faciet guttula, inter tantas flammas? Sed æqua omnino est petitio; petiit namque guttam de fonte vitæ æternæ. De hujus fontis guttulâ S. Aug. *serm. 120. de Temp.* Tanta est dulcedo futuræ gloriæ, quod si unica gutta in infernum deflueret, totam damnatorum amaritudinem dulcoraret. Quarè facundè planè concludit S. Aug. Si unica mellis guttula

Christus non descendit ad infernum damnatorum.

tula

tula ex paradyso, omnem vanitatis, dicam ego incendii infernalis sitim extinguit? quid faciet inexhaustum voluptatis pelagus. Quod nos de cœlestis beatitudinis guttâ diximus, S. Vincentius Ferrerius ad lachrymam pœnitentiæ extendit. Cujus magnum hoc dictum est; Si anima unius damnati, posset habere unicam guttam lachrymarum contritionis, DEus illam salvaret. Flent quidem juxta dictum Christi: Ibi erit fletus. Sed fletus hic, non est pœnitentiæ; omnes enim hæ lachrymæ inanes sunt, quia non ex debitâ pœnitentiâ, sed ex tristitiâ, & indignatione procedunt. Unde S. Apostolus Judas *in sua Ep. Cath. v. 12.* vocat arbores autumnales, infructuosas, bis mortuas, eradicatas. Quæ verba Hugo Cardin. sic explicat: Sera nimis erit illa pœnitentia, erunt enim quasi arbores autumnales, quæ florere incipiunt, quando aliarum arborum fructus comeduntur. Pulchram sanè fictionem morum facit Nirenbergius noster *l. de grat. c. 4.* Fingamus inquit indici damnatis apud inferos facultatem vitæ melius retexendæ, an eorum quisquam neglecturus sit tantum munus, vel rejecturus in aliud tempus aut momentum? etsi majorem quam nunc ferunt, dolorem forent toleraturi? Quanti tunc foret prodigii videre homines ex horrendis illis flammarum sepulchris in spem frugis, gratiæ, felicitatisque redivivos? Nobis hoc totum in manu est. Quid ergo miseri peccatores moramur? Audite Paulum *ad Galat. 6. v. 10.* Dum tempus habemus operemur bonum, id est pœnitentiam in alteram vitam non differamus. Quia S. Joannes in sua Apocalypsi clarè dicit, se angelum audivisse, qui post hanc vitam nullum ad benè operandum tempus superfuturum jurejurando affirmavit. Et Angelus inquit *c. 10. v. 5.* quem vidi stantem super mare, & super terram, levavit manum suam ad cœlum, & juravit per viventem in sæcula sæculorum, qui creavit cœlum & terram, & ea quæ in eo sunt, & mare, & ea quæ in eo sunt. Si quæras quid juraverit? dicam. Quia tempus non erit amplius. Undè nemo sibi blandiatur, seque inani spe lactet, quia se in æternum delusum sentiet. Dura est illa S. Bernardi concessio *serm. 75. in Cant.* I ergo tu, & in medio gehennæ expectato salutem, quæ jam facta est in medio terræ; quam tibi somnias proventuràm inter ardores sempiternos facultatem, & veniam promerendi? cum jam transiit tempus miserendi? Non descendit ad inferos sanguis, qui effusus est super terram. Biberunt hunc omnes peccatores terræ, non est quod sibi ex eo ven-

Pœnitentia in inferno, est tarda nimis.

Quid agerent damnati si pœnitentiæ locus daretur.

vendicent quidquam dæmones, ad restinguendos focos suos; sed neque homines, qui apud inferos sunt socii dæmonum. Quia nimirum in inferno nulla est redemptio. Descendamus ergò cum Christo non pedibus sed virtute, assiduâ scilicet piaque meditatione. Quia benè inquit S. Bern. *de vit. solit.* Descendant in infernum viventes, ne descendant morientes. Hoc enim modo cœlorum incolæ viri scilicet justi in infernum descendunt, ut sic inferni dolores horreant & effugiant. Est tamen hæc nimium quantum justa querela S. Chrysostomi *hom. 55. ad pop.* Quamvis ignis ille æstuet, fluvius ille flammeus accendatur, nos tamen ridemus & licentiosè peccamus. Horrescere & ingemiscere audiamus S. Bern. *de inter. dom. c. 30.* Quid horribilius morte? quid judicio terribilius? sed gehennâ nihil potest intolerabilius excogitari. Quid metuet, si quis ad ista non trepidat? non expavescat? non timore concutiatur? Quare cum desperato peccatore sic loquitur S. Basil. *hom. 7. in ditescentes.* Quibus verbis te curabo? quomodo loquar? Regnum DEI non curas? gehennam non times? quam animæ tuæ medicinam idoneam inveniam: Si enim horribilia non metuis, clara insuper & pulchra despicis? disputamus cum corde lapideo.

In infernũ vivi descendamus, ne morientes eò veniamus.

Secundus locus subterraneus est Purgatorium, quo nomine aliud non intelligimus, quam locum aliquem, in quo animæ fidelium, quæ cum reatu pœnæ temporalis decesserunt, detinentur, donec perfectè expiatæ, æternâ beatitudine perfruantur. Quem locum licet negent Lutherani & hujus temporis sectarii cum priscis illis Aërianis; dari tamen, de fide est, & apud omnes pios Catholicos indubitatum, quod nempè sit locus subterraneus inferno vicinus. Causa vero cur quis ad illum locum deveniat duplex est, vel enim est ex culpâ mortali dimissâ adhuc residua pœnâ, verbi gratiâ: centum peccata mortalia commisisti, juxta Canones verò uti docet Gobat *in tract. 4. de Indulg. c. 3. n. 284.* peccato mortali correspondet pœnitentia septem annorum, cum ergò non vivas nisi 30. vel 40. annis, vel in vitâ tuâ non nisi centum annos delevisti, pœna sexcentorum annorum reservatur. Vel est culpa Venialis nec dum dimissa. Quâ inquinata anima cum pœnas æternas non mereatur, ad infernum detrudi non potest, nec tamen etiam cœlo inferri, quia nihil inquinatum eò penetrabit. Habemus hujus rei pulchram figuram in scriptura, ubi DEus arcet aves á sacrificio, nisi etiam plumulis minimis

Datur purgatorium.

Causæ cur in purgatorium detrudamur.

care-

carerent, quare neque eas ad sacrificium admisit, priusquam plumæ minimæ igne tollerentur. Sic enim *Levit 1. v. 14.* dicitur. Si de avibus holòcausti oblatio fuerit Domino, plumas projiciet lignis igne supposito. Quasi diceret ubi per confessionem grandes plumæ depositæ fuerint, & ex lachrymarum diluvio grandiora peccata abiverint, minores plumæ seu peccata Venialia & residua pœna purgatorii igne sunt abolenda. Quod dicere videtur David *ps. 65. v. 10.* Quoniam probasti nos DEus, igne nos examinasti, sicut examinatur argentum, statimque subjungit *V. 12.* Transivimus per ignem & aquam, & eduxisti nos in refrigerium, debent enim in conspectu DEI omnia esse mundissima, & minimi etiam nævi prius depurari. Mirabile est illud *Isa. 6. v. 1.* Vidi Dominum super solium excelsum & elevatum &c. paulo post dicit, Væ mihi! quia tacui, quia vir pollutus labiis ego sum. Quomodo autem Isaias pollutus labiis DEum videt? cum non nisi mundo corde DEum videbunt? scilicet DEus etiam in Angelis suis reperit pravitatem, & hinc etiam Isaias, qui ante DEum conspectum se planè mundum credebat, ubi in conspectum divinum venit, pollutum se invenit. Dicit hoc S. Gregorius Nazianzenus: Isaias priusquam videret thronum excelsum & elevatum, ad populum clamat Israeliticum, sibi autem ipsi parcit, & indulget, tanquam minimè reus. Postquam autem visionem vidit, tanquam sibi jam conscius, Væ mihi inquit misero, quia tacui. Arguit & instat Isaias apud populum, implet ministerium suum, sed in conspectu DEI Oculatissimi, se statim pollutum labiis invenit. Et hinc subdit: Et volavit unus ad me de Seraphim, & tetigit os meum. Depurari debuit Prophetæ puritas. Nihil enim in humanis tam sanctum, quod ad oculos purissimæ majestatis divinæ non debeat repurgari. Simile quid video *Mat. 14.* Descendit Petrus de navicula, & ambulavit super aquam, ut veniret ad JEsum, porro cum cœpisset mergi, clamavit; Domine salvum me fac. Et continuo extendens JEsus manum, apprehendit eum; & ait illi, modicæ fidei, quarè dubitasti? In hunc locum Origenes dixit. Peccatores graves sunt; sancti quia leves, ambulant super aquas; ambulavit ideo Petrus. Quæret aliquis, si Petrus ambulavit super aquas quia levis, cur ergo ad conspectum Christi cœpit mergi? Respondet S. Synesius. Non enim Petrus tantus erat ac talis, qui nihil omnino de specie plumbi haberet in se admixtum. Instabis tamen, si plumbum habuit admixtum,

Alia sunt judicia DEI, alia hominum.

Petrus diffidens, per peccatum gravis factus mergitur in mari.

cur tamen levis ambulavit super aquas? Respondet dictus Synesius. Nisi quia Sanctus Apostolus levitate fulget nè submergatur, dum longè à Christo constituitur; at ubi ad Christum puritatis fontem accessit, gravis deprehenditur & submergitur, ac si verè peccator esset. Idcirco concludit Origenes: Qui salvus fit, per ignem salvus fit. Petro clamante salvum me fac. Ut si quid de specie plumbi in conspectu Domini admixtum habuerit, id ignis decoquat & resolvat. Et hoc est quod *Malach. 3. v. 3.* dicitur: Ipse enim quasi ignis conflans, & quasi herba fullonum, & sedebit conflans & emundans argentum. Et purgabit filios Levi &c. & colabit eos quasi aurum. Purgatur ergo aurum, emundatur argentum, quia nihil in cònspectu Domini, quod non debeat expurgari. Quid herba fullonum aliud, quam severa Justitia divina, cui filii Levi id est animæ purgatorij adhuc repurgandæ traduntur. Aptissimè planè hic quadrat Episcopi Synesii sententia, quæ sic habet. Dæmones expiandis sceleribus præsunt, eandem in animis hominum artem exercentes, quam in sordidis vestibus fullones habent. Quod si quis vestibus sensus esset, quid eas demum facturas arbitramur, cum & calcibus subiguntur, & nitro perfricentur, & omni ratione depectantur. Considera hæc verba omni ratione, & combina cum illis verbis Malach. & sedebit emundans. Quid aliud concludes? nisi omni ratione severissimâ rationes exacturum DEum. Quantis verò cum cruciatibus concludit S. Synesius veteres sordes & insitas penitus maculas elutum iri putabimus? Quasi diceret, si tantâ diligentiâ purgatur aurum & argentum, quid fiet de ferro & plumbo. Et hinc est quod Christus ipse, dum gradus fecit ipsius peccati, in materia iracundiæ & odii, simul etiam faciat gradus pœnæ *Mat. 5. v. 21.* Audistis, quia dictum est antiquis. Non occides, qui autem occiderit reus erit Judicio. Ego autem dico vobis, quia omnis qui irascitur fratri suo, reus erit Judicio. Ecce primus gradus. Qui autem dixerit fratri suo racca, reus erit concilio; ubi habes secundum gradum. Qui autem dixerit fatuè; reus erit gehennæ ignis, ubi tertius gradus consurgit. Quibus positis dicit Christus *v. 25.* Esto consentiens adversario tuo cito, dum es cum ipso in viâ, ne forte tradat te adversarius Judici, & Judex tradat te Ministro & in carcerem mittaris. Amen dico tibi non exies inde, donec reddas novissimum quadrantem. Ex quo apparet, quod Christus contradistinguat judicium à Concilio, & utrumque à gehennâ ignis;

Omnia nostra ad ultimum depurgantur.

Christus ipse assignat differentiam pœnæ.

ignis; ſic ut ſolum tertius gradus debeat eſſe damnationis & conſequenter mortalis, dum duo priores tantum venialis peccati rei dignoſcuntur, adeoque etiam pœnæ diverſitas notanter apponitur. Temporalis nimirum & minor Veniali peccato, æterna vero gehennæ & peccato mortali. Cum enim ex inferno non ſit exitus, & ibi nullus quadrans noviſſimus reperiatur, patet, quod iſte carcer ſeu purgatorium, ſit tantum carcer temporalis animabus nondum plenè expiatis deputatus. Patet ergò Chriſtum hic non agere de judicio humano ſed divino; ad quod ſpectat pœna gehennæ in quam nemo hominum, jus habet. Et vero ſic explicat hoc S. Aug. *l. 1. de ſerm. Domini in monte c. 19.* Ubi Chriſtus diſcriminat tres gradus. Primus eſt iram cohibere intra cor, ſecundus erumpit in commoti animi ſignum, manifeſtum tamen convicium comprimit. Tertius apertè conviciatur. Quorum gravitati proinde pœna à Chriſto deputata reſpondet. Nempè primo gradui judicium, ubi ſtatuendum, an pœnâ aliqua ſit mulctandus. Secundo Concilium ſtatuta nimirum pœna diſpicere, an temporali, an æternâ gehennæ, ſit puniendus reus. Tertio tandem abſolutè æterna pœna ſtatuitur. Quod ex verbis ſequentibus patet; Eſto conſentiens adverſario tuo cito, dum es in viâ cum eo. Ubi viæ nomine vita noſtra, nomine adverſarii vel lex divina vel ratio ipſa, nomine verò Judicis Chriſtus intelligitur, utpotè qui de ſe ipſo dixit *Joan. 5. v. 22.* Neque enim Pater judicat quemquam, ſed omne judicium dedit filio. Addit S. Greg. *hom. 39*: Miniſtri nomine diabolus, nomine carceris infernus vel purgatorium, nomine quadrantis noviſſimi levitas peccati notatur.

Simile eſt illud *Mat. 12. v. 32.* Qui autem dixerit contra Spiritum ſanctum, non remittetur ei, neque in hoc ſæculo, neque in futuro. Ex hoc textu S. Aug. *l. 31. de Civit. DEI c. 24.* Et *l. 6. contra Julianum* infert, eſſe aliquem locum in altero ſæculo in quo remitti peccata poſſunt. Non in cœlo, quia ibi peccatum non eſt. Non in inferno, quia ibi remiſſio nulla eſt, ergo eſt tertius aliquis locus, quem purgatorium dicimus. Quod idem affirmat D. Greg. *l. 4. Dial. c. 39.* D. Bern. *hom. 66. in Cant.* & Venerabilis Beda *in c. 3. Marci.* ubi dicit quod peccata quædam in futuro ſæculo, per ſuffragia & orationes Eccleſiæ remittantur. An non purgatorii pœnas, oſtendit minores eſſe quam inferni S. Lucas *c. 12. v. 47.* dum ait: Qui cognovit voluntatem Domini ſui, & non præparavit, & non fecit volun-

Eſt in altero ſæculo locus ubi peccata remitti poſſunt.

tatem ejus, vapulabit multis; qui autem non cognovit, & fecit digna plagis vapulabit paucis, id est tempore aliquo terminandis, cum plagæ inferni sint æternæ nunquam finiendæ. Quod multum & parum Sancti Patres communiter explicant, per durationem vel æternam vel temporalem. Hoc lumine naturæ illustratus agnovit Plato, qui animabus cum levi maculâ decedentibus lacum assignat Acherusium. Quicunque enim in hac vitâ tenuisse medium quoddam comperiuntur, ad Acherontem profanis vehiculis quæ unicuique adsunt, in lacum perveniunt Acherusium, ibique inhabitant purganturque, cum purificati sunt, absolvuntur, rursusque pro merito singuli benefactorum præmia reportant. Sic S. Aug. *in ps. 37.* Verba illa Davidis, Domine ne in furore tuo arguas me, neque in irâ tuâ corripias me explicat: Domine ne in indignatione tuâ arguas me, id est, non sim inter illos, quibus dicturus es, ite in ignem æternum, qui paratus est diabolo & angelis ejus. Neque in irâ tuâ emendes me, ut in hac vitâ purges me, & talem me reddas, cui jam emendatorio igne opus non sit. Ita verba *ps. 65. v. 12.* Transivimus per ignem & aquam, & eduxisti nos in refrigerium interpretatur S. Ambros. *serm. 3. in ps. 118.* ut per aquam baptismum, per ignem Purgatorium intelligat. Plane hoc sensu accipiuntur verba illa Michææ *c. 7. v. 8.* Ne læteris inimica mea super me, quia cecidi, consurgam cum sedero in tenebris; Dominus lux mea. Iram Domini portabo, quoniam peccavi ei, donec causam meam judicet, & faciat judicium meum, educet me in lucem, videbo justitiam ejus. Quæ verba S. Hier. & Glossa ordinaria ad verbum de Purgatorio intelligunt. Par est ratio de verbis illis *Malach. 3. v. 3.* Et sedebit conflans & emundans argentum, & purgabit filios Levi, & colabit eos quasi aurum, & quasi argentum. Hæc verba S. Ambrosius, Hieronymus & Augustinus unanimi consensu de Purgatorio intelligunt. Rursus *Luc. 16. v. 9.* facite vobis amicos de mammona iniquitatis, ut cum defeceritis, recipiant vos in æterna tabernacula. Nomine defectus intelligit S. Aug. *l. 21. de Civit. DEI c. 27.* mortem, amicorum vero nomine Sanctos in cœlo; qui post mortem pro nobis intercedendo opem ferunt. Ex illis verbis *Luc. 23. v. 42.* Domine memento mei, cum veneris in regnum tuum, concludit S. Aug. *l. 6. contra Julian. c. 5.* quædam esse peccata, quibus post mortem venia detur. Neque enim latro bonus sic locutus fuisset, nisi credidisset, posse tunc animas

Plato agnovit purgatorium.

S. Augustinus timuit purgatorium.

mas adjuvari. Quomodo enim obsecro explicabunt illud *Apoc.* 5. *v.* 13. Et omnem creaturam, quæ in cœlo est, & super terram, & sub terrâ, omnes audivi dicentes sedenti in throno & agno; Benedictio & honor, & gloria & potestas in sæcula sæculorum. Quis sapiens dicet benedictionem aut gloriam dari DEO à damnatis, ubi nihil auditur aliud, nisi perpetuæ blasphemiæ contra DEum. Ergo debent esse sub terrâ tales animæ, quæ DEum laudant: Non sunt autem damnati, qui DEum blasphemant; non parvuli nondum baptizati, quia hi non agnoscunt agnum divinum; non Patres in sinu Abrahæ, quia limbus jam fuit evacuatus, ergo solæ animæ purgatorii. Undè bene S. Aug. *hom.* 16. *ex* 50. Qui temporalibus pœnis digna gesserunt, per ignem quendam purgatorium transibunt. De quo Apostolus Paulus ait: salvus erit, sic tamen quasi per ignem. Quod paribus quasi verbis repetit, 1. *ad Cor.* 3. *v.* 12. & similitudine ædificii spriritualis explicat dicens: Si quis autem superædificat super fundamentum hoc aurum, argentum, lapides pretiosos, lignum, fœnum stipulam, uniuscujusque opus manifestum erit. Dies enim, Domini declarabit, quia in igne revelabitur, & unius cujusque opus quale sit, ignis probabit. Si enim opus manserit, quod superædificavit mercedem accipiet; Si cujus opus arserit, detrimentum patietur, ipse autem salvus erit sic, quasi per ignem. Quod pulchrè S. Basil. *in c.* 9. *Isa.* explanat. Si per confessionem detexerimus peccatum, jam succrescens gramen arefecimus, dignum planè quod depascatur ac devoret purgatorius ignis. Adeoque hunc textum S. Ambrosius, Hieronymus, Augustinus, aliique SS. PP. disertè de purgatorio explicant. Et S. August. *l. de fide & operibus c.* 15. *in fine* ait, hunc locum esse unum ex illis locis S. Pauli de quibus S. Petrus 2. *Petr.* 3. *v.* 16. ait: in quibus sunt quædam difficilia intellectu, quæ indocti & instabiles depravant, sicut & cœteras scripturas, ad suam ipsorum perditionem. De hoc igne David *ps.* 28. *v.* 7. Vox Domini intercidentis flammam ignis, quæ verba, superius cum de inferno ageremus, explicuimus quasi in pari sensu. Tamen S. Basil. *hom.* 5. aliter interpretatur dum dicit: Quamvis indivisibilis & insecabilis humanis sensibus videatur ignis, vere tamen ad præceptum Domini interciditur ac dividitur. Existimo autem quod ignis ac supplicium, diabolo & angelis ejus paratus, voce Domini interciditur. Quoniam duo sunt in igne potissima, ustiva vis & illustratoria, id

est comburere & lucere. Vis prior ignis acerrima quidem ad pœnas irrogandas reposita est iis, qui aut in gehennâ aut in purgatorio ustione sunt digni. Altera nempe splendidissima sui ignis diffusiva velut sortito succedet iis, qui claritate gaudii perennis fruituri sunt. Quasi diceret, tolle lucis sortem, flamma inferni & purgatorii est eadem in re, differunt tamen deindè in duratione. Et S. Hier. dum ex Exercitu Pharaonis aliquos demersos dicit, qui Moysis miraculis visis, in DEum Hebræorum crediderunt atque de peccatis suis pœnitentiam agentes ab aquâ absorpti sunt, quod ab aquâ in ignem descenderint, concludit. Aliqui in flammam lucidam & ad tempus duraturam, alii ad incendium illud obscurum, æternum cremandi. Ad quod alludit S. Chrysostomus *hom. 44. ad c. 12. Mat.* Non ignoro, multos etiam nunc in Pharaonis impietate vivere, qui non in rubro mari demergentur, sed in ignis fluvium atque pelagus intrudentur, pelagus impertransibile, atque magnitudine acerbissimum, in quo ignei fluctus montium instar eriguntur. Ignis dico, non hujus ignis, sed ignis certo multo quam hic horribilioris, cujus flamma maximam conficit abyssum, ita ut undique ignis immanissimæ similis feræ transcurrere videatur. Mox subjungit eos, qui extra fornacem sunt, id est in purgatorio constitutos, ab hoc ipso igne cruciari, quo discruciantur damnati, hac scilicet differentiâ, quod qui extra fornacem inferni sunt, inibi recipiantur hospitio, dum incolæ gehennæ, sunt peccatores æternum concremandi. D. Augustinus hoc brevius exponit: Unum est, quo differunt æternales pœnæ à pœnis purgatorii, quod infernales pœnæ finem non expectent sed augmentum in die judicii corpore utique simul concremando; purgatorii autem terminantur. Verum sicut S. Chrysostomus fornaci comparavit infernum, & loco ambienti purgatorium; ita David *ps. 20. v. 20.* clibano comparat, dicens; pones eos ut Clibanum ignis in tempore vultus tui. Dominus in irâ suâ conturbabit eos & devorabit eos ignis. Ubi benè advertendum quod Propheta igni clibani non camini comparet, quia ignis camini non æqualiter omnes partes camini calefacit, quod facit ignis clibani, quia cum ignis ex naturâ suâ tendat sursum, id autem non possit facere in clibano, serpendo per gyrum fornacis, omnes partes æqualiter intendit. Ita profectò & memoriâ torquetur neglectarum Virtutum recordatione, & intellectus cognitione privati gaudii, & voluntas appetitu incredibili eliberationis,

Ignis urit & lucet, inferni uret & non lucebit.

Infernus & purgatorium duratione differunt.

Ignis inferni est ignis Clibani quia æqualis per omnes partes.

berationis, quo totam animam ostendit occupari à pœnis purgatorij.

Quid vero evidentius & clarius verbis illis *2. Machab. 12. v. 43.* Et facta collatione duodecim millia drachmas argenti misit Hierosolymam, offerri pro peccatis mortuorum sacrificium, benè & religiosè de resurrectione cogitans. Nisi enim eos qui ceciderunt resurrecturos speraret, superfluum & vanum videretur, orare pro mortuis, & quia considerabat quod hi, qui cum pietate dormitionem acceperunt, optimam haberent repositam gratiam. Sancta ergo & salubris est cogitatio, pro defunctis exorare, ut à peccatis solvantur. Similis est textus S. Pauli *1. ad Cor. 15. v. 29.* Quid faciunt qui baptizantur pro mortuis, si omnino mortui non resurgunt? ut quid & baptizantur pro illis? nomine baptismi SS. PP. intelligunt juxta scripturæ phrasim afflictiones & opera pœnitentiæ, orationes, jejunia, lachrymas, & afflictiones voluntarias, quas pro mortuis faciebant Corinthii. Quasi diceret frustra illos ista suscipere, si à pœnis purgatorii non liberentur. Quæ tamen piè suscepta commendat scriptura *Tob. 4. v. 8.* Panem tuum & vinum tuum super sepulturam justi constitue. Quo sanctus parens filium monet, ut pauperes eleemosynis suis inducat, ut pro anima justi orent. Ubi bene nota, per panem & vinum sacrificium posse intelligi, & quia sepultura justi nominatur, non potest intelligi anima quæ pœnis æternis est addicta. Unde mos antiquus est in Ecclesiâ ut in sepulturis convivia oder die Todtenmahl celebrentur. De quibus S. Chrysostomus *hom. 32. in Mat.* Cur post mortem tuorum pauperes convocas? cur presbyteros, ut pro eo velint orare, obsecras? non ignoro te responsurum, ut defunctus requiem adipiscatur, ut propitium judicem inveniat. Ita *1. Reg. 31. v. 13.* refertur pietas Virorum Jabes Galaad qui sepulto Saule Rege, ob mortem illius jejunaverunt septem diebus. Subdit Scriptura *2. Reg. 1. v. 11.* Apprehendens autem David vestimenta sua, scidit, omnesque Viri qui erant cum eo, planxerunt & fleverunt, & jejunaverunt usque ad vesperam, super Saul & super Jonathan filium ejus. Dices sine dubio hæc facta esse in signum doloris, quod ego lubens concesserim, & puto in signum doloris ex parte factum esse, dico tamen præcipuè factum esse ad animas juvandas. Ostendo id ex hoc, quia David quando pro filio infirmo jejunavit & oravit, auditâ morte filii, statim jejunare destitit, atque

Convivia in sepulturis sint sed pauperum.

damnatæ nullo auxilio nostro juvantur. Solæ ergo animæ purgatorii efficaci subsidio nostro & egent & adjuvantur. Lazarus erat amicus Christi, sic enim Christus ipse, Lazarus amicus noster dormit. Hæ animæ purgatorii sunt amicæ, utpotè quæ sunt in gratiâ. Lazarus modico tempore in sepuchro latuit, hæ animæ etiam aliquanto tempore in purgatorio tenentur. Lazari manus & pedes ligabantur institis, animarum manus ligantur, quia operari non possunt, ligantur pedes, quia exire inde nequeunt. Lazari vultus sudario obvolutus erat, Velatur vultus animarum, quia DEum videre nequeunt. Lazari mors somnus dicitur, amicus noster dormit; Animæ purgatorii mortuæ non sunt, sed defunctæ tantum vitâ temporali & hinc Ecclesia missas defunctorum, & Officium defunctorum nominat. Lazari mortem deplorat Christus, Et lachrymatus est JEsus; Animarum pœnas quis nisi lapis non fleat? Lazarus ad intercessionem Mariæ & Marthæ sororum revocatur ad vitam, animæ per merita Sanctorum, & intercessionem ac suffragia nostra eripiuntur à pœnis purgatorii. Lazarus ob honorem & gloriam Christi resuscitatur, animæ ad gloriam DEI & utilitatem juvantis liberantur. Sed modo pace vestrâ quæro ego, undè ad hanc vitam redivit á Christo resuscitatus Lazarus? an eum Christus ex sententiâ Lutheri (qui ante Christi ascensionem omnes animas Patrum voluit esse in cœlo) an inquam illum deduxit ex cœlo, an ex inferno revocavit? Certè Martha soror *Joan. 11. v. 21.* non aliâ de causâ pro fratre suo mortuo adeo fuit solicita, nisi ob pœnas purgatorii, quas Judæi in hanc usquè diem agnoscunt, & superius *ex 1. Reg. ult. cap.* ostendi viros Jabes Galaad piè credidisse? Adhuc tamen unum à vobis Lutheranis postulô, quia Casus non est impossibilis nec merè speculativus. Non implicat, quin moriatur aliquis, qui sit in statu solius peccati Venialis, qui etiam satisfecerit pro reatu omnis peccati mortalis, quod apud nos Catholicos facilè concedi potest, si supponamus, illum indulgentiam plenariam consecutum esse. Vos ego judices & arbitros compello! Si hunc cœlo ad scripseritis, porta clausa est! nihil enim inquinatum eo intrabit. Si ad infernum detruseritis? Ubi vestra est de misericordiâ divinâ fiduciâ. Insto ego, & vel ipso vestro Achille, quem ex *Eccles. 11. v. 3.* contra nos Catholicos allegatis dico, si ceciderit lignum ad Austrum aut Aquilonem, ibi erit, in quocunque loco ceciderit. Scio quod fundatè in hoc casu satisfacere ne-

Non implicat aliquē mori in solo Veniali, quo loco illum ponent?

nequeatis. Respondeo ego, ex hoc textu non inferri legitimè non esse purgatorium. Si enim per Austrum sicut vos dicitis cœlum, per Aquilonem infernum intelligamus, certum est quod ipsæ animæ purgatorii ad Austrum spectent, licet illuc aliquo tempore non pertingant; & huc ego in casu posito animam in peccato Veniali decedentem remitto. Est tamen sensus Scripturæ ibi de morte corporeâ. Sicut enim lignum aliquando tandem cadit, atque in eo loco ubi cadit, putrescit, ita cum statutum sit omnibus hominibus semel mori, sic quocunque loco mortuus fuerit, jacebit, neque semel mortuus ex se ipso resuscitari poterit. Quod autem purgatorium detur, seu tertius locus, id à me vobis positus casus evincit. Undè respondeo ulterius objectionibus vestris, dum allegatis *Eccles. 9. v. 10.* Quodcunque potest facere manus tua instanter operare, quia nec opus, nec ratio, nec sapientia erunt apud inferos, quo tu properas. Quorum verborum sensus duplex est, vel enim hoc de atheis dictum est, qui neque infernum, neque purgatorium credunt, atque adeò quid mirum, si taliter loquantur. Vel certè sumi potest in sensu verè Catholico, idque rursus dupliciter intelligi potest, vel de inferno, ubi certum est nihil remedii super esse; vel verò cum S. Greg. *4. dial. c. 39.* animabus purgatorii plenè applicari possunt, quia reverâ ipsis animabus nullum remedium est activè, ut scholæ loquuntur, sed solum passivè. Cum enim satisfacere illæ nullo modo possint, sed solum satis pati, possunt tamen suffragiis vivorum adjuvari. Pari facilitate explicantur textus quos objiciunt Lutherani, nimirum *Luc. 23. v. 43.* Hodie mecum eris in paradyso. Item illud *2. ad Cor. 5. v. 1.* Si terrestris domus nostra dissolvatur, scimus quod ædificationem ex DEO habemus, domum non manufactam æternam in cœlis. Rursus illud *Apoc. 12. v. 13.* Beati qui in Domino moriuntur, quomodo jam dicit Spiritus, ut requiescant à laboribus suis. Iterum *ps. 126. v. 3.* Cum dederit dilectis suis somnum. Ecce hæreditas Domini. Ergo inferunt Lutherani, concludunt Calvinistæ, non datur purgatorium. Respondeo, hos textus de justis intelligi, qui nihil purgandum habent. Quod facilè de bono latrone dici potest; qui propter plenam & perfectam contritionem non tantum culpam, sed etiam pœnam omnem deleverunt. Vel certè Christus illis liberaliter plenariam indulgentiam donavit. Neque dicas Scriptura *Mat. 7. v. 13.* duas tantum vias agnoscit alterius vitæ. Dico enim duos tantum esse termi-

Multi Justi sine purgatorio cœlum intrant.

nos

nos ultimatos, per hoc tamen non negari, quo minus purgatorium ad alterum cœlestis patriæ, per moram aliquam disponat. quod consonat cum illo *Mat. 25. v. 34.* Ubi Christus dicit: Venite & discedite. Hic dicunt Lutherani solum duorum locorum fit mentio. Quod ego lubens concedo, quia patet, hoc loco fieri mentionem de ultimo die Judicii, quo tempore finis purgatorio statuetur. Ultimum quod contra purgatorium opponunt est, quod faciant, velintque non dari Veniale peccatum, sed omnia esse mortalia, & utuntur verbis *Ezechielis 18. v. 20.* ubi dicitur, anima quæ peccaverit ipsa morietur. Et *ad Rom. 6. v. 23.* Stipendium autem peccati mors. Ergo inferunt omne peccatum est mortale. Respondeo enim falsam esse Consequentiam. Quia Ezechiel ibi loquitur de magnis peccatis, impietatis nimirum & injustitiæ. Uti & S. Paulus qui agit de primo peccato Adami, vel etiam de gravibus peccatis, propter quæ etiam merito tunc erubescebant. Dantur autem alia Venialia peccata, quia *Mat. 23. v. 24.* alia comparat cum culicibus, & alia cum Camelis; Duces cœci excolantes culicem, camelum autem glutientes. *Luc. 6. v. 42.* festucæ & trabi, Frater sine, ejiciam festucam de oculo tuo, ipse in oculo tuo trabem non videns. Quare cum Salomon dicat, septies cadere justum & resurgere in uno die, potest fieri, ut justus dum inter septem illas vices cecidit, moriatur. Quo casu cum dicat Joannes in suâ *Apoc. 21. v. 27.* Non intrabit in eam aliquid coinquinatum aut abominationem faciens & mendacium, necesse est ut cum justus sit, & propter inquinamentum Venialis peccati ingredi cœlum non possit, neque propterea inferno addici, necesse est ut dicamus esse tertium aliquem locum, in quo anima detineatur, quem purgatorium esse dicimus. Stabilitâ nunc satis hac Veritate, quod purgatorium detur, seu locus ab inferno distinctus, super est quærere;

Non omnia peccata sunt mortalia.

An Christus ad purgatorium reverà secundum suam substantiam & non per meram virtutem descenderit? Est hæc quæstio inter Theologos: Et verò nititur negativa sententia hoc solo principio. Quia purgatorium locus est pœnarum horribilium, quo non decuit Christi animam triumphantem substantialiter descendere. Sed placet Bellarminus, & cum illo alii dicentes, quod Christi gloriosa anima secundum suam substantiam, huc descenderit. Quia sic explicatur illud *Ecclesi. 24. v. 45.* Penetrabo omnes inferiores partes terræ, & illuminabo omnes sperantes in Domino. Ubi bene advertendum est ad particulam

ticulam omnes ſperantes, cum enim animæ purgatorii ſperent in Domino, erunt illæ inter eos, qui illuminati ſunt, ideoque credibile eſt animam glorioſam Chriſti, ſingulari ſolatio & conſolatione, ſe animabus illis communicaſſe. Licet autem locus pœnæ ſit, eſt tamen etiam locus veniæ. Et Chriſtus defacto in cœlo glorioſus, quoties in abſtruſiſſimis carceribus & morborum pædoribus electis ſuis præſentiam ſuam miſericordiſſime communicavit? Multum me movet ad hoc piè credendū authoritas S. Aug. *qui in libr. de cura pro mortuis*, Chriſtum tertio in horto orantem ſanguinem ſudaſſe obſervat. Quo poſito dicit Chriſtum, primo oraſſe pro iis omnibus, qui peccato mortali inquinati erant. Secundo aſſerit oraſſe pro perſeverantiâ Juſtorum. Tertio vero clarè inquit oraſſe pro animabus purgatorii, & quod quaſi in repræſentatione illarum animarum, Chriſtus ad lachrymas ſanguineas fuerit commotus. Amplius obſervat Momingo *fer. 6. poſt Dom. 4. Quadr.* Quod pretium ſanguinis Chriſti, quòd erat triginta Denariorum publico decreto deputatum ſit in agrum, peregrinorum ſepulturæ deputatum. Ubi adducit S. Vincentium Ferrerium *ſerm. 2. de animab.* Qui per agrum purgatorium intelligit, quaſi ſanguis Chriſti ſingulariter deputatus ſit in litrum animarum. Sic verum eſt inquit, Chriſtum ob ſalutem univerſalem peccatorum incarnatum, magna tamen pars incarnationis reſpexit liberationem animarum purgatorii. Et hinc credo factum eſſe, quod in Veſperis Nativitatis Domini, Eccleſia pſalmum de Profundis ponat, ut ſcilicet ſignificet Chriſtum adveniſſe etiam in auxilium animarum. Ut ergo principio finis correſpondeat, qui in ſalutem earum venerat, voluit etiam ſanguinem ſuum venumdari, & in earum litrum impendi. Et hinc inquit illa reſurgentis cura fuit, ut eas inviſeret, & velut ampliſſimo Jubilæo recrearet. Scilicet litro plenè perſoluto eaſdem animas recreaturus. Quarè non video quid indecori accedat Chriſti glorioſæ animæ, cum nec ejuſdem Matris glorioſæ Aſſumptioni aut certè in cœlo jam triumphanti, aliquid inconveniens ſit, animas purgatorii ſuâ præſentiâ conſolari. Devotiſſimus Gerſon ſuper Magnificat, piè credit B. Virginem in ſua Aſſumptione omnes animas liberaſſe ex purgatorio, in augmentum ſui glorioſi triumphi. Piè creditur inquit DEI privilegio in Virginis Aſſumptione evacuatum fuiſſe Purgatorium. Sed & hodie etiam in cœlo exiſtens non deſerit animas ſibi devotas, & inibi detentas. Refert S. Brigitta *l. 1. revel. c. 39.*

Chriſtus in horto oravit pro animabus.

In Veſperis Nativitatis cur pſalmus de profundis dicatur.

B. Virgo glorioſa viſitat animas purgatorii.

Maria in Aſſumptione ſua omnes animas liberavit.

c.39. Militem quemdam Virgini devotum flammis purgatorii gravissimè fuisse Cruciatum, qui cum eandem implorasset, ab eaque auxilium petiisset, Maria pro animâ sui Clientis apud Filium intercesserit supplex. Cui Filius Benedicta sis tu mater charissima, nihil tibi negari potest, fiat voluntas tua; uti petiisti, ita fiat tibi. Dionysius verò Carthus. *serm. 1. de Assumpt.* annis singulis dicit Natalis & Resurrectionis Christi diebus, Mariam Purgatorii carcerem visitare, & multorum minuere pœnas, plurimas autem penitus liberare. In natali quidem die, quia tunc quem genuit, adoravit; in die autem resurrectionis, quia tunc ipsius filius etiam limbum ingressus fuit, & animas liberavit. Eoque tempore inquit meritis Sanctisimæ Matris DEI pœna purgatorii fit remissior & levior. Confirmat hoc Petrus Damianus uti refert Barry in sua hagiophila: Quod paulo ante festum B. Virginis Assumptæ Romæ defuncta fuerit fœmina, quæ nocte festum illud subsequente uni suarum Sodalium apparuerit. Interrogata quo in statu esset? dixit se magnis in pœnis fuisse, sed hac die Assumptæ Virginis, cum infinitis penè animabus simul liberatis, per intercessionem Assumptæ Virginis cœlum intrasse. Cum verò illa, cui retulit, de multitudine liberatarum ex purgatorio animarum dubitasset, prædixit illi fore, ut post annum hac eadem die moriatur. Quid obsecro familiarius, quam Angelorum ad purgatorium accessus? Hoc unum solatium dat S. Anselmus *in Elucid.* Dum ibi sunt positi, inquit, apparent eis Angeli, vel alii Sancti, in quorum honorem, egerunt aliquid in hac vitâ, & vel auram, vel suavem odorem, aut aliquod solamen eis impendunt, usque dum liberati, introibunt in illam aulam, quæ non recipit ullam maculam. Nobis sufficiet hic stabilivisse dari purgatorium, quomodò verò juventur, suo loco in articulo 9. ostendemus.

Maria militem sibi devotum ex purgatorio liberat.

Maria quotannis in Natali & Resur: purgatorium visitat.

Anima B. V. devota in die Assumptionis cum multis aliis liberatur.

Angeli visitant animas in purgatorio.

Etiam à Sanctis visitantur animæ in purgatorio

Quid verò de Limbo parvulorum sine baptismo decedentium statuendum sit, audiendi sunt Theologi. Cum enim in inferno propriè dicto statui non possint, cum is sit locus eorum, qui suo proprio actu mortaliter peccaverunt, illis locum vicinum & inferno proximum assignare volunt, qui communiter limbus puerorum dicitur. Calvinus infantes parentum Christianorum omnes vult salvos, quia sunt inquit in fœdere, quod fœdus nunquam satis explicat, multo minus stabiliet. Alii è contrà, omnes ad infernum relegant, cum enim triticum non sint *Mat.3. v.12.* velut paleas ad ignem æternum remit-

Calvinus cœlo, alii inferno adscribunt animas parvulorum.

remittunt. Repugnat hæc sententia posterior communi opinioni Theologorum, quæ tenet, quod parvuli, pœnam sensus non habeant, adeoque non torquentur illo igne infernali. Quod clarè docet S. Greg. Naz. *orat. de S. lavacro.* dicens: Nec cœlesti gloriâ, nec suppliciis à Justo judice afficientur. Et S. Aug. *l. 5. contra Julianum c. 8.* asserit. Non dico parvulos sine Christi baptismate morientes, tantâ pœnâ esse plectendos, ut eis non nasci potius expediret. Et paulo post: Quis dubitabit parvulos non baptizatos in damnatione omnium levissimâ futuros, quæ qualis & quanta erit, quamvis definire non possim, non tamen audeo dicere, quod eis, ut nulli essent, quam ut ibi essent, potius expediret. Quod vero aliqui objiciant, ex *Mat. 22. v. 5.* Quod non habeant vestem nuptialem, ac proindè mittentur in tenebras exteriores, ubi erit fletus & stridor dentium. Respondeo cum S. Bern. *serm. 3. de resur.* Quod sola voluntas propria ardet in inferno, sed Originale peccatum non est propriæ voluntatis, imo ex ipsâ notione nominis, consequitur ex alienâ, ergo Originali non debetur pœna sensus. Confirmat hoc Innocentius III. pontificio suo Oraculo, qui *in Decret.* dicit. Quod pœna sensus debeatur pro peccato actuali, sed originale non est actuale, ergo ei pœna sensus non debetur. Quare demum sic concludit: Dicendum quod communiter dicitur: Peccato originali non debetur pœna sensus, sed solum pœna damni, scilicet carentia visionis divinæ. Quæ carentia Visionis beatificæ, quamvis in se major sit, quam pœna sensus quæcunque, tamen non erit parvulis tanto dolori, quanta est damnatis, qui ab illâ felicitate malitiâ suâ exciderunt. Imo S. Th. apertè asserit, quod nihil omnino dolebunt de carentiâ Visionis divinæ, imo magis gaudebunt de hoc, quod participabunt multum de bonitate divinâ, & perfectionibus naturalibus. Gaudebunt itaque quod fuerint proportionati ad vitam æternam consequendam, quia potuissent ab aliis baptizari, sicut multi pueri ejusdē condicionis baptizati, in innocentiâ suâ vitam æternam consecuti sunt. Hoc enim inquit est super excellentis gratiæ, ut aliquis sine actu proprio præmietur. Quare concludit opinionem suam his verbis. Unde totus defectus gratiæ in pueris non baptizatis decedentibus, non magis causabit tristitiam, quam quod in sapientibus causat hoc, quod eis multæ gratiæ non fiant, quæ in aliis similibus factæ sunt. Ex quâ benignâ S. Thomæ doctrinâ, puto in animum induxisse Catharinum, ut in

Parvuli non habent pœnam sensus.

Parvuli non baptizati non dolebunt singulariter de carentia Visionis.

in Opusc. parvulorum sine baptismo decedentium, dicat. Noscent ergo quantum naturalis cognitio se extendere poterit Dominum DEum, & substantias separatas longè super omnes Philosophos. Imo hujus est opinionis, quod non carebunt Angelicis revelationibus & visitationibus etiam eorum, qui sunt in cœlis; verbi causa Parentum, qui sic eos recreabunt, ut præter divinæ majestatis visionem, nihil eis deesse sentiamus. Cui Decreto divino plenâ voluntatis conformatione acquiescent, atque tunc verum erit dicere, fore, ut fiat voluntas DEI sicut in cœlo, ita & in terrâ. Quia non solum Catharinus, sed etiam alii plures putant, post diem judicii hos parvulos, tunc inhabitaturos terram novam & repurgatam, ibique victuros vitam naturaliter beatam. Ad quod Catharinus putat respexisse Davidem *ps. 113. v. 16.* quando dixit Cœlum Cœli Domino, terram autem dedit filiis hominum. Quarè authores contrariæ sententiæ miror, qui ut suam tueantur opinionem, putant bonitatem divinam ejusque in parvulos de se insontes benignitatem, plus ipsis obesse, quam prodesse. Dicunt enim, si parentibus semel persuasum fuerit, tales parvulos naturaliter fore beatos, non magnopere erunt soliciti de baptismo illis procurando. Sed quia vel à naturâ non tantum matribus, verum etiam cuivis hominum innata est ergo parvulos pia quædam cura, & succurrendi propensa voluntas, quâ illis non tantum salutem corporis, sed etiam animæ providemus, videtur illis abundè provisum, maximè cum etiam jura, ipsa severe puniant matres, in hoc casu tam nefandi criminis reas. Undè non matres sed Trigides censeri debent illæ, quæ vel crudeli, & plus quam belluinâ ferociâ, ne suas libidines prostituant, infantes suffocant & trucidant, vel turpissimâ incuriâ & ignaviâ, eodem in lecto secum jacentes opprimunt, vel adhuc in utero clausos nefando abortu exterminant. Certè si S. Cyrillus in simplici homicidio, tantam sceleris atrocitatem agnovit, quantam *in suâ homiliâ 8. Paschæ* describit. Quid de hac parricidali in corpus & animam impietate, vel per nefandum abortum vel detestabilem suffocationem dicturus fuisset? Inclamat ille homicidam quemcunque, tanquam immitem bestiam, à quâ naturæ leges convelluntur; miratur quomodo jacens ante se occisi cadaver contuens, sibi terram dehiscere non pertimesceat? & interrogat, quas nam manus inter orandum sublaturus sit? si enim eas levaverit quas humano sanguine cruentavit; Audiet intonantem

Matres, quæ suos infantes jugulant, matres non sunt.

Homicida in conspectu DEI apparere non audet.

DEum illud *Isa. 1. v. 15.* Cum extenderitis manus vestras, avertam oculos meos à vobis, & cum multiplicaveritis orationem, non exaudiam, manus enim vestræ sanguine plenæ sunt. Quare si manus simpliciter à sanguine humano sic fœdantur, quam abominationem pariet innocentissimus sanguis filiorum, quo turpissimo plane parricidio, infames à libidinibus matres, se commaculant? quando vel suâ impudentiâ & verecundiæ proterviâ, vel etiam incuriâ & socordiâ non tantum corpori, sed etiam animæ cladem inferunt æternam.

Matres teneros infantes secum in lecto non habeant.

Atque ut hæc incuriâ tollatur, meminerint matres, se gravis sceleris reas esse, si in eodem secum lecto teneros infantes collocant, quos dum Simiorum instar depereunt, perimunt. Dum enim somno oppressæ indormiscunt, sub stragulis indormiscunt etiam parvuli, aut incauto corporis motu comprimuntur, aut certè dormientis matris uberibus admoti à continuo lactis fluxu extinguuntur. Timete ne hi præmaturâ morte à vobis sublati parvuli, vobis occinant, Triste illud: Quare me occidisti? Quibus eheu! intemperiis, ne dicam furiis agitatus est Eremita ille, qui teste Stengelio *p. 4. c. 5. §. 4.* latrociniorum suorum pœnitens novennio integro pœnitentiam seriam egit, quia tamen innocentem parvulum crudeliter occidit, ex cœnobio ipsâque Eremo fugere debuit, quia vox pueri ab ipso occisi, continuo illi occinuit, Quare me occidisti? adeoque impatiens tam longæ torturæ, ultrà se Judici in proximâ civitate stitit, & caput gladio subjecit. Quis ignorat illas *3. Reg. 3.* notissimas, inter mulierculas duas coram Salomone Rege tragædias? ex quibus una non uno filii sui oppressi funere contenta, etiam alterius innocentissimi parvuli sanguine se voluit turpissimè commaculare. O Matrem omni fera crudeliorem! ô Hircanam Tigridem! & omni belluâ ferocius monstrum! Audisne tristissimum illud in omnem æternitatem duraturum: Cur me occidisti? Vel ipsa tandem veræ matris pietas, quæ ne proli suæ vitam tolleret, filio orbari mallebat, & Salomonem æquum proclamavit judicem. Ut nesciam, an hæc lata sententia Salomonem magis à sapientiâ, an matrem à pietate in prolem fecerit omni posteritati commendatissimam. Occurrit hic Cyriacus latronum Princeps uti refert P. Pexenfelder *l. 1. hist. 10.* qui propter enormia latrocinia, decennio integro carceri inclusus horrendo, cum tremendam semper expectaret mortis sententiam, sine omni pœnâ repentè liber dimissus fuit. Præmium hoc dixit fuisse, quod

Eremita qui parvulum interfecit, licet pœnitens judici se sistit.

Salomonis judicium inter duas mulieres.

Latro à supplicio servatur qui parvulis vitam servavit.

quod inter tam varia & enormia licet latrocinia, pluribus tamen infantulis vitam servasset. Quid vos mercedis sperabitis piæ matres? quæ non tantum vitam hanc mortalem, quam parvulis vestris dedistis, maternâ pietate & solicitudine conservastis; sed majori longe curâ & solicitudine providistis, ut filios vestros, ex horrendâ dæmonis potestate, quamprimum emancipatos & sacri baptismi fonte ablutos cœlesti felicitati regeneraretis. Fecit hæc parvulorum erga latronem Servatorem suum pietas & gratitudo, ut hi parvuli sæpius se latroni in carcere dira quæque formidanti, sisterent, ac se pro illo satisfacturos pollicerentur, eumque vel sic ad securæ brevi libertatis fiduciam animarent. Vobis æternum grati erunt parvuli vestri, quos post baptismi lavacrum præmaturo fato subductos cœlo tamen maturè intulistis, & à cæca limbi caligine subduxistis, dum multi alii hac baptismali gratiâ fraudati, æternum his tristissimis tenebris & cœcitate involventur, & in omnem æternitatem DEum non videbunt. O quam verè lamentantur hi parvuli cum cœco Tobia *c.5. v.12.* Quale gaudium erit mihi, qui in tenebris sedeo, & lumen cœli non video? Qui quia obicem Visionis beatificæ habebunt, in perpetuum, DEum in omnem æternitatem non videbunt. Ex quibus inducor, ut credam Christum ad hunc limbum puerorum non accessisse, quibus ex præsentiâ gloriosæ suæ resurrectionis solatium modicum, vel plus mœroris attulisset, utpotè qui fructus redemptionis humanæ & profusi sanguinis Christi, & meritorum passionis ad æternam salutem non sunt capaces.

Matres solicitæ sint ut nati infantes bapt.zentur.

Superest ergo limbus Patrum, in quo detinebantur animæ Patriarcharum & Prophetarum, aliorumque proborum hominum, qui ante Christi mortem juxta legem naturæ & Moysis piè conversantes cum fide in Messiam decesserunt. Negavit hoc quidem Lutherus, & nescio per quam portam illos in cœlum intrudere voluit, cum tamen S. Paulus *ad Hebr. 11. v. 9.* clarè dicat: Et hi omnes testimonio fidei probati, non acceperunt repromissionem. Quod de PP. veteris testamenti clarè S. Paulus intelligit; quandoquidem longum Catalogum superius *V. 32.* enarravit, quos ad Christi in cœlum ascendentis triumphum reservavit. Ut non sine nobis, quod ait ibidem *v. 40.* consummarentur, id est Christi gloriosam ascensionem expectarent. Quarè communis est sensus Theologorum, quod quidem PP. detenti fuerint, sed non in inferno damnatorum, quia justi erant, & amici

Limbus PP. contra Lutherum ostenditur.

DEI

DEI. Neque in limbo puerorum, qua salutis æternæ spem non habent. Neque in purgatorio, quia multi ex illo jam expiati in sinum Abrahæ transplantati fuerunt, ideoque in loco ab his tribus diverso, nempè in limbo PP., vel ut cum scripturâ loquamur, in sinu Abrahæ. Et hinc ostenditur, quod locus ille fuerit subterraneus, quià juxta S. Paulum *ad Ephes. 4. v. 9.* dicitur. Quod autem ascendit, quid est nisi quia & descendit, primum in inferiores partes terræ. Quod confirmat S. Ignatius Episcopus & Martyr *in Ep. sua ad Trallian.* Descendit ad infernum solus, regressus cum multitudine. Quod adhuc clarius S. Hier. *in c. 4. ad Eph.* asserit dicens; per inferiora terræ infernus accipitur, ad quem Dominus Salvator noster descendit, ut Sanctorum animas, quæ ibi tenebantur inclusæ, secum in cœlos victor adduceret. Quem subterraneum descensum pius & fidelis Jacob intellexit, quando dixit *Gen. 37. v. 35.* Descendam ad filium meum in infernum. Et certè Samuel pius & justus coram DEO, quando à Pythonissa evocatus fuit *1. Reg. 28. v. 13.* Visus est non de cœlo descendere, sed ex profundo terræ assurgere, atque Sauli Regi collocutus esse, uti legitur *Eccles. 46. v. 22.* Si quæras undè Samuel Propheta emerserit? aliud respondere non possum quam ex consortio aliorum Patrum, qui adventum Messiæ tantis lamentis & suspiriis expectarunt. Clarè proindè S. Paulus *ad Hebr. 9. v. 8.* dicit Viam Sanctorum quæ est cœlum primum per Christum propalatam esse; Et hinc dicit de PP. antiqui testamenti: Juxta fidem defuncti sunt omnes isti, non acceptis repromissionibus. Ex quibus concluditur contra Calvinum, PP. ante mortem Christi non fuisse in cœio, sed in limbo; ut verificaretur illud *ad Eph. 4. v. 8.* Ascendens in altum captivam duxit captivitatem, quod ex Psalmographo Davide Paulus locutus est. Notum est & decantatum apud Romanos, quod repentè aperta tellus ingentem hiatum fecerit. Toti Urbi fatalis imminebat pestis, nec hiatus ille clausuram optatam compromiserat, nisi fortissimi juvenis funere expleretur. Curtius generosus adolescens adacto in voraginem equo in hiatum insiliit, & vortex ille infernalis se clausit. Vorago hæc erat tristissimi illius limbi PP. imago, qui ab Abel & primis nostris Parentibus, usque ad mortem Christi tot præcelsas Sanctorum Patriarcharum & Prophetarum, tot laudatissimarum Matronarum absumebat animas, juxta illud *Isa. 5. v. 14.* Dilatavit infernus animam suam & aperuit os suum absque ullo termino.

Limbus fuit Subterraneus.

Animæ PP. ante Ascensionem fuerunt in limbo.

Curtius se Scrobi immergens Romam à peste liberat.

mino. Sed ubi Christus in mortis fauces præcipitem se dedit, quando nimirum ad infernum descendit, cessavit hiatus iste, meritoque Christus dicere potuit. illud *Apoc.1.v.18.* Fui mortuus, & ecce sum vivus, & habeo claves mortis & inferni. Pulchrè proindè Petrus Chrysologus *serm.74.* Merito perit lex Tartari, remota sunt inferni jura, potestas mortis ablata est, quia dominata servis, exarsit in Dominum, sæviens in homines, prosiliit in DEum. Quod utique *Oseas c.13.v.14.* prædixit dicens: Ero mors tua ô mors! quando non solum incredibili gaudio omnes illas animas affecit, & limbum in paradysum convertit, atque omnem dolorem, quem hactenus ex dilatione gloriæ passi sunt, dissolvit, & penitus abstulit. Denique animas omnes hactenus in limbo detentas secum eduxit, sine dubio passionis suæ mortisque stationes obiens, & vaticinia de se prædicta declarans. Verè non sine mysterio dixit *Isaias c.9.v.4.* Sceptrum exactoris superasti in die Madian. Quis crudelius exigebat illud decretum divinum statutæ in omnes homines mortis, quam mors ipsa? quæ non solum funesto suo telo, longâ serie enarratâ in sacris literis confecit homines, sed vel in mari rubro integros exercitus Ægyptiorum devoravit, vel omnem carnem, quæ viam suam corruperat horrendo cataclismo absorpsit. Quare Hugo Cardinalis per exactorem, mortem intelligit, quam Christus sicut Gedeon Madianitas devicit & superavit. Mirabilis plane fuit hæc bellandi forma, quam nobis sacræ literæ *Judic.9.* exhibent. Ubi Gedeon milites suos armaturus ad pugnam, instruit lumine in lucernâ clauso, & tuba armat in manu dextrâ. Subdit textus: Cœperunt buccinis clangere & inter se complodere lagenas, cumque hydrias confregissent, tenuerunt sinistris manibus lampades, & dextris sonantes tubas, & omnia castra turbata sunt, ululantesque aufugerunt. Gedeon divinus, nempe Christus oppugnaturus mortem & infernum, vas & lucernam confregit, quando in Cruce inclinato capite emisit Spiritum, & rutilans divinitatis lumen animæque gloriosæ divinus Splendor limbo illatus, mortem turbavit eamque ululantem fugere coegit. Quam verum est illud *Oseæ 12.v.14.* De manu mortis liberabo eos, de morte redimam eos. Ut non sine causâ Apostolus Paulus *1.ad Cor.15.v.55.* quærat: Ubi est mors Victoria tua? Refert *Livius l.22.* cœsis ingenti strage Romanis Hannibalem tres modios aureorum annulorum collegisse, eosque per fratrem suum transmisisse in Africam, quos deinde Frater

Hannibal cæsis Romanis tres modios annulorum colligit.

ter dicti Hannibalis, in Curiâ coram Senatu effudit in argumentum cruentæ Victoriæ. Christus ut fidem Victoriæ suæ faceret, pretiosas Patrum animas orbi effudit, vel ipso Matthæo teste, qui *c. 27. v. 52.* clarè inquit, monumenta aperta sunt, & multa Corpora Sanctorum, qui dormierant surrexerunt, & apparuerunt multis. Et hic effectus fuit descensus Christi in infernum, ut nimirum PP. animas à caligine negatæ hucusque Visionis beatificæ eliberaret, & gloriosæ resurrectionis suæ splendore illustratas, secum in cœlum ascensurus ad stationem æternæ felicitatis deduceret.



DISCURSUS XXVI.

Tertia die resurrexit à mortuis.

Luctator in terram dejectus à terrâ vires resumit.

MIranda videri poterat illius strenui luctatoris in pugnâ felicitas, qui simul ac victus atque ab adversario in terram dejectus fuit, novis viribus animatus in Victorem insurrexit, & Victus prius, Victorem suum devicit atque prostravit. Erat nimirum insignis luctator quispiam, qui in variis certaminibus fortitudinis & roboris miranda præstitit specimina, casu tamen nescio quo, ubi adversarii sui impulsu in terram dejectus humum attigit, de terrâ animosior surrexit novisque viribus instructus hostem suum est aggressus, eumque gloriosè devicit. Cui proindè lapsus Victoriæ fuit occasio, & dedit infirmitas fortitudinem, casus palmam, ruina Victoriam. Nunquam certe tam gloriosè resurrexisset Christus, nisi morti in Cruce succubuisset. Bellarminus expendens verba illa *ps. 92.* Dominus regnavit, decorem indutus est fortitudinem & præcinxit se, dicit, primam partem applicari Christo, qui homo factus juxta illud *Isa. 9. v. 6.* Principatus ejus super humerum ejus, regnavit; & tunc quidem decorem indutus est, quando naturam humanam assumpsit, speciosus factus præ filiis hominum. Quam speciositatem regno dignam veneratus David, eidem *ps. 44. v. 5.* defert imperium dicens: Specie tuâ & pulchritudine tuâ, intende, prosperè, procede, & regna.

Ubi

Ubi vero à ligno regnavit DEus, in cruce pro nobis mortuus, non amplius decorem indutus est, qui aliundè in corpore glorioso eminebat, sed fortitudinem indutus est, eàque se præcinxit, quando scilicet resurgens, devictâ morte non amplius erat moriturus. Benè S. Epiphanius *tom. 3. de resurr. contra Marcionem*: Quia resurrexerat ex mortuis, & non amplius ad passionem aut flagella, aut mortem, ipsa humanitas ventura erat, ideò præcinxit se. Quasi diceret, in nativitate humanitatem induit, sed eâ se non præcinxit, quia venit passibilis, & in monte Calvariæ eâ fuit inadæquatè saltem spoliandus. Resurgens verò se præcinxit, quia per immortalitatem eam non erat amplius dimissurus. Quod observans Paulus *ad Rom. 6. v. 9.* inquit Christus resurgens ex mortuis, jam non moritur mors illi ultra non dominabitur. Quarè licet Christus à PP. eleganter planè in suâ resurrectione cum fortissimo Samsone comparetur, qui *Judic. 16. v. 3.* Dormivit usque ad medium noctis, & indè consurgens apprehendit ambas portæ fores cum postibus suis & seris, impositasque humeris suis portavit ad verticem montis; tamen differt in eo, quod licet mors cœperit fortissimum Heroem Christum, eumque sepulchro incluserit, & lapide planè signato obfirmaverit; Ex sepulchro autem ille egressus sit, nec tamen portas abstulit, sed illas intactas & clausas reliquit. Quia nimirum Samson portas abstulit iterum reponendas, & aliquando ab iisdem denuò occludendus; Christus verò jam non moritur amplius. Unde tametsi Calvinus in *4. instit. 17. v. 19.* neget Christum clauso sepulchro resurrexisse, eo quod *Mat. 28. v. 2.* dicatur: Et ecce terræ motus factus est magnus, Angelus enim Domini descendit de cœlo, & accedens revoluit lapidem, & sedebat super eum; non tamen indè infertur, tunc primo surrexisse Christum, sed jam prius resurrexisse præsumi debet, cum lapis ille solum ad instantiam piarum mulierum, & in evidens testimonium resurrectionis jam peractæ, per angelum sit revolutus. Cum enim *Marc. 16. v. 3.* solicitæ mulieres dicerent ad invicem; quis revolvet nobis lapidem ab ostio monumenti? respicientes viderunt lapidem revolutum? erat quippe magnus valdè. Et quæ *Mat. 28. v. 6.* ab angelo invitabantur: Venite & videte locum, ubi positus erat Dominus, *Marc. 16. v. 5.* Introeuntes in monumentum viderunt juvenem sedentem in dextris, qui dixit illis, nolite expavescere; JESUM quæritis Nazarænum Crucifixum, surrexit non est hic;

Christus in resurrectione humanitate se præcingit.

Christus resurgens Samsone gloriosior.

Christus surrexit clauso sepulchro.

Ecce locus ubi positus erat; adeoque Ecclesia in hymnis suis vetustis canit: Ille clausus lapide, custoditur sub milite, Victor surgit de funere. Pulchrè namque S. Aug. *serm. 138. de Temp.* Quomodo de sepulchro (utique clauso) exire non possit, qui ex incorruptis Matris visceribus salvâ Virginitate processit, fefellit Custodes, exilivit de sepulchro, apparuit discipulis januis non apertis, inde clausus exiit, huc exclusus intravit. O quam merito exclamem! Magnus dies Paschæ dexteram Domini magnificavit. Dies natalis Christi ex magnis fecit parva, Resurrectionis gloriosa Dies ex parvis magna fecit. Parvus est alias mulierum animus, at in resurrectione magnus omnino est, valdè manè namque in ipso diluculo Apostolis longè cordatiores, vadunt ad monumentum. Obstat ingens lapis, & accessum prohibet; sed animus sanctarum mulierum lapide grandior, non terretur, neque recedit. Olim Vestalibus Virginibus apud Romanos, quævis onera de viâ cedebant. Datum est hoc per angelum animosis mulieribus, ad nos arguendos, qui in viâ virtutis quavis difficultate victi retardamur. Audite S. Ambr. *l. de Abel & Cain.* Ubi virtus, ibi multa semper obstacula. Sed quærenti DEum, nihil arduũ. Non enim frustra *Exod. 3. v. 6.* dicitur DEus, DEus Jacob. Jacob plurimos lapides removit, est utique laboriosus. Luctatur in utero matris, luctatur cum Angelo. Quantos lapides removit DEus Josepho? quæ saxa obstantia non sustulit? Justus ut Leo, ad nullius pavebit occursum. Scandala juxta S. Aug. aliud non sunt, quam saxa & lapis offensionis. Non curant hæc Sancti, habent antesignanum DEUM, qui aspera in vias planas redegit. Hinc credo, quod Christus *Marci 6. v. 8.* voluerit discipulos suos uti calceamentis & sandaliis ut currentes, non tam facile sentirent offendiculum. Hannibal montes liquefecit aceto, ut iret in Italiam. Sponsa ad montem myrrhæ per cubilia leonum abivit. Animosa S. Barbara Virgo & Martyr, petram habuit ceræ instar liquidam, dum fugit insidias parentis. O quoties montem nos credimus, & tamen mons non est, sed petra, quæ est refugium Erinaciis. O quam bene exclamat sancta Mater Ecclesia: Hæc est dies quam fecit Dominus, dies nimirum gloriæ & triumphi, quia nimirum suâ morte Christus de morte & inferno fortissimè triumphavit. Undè merito dixit Apollinaris de Christo resurgente; Surrexit in triumphi curru magnifico. Quem currum, si vel á jugalium raritate, vel à Splendore ornatus magnifici com-

Dies Paschæ dies magna & gloriosa.

Vestalibus onera cedebant de viâ.

Scandala saxa impedientia in via salutis.

Virtuti veræ nihil obstat.

commendaverimus, nihil alienum à gloriâ Christi resurgentis dicemus; quando vel ipsam gloriam DEI in essedo mirando conspicuam habuit Propheta Ezechiel. Ego tamen in hoc curru quatuor rotas, nimirum ipsa Elementa famulantia contemplor. Et primam quidem rotam globum terræ, in quâ depictus stabit Leo juxta illud *Gen. 49. v. 9.* accubuisti ut Leo. Secundam Rotam Elementum aquæ statuo, in quâ depictus est Jonas qui ex ventre Ceti egreditur, conformiter ad illud *Mat. 12. v. 39.* Signum non dabitur ei, nisi Jonæ Prophetæ. Quia pulchrè S. Augustinus dicit, Jonam gessisse figuram Salvatoris, qui tertiâ die resurrexit. Tertia rota erit globus aëris, in quo depicta videtur aquila, de quâ *ps. 102. v. 5.* Renovabitur ut aquila iuventus tua. de qua S. Ambr. Aquilam rectè dixerim, cujus juventus renovata est tunc, cum à mortuis resurrexit. Quarta rota sit globus ignis, in quo Phœnix redivivus post ignes conspicuus consurgit. Pulchrè S. Chrysostomus: Resurrectionem Christi testantur elementa rediviva, quæ erant funereo teginine jam sepulta. Hanc portentosam Christi anastasim miratus est Oecumenius, qui in hac maximum à Christo factum agnoscit miraculum. Observat is hoc notatu dignum, quod omnes quatuor sacri historici per sua sacra quæ scripserunt Evangelia, copiosa à Christo patrata narrent miracula, sic ut S. Petrus *Act. 10. v. 18.* dicat, pertransiit benefaciendo & sanando omnes oppressos à diabolo. Non tamen invenitur ullum fecisse post suam resurrectionem prodigium. Postquam nimirum, seipsum suæ divinitatis potentiâ ex tristi & funesto mortis tumulo, in gloriosam & triumphabundam Vitâ eduxit, vi propria factus redivivus. Oecumenii verba *in c. 10. Act. Apost.* hæc sunt; non signum aliquod post resurrectionem fecit. Quid causæ obsecro? quod pius & potens benefactor, tam stupenda & innumera miracula fecit, quando in carne adhuc passioni & morti obnoxiâ vixit, deindè verò à signorum operatione avocavit, cum à morte, per quadraginta dies cum discipulis suis sæpius conversatus fuit. Destituit ne illum potentia? cur ergo tam gloriosus Victor, signum nullum tunc præstitit? Respondet ipse: Resurrectio ipsa satis magnum miraculum fuit. Quod ergo Christus nihil signorum post suam resurrectionem fecerit, id non accidit, vel quod potentia illum destituerit, vel imminutæ fuerint ejus vires, sed quod resurrectio ipsa, ad commendandam illius magnitudinem, & fidem divinitatis adstruendam ab-

Gloria DEI in curru visa ab Ezechiele.

Rotæ currus gloriæ DEI sunt elementa.

Christus post suam resurrectionem non fecit miraculum.

undè suffecerit. Resurrectio namque ipsa satis magnum miraculum fuit. Postulabant quidem Judæi à Christo in Cruce pendente *Mat.27. v. 42.* Descendat nunc de Cruce, & credimus ei, scilicet, pro magno miraculo habituri erant Judæi si se à Cruce, & morte liberaret. At verò majus longe miraculum est, post ipsam mortem & sepulturam, se a morte resuscitare. Rectè enim S. Chrysostomus *orat. 4. in 1. ad Cor.* Qui in malis fuit, malis fuisse superiorem, & cum his pugnâ commissâ vicisse, est potentiæ infinitæ; sicut admirabilius fuit in tribus pueris ingressos conculcasse flammam, quam non ingressos esse fornacem. Et in Jona erat multo majus, nihil à belluâ esse passum, cum in eam incidisset, quam omnino non incidisse in Cetum. Ita etiam in Christo admirabilius fuit mortuum perfregisse mortem, quam mortuum non esse. Christus ergo non descendit de Cruce, nam cum ipsa morte volebat pugnam committere. Non descendit de Cruce, non quod non potuit, sed quia noluit. Nam quem mors ipsa non detinuit jam mortuum, quomodo potuissent clavi Crucis detinere adhuc vivum. O! quam benè concludit S. Chrysostomus: Hinc Credo factum, ut tanti miraculi fides non pateretur à Judæis mendacibus aliquam calumniam. Quod ipse Longinus, qui Christo cor vulneravit lanceâ resurrectionis testis factus sit. Cum enim Judæi Christum crucifixum copioso milite custodivissent, sed gloriosè à mortuis resurrexisse nollent fateri, corruperunt milites, ut dicerent, se dormientibus venisse discipulos, qui eum furto subduxissent. Verum Longinus à Pilato custodiæ sepulchrali Præfectus, qui gloriosæ anastasis oculatus testis fuit, Pilato & Judæis restitit, atque in Capadociam profectus, iram Pilati & Judæorum declinavit, ibi tamen comprehensus, & ad Pilatum in Judæam remissus, cum duobus sociis militibus, pro veritate resurrectionis capite plexus est. Et hinc quia Judæi omni conatu volebant supprimere tantum gloriosæ resurrectionis Christi mysterium, Christus solicitè suam anastasim manifestis stabilivit argumentis, & apparitionibus frequentatis, seque verè resurrexisse orbi universo comprobavit.

Resurrectio ipsa magnum fuit miraculum.

Longinus testis est resurrectionis.

4. Reg. 9. v. 20. Joram Rex Israel, & Ochozias Rex Juda, bellum gesserunt contra Jehu. Appropinquabat autem Jehu cum speculator illum agnoscens ait: Est incessus, quasi incessus Jehu, præceps enim graditur. Certè celerrimus fuit semper gressus DEI nostri. Vix enim conceptus fuit in utero, jam in ipsâ matre sua hanc celeritatem

Christus in salutis nostræ operatione celerrimus.

tatem adamavit, quæ abiit cum festinatione in montana. Quid non festinanter in suâ resurrectione operatus est bonus JEsus? Prædixerat se tribus diebus fore in ventre terræ, ut staret immota Christi Veritas, diem Veneris maturatione mortis & sepulturæ suæ attigit, diem vero tertiam seu dominicum, quasi præmaturo ortu solis anticipavit, ut verum esset dicere, Tertiâ die resurrexit à mortuis. Neque enim Marco teste, tres illæ devotæ fœminæ, valde mane, sed orto jam sole abire ad sepulchrum dicerentur, nisi sol ortum suum resurgente Domino maturasset. Quod si causam hujus anticipationis requiras, velisque scire, cur sol illo die per tres circiter horas incrementum lucis acceperit? putant aliqui, quia patiente Christo totidem horis id est tribus, se occultavit. Docet hoc Anastasius Sinaita *in 4. hexam.* Cum defecisset impolluta anima ex corpore, simul etiam defecit sol in cœlesti suo corpore. Unde etiam Christo exoriente, & resurgente à mortuis, manè una sabbatorum, unà cum eo exoritur etiam sol in terra, celerem faciens diem. Properabat utique amantissimus suorum Dominus, & in solatium illorum suam accelerabat resurrectionem, atque primum matri, deindè Magdalenæ & discipulis se spectandum exhibuit. Ubi teste S. Hier. singularis eluxit Christi erga suos discipulos charitas, & pia solicitudo; Cum enim Christus in cœna obtulisset discipulis suis corpus suum, dicit S. Hier. quod S. Jacobus votum fecerit, se non comesturum donec viderit Dominum à mortuis resurrexisse. Quarè ipsa die resurrectionis Jacobo præ aliis apparuit Dominus, & deinde rursus eidem serò cum cœteris Apostolis simul, utque voto suo solveretur Jacobus, mandavit Christus mensam poni, acceptumque panem benedixit dicens: Surge! comede! quia filius hominis à mortuis jam surrexit. Quæ omnia consonant verbis *S. Pauli 1. ad Cor. 15. v. 7.* Visus est Jacobo, deinde Apostolis omnibus. Eadem celeritas enituit in apparitione quæ facta est Mariæ Magdalenæ. Dicit enim S. Marcus, tres Marias postridie sabbati venisse ad monumentum cum unguentis, ut sacrum Christi corpus ungerent, sed cum non reperissent, quem Angelo docente, jam resurrexisse audiverunt, aliis in varia distractis, solicitæ Magdalenæ Christus apparuit *Marc. 16. v. 9.* Surgens autem mane prima sabbati, apparuit primo Mariæ Magdalenæ. In quæ verba Cardinalis Cajetanus. Hinc habemus horam resurrectionis Christi fuisse in aurorâ. Hoc mirabile quod Christus in spe-

Christus in resurrectione sua celer.

Sol in resurrectione cursum anticipavit.

S. Jacobus votum fecit se non comesturum nisi viderit Christum resurrexisse.

Christus apparet Magdalenæ.

Resurrectio Christi in aurora. specie hortulani se stiterit Magdalenæ *Joan. 20. v. 15.* nec tamen eum agnovit. Causam hujus dat Origenes *hom. de S. Magdal.* Quia Magdalena tota erat in JESU, & JESUS totus in Magdalena. Verba illius sunt quibus eandem alloquitur; Joseph posuit in monumento corpus tuum, Maria sepelivit ibi pariter Spiritum suum, & ita indissolubiliter junxit, & quodammodo eum univit cum corpore tuo, ut facilius posset separare animam se vivificantem à vivificato corpore suo, quam Spiritum suum te diligentem à defuncto corpore tuo. Concludit deindè; Quid mirum si te nesciebat, quæ non habebat spiritum, quo scire debebat. Redde itaque ei Spiritum suum, quem habet in se corpus tuum, & mox recuperabit sensum suum, & relinquet errorem suum. Non miror proindè, quod eum quem vel ex ipso Crucis titulo Nazarenum & floridum novit, modo hortulanum non agnoscat. O Magdalena redivivus à morte Christus tuus hortulanus apparet, ut terram nostram à maledictione liberam nunc demum in flores feliciter germinandos dispositum, te doceat. Benè omninò exclamat Guericus Abbas, Errabas Maria, quæ eum credebas hortulanum horti hujus pauperis & exigui, in quo sepultus fuit. Hortulanus est cœli, Hortulanus est Ecclesiæ, hortulanus est animæ tuæ. Et hinc credo accidit, ut qui flos campi vocari voluit in horto sepeliri, in horto resurgere, & hortulanus tibi voluerit apparere. Nisi fortè dicamus, ideò Christum Magdalenæ ignotam exhibuisse speciem quia etiam illa se Christum non nosse ostendebat, & quia Christum habebat pro hortulano Christus fingit se illam habere pro ignotâ, adeoque dicit Mulier quid ploras? Non autem vocat Magdalenam. Ubi verò Magdalena Christum agnoscit, & Rabbi vocat, audit etiam à Christo Maria. Pulchrè omninò S. Ambr. Quando non credit mulier est, quando credere incipit Maria vocatur. Unde S. Bern. *serm. 70. in Cant.* Qualem te paraveris DEO, talis apparet DEUS. Cum amante est amans, cum vacante est vacans, solicitus est cum solicito. Mirabile est quod *in prato Spirit.* legitur de quodam qui sic aversus fuit à pauperibus, licet alias variis reluceret virtutibus, ut passim ab hominibus haberetur Sanctus, & magni apud DEUM meriti. Hic postquam diem ultimum obiit, & funus templo illatum fuit, Episcopus sacris operatus, quoties se apud altare vertit & Dominus vobiscum dixit, crucifixi lignei imago, tumbæ super imposita, refixis à Cruce clavis aures obstruxit. Vidit hoc attonitus

Magdalena cum hortulano.

nitus Episcopus, & solicitè in vitam inquisivit, cumque aliud nihil invenireturur, relatum fuit, quod asper fuerit in pauperes, quos ne audiret, domi suæ eleemosynam implorantes, in remotissimo à plateâ, vel portâ domus cubiculo habitavit, ne sic ullam pauperis vocem audiret. Quam verum est illud *Prov. 21. v. 13.* Qui obturat aurem suam ad clamorem pauperum, & ipse clamabit, & non exaudietur. Benè omninò inquit Cajetanus. Is est Dominus, qui talem se exhibet hominibus, quales invenit homines erga se. Quod eleganter confirmat Hugo Carnotensis, *super illa verba Cant. 2.* Ego flos campi. Quærit enim cur se non florem determinatum, sed generaliter campi nominat. Quia namque non uno modo floret in campo Ecclesiæ, sed ut ita dicam rubet in Martyribus, candet in Virginibus, viret in Confessoribus, pallet in pœnitentibus, rutilat in prædicatoribus, in nos se perpetuò transferens nostris coloratur affectibus. Et D. Cyrillus *Catech. 10.* Unicuique varius fit Salvator ad utilitatem. Qui enim indigent recreatione & lætitia illis fit Vinea; qui opus habent, ut ingrediantur, his constituitur ostium, summusque sacerdos habentibus peccata; ut pro ipsis mactetur ovis, & omnibus fit omnia, idem ipse naturâ permanens, qui est. An non hoc clarè videmus *Luc. 24.* factum, quando cum duobus discipulis in Emaus abeuntibus, & ipse peregrinum induit. Peregrinum aliquem pallium, pileus, & baculus constituunt, quibus provisus iter ingreditur. Certè hic peregrinus ornatus Christum non tantum discipulis, sed ipsis etiam cœlestibus spiritibus fecit ignotum; ut de hoc dicant Angeli! Quis est iste? de Discipulis vero dicitur *Luc. 24. v. 16.* Oculi autem eorum tenebantur, ne eum agnoscerent. Quis enim non miretur pallium gloriosæ carnis suæ, de quâ cum incarnatus fuit, dicitur, habitu inventus ut homo. Pileum ipsi imposuit perfidus Judæus coronam spineam, baculo verò velut itineris sui alleviamento sanctissimâ Cruce suâ stipatur. Habent hoc etiam peregrini, ut sibi assumant quædam signa obitæ peregrinationis; Christus Sanctissima vulnera in suâ resurrectione, velut obitæ peregrinationis tesseram servavit. Peregrini dum per viam incedunt, ter quasi in hospitio manere solent, manè in jentaculo vel potius in prandio, à meridiè, quando ardente sole sitis crescit, in cœnâ denique noctu, quando quiescunt. In meridie quasi amoris divini incarnatus est Christus, & tunc in utero Virgineo hospitatus est. à meridie dum in cruce

Crucifixus aures obstruit qua pauperes audire noluit.

Christus flos campi.

Christus fit omnibus omnia.

Christus cum discipulis peregrinis in Emaus.

Christus in terris peregrinus ter in mundo hospitatus est.

cruce siti æstuans torrebatur, ita, ut etiam exclamaret sitio; de nocte in tumulo uti ipse fatetur; Ego dormivi & somnum cœpi. Imo ipsa loquela peregrinum ostendit. Sed quid mirum, cum *Joan.3.v.31.* dicatur: Qui de terrâ est, de terrâ loquitur, qui de cœlo venit, quod vidit & audivit, hoc testatur. Linguarum diversitas nationes discriminat; Sic enim Germanum, Hispanum, aut Italum loquela manifestat. Christum ostendit lingua cœlestis, quid mirum si eum non agnoscerent discipuli, quorum non tantum oculi sed & corda tenebantur, ut meritò Christus illud *ps.58. v. 9.* dicere potuerit: Extraneus factus sum fratribus meis, & peregrinus filiis matris meæ. Neque hoc mirum videri debet, cum S. Paulus *1. ad Cor. 15. v. 47.* dicat; primus homo de terrâ terrenus, secundus homo de cœlo cœlestis. Interim tamen si hi duo discipuli voluissent agnoscere suum Magistrum, alio non indigebant indicio, quam festinationis, adeoque ex mirabili æstu & succurrendi desiderio. Ibant hi discipuli magnis passibus in Emaus, & magis celeri gressu ruebant in diffidentiæ perditionem, & ecce eadem horâ properat peregrinus JEsus, atque à fide fugientes insequitur, errantesque reducit. Quis pastor tam celeriter suas insequitur oves? Quis Dux sic sistit fugitivum militem? Apelles repræsentaturus celeritatem, qua Orbem devicit Alexander, pinxit Alexandrum cum fulmine. Christus fulminis alis ocyor est. Non tamen fulminat, sed infidelitatem suorum exurit *Luc. 24. v. 32.* Nonne cor nostrum ardens erat in nobis? *1. Reg. c.30.* ubi David audivit Amalecitas expilasse Siceleg, & suas duas uxores abductas, festinavit & cæcidit raptores. Et eruit David omnia quæ tulerunt, etiam duas uxores. Ecce duæ animæ discipulorum abripiebantur ab infernali Amalech, accurrit optimus JEsus, easque servavit, & feliciter reduxit *v. 33.* Et surgentes eâdem horâ regressi sunt in Jerusalem. Quærat hic merito aliquis, quomodo oculi eorum tenuit? forte ventus acrior, aut pulvis in oculos injectus? sed ubi Christus, ibi summa est malacia? solet subindè etiam seriò colloquentibus amicus tertius intervenire, qui manu oculos obvelat; sed quis id agat? certè non Christus qui agnosci & videri desiderat; adeoque quis alius id fuerit, quam tenebrarum parens dæmon, qui illorum oculos tenebat diffidentiâ, velabat infidelitate. Ita enim S. Aug. *de conciliis Evang. c. 25.* clarè asserit. Hoc impedimentum in oculis fuit à Sathana. Picinelli *in suis symbol. l. 6. c. 41.* sepiam piscem

Christus peregrinus peregrina loquitur lingua.

Christus ex celeritate in succurrendo nosci potest.

Alexandri celeritatem Apelles in fulmine pinxit.

Christus in Emaus errantes in viam reducit.

Oculi discipulorum tenebantur.

cem ponit, cui hoc lemma adscribit Velamento tutus. S. Greg. Naz. *orat. coram 150. Episcopis* dæmonem sepiæ confert. Sepiæ inquit atramentum exspuunt, quo venantes effugiunt. Est nempe Princeps tenebrarum, adeoque conatur, ut sagittet in obscuro rectos corde, id est instrui volentes. Sed aperti sunt oculi eorum, & agnoverunt eum. Hæc utique unica erat intentio Christi, ut à suâ coecitate quamprimum liberarentur, celerrimè proindè suorum occurrit necessitatibus. *Mat. 8.* Tempestas magna fecit periclitari naviculam in mari; inclamant Apostoli, Domine salva nos, perimus! Tunc surgens imperavit ventis & mari, & facta est tranquillitas magna. Subdit textus: Porro homines mirati sunt. Miratur hoc Verbum *homines*. Origenes, quasi Evangelista non de Apostolis, sed de extraneis loqueretur, cum tamen nullibi alius quispiam, quam discipuli aut Apostoli, adfuisse legantur. Abulensis considerans illa verba Apostolorum. Qualis est hic, quia mare, & venti obediunt ei, dicit Apostolos loqui de Christo tanquam de homine sibi ignoto, atque ideo etiam sic Christum loqui de discipulis, tanquam de extraneis. Verba illius sunt: loquitur de illis Matthæus tanquam de extraneis; quia illi loquuntur de Christo tanquam de extraneo, & ab eis incognito, dicentes: Quis est hic? Non miror jam quod *Cant. 1. v. 13.* comparetur Sponsus botro. Botrus Cypri dilectus meus in vineis Engaddi. Idem tamen *v. 12.* myrrhæ comparatur; fasciculus myrrhæ dilectus meus mihi. Quærit Benedictus Fidelis *in ps. 22.* Quare dilectus rebus adeo disparibus comparetur à sponsa? Sibi ipsi respondet: Si ego amara sum, myrrha videtur; si dulcis, est botrus, quo nihil est dulcius. Pro sumentium meritò eum transmutari vidit, & qui dignis est botrus, myrrha fit indignis, amarus his, illis suavis. Verbo dicam, se DEus nobis accommodat. Ita Christus *Mat. 26.* sanando cœcum se fidei illius accommodat. Inunxit illi Christus oculos, & interrogavit eum, si quid videret? respondit cœcus. Video homines sicut arbores ambulantes. Ubi verò Christus rursus imposuit illi manus, ita eum restituit ut clare videret omnia. Pulchrè Cajetanus, & in hoc miraculo hoc singulare, quod JEsus cœco paulatim visum restituit, primò imperfectè, deindè perfectè. Ut intelligeremus, quantus erat defectus fidei alienæ; Concludit augmentum promeruit sanitatis. Et hinc Nyssenus DEum cum speculo comparat. DEus inquit est speculum benignitatis divinæ. Si stans quis ante spe-

Dæmon sepia est.

Apostoli de Christo loquuntur tanquam extraneo. Sic Christus de illis.

DEus se nobis accommodat.

Christus se cœco accommodat.

DEus est speculum.

speculum manum claudit, etiam ipsam speculum DEus manum claudit, si manum aperis, etiam DEus speculum manum suam aperiet. Confirmat hoc S. Aug. *l. 1. Incarnat. in Man. c. 24.* Sicut in speculo, omnibus motibus atque omnibus actibus, prout is qui speculum intuetur, movetur & agit, iisdem ipsis etiam imago, quæ per speculum formatur actibus & motibus commovetur & agit: Ita etiam DEus; Qualis apparueris DEO, talis oportet ut appareat tibi DEus. Experti sunt hoc duo filii Zebedæi *Mat. 20.* ubi mater filiorum Zebedæi petit à Christo, Dic ut sedeant hi filii mei unus ad dexteram, & alter ad sinistram in regno tuo. Respondit Christus; Non est meum dare vobis, sed quibus paratum est à Patre meo. Obsecro Domine quomodo hoc intelligam? numquid enim apud *Joan. c. 13. v. 1.* clarè habetur; Sciens quia omnia dedit ei pater in manus. Cur ergo remittitur mater ad Patrem? Respondet *Cajetanus l. 11.* Quid mirum quod ad Patrem remittantur, quando ipsi non aliter accedunt ad JEsum, nisi per Matrem. Is ergo est Dominus, qui talem se exhibet omnibus hominibus, quales invenit homines erga se. Egregiè proindè S. Bern. hanc liberalem DEI erga nos charitatem docet, dum omnibus omnia factum se esse ostendit. Si vulnus inquit curare desideras, medicus est; si febribus æstuas, fons est; si gravaris iniquitate, Justitia est; si auxilio indiges, virtus est; si mortem times, vita est; si cœlum desideras, via est; si tenebras fugis, lux est; si alimentum quæris, cibus est; Gustate igitur, & videte, quia suavis est Dominus. Ut merito exclamem cum Gilberto Abbate *serm. 18. in Cant.* Quantum placet? qui placere satis non potest.

Christus est omnibus omnia.

Non otiosè quærit S. Chrysost. cum reversis ex Emaus discipulis, dum narrant aliis quæ gesta erant in viâ *Luc. 24. v. 35.* Et quomodo cognoverunt eum in fractione panis, statim subjungatur *v. 36.* Dum autem hæc loquuntur, JEsus stetit in medio eorum. Joannes vero *c. 20. v. 19.* dicit: Cum ergo serò esset die illo una sabbatorum. Quærit inquam cur Christus apparuerit serò, & non prius? cum tamen tam tenerè discipulos suos amabat. Respondet ipse, de die non venit, ut omnes congregarentur, valdè enim timebant. Scilicet è re omnium fuit, tam gaudiosa apparitio. Ut ergo cuncti illâ fruerentur, datâ operâ Christus ad vesperum venit; neque enim ante illam seri temporis horam convenerunt discipuli, ut communis esse posset omnium de redivivo Magistro suo lætitia. Est enim certa illa

Christus resurgens Sero venit, ut omnes simul essent.

S. Co-

S. Cœlestini Papæ sententia: Omnes debent nosse, quod agitur, quoties omnium causa tractatur. Nissenus tamen putat, quod metus Judæorum omnes Apostolos coëgerit in unum, qui simul erant inclusi. Cum clarè dicat textus apud Joannem; Et fores erant clausæ, ubi erant discipuli congregati, propter metum Judæorum. Cum ecce sub vesperum adfuit JESUS, & se illis manifestum exhibuit. Stetitque in medio eorum, & dixit eis, pax vobis, & simul ostendit eis manus & latus. Quo viso gavisi sunt discipuli. Sed dum hæc fiunt abfuit Thomas, cui reverso dixerunt alii. Vidimus Dominum. Tristatus Thomas, plane in profundam incredulitatem delapsus est. Cujus tamen misertus Christus, post octo rursus dies discipulos suâ præsentiâ recreavit; Thomam verò ab infidelitate penitùs eliberavit. Infer digitum tuum huc, & vide manus meas. Et affer manum tuam, & mitte in latus meum, & noli esse incredulus, sed fidelis. Gaudentius Brixinensis *serm. 17.* miratur humanitatem Christi erga suum discipulum. Apparuit inquam secundo Apostolis, ut Thomæ desiderium adimpleret; nam detrimenta prioris aspectus, visu pariter & attactu compensat. Hinc vides, quam bonum Dominum habemus, cujus tantum est satisfaciendi omnibus desiderium, qui Thomæ sese reddidit non tantum spectandum, sed etiam contrectandum. O felicem manum S. Thomæ, quæ dominici pectoris sacrarium rimata est. Ab illo arcana cœlestia hausit S. Joannes dormiendo; S. Thomas vigilando & scrutando. O quanta hæc est sapientiæ palæstra! ex quâ subito emergunt tales palestritæ. Evolat inde velut Aquila S. Joannes, & arcana illa mysteria tractavit, quæ hactenus orbi ignota divinæ generationis dictaverunt mysterium. In principio erat Verbum. Thomas radio divinæ Veritatis irradiatus, simul incarnationem, & DEum uno intuitu complexus, docet; Dominus meus, & DEus meus. Hominem palpat, & DEum vocat. Vulnera Crucifixi intuetur, & divinatem humanitati conjunctam profitetur. O quam apertè & nudè Christum vocat DEum. Eleganter S. Ambr. *in c. ult. Luc.* de D. Thoma sic loquitur. Tactu suo debuit me docere. Exaltavit quidem S. Gertrudis *in revel. l. 5. c. 13.* quod eidem tota cœlestis arca scilicet cor JEsu Christi fuerit reseratum, excipit tamen unam clausuram, quæ eidem non patuit, quæque tantum reservatur illis, qui sic diligunt DEum in terris, ut quæ bona sciunt de DEO, eadem toti mundo patefaciant. Quod utique tali-

Nissenus putat ob timorem discipulorum sero venisse.

Christus de Thoma felicitus.

Thomas palpat Christi vulnera.

Gertrudes cor Christi vidit.

 bus

bus præparatur, sicut fuit S. Thomas, qui in altissimæ divinitatis incarnatæ, & divinæ humanitatis adytum admissus, tantum profecit, ut ea statim orbi universo mandaverit, & fidem suam præ cœteris Apostolis in nobis stabiliendo confirmarit. Hinc D. August. *super illa verba : Nisi videro. serm. 156. de Temp.* ait : In his Apostoli verbis, mundi utilitas agebatur, & unius interrogatio, veritatis est restauratio. Adeò ut infidelitas Thomæ ejusque incredulitas, nobis plus contulerit, quam viva fides & prædicatio Apostolorum. Sic enim S. Bonav. *de S. Thoma* ut verbis utar S. Gregorii inquit : Numquid casu gestum esse credimus, ut electus ille discipulus, quando ad discipulos ingressus est Dominus, deesset ? sed post veniens aliis referentibus audiret, audiens dubitaret, dubitans palparet, palpans crederet ? Non hoc casu, sed divinâ dispensatione gestum est, agit namque miro modo superna clementia, ut discipulus dubitans, dum in Magistro suo vulnera palparet carnis, in nobis sanaret vulnera infidelitatis ; adeoque verum est, plus nobis contulit Thomæ infidelitas, quam fides & prædicatio Apostolorum.

Thomæ incredulitas plus prodest quam fides Apostolorum.

Neque est quod terreamur à Vulneribus gloriosi Salvatoris, quæ *Joan. 20. v. 20.* discipulis exhibet. Ostendit eis manus & latus. Quia priusquam hæc illis ostenderet, pacem precatus est dicens: Pax vobis. Adeoque visis vulneribus benè subjungitur ; Gavisi sunt ergo discipuli. Ut sciamus hæc vulnera Salvatoris manifestum esse indicium, quod Pacem apud Patrem obtinuerit nobis, armis utique suæ passionis, & ideo comparens discipulis, eodem momento pacem obtulit & vulnera ostendit, scilicet causam cum suo effectu, cum armis victoriam, pugnam cum spoliis, cum pace vulnera. Christo nato olivæ seu pacis ramus ab Angelis illatus est terris, quia tunc loqui non poterat infans Christus. In gloriosâ suâ resurrectione, ab ipso pacis authore Christo, ipsi Apostolorum medio denuo est implantatus. Multo minus metuamus ab his vulnerum cicatricibus latentem illatæ injuriæ vindictam, ubi enim pax tam sacrosancta promulgatur, præterita omnia silentio involvuntur, & certa est oblivio omnis prioris offensæ. Fridericus Aragoniæ Rex. Neapoli, quæ Urbs prius gravissimis seditionibus & tumultibus turbabatur, pace tamen cum civibus compositâ, pro Symbolo accepit librum rationarium Mercatorum in quo annum pingi curavit 1495. cum hac Epigraphe: Recedant vetera, Redivivus à sepulchro Christus inclamat: Rece-

Vulnera sunt pacis argumentum.

Pax in nativitate & resurrectione annunciatur.

Fridericus Aragoniæ Rex injuriarum immemor.

Recedant vetera, & pacem annunciat, Pax vobis? Quæres & fortè non otiosè cur Christus non æque vulnera & plagas in flagellatione aut coronatione inflicta retinuerit? licet retinuerit vulnera in Cruce accepta? Causam ego aliam non puto, nisi quia in prioribus illis vulneribus non legimus intercessisse actum condonationis, qui tamen in cruce expresse & emphatice expressus fuit, quãdo ad Patrem conversus tam amanter pro inimicis suis eundem est deprecatus dicens: Pater dimittte illis, quia nesciunt, quid faciunt. Unde quia illis tam manifestè condonavit, has servavit vulnerum suorum in cruce acceptorum cicatrices. Dum ergo, per negativam quærit David. Numquid in æternum irascetur, aut in æternum comminabitur? affirmativè respondet Campensis dicens, memoria quidem non retinebit injurias, quibus illum tam graviter affecimus, sed vulnera. Et vero si considero verba illa S. Aug. *l. 22. de Civ. DEI c. 20.* Nescio quomodo sic afficiamur, amore Beatorum Martyrum, ut velimus in illo regno in eorum corporibus, videre vulnerum cicatrices, quæ pro Christi nomine pertulerunt. Non enim deformitas sed dignitas in eis erit, & quædam quamvis in corpore, non corporis sed virtutis pulchritudo fulgebit. Quam ego hoc potiori jure dixero de pretiosis vulneribus Christi, quæ incredibilis splendor gloriæ ornabit. Quandoquidem quod olim acclamatum est Catoni, quod de fortissimis ejus vulneribus plus gloriæ fluxerit, quam sanguinis, hoc in omnem æternitatem cœlestis acclamabit curia, & semper humillimâ veneratione accinet, quod omnis gloria & felicitas nostra, ab his vulneribus promanaverit. Non miror ego jam Constantinum Magnum effossos Sanctorum Episcoporum oculos in Concilio Nicœno piè ac venerabundè exosculatum esse; pro certo persuasus ut ait Theodoretus, osculo se indè benedictionem hausturum. Quam nos benedictionem? quæ cordis optata solatia in vulneribus Christi capiemus? si illa humillimâ veneratione, non tantum ore nostro & labiis, sed toto corde basiaverimus? si toto cordis affectu fuerimus exosculati. Joannes Rex Lusitaniæ exobjectâ sibi cœlitus parmula, quæ quinque sanctissimis Christi vulneribus fuit exornata, tantum affectum & reverentiam erga Sacratissima Christi vulnera concepit, ut votum solenne fecerit, quod quidquid interpositis his Sacratissimis Christi vulneribus fuerit petitum, nunquam ulli hominum velit negare. Die Veneris Sancto ad templum eunti,

Christus solum, retinet vulnera in Cruce.

Christi vulnera in cœlo gloriosa.

Catonis vulnera gloriam habent.

Constantinus Magnus Oculos effossos Episcoporũ osculatur.

Joannes Rex Lusitaniæ nihil negat per vulnera Christi petenti.

Et quæ hydriæ vasculum amiserat, Christi plenitudinem & thesaurum cœlestis scientiæ reportabat. Graviter proindè S. Hier. *Ep. 140. ad Principiam* instat. Sacerdotes & Pharisæi Viri crucifigunt filium DEI; Maria Magdalena plorat ad crucem, unguenta parat, quærit in tumulo, hortulanum interrogat, Dominum recognoscit, pergit ad Apostolos, repertum nunciat. Illi dubitant, ista confitetur & confidit. Causas porro hujus Legationis quæ fœminis concredita fuit, dum S. Th. assignat, inquit, quia per mulierem mors nunciata est, sic per mulierem vita resurgens. Additur & Petro; ut quem fœmina fecerat negare, fœmina faceret confiteri. Pulchrè S. August. *serm. 35. de Temp.* Festo resurrectionis benigna dispositio Domini nostri JEsu Christi egit, ut primum fœmineus sexus illum resurrexisse nunciaret; quia per sexum fœmineum cecidit homo, per sexum fœmineum reparatus est homo. Quia ergo Christum Virgo pepererat, & fœmina resurrexisse nunciabat, per fœminam mors, per fœminam vita. Momingo *in sua Conc. in festo Paschatis* plures assignat causas, cur Christus resurgens primo apparuerit Magdalenæ, & aliis fœminis, quia nimirum devotione præcellunt Viros, quod ipsa Ecclesia agnoscit, quando eis dat prædicatum devoti fœminei sexus. Altera causa esse potest, quia constanti obsequio suo, & mortuo & vivo Christo ministrarunt. Non sic Apostoli Viri, qui ob metum Judæorum fugerunt, & se occluserunt. Præcipua tamen causa videri potest, quod per illas vel maximè grande resurrectionis opus evulgari posset. Quid enim muliere loquacius? S. Vincentius Ferrerius plurimis miraculis illustris, cum variis mutis loquelam felicissimè restituisset, ubi tamen ei adducta fuit mulier muta, eam propter garrulitatis periculum sanare non voluit. Quid magis vulgare est, quam illa de Papirio Romano cum Matre divulgata fabula? Cui non absimile est illud, quod cum iisdem Senatoribus Romanis accidisse memoratur, cum enim præter morem, diu de re monenti majoris deliberassent Patres, & per dies aliquot solito longius consultassent, sic ut maritus sæpius ad prandium tardius rediret; Uxor variis blandiciis à marito causam deliberationis postulavit. Luctabatur diu maritus, sed importunitate Uxoris tandem victus, fabulam uxori contexuit, silentium autem sanctum ab illâ postulavit. Nihil uxore taciturnum magis, quam diu maritus eam adjuravit. Res itaque inquit à Sacerdotibus & auguribus ad nos delata est, quod cassita alauda visa

Fœmina mortis causa fuit, fuit & nuncia vitæ resurgentis.

Fœminæ garrulæ resurrectionem evulgant.

Papirius matrem garrulam ostendit.

fit

Alauda cassita Romæ fabula per fœminas divulgatur.

st in aëre, cum galeâ aureâ & hastâ ; Quæritur modo an boni an mali ominis sit res ista ? Tu vero inquit Uxori maritus, secretum serva, ne cum grandi nostro damno Senatus nostri secretum reveletur. Vix abiit maritus, & Domina ancillam evocat, eamque interrogat an illam alaudam non vidisset, vel aliquid de illâ in foro audivisset? negat illa. At ubi in forum prodiit, obvios quosque de illâ alaudâ interrogat. Fabula hæc brevi totâ Urbe diffusa ad ipsum Senatum perlata est. Hic ubi Patres Conscripti de fabulâ inquirunt, maritus rem totam aperuit, & risum largum movit. Interim tamen quasi digustatus esset domum revertitur, seque exilio damnatum fingit, atque iter se meditari simulat, eo quod uxor sibi concreditum secretum evulgaverit. Cum verò uxor reponeret plures quam trecentos esse, qui de hac re vel in foro loquantur. Enimvero inquit maritus, hoc tuæ garrulæ linguæ est vitium ; quæ hanc lepidam fabulam, tam cito inter tot homines diffudit. Quæ verò hujus garrulitatis causa sit, non æque conveniunt authores. Ego ideo fœminas præ Viris loquaces credo, quia à naturâ streperam aliquam traxerunt qualitatem. Cum enim Vir ex limo, fœmina vero ex osse & costâ fabricata sit, quid mirum ? si fœmina statim osseo suo strepitu audiatur, viri verò limoso silentio obmutescant. Sic enim experientiâ videmus si saccus aliquis diversis limi partibus repleatur, vel certe repletus effundatur, nullus audietur strepitus, nullus fragor personabit. At si saccum ossibus repleas, eumque agites vel effundas, quis fragor intonabit ? quis tumultus exaudietur ? Quid obsecro conventus mulierum, quam saccus ossium, nam si conveniunt subito fragor & confabulantium muliercularum audietur tumultus. Hoc quidem nativitatis est vitium, habent tamen in hac ipsâ sui creatione ex costâ privilegium, quod viris non est concessum. Quantumcunque enim limum laveris, semper tamen aquam turbabis. Ossa si semel depuraveris, retinebunt sibi inditum candorem, nec aquam ullâ maculâ inficient aut turbabunt. Sic planè cum viris accidit, qui quantumvis laboriosè se laverint, aquam tamen toties de novo turbabunt, quoties de novo se lavare tentaverint. Quod fœminis non accidit, quæ ubi semel sordes manuum bene abluerint, aquam, quâ se lavant, amplius non turbabunt. Neque hoc mirum est, quia vir ex limo, mulier ex costâ est procreata. Ut nulli proindè aptius resurrectionis gloriosæ fama divulganda committi potuerit quam fœminis, quæ ingenti

Fœminæ ex osse factæ, clamosæ.

Mulier manus ad purum depurabit, Vir semper turbabit.

genti cum celeritate, per totam Hierosolymam Christum resurrexisse disseminarunt, & quod illis ab Angelis commissum est dicite! fideliter divulgarunt.

Fœmina fideliter divulgant resurrectionem.

Mirabile etiam in hac gloriosâ Christi anastasi illud accidit, quod *Luc. 24. v. 30.* dicitur. Et factum est cum recumberet cum eis, accepit panem, & benedixit ac fregit, & porrigebat illis. Et statim subditur. Et aperti sunt oculi eorum, & agnoverunt eum. Lyranus putat Christum facientem crucem super panem, ostendisse vulnera sua, & cum illâ cruce, æque ac cultro aliquo discidisse panem, sicque ab Apostolis fuisse agnitum. Durandus observat *in suo rationali bibliorum*, Christum in Emaus fregisse panem, sed non comedisse, & ideo eum agnoverunt, scilicet ex eo, quod indigentiæ eorum succurrerit. Est enim speciale divinæ providentiæ attributum, ex quo discipuli manifestum fecerunt divinitatis argumentum. Ubi tamen omnibus discipulis simul apparuit, piscem ei attulerunt, quem in testimonium suæ resurrectionis comedit *Luc. 24. v. 42.* At illi obtulerunt illi partem piscis assi. Quando Job rediit ad priorem suã fortunam, venerunt ad eum fratres & qui noverunt eum, & comederunt cum eo panem in domo ejus. Benè etiam Christus noster, non quidem convivio regio, paupere tamen excipitur ab Apostolis. Nec ipse cum Jobo in eo est comparandus, quod amicos vel discipulos suos tractasset, sed sicut cum Jobo epulati sunt amici, ita Christus epulatus est cum Discipulis. Accepit autem partem piscis. An non decuisset tam mirando hospiti integrum dare piscem? Inurbanum enim est amico nobili apponere, quod alius reliquit. Neque est ista tractatio paschalis, quia pro quadragesimâ pisces deputantur. Non est tamen exiguus honor piscibus, quod primi in dapem Christo glorioso cesserint. Nam ut benè observat S. Aug. *serm. 134. de Temp.* Pisces primi benedictionem meruerunt, quando mundus creatus est. Sic pariter quando mundus per Christi resurrectionem est recreatus, primi etiam benedictionem pisces acceperunt. Undè hanc piam in Ecclesiam consuetudinem dimanasse puto, ut in die paschatis panis & ova aliaque comestibilia benedicantur. Neque enim hoc est á Christi doctrinâ alienum, cum videamus sæpius in Evangelio Christum benedixisse panem & pisces. Sic enim benedixit panem & pisces *Mat. 14. v. 19.* Aspiciens in cœlum benedixit ac fregit, & sic turbam pavit ultra quinque millia numerosam. Quod *Marc. 6. v. 41.* & *Luc. 9. v. 61.*

Christus ex solicita in suos providentia agnoscitur à discipulis.

Pisces cibus gloriosi Christi.

In paschate benedictio esculentorum.

ARTICULUS VI.

Ascendit ad cœlos, sedet ad dexteram DEI Patris omnipotentis.

DISCURSUS XXVII.

Qui ascendit, sedet ad dexteram DEI Patris omnipotentis.

BAronius anno Christi 681. narrat accidisse, quod eadem horâ, qua auxilio Cleri Romani, ex sexta synodo exesse jussi sunt hæretici Macarius Episcopus Antiochenus, & Stephanus ejus discipulus, quod inquam omnes aranearum telæ in medio populi ab alto deciderint. Ut omnes clare intelligerent, à domo DEI omnes detersas esse Sordes, & hæreticorum fraudulenta Sophismata velut aranearum telas esse dissipata. Et verò quis non Calvinum aranearum telas texere asserat, cum tropos & figuras fingit in Scriptura, ubi sacer codex, nudè planè de tanto fidei nostræ loquitur mysterio. Quid enim clarius de verâ & reali ascensione in cœlum dici potest, quam quod *Marcus c. 16. v. 19.* dicit: Et Dominus quidem JEsus, postquam locutus est eis, assumptus est in cœlum, & sedet à dextris DEI. Nisi fortè metaphoram somniabis in eo? quod dicat, quia locutus est. Quid magis à tropo alienum quam quod *Luc. 24. v. 51.* dicitur: Et factum est, dum benediceret illis, recessit ab eis, & ferebatur in cœlum. Ubi certè nec benedictio, nec recessus, atque adeò nec in cœlum elatio tropum ullum spirat aut figuram. Certè *Act. 1. v. 9.* Verba illa: Et cum hœc dixisset, videntibus illis elevatus est, & nubes suscepit eum, ab oculis eorum. Verba inquam hæc nudam rei historiam oculis Apostolicis conspe-

Hæreticorum fraudes sunt telæ aranearum.

ctam, sic referunt, ut omnem larvam metaphoræ, sibi à Calvino impositæ detrahant. Profectò si primi Christiani imò & ipse Simon Magus, de reali ascensu Christi dubium aliquod habuissent, nunquam in conspectu Urbis & Orbis Romani controversiam cœpissent de paritate divinitatis, quam quia affectavit Simon Magus, & demonstrare volebat coram Nerone in Circo publico Romæ, decrevit, statuitque diem Solis, quo Magicis suis artibus confisus Simon, S. Petro condixit, se ad annihilandam Christi divinitatem, in cœlum suamet virtute ascensurum. Aderat ergo in diem Solis condictam cum infinitâ hominum multitudine Nero Imperator, cum ecce pridiano jejunio exhaustus S. Petrus orationi intentus, DEum instanter oravit, ut veritati Christianæ assisteret, & turpissimas dæmonis imposturas confunderet ac dissiparet. Adfuit autem Ecclesiæ suæ fidelis DEus, & ubi affectatâ majestate divinâ, prodiit superbus Simon Magus, jam Cæsari valedicturus cœlum scandere paravit, postquam Sathanicis incantationibus suis funem infernalem imploravit, à terrâ aliquantum elevatus, aërem calcare quidem cœpit, sed inspectante universâ Româ & omni populo Christiano in ipso aëre mirabiliter gladio cœlestis vindictæ percussus, & à fugato per Angelum Lucifero desertus, rursus in terram delapsus cervicem non fregit aut comminuit, sed pedes ita contrivit, ut qui anteà volare aquilæ instar volebat, & radios divinæ majestatis exæquare, nec pedes incedere, sed fœdè ad ludibrium universi populi cogeretur claudicare. Quod non sine ingenioso sarcasmo S. Maximus Episcopus notavit, qui *homil. 5. de SS. Petro & Paulo* dicit: Tunc igitur Petrus velut vinctum illum de sublimi aëre deposuit, & quodam præcipitio in saxo elidens, ejus Crura confregit. Et hoc in opprobrium facti illius, ut qui paulo ante volare tentaverat, subitò ambulare non posset, & qui pennas assumpserat, plantas amitteret. I nunc Calvine & ex lapsu reali Simonis Magi Magistri tui, metire veritatem ascendentis Christi, qui non angelico auxilio aut nubium, sed suamet divinâ virtute, se supra omnia humana extulit & elevavit. Unde ut tanto firmius in hoc articulo fidei procedamus, juxta historicam relationem progrediemur, ex cujus manifesto contextu necessario resultat, ut nisi vesanus sis, cum Calvino, sanus certè nunquam Christum in cœlos reverâ ascendisse negare ausis.

Simon Magus verè & non metaphoricè voluit ascendere.

Simon Magus ex aëre delapsus.

Simon Magus volare volens, labitur & claudicat.

Quidam ex Verbis *Luc. Act. 1. v. 12.* inter quos fuit ipse S. Chrysostomus

sostomus putabant Christum cœlos ascendisse die Sabbati, quia dicitur Apostolos die Ascensionis ex monte Olivarum reversos esse, qui mons est juxtà Jerusalem, sabbati habens iter. Ex quo intulerunt, cum hic fiat mentio sabbati, quod Christus eadem die cœlum ascenderit. Sed convenientius longe est dicere, Christum ascendisse quadragesimo à resurrectione die, quæ juxta legitimam calculationem incidit in feriam Quintam. Unde Durandus *l. 4. c. 6.* ait primitiva Ecclesia observabat diem Dominicam solemnè ut modo, sed & observabat feriam quintam, & hanc quidem ob ascensionis memoriam, illam autem ob resurrectionis obsequium. Multiplicatis deinde Sanctorum festivitatibus, sublata est festivitas quintæ feriæ, de quo fusè tractat Lorinus *in c. 1. Act.* Et quia eadem feria quinta anno illo, quo passus est Christus, incidit in quintam Maji, nempè amœnissimi mensis totius anni, qui dum à florum vernantium amœnitate & fragrantiâ, ab arborum frondiumque suavissimo virore, ad incredibilem animum evocat lætitiam, ostendit non sine causâ in amœnissimum anni tempus Christum hunc suum in cœlos adornasse ascensum. Et verò qui Nazarenus est, & flos de radice Jesse, imo vel suo testimonio Flos Campi *Cant. 2. v. 1.* nunquam suavius se potuit æterno Patri suo præsentare, quam in ipso florido tempore, quo omnis terra flores fundit. Pulchrè observat S. Bern. *serm. 48. in Cant.* Non flos horti dicit, sed Campi. Cur obsecro? Quia in horto flos clauditur, qui in campo exponitur. Experientia certè docet, quod flos licet succisus odorem suum servet, & contritus accumulet, nec avulsus amittat. Ita & Dominus JEsus, in illo patibulo Crucis, nec contritus emarcuit, nec avulsus evanuit, sed illâ lanceæ punctione succisus, speciosior fusi cruoris sacro colore vernavit, mori ipse nesciens, & mortuis vitæ munus exhalans. Observant autem bene SS. PP. Christum non voluisse nasci in civitate in quâ portæ occluduntur, non in arce munitâ quæ pontes & portas habet, sed in stabulo aperto & portâ omni carente, ut omnibus ad se accessum daret. Eandem ob causam voluit mori in Jerusalem, sed ut ait Paulus *ad Hebr. 13. v. 12.* Extra portam passus est, ut qui pro omnibus mortem subierat, nulli quoque in accessu suo esset difficilis. Ego flos campi inquit Christus. Sicut enim flos campi omnibus patet, ita *1. ad Tim. 2. v. 4.* vult omnes salvos fieri, & in agnitionem suæ veritatis venire. O quam pretiosus fuerit flos iste primus cœlo illatus? quantâ fragrantiâ

Christus die Jovis 5. Maji cœlum ascendit.

Olim dies Jovis festus fuit.

Christus in vere resurrexit.

Christus flos campi publicum amat.

cœlum omne repleverit ? quem tanto studio plantavit Spiritus Sanctus, ipsa suavissima Mater peperit, & educavit. Habemus nunc mensem, habemus etiam diem, superest ut etiam horam investigemus. Et quidem Marcus *c. 16. v. 14.* clarè dicit novissimè accumbentibus illis undecim apparuit, & post sermonem cum illis habitum eduxit illos in Bethaniam, & inde in Olivetum vicinum, ubi deinde Assumptus fuit. Ex quo inferunt non sine rationabili fundamento SS. PP. quod Christus unâ circiter horâ post meridiem assumptus fuerit. Confirmat hoc S. Aug. *super verba ps. 54.* Vespere & mane & meridie narrabo & annunciabo. Vespere inquit Dominus in Cruce, manè in resurrectione, meridie in Ascensione. Sol in meridiano tempore cœli culmina tenet. Justitiæ Sol eodem instanti temporis verticem cœli Empyrei tenebat. Post meridiem Adam expulsus est ex paradyso, *Gen. 3. v. 8.* quando DEus ambulavit post meridiem; post meridiem JEsus paradysum cœlestem est ingressus; Adæ & posteris ejus viam ad cœlum aperuit, & ostendit, non posse esse securiorem viam, quam si conversio non differatur ad occasum.

Christus paulo post meridiem ascendit.

Quià vero ex occasione prandii, ad horam & tempus ascensionis deflexImus, non otiosè contemplabimur, quid in illâ mensâ colloquii fuerit. *Marc. c. 16. v. 14.* Invectivam ponit. Et exprobravit incredulitatem eorum, & duritiam cordis, quia iis qui viderant eum resurrexisse non crediderunt. Lucas tamen *c. 24. v. 46.* mitiorem amantissimi Magistri valedicentis orationem ostendit dicens, & dixit eis: Quoniam sic scriptum est, & sic oportebat Christum pati & resurgere à mortuis tertia die, & prædicari in nomine ejus pœnitentiam, & remissionem peccatorum in omnes gentes incipientibus ab Hierosolyma. Posterior hæc Christi resurgentis parænesis, monet me illius *Cant. 4. v. 6.* Vadam ad montem myrrhæ, & collem thuris, ubi mihi occurrit, quod inter munera, quæ Christo à regibus oblata sunt, myrrha fuerit & thus, Myrrha designabat hominem moriturum, Thus DEum gloriosum. Mons myrrhæ fuit ejus passio, sed ab hoc monte transiit ad collem thuris, gloriæ nimirum & honoris, dicente S. Greg Nyss. à monte myrrhæ transivit Christus ad montem thuris & honoris. Ideoque Paulus dixit: Propter quod & DEus exaltavit illum, & dedit illi nomen, quod est super omne nomen. Ut in nomine ejus omne genu flectatur. Mors Crucis myrrha, genuflexio thus. Mira reperitur apud S. Joannem subordinatio,

Colloquiũ Christi ante ascensionem.

Ex monte myrrhæ, transitur ad collem thuris.

tio, postquam enim refert Evangelista, quomodo sanatus sit ille ad piscinam paralyticus, subdit textus; post hæc abiit trans mare & paulo post dicit: Subiit ergo in montem. Mirabilis videri posset hæc consequentia. Rupertus tamen Abbas *l. 6. in Joan.* probat hanc consequentiam esse bonam. Quia inquit trans mare abiit, idcirco in montem subiit. Quia videlicet propter hoc exaltavit illum DEus, quia pro nobis factus est obediens usque ad mortem crucis. Et ideo exaltavit caput, quia de torrente in viâ bibit. *Cant. 3.* describitur majestas throni Salomoniaci. Ferculum fecit sibi Rex Salomon, reclinatorium fecit aureum, ascensum purpureum; nimirum per passionis suæ purpuram, gloriam sibi est adeptus majestatis *1. Mach. 10.* Misit Alexander Rex Jonathæ in signum amicitiæ purpuram & coronam auream. Ita Pater æternus Filio suo dicente Tertull. *l. de Coro. milit.* Non prius Rex gloriæ salutatur Christus, quam Rex Judæorum proscriptus est. Misit utique purpuram & Coronam auream, sed post passionem. Undè etiam portæ attolli jubentur, vel ut alii dicunt ex cardinibus emoveri. Olim triumphantibus Romanis novi per mœnia facti sunt aditus. Benè S. Hier. *Ep. 27.* Levari jubentur portæ, & in sublime erigi, siquidem ob victoriam Crucis major regreditur, ad cœlos, quam ad terram venerat. Idem sentit Greg. Naz. *orat. 42.* Dicunt Angeli, ut attollantur & sublimes fiant, ut à passione sublimiorem Christum capiant. Hanc sublimitatem dixi emanasse ex eo, quia factus est pro nobis obediens usque ad mortem Crucis. Et hinc *Luc. 24. v. 50.* dicitur: Eduxit autem eos foras in Bethaniam. Quærit S. Bern. *ad mil. c. 13.* Cur Christus cœlum ascensurus eduxerit discipulos suos in Bethaniam, Et paulo post subdit textus. Et elevatis manibus suis benedixit eis, & ferebatur in cœlum. Cur non ex cœnaculo, ubi institutum est sanctissimum Sacramentum? cur non ex Bethlehem nativitatis loco? cur non ex monte Calvariæ, redemptionis nostræ statione? Cur non ex Jordane principio nostræ instructionis? Cur inquam exindè non ascendit? Origenes *tract. 25. in Mat.* Oportebat hæc omnia fieri in Bethania quæ interpretatur Obedientia. Quia ut inquit S. Bern. nec studium bonæ actionis, nec otium sanctæ contemplationis, nec lachrymæ pœnitentiæ extra Bethaniam, scilicet extra Obedientiam DEO accepta esse possunt. Undè benè B. David *in formand. Nov. c. 3.* inquit ô sancta DEI sponsa obedientia! Tu profectò scala es, quâ

Passio Christi est gradus ad gloriam.

Christo glorioso portæ attolluntur.

quâ cœlum ascenditur. Tu quadriga quâ Elias vectus est in paradysum. Si proindè cum Christo cœlum ascendere volumus, eamus in Bethaniam, in domum Obedientiæ. Ubi valedixisse censendus est, quia locus is ita Hierosolymis vicinus est, ut indè urbis plateæ conspici possint, ita testante Eusebio *l. 3. de vita Constantin.* Ibi enim expectabat mater JEsu, cum omni Sanctarum mulierum, & reliquorum discipulorum copiâ, qui Magistri sui abitum majori longè ardore, quam unquam Elisæus Eliæ abitum præstolabantur. Sic enim Pater abiturus peregrè, filios suos & domum omnem convocat, eisque vale dicit, atque sæpe in sui memoriam aliqua dona offert. Sic legimus quod Jacob Patriarcha moriturus *Genes. 48.* vocavit filios suos, quibus vale dixit & benedictionem impertivit. Sic Jacobum imitatus est Josue, qui moriturus convocato populo dixit; En ego hodie ingredior viam universæ terræ, & recensitis beneficiis divinis populum ad DEI cultum hortatus est. Christus in ascensione suâ longum iter facturus, idem plane fecit, quando discipulis suis valedixit & gratiam suam illis promisit. Petite & accipietis. Magna DEI erga nos est beneficentia, quia DEus non solum rogari vult, sed etiam affligitur, si non petamus. Apud homines quot memorialia, quot supplicationes debemus sæpè porrigere, & vix responsum futuri promissi obtinemus. Apud Christum non solum non repudiatur nostra petitio, sed etiam offertur ampla accipiendi occasio, quando se quasi juramento obstringit DEus: Amen! amen dico vobis, Quidquid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis. Petite & accipietis. Quo verò affectu valedixerit amantissimæ Matri suæ, quis verbis exprimat? S. Lucas compendiosè id describit, & elevatis manibus suis benedixit eis. Et factum est dum benediceret illis recessit ab eis. O quam difficilis fuerit recessus iste! Cum enim Christus in horto ad orationem à discipulis recessisse dicitur, ponitur avulsus est ab eis, quantum jactus est lapidis. Jansenius Episcopus Gandavensis *in c. 23. Luc.* Notatu inquit non indignum quod Lucas dicat: Dominum non recessisse à suis, sed avulsum. Hoc enim significat illum ægrè recessisse ab eis, sive propter suum erga illos amorem, qui fecit, ut cum difficultate amicus ab amico discedat; sive etiam ob animi mœrorem, quo naturaliter fit ut adhæreamus amicis, à quorum consuetudine aliquid solatii accipimus. Non enim vel amor, vel potius mœror eum patiebatur longè divelli. Unde Paulus de Palatio

Obedientia est scala cœli.

Morientes & peregrè euntes valedicunt suis, quidni JEsus?

DEus affligitur si non petamus.

Christus ægrè separatur à Matre & discipulis.

latio *in Mat.* Divelli non potest amicus ab eo, quem amat; quomodo divelli posset Christus ab hominum consortio. Videtur hoc insinuasse S. Marcus, dum dicit Assumptus est in cœlum. An non naturalius fuisset dicere, Assumpsit se in cœlum. Neque enim alienâ virtute sed propriâ in cœlum assumptus est, undè ipse descenderat propter nostram salutem. Sic enim canit Ecclesia: Qui propter nos homines, & propter nostram salutem descendit de cœlis. Ecce Verbum activum! Cur autem non utitur verbo activo in sua ascensione, cum tamen propriâ virtute elevetur, sed passivâ voce hoc exprimit Evangelista Assumptus est. Non est hoc absque mysterio scripturæ, quæ etiam in accessu ad nos, Verbo venio, verbo neutro utitur *Mat. 18.* Venit enim filius hominis salvum facere quod perierat. Et *Joan. 16.* Ego veni ut vitam habeant, & abundantius habeant. Quod sicut in plurimis scripturæ locis reperitur, ita pronam Christi indicat voluntatem qui in ipsam actionem accessus sui ad nos, propenso voluntatis affectu influxit; ast ubi à nobis recessit, & à charis discipulis suis avulsus fuit passive id describitur, non quia id ipse aliquâ actione positivâ procuraverit, sed quasi ægrè id secum fieri passus sit.

Christus assumptus est, quia ægrè à nobis discedit.

Quæ dilectio Christi apparuit in horto, de quo aliqui quærunt, cur angelus Christum confortaverit ibi, & non in Cruce, quando se à Patre derelictum questus fuit? Et respondent Christum majorem sensisse dolorem in horto, quam in Cruce. In Cruce enim tantum erat separatio animæ à Corpore, at verò in horto Christo repræsentabatur scandalum Apostolorum, qui separandi erant à Christò in passione, quando relicto eo fugerunt. Imo in horto repræsentabatur Christo separatio tot millium damnatorum, qui in æternum à Christo separabuntur; & hinc tristitia fuit usque ad mortem. Observat hoc pulchrè Tertullianus ex verbis Evangelistæ, ubi Christus tantum parum recessit à discipulis, oraturus Patrem. Dicit enim Lucas, avulsus est ab eis, quantum est jactus lapidis. Avulsus est inquit *Tertull. l. de carne Christi.* Quid avellitur, nisi quod adhæret, quod infixum, quod intrinsecum est ei, à quo ut auferatur, avellitur. Quarè avulsio violentiam denotat, quam sensit, dum se absentavit à charis suis discipulis quos ita amavit, ut separatio illa, animam illius affligeret. Appositè ergo Marcus utitur illa voce Assumptus est, & apertius Lucas *Act. 1.* Et ferebatur in cœlum. Invitus enim avulsus est à nobis, cujus erant deliciæ, esse cum filiis hominum. Hinc operosè

Christum in horto non in Cruce solatur angelus.

rosè laborant multi, quomodo salvent illud, quod Christus tribus diebus, & totidem noctibus fuerit latens in terrâ. Quod ut salvent, arctissimè ut diximus superius quadraginta horas accipiunt, ut sic veritatis divinæ infallibilitatem tueantur. Quas quadraginta horas adeo copiosè refudit Christus ut totidem diebus horas singulas resarciret. Exclamat Strabus: Qui quadraginta horarum spatio mortuus fuerat, quadraginta diebus se vivere confirmavit. Simon Cassianus addit. Nubes suscepit eum, non ad vehiculum seu ad auxilium opportunum, sed ut excluderetur à mundo. Humanitas igitur Salvatoris quodammodo abducitur invita. Quid namque saxo impressa vestigia innuunt aliud, nisi JEsum reluctantem, ac terræ, ne avelleretur, enixè hærentem. Sæpius Christus dum viveret saxis sua impressit vestigia. Brocardus *in descriptione terræ sanctæ* refert, quod primo impresserit vestigia sua ad Nili fluenta, quando fugit in Ægyptum. Secundo in supercilio montis unde illum præcipitem dare volebant Nazarethani. Tertio in horto ubi Christus oravit, ut à se transiret & transferretur calix passionis. Quarto in Urbe Tyro habetur lapis, cui Christus docens impressit sua vestigia, & in hoc lapide nullus pulvis manet. Quinto in littore Galileæ, ubi dixit, pueri pulmentarium habetis? Sexto tandem in monte Oliveti de quo lapide Sulpitius Severus scribit, quod licet sæpius inde abradatur, nunquam tamen lapis minuatur, & quod illa vestigia nunquam tegi possint. Ego in hoc lapide, disparem Christi & hominum ex hoc mundo abeuntium egressum considero. De humano egressu sapiens *c. 5.* dicit. Quod navi, avi, sagittæ sit similis, cujus non est vestigium invenire. Numera enim si potes tot fortes, sapientes, divites, pulchros, potentes, juvenes, credebant illi omnes se ingentia terræ impressisse vestigia. Quid hi sunt aliud, quam navis in aquâ, avis in aëre, sagitta in auras emissa. Solus Christus æternis vestigiis ex mundo excessit. Vestigia sunt hæc Domini virtutum. Petra Virtutis est via. Statuit pedes meos supra petram. Pulchrè Tertul. *l. ad MM. c. 5.* Virtus inquit duris inambulat, & ubi pedem fixerit, æterna imprimit vestigia. Brocardus notat inter cœtera, quod Titus Cæsar Hierosolymam obsidens equitatum totum in illo monte habuerit, nec tamen Equorum calcibus vestigia Christi sunt erasa. Conculcet mundus virtutem, quantumcunque velit, non eradet ejus vestigia. Sicut patula semper manent Christi vestigia, ita virtus nul-

Christus 40. horis mansit in sepulchro resurgens manet 40. diebus nobiscum.

Christus ascendens saxo vestigiâ impressit.

Christi vestigia æterna.

Vestigia ascendentis Christi neque equorū calcibus sunt erasa.

lo unquam tempore clauditur. Obruat livor virtuosum, sepeliat mundus, invidia contumulet, lucebit non occludetur, velut lux non potest abscondi; inglorius jacet & ignotus, quem sine comitivâ Virtutum, vitiorum caterva sequitur. Et hinc forte est quod Beda scribit, nempè quod annuatim in die ascensionis flammæ ex his vestigiis erumpant. S. Wenceslaus in summo hyemis rigore, noctu templa nudis pedibus obibat, comitabatur illum aulicorum fidissimus, qui calceatus licet, inclementiâ tamen frigoris penè congelatus fuit, nec dissimulabat dolorem suum coram Principe, qui jussit illum suis vestigiis glacie ne dicam sanguine cruentatis insistere, fecit, & corpore toto animoque incaluit. Ascendit ergo Christus ex monte, qui ab oleis dictus est oliveti, ubi usque hodie sacrorum pedum visuntur vestigia. Quia ibi cœpit ejus passio, ibi proditus, ibi captus est, ibi sæpius in oratione pernoctavit, & ibi in fine mundi universum orbem judicabit. Neque otiosè in monte elevatur. Egressus ibat in montem Olivarum, secuti sunt autem illum & discipuli, ut inter oleas insignis misericordiæ pietas ascendentis Christi rumaret. Et hinc etiam non in cœnaculo prodi aut capi voluit, sed ad Olivarum montem egreditur, ut ex insigni misericordiæ objecto mansuetissimus JEsus flagitiosissimum expectaret proditorem. Sic enim Beda; Tradendus à discipulo Dominus consueti secessus locum adit. Consuetum secessum ipsius JEsu misericordiam appellavit. Nunquam enim non pacificus Princeps incitamenta pietatis meditatur. Ideò etiam ad cœlos elevandus pacificus Princeps pergit ad Olivas, ut incredulorum excessus piâ abluat benignitate. Absolonem juveniliter rebellantem poterat David pacificus copioso milite conterere, sed intuitu Christi pacifici fugit per torrentem Cedron ad montem Olivarum *2. Reg. 15.* Rex transgrediebatur per torrentem Cedron, & populus cunctus incedebat contra viam Olivæ, quæ respicit ad desertum. Credo ego quia Oliva typus est misericordiæ, aut certè quia David in spiritu prævidit, quod ex eodem loco Christus pacificus sit cœlum conscensurus. Fugit igitur iratus David ad olivas, ut objiciens sibi Christum pacificum inde in cœlum ascendentem, qui prius occisoribus suis & Crucifixoribus pepercerat, disceret etiam persecutori filio parcere. Habeo meæ opinionis authorem D. Cyrillum Hierosolym. *Catech. 1.* Cum Absalon inquit ille adversus Davidem arma cœpit, quamvis illi multæ ad fugam paterent viæ,

S. Wenceslaus nudis pedibus in frigore calet.

Christus inter olivas proditur in horto.

Christi locus prius misericordia.

David in monte olivarū mansuetus.

per montes tamen Olivarum fugere maluit, firmâ mente invocans liberatorem illum, qui isthinc cœlos ascensurus erat. Quid enim efficacius ad iram extinguendam quam invocatio illius principis, qui in suâ gloriosâ ascensione acceptâ potestate à Patre non usus est ad hostium perniciem, sed ad totius Orbis emendationem.

Et cum hæc dixisset *Act. 1. v. 9.* videntibus illis Matre scilicet, Apostolis, discipulis, & turbâ piarum mulierum elevatus est, non obsequio Angelico, uti aliquando elevatus est Enoch, aut Elias, vel etiam Habacuc, sed sibi insitâ virtute per dotem agilitatis juxta illud *Isa. 63. v. 1.* Iste formosus in stolâ suâ gradiens, in multitudine Virtutis suæ, stipatus nimirum tot animabus Patriarcharum & Prophetarum, atque justorum Virorum ac mulierum, quibus omibus in triumphi societatem attractis, uti testatur S. Cypr. *serm. de ascens.* inspectantibus omnibus, in cœlum ascendit tardo & lento passu. Paulatim enim & gradatim inquit Strabo Fuldensis se elevavit, donec nube exceptus cœlos subivit. Videntibus illis elevatus est, non subito raptus, inquit Cornelius à Lapide, sed videntibus illis & contuentibus elevatus est. Elevatur ergò à se suâque Virtute, idque sensim & pedetentim, ut nos doceret, velut aquilæ cœlestis pullos volare & levàre in cœlum. Poterat inquit Guericus Abbas *serm. 1. de Ascens. Dom.* poterat utique repentè, in ictu oculi ex oculis illorum rapi, & ubi vellet constitui, sed planè erat sicut aquila provocans ad volandum pullos suos & super eos volitans. Aquilæ uti & aves aliæ, cum ad volandum pullos suos instituunt initio propius à nidis ob oculos suorum pullorum avolant, & paulatim subvehuntur, vel ut timidulos excitent, vel ut præfidentes comprimant, ut teneris nimirum alis non credant. Eam ob causam etiam elevatus est sensim & pedetentim Salvator noster ait Venerabilis Abbas, ut eo exemplo indicaret, neminem derepentè in ipsam perfectionis arcem penetrare, & in cœlum consummatæ sanctitatis pervenire posse. Hinc S. Maximus Episcopus *hom. 2. de Pentec.* Christum Aquilæ quæ suis pennis in cœlum libratur assimilat. Sicut enim Aquila relictis terræ sordibus sublimè volans, purioris aëris salubritate perfunditur, ita & Dominus terrenorum deserens fæcem peccatorum, purioris vitæ simplicitate lætatur. Tres Currus cœlestes scriptura memorat *1. Reg. 6.* meminit arcæ Domini, quæ cum duabus vaccis vecta est in Bethsames sine auriga. Secundus habetur *4. Reg. 2.* Et est Currus Eliæ

Christus in cœlum paulatim se sublevat.

Nemo repente fit summus.

Tres Currus nominati in scriptura.

sine

fine Equis nostratibus. Tertius *Ezech. 1.* Currus Ezechielis sine ductore. S. Bernardus quatuor currus enumerat. Currum elationis in Pharaone, Currum humilitatis in Eunucho Reginæ Candacis. Currum devotionis in quo Joseph occurrit Patri suo. Currum denique Eliæ id est amoris & desiderij. Quibus Christus noster opus non habet, qui suâ virtute elevatur. Pulchrè S. Hier. considerans Davidem qualiter collegerit de torrente limpidissimo lapides quinque quos etiam in perâ suâ reposuit, & obviam processit in pugnam cum Goliatho, quod eundem devicerit, & proprio suo gladio interemerit, qualiter deinde triumphabundus Jerusalem inter cantica ingressus sit; transit ad pugnam & Victoriam Christi; qui pugnaturus cum infernali Goliatho, loco quinque lapidum accepit sacratissima quinque vulnera, quæ abolere noluit sed victoriosè cœlesti Jerusalem voluit inferre; Sic loquitur: Cum in monte Oliveti JEsus positus cœlos ascendit, & angeli lætificati sunt & homines, cum utrique magnum consecuti fuissent bonum, & vidissent, quem finem habuissent opprobria Christi, qui inimicos sævos triumphavit in semetipso. Hæc scilicet & nos manet de toleratis opprobriis gloria. Et hinc Christus cœlum ascendens elevatis manibus in cœlum ferri dicitur, ut ostenderet inquit S. Bern. *serm. 1. de ascens.* quod vulnera portabat ad cœlum, ut qui sanguinem pluerat per vulnera illa in supplicio Crucis, per ipsa eadem tanquam per meritoria instrumenta abundantiam Spiritus sancti effunderet sublimatus in cœlis. S. Bonav. vero *serm. 2. de Translat. S. Franc.* Per hæc vulnera inquit sic nobis loquitur. Si ad hanc immortalem gloriam, in quâ sum, venire vultis, exemplum dedi, quanta pati debeatis. Jam vero ubi Christus eo pertigit, ut oculus illum amplius non attingeret Apostolicus, *Act. 1. v. 9.* Nubes suscepit eum ab oculis eorum. Explicat Abul. *paradox. 5. c. 16.* Cum consolationi terminum imponeret Dominus, descendit de aërea regione quædam nubecula usque ad pedes Salvatoris, factaque est in modum throni aut gestatoriæ sedis, ut sic in eâ Christus sessurus videretur. Tollebatur autem nubes in excelsum, & Christus cum eâ ascendebat, ac si in eâ sederet, major autem pars corporis nube velata non erat, ut sic discipulis vultus videndus concederetur, corporis quoque reliquâ præcipuâ parte spectabili. Si quæras quare in nube ascenderit? Dicam ego quod nubes divinam indicet majestatem. Sic *Exodi 16.* dicitur: Gloria Domini apparuit in nube.

S. Bern. quatuor currus numerat.

Christus pandit nobis vulnera in sequelam.

Nubes suscepit Christum quasi sedes.

Et *Exodi 24.* Operuit nubes montem, & habitavit gloria Domini super Sinai, tegens illum nube sex diebus. Placet proindè Aretus. Semper inquit nubes ministra est in divinis rebus, illisque familiaris est. Nam in nube est quædam obscuritas cum aliquo splendore, qui in refractione radii Solaris perficitur; ideo semper divinis manifestationibus attestando commiscetur, illaque designans quæ divina revelatione neque nobis incerta sunt, neque omnino manifesta nobis præbentur, sed velut puræ lucis illustratio, per obscuritatem manifestatur. Unde licet nubes communiter sit vanitatis symbolum, videmus tamen DEum ex ipsis sibi currum triumphalem parasse. Scio ego nubem nihil esse, nec in se singulariter aliquid continere; sed scio pariter DEO omnipotenti nihilum esse fundamentum orbis conditi, & divinæ omnipotentiæ quasi subjectum, ex quo mirabilia sua operatus est DEus. Undè vel in ipsâ gloriosâ suâ ascensione sibi ex nube currum triumphalem paravit, his velut paludamento se investivit, imo & in iis velut in palatio regio habitavit. *Exodi 19. v. 9.* veniam ad te in caligine nubis inquit DEus. *Isa. 19. v. 1.* dicitur: Ecce Dominus ascendit super Nubem levem, scilicet inequitavit nubi. Ut mirum non videatur, quod David dixit *Ps. 67. v. 35.* Magnificentia & Virtus ejus in nubibus. Hanc magnificentiam ostendit Christus in suâ transfiguratione in monte Thabor, ubi gloriam suam in nube contestatus est. Sic pariter in tremendo illo judicio, in quo majestate plenus comparebit, in nubibus cœli venturus est, adeoque vile censeri, non debet, quod DEO servit ad tantam majestatem.

Nubes divinitatis est argumentum.

Nihilum est omnipotentiæ divinæ subjectum.

Sed hem repente fragor insonat, clamat chorus Angelicus *Ps. 23. v. 7.* Attollite portas Principes vestras. Super quod S. Ambr. *l. 3. de fide c. 1.* Debuit inquit novo Victori novum iter parari, quia non unus homo, sed totus in eo mundus intravit. Et S. Hier. *Ep. 27.* pulchrè dicit; Levari seu tolli portæ jubentur, & in sublime erigi, quià major regreditur, quam venerit ad terras. David egregium hujus solennitatis inducit schema *Ps. 23.* dum dicit: Attollite portas principes vestras, & elevamini portæ æternales. Legit Tertullianus & solvantur portæ æternales. Quasi diceret vos cœlorum Principes auferte portas, & cardinibus suis evellite. Audistis aliquando fortissimum Samsonem occlusum in civitate Gaza, non quæsivisse clavim, quâ portas urbis aperiret, sed easdem suis evulsisse Cardinibus. Sic Tertullianus intelligit hunc locum Davidis. S. Chrysostomus autem

Christo porta amplior aperitur.

Christus Samson portas cœli ex cardinibus evellit.

tem per hæc verba: Tollite seu auferte, vult Christum Dominum ita nobis voluisse patere cœleste palatium, ut nunquam amplius clauderetur, neque aliquibus portis indigeat, ideo præcipiebat Angelis, ut eas attollerent. Sicut enim domus quam diu portas habet occludi potest, sed illis sublatis claudi nequit, ita cœlum semel per merita JEsu Christi apertum, cum amplius claudendum non sit, portis non eget. Verba sunt S. Chrysostomi: Jam enim quod claudendum nunquam erat, portis non eget. Patentem nobis in cœlum viam fecit, ut nullum jam sit obstaculum, nec necesse sit pulsari ad portam cum nulla sit. Nec præmittendum examen, aut responsum expectandum, sed continuo homo ingredi possit ut amicus, & Concivibus suis optime cognitus. D. Greg. Naz. adhuc sublimius advertit mysterium. Bene nostis inquit quod homo altæ staturæ intrare non possit portam humilem & angustam, nisi fortè se inclinet. Christus Dominus quantum creverit per Assumptionem carnis, docet S. Paulus *ad Phil. 2. v. 8.* Humiliavit semetipsum factus obediens usque ad mortem, mortem autem Crucis. Propter quod DEus exaltavit illum. super quod S. Aug. *in Ps. 126.* inquit Dominus noster, qui est lux vera, humiliatus est ut exaltetur. Itaque Christo Domino in tantum exaltato, unum ex duobus erat eligendum, si ingredi vellet supremum cœlorum palatium, aut ut semetipsum inclinaret, & humiliaret, quod non decebat regem universi. Turpe enim esset regi terreno inclinare se & incurvare, ut portam suæ civitatis ingrediatur. Aut certè quia potius convenit, ut habeat liberum & honorificum ingressum, propterea portam humilem jussit dissipari. Itaque hanc viam elegit DEus incarnatus, qui videns, quod se in cœlum ascendentem portæ non caperent, angelis dixit attollite, & prosternite portas, ut Rex gloriæ, civitatem suam gloriosè ingredi possit. Verba sunt S. Greg. Naz. *orat. 42.* Portis ut attollantur & sublimiores fiant imperat, quo Christum à passione sublimiorem capiant. S. Bernard. urbibus binas esse portas asserit, magnam unam, parvam alteram. Christo ascendenti non amplius parva patere debuit, quæ fuit incarnato infanti reserata. Sed attollite; occinitur, quia porta jam amplior facta est. Tertullianus in fuga de persec. Cœlum modo nullas habere vult portas, dicens: Sublatæ sunt portæ sempiternæ, ut introiret Rex gloriæ Dominus Virtutum: Quin graviter omnino Rupertus *l. de div. offic. c. 11.* Caro Christi quæ ante Passionem solius

Christus cœlum aperuit non amplius claudendum.

Cœlum jam nullam portã habet.

erat

erat Verbi, per passionem ita crevit, adeo dilatata est, ita mundum universum implevit, ut omnes electos, qui fuerunt ab initio mundi, & futuri sunt usque ad ultimum diem in fine sæculi, in unam Ecclesiam faciat DEum & hominem æternum copulari. Quid ergo moramur in terris? quibus cœlum tantâ vi est reseratum. Præcessit Christus & viam nobis monstravit, qua eundum est. Nobile stratagema invenit Alexander Magnus, ut miles fluvium trajiceret. Sciebat ille leones non tranare flumina, sed transvadare. Quare Leonem quem familiarem habebat, à milite natandi peritissimo arbori alligatū, crudelissimè verberari & vulnerari curavit, ut ita manans sanguine, viam quâ incederet, notaret. Soluto ab arbore Leone miles natando fluvium trajecit, quem irâ furens Leo, ubi ex altera parte ripæ conspexit, persequi non destitit, usque dum invento vado, eum est insecutus. Miles autem furori Leonis se subduxit, & in arborem ascendit. Habito vado universus trajecit exercitus, & suum finem obtinuit Alexander. Christus est Leo ille de quo *Apoc. 5.* Vicit Leo de tribu Juda. Hunc Columnæ & Cruci alligavit Pater, & à furente milite cædi fecit, ut totus manaret sanguine, quo nobis vadum monstraret, ut ex lachrymarum valle, ex mari miseriarum, securi transiremus ad cœlum, & ripam felicitatis æternæ, *1. Petr. 2. v. 21.* Christus passus est pro nobis, vobis relinquens exemplum, ut sequamini vestigia ejus. Abbas Athanasius *apud Moschum in prat. spir.* cum in visione patentem paradysum vidisset, velletque ad illum intrare, ab angelo audivit, nemo piger huc intrabit. Ite! certate! Sæculi contemnite vanitates. Certè qui cœlestia videt facile omnes mundi hujus contemnet vanitates. S. Joanna Franca dicere solita fuit, mille sceptra, mille diademata, mille mundi nihil sunt animæ, quæ semel DEum ejusque dulcedinem est experta. Et hinc Silvanus Abbas cum in extasi cœlestes delicias vidisset, oculos deinceps clausos tenuit, ne rerum terrenarum fœditas, cœleste illud spectaculum turbaret. Quam ego facilè credo cœlesti hoc spectaculo recreatos Apostolos, ab intuitu Salvatoris sui non recessuros, nisi Visione Angelicâ redire jussi fuissent. *Act. 1. v. 10.* Cumque intuerentur in cœlum euntem illum, ecce duo Viri astiterunt juxtà illos in vestibus albis, qui & dixerunt: Viri Galilæi quid statis aspicientes in cœlum. Hic JEsus qui assumptus est à vobis. Sic veniet, quemadmodum vidistis eum euntem in cœlum. Verum est Victoribus hujus

Christus viam salutis suo sanguine signavit.

Cœlum non patet pigris.

Silvanus Abbas viso cœlo oculos claudit.

jus sæculi dari purpuram, triumphatoribus in spiritu albus ornatus datur. Hinc Christus quando confecto bello contra dæmonem, eoque subjugato, revertitur in cœlum, in gloriosâ ascensione suâ, Viri qui Apostolis astiterunt, in vestibus albis apparent. Venerabilis Beda miratur in ascensione Angelos describi quoad vestitum, cujus nulla fit mentio in nativitate? Causam tamen hanc allegat, Ideo Domino ascendente in albis vestibus angeli apparent, qui nato Domino in albis vestibus apparere non dicuntur, quia qui in nativitate sua apparuit DEus humilis, in ascensione suâ ostensus est DEus sublimis. Nunc ergo Angeli in gloriâ sui Domini apparent in albis, quia ipse Dominus *Mat. 17.* cum se gloriosum exhiberet Apostolis in monte Thabor, resplenduit facies ejus sicut sol, vestimenta autem facta sunt alba sicut nix. Porrò hoc vestimentum album non solis convenit Angelis, quasi ob puritatem naturæ id illis proprium esset; Etiam hominibus in præmium datum docet S. Joannes *Apoc. 4.* Ubi seniores Viginti quatuor, in sedilibus describuntur circum amicti vestimentis albis. Sed & Sardicenses suos solaturus Joannes dicit. Ambulabunt mecum in albis, quoniam digni sunt. In quem locum Baeza *l. 14. c. 12.* In paucis his erat tantus splendor gloriæ, ut candida ipsa salutis species amplius in ipsis candesceret. Festivæ hæ erant olim convivantium vestes, quibus lætitiam præ se ferebant, dum vel nuptias, vel honores ambirent Candidati Romani. Imo in ipsâ & Resurrectione & Ascensione ipsi Cœli cives non aliis vestiuntur, quam albis indumentis, indutique stolis candidis, DEO in cœlum reduci triumphum adornant. Hinc ut candidior cœlum ingrederetur S. Catharina lacte se lavit, dum alii sancti stolas in sanguine Agni dealbant. Antiochum Medicum cum Cyriacus Carnifex Sebaste in urbe Armeniæ obtruncaret, & pro sanguine lac manare cerneret, mox eo miraculo ad Christum conversus, suam ipse cervicem alteri feriendam obtulit. Hoc est mirabile quod *Apoc. 7.* dicitur: Laverunt stolas suas in sanguine Agni, & dealbaverunt eas. Miratur Gilbertus Abbas *serm. 47. in Cantic.* Qualis rubor qui dealbandi non caret effectu. Sciendum autem quod vestes albæ semper lætitiæ fuerint argumentum. Hinc illud *Eccles. 9. v. 8.* omni tempore sint vestimenta tua candida. Sponsa bysso candido vestitur. Et *Apoc. 19. v. 8.* Uxor agni præparavit se, & datum est ei, ut cooperiret se byssino splendente & candido. Dealbarunt ergo stolas suas in sanguine

Victores terreni purpura, cœlestes albis ornantur.

Albus color etiam hominibus datur in præmium.

Convivantes olim Candidati.

S. Catharina lacte rorat.

Antiochus lacte manat & carnificem convertit.

Vestes albæ lætitiæ signum.

Agni, quia sanguis Christi cui sua immerserunt martyria, omnem abstulit tristitiæ & doloris materiam. Sanguis utique Christi & mors omnem tristitiam abstulit morituris pro Christo; ideoque etiam in ipsâ morte & tormentis habent majorem voluptatem, quam homines habeant in gaudiis & voluptatibus hujus mundi. Hoc tamen adverto, quomodo DEus moderetur lætitiam suorum, quos in hoc excessu gaudii & lætitiæ tristissimæ diei extremæ jubet esse memores. *Act. 1. v. 11.* Hic JEsus qui assumptus est à vobis in cœlum sic veniet, scilicet in die Judicii, quemadmodum vidistis eum euntem in cœlum. Et ecce statim *v. 12.* subditur: Tunc reversi sunt Hierosolymam. Lucas tamen *c. 24. v. 52.* dicit: Et ipsi adorantes regressi sunt, in Jerusalem, cum gaudio magno. Scilicet gaudio immiscent pietatem & reverentiam, quam Magistro suo exhibuerunt venerabundi discipuli. Nobilis quidam quod refert S. Bernardinus Sen. *serm. 1. de ascens.* impulsus ad loca sacra visitanda peregrè in terram sanctam abiit. Ubi peccatorum suorum seriâ confessione peractâ & sacrâ Communione refectus, eadem summo animi ardore obire cœpit. Ivit ergo & primo Nazarethanam domum Incarnationis principium, Bethlehem deindè nativitatis locum, Jordanis exindè flumen Sanctissimæ Trinitatis scholam, desertum Tentationis palæstram, Olivetum agonizantis Christi Circum, denique Calvariæ montem, redemptionis nostræ complementum devotissimo pede obambulavit. Indè ubi ad sepulchrum pervenit, & rursus in olivetum regressus fuit, cum ascendente Christo humana pertæsus, ardentissimis suspiriis Christo conjungi, & in cœlum abire rogavit. Quod eo ardore precatus est; ut brevi illum & vita & anima defecerit, atque ex eodem loco ubi Christus ascendit, abeuntem Dominum suum est prosecutus. Profectò qui ex animo terrena contemnit, facile ad cœlestia abit. Quidam Monachus quod referunt PP. vitæ, multis & quotidianis lachrymis ad cœlestia gaudia aspiravit. Undè unâ eademque die bis cœlesti solatio fuit recreatus, semel enim de instante morte, deinde de condonatis sibi à DEO peccatis monitus fuit, & cum non minori securitate, quam cum mentis suæ lætitia ex vitâ excessit. Pulchrè S. Chrysostomus *hom. 66.* Præsens vita dulcis est, non tamen omnibus, sed iis solum, qui illi adhærent. Quod si quis in cœlum suspiraverit, & quæ ibi præclara sunt contemplatus fuerit, statim hanc contemnet, ac nullius pretii existimabit. Nam & corporum pul-

Lætitia temperatur metu Judicii.

Peregrinus loco Ascensionis immoritur.

Cœlum quidam ardenter desiderat & impetrat.

pulchritudo, quoad pulchrius non deprehendatur, in admiratione habetur, cum verò aliud præstantius apparuerit, illa prior despicitur. Quod si illam pulchritudinem etiam nos intueri voluerimus, & cœlestis regni amœnitatem consideraverimus, confestim nos hujus sæculi vinculis dissolvemus. Unde non sine gravi motu Heroina illa 2. *Machab.* 7. filium sic allocuta est: Peto nate; ut aspicias àd cœlum. Super quo eleganter S. Prosper *serm. de prædict.* c 40. Præclara illa fœmina suo nos admonet exemplo, pereuntia comtemnere, appetere sempiterna. Ut benè proindè dixerit S. Ignatius: Quam sordet mihi terra, cum cœlum aspicio. Quod penè similibus verbis ante pridem dixit S. Fulgentius, comparans cœlum cum Româ, quando dixit: Quam speciosa est cœlestis Jerusalem, si ita fulget Roma terrestris. Et si in hoc sæculo datur tanta honoris dignitas diligentibus Vanitatem, quænam præstabitur Sanctis diligentibus Veritatem. Memoranda est S. Augustini sententia. Mirabilis inquit est fabrica mundi, sed mirabilior fabricator; & male occupatur creatis, qui à Creatore discedit. Cui si inhæserit, inferiora calcabit, ne quod dilexerit contra naturam, vertatur in pœnam. Cui assentitur S. Paulinus *Ep.* 4. Omnia sub sole Vanitas, proinde super Solem Veritas. Ita qui in Veritate consistunt, etsi intra mundum vivant habitatione corporeâ, tamen supra mundum sunt conversatione cœlesti. Unde Guerico teste fit, quod is dicit *serm.* 4. *de S. Benedicto.* Ut nihil reputentur temporalia, si præ oculis habentur æterna. Quia ut ait D. Ambr. *l. de Virg.* Influentibus divinis corporeus peregrinatur affectus, & usus ille exterioris hominis exolescit. Ideò bene judicavit Cicero *in somnio Scipionis* dicens: Ipsa terra mihi parva visa est, ut me imperii nostri, quo quasi punctum ejus attigimus, pœniteret. Concludit deindè paulo inferius: Quæ si tibi parva, ut est, ita videtur, hæc cœlestia semper spectato, illa humana contemnito. Et vero nisi hoc vel cum Ethnicis sentiamus, Christi discipuli esse non possumus; dicente S. Ignatio M. nunc incipio Christi esse discipulus, nihil de his quæ videntur, addam ego quæ audiuntur, gustantur, tanguntur, desiderans, ut JEsum Christum inveniam. Contempsit enimvero terrena Theophilus, ubi cœlestes delicias submisit S. Dorothea. Quæ enim Babylon unquam tales rosas dedit? quæ terra tales fructus protulit? S. Franciscus una plectri tracti dulcedine, penè exanimatus est. Ut non mirer exclamasse S. August.

Cœlestia terrenis potiora.

S. Ignatius M. terrena contemnens Christi discipulus esse incipit.

serm.57. de SS. O anima, si quotidie oporteret nos tormenta perferre, si ipsam gehennam parvo tempore tolerare, ut Christum in gloria videre possemus nonne erit dignum pati omne, quod triste est. Ita enimverò sensit & insuper egit senex ille monachus, quem in decrepitâ jam ætate rogaverunt discipuli, ut aliquid de vitæ austeritate remitteret. Quibus senex, respondit: Si quis in beatos cadere posset dolor, hoc illis maximè doleret, quod pro tantâ gloriâ quâ potiuntur, non plus laboris in hac vitâ subiissent; ac merita sua & præmia tam levibus rebus auxissent.

Senex pro cœlo nihil se laborasse putat.

Superest ut alteram hujus articuli partem expendamus. Et certè quæstio non vulgaris est apud PP., an vere Christus sedeat ad dexteram Patris. Quia *Act. 7. v. 55.* dum Stephanus à Judæis lapidatur & pro lapidatoribus suis veniam exorat, Christum ille vidit stantem. Pro quo supponi debet, quod cum DEus Pater Spiritus sit, & Spiritus carnem & ossa non habeat, quod hoc in sensu mystico intelligi debeat. Ac proindè sicut electi statuendi sunt ad dexteram DEI, id est à DEO honore immortali & præmio æterno donabuntur, ita etiam Christus dignitate, quâ omnes homines antecellit, honore inexplicabili à Patre æterno donatus est. Dicitur autem sedere, quia sedere est jam hominis quieti, quo insinuatur quod Christus, qui operosè pro nobis pugnavit, peractis tandem salutis nostræ operibus à Patre æterno remunerandus requiescat. Nobis in solatium, quod & nos post hujus vitæ molestias æternum in felicissimâ quiete permansuri simus. Est ergo thronus Christi dextera ipsius Patris, quam Euthymius & Damascenus, dicunt esse thronum omnino connaturalem, ne minorem Patre existimemus filium, cui dicitur: Dixit Dominus Domino meo sede à dextris meis. Est autem hic locus Christo debitus velut Victori gloriosè deprælio reduci, in cujus manu juxta Davidem gloria & divitiæ omnes manent. Illa utique manus, quæ regressum è terris filium coronabat. Si enim prodigi filii collo dexteram injecit Pater? quo affectu hodiè filium suum dextera Patris ornaverit? Christus in mundo fuit percussus à DEO *Isa. 53.* ut diceret illud *Job. 19. v. 21.* Manus Domini tetigit me. Sed fecit hoc manus sinistra, manus inquam Justitiæ vindicativæ; nunc vero est dextera præmiativa & remunerativa. Hinc S. Ambr. *serm. 60.* Pro Christo Patris dexteram prætendit, quia inquit necesse est ut partem Ovium primus agnus obtineat, & secuturo imaculato gregi, locum

Christus sedet ad dexteram Patris.

Manus DEI sinistra percutit, dextrâ coronat.

cum Dux immaculatus anticipet. Sic enim dicit S. Joannes, quod sequantur Agnum. Viderat hunc agnum solitarium Joannes, & desertum ab omnibus ad occisionem ductum. Non erat Vir mecum. In gloriosâ ascensione comitatur illum grex integer ovium, & cœlum cum agmine Sanctorum veteris testamenti triumphabundus ingreditur. Clamat hodie cœlum; dignus est, accipere honorem, dignus est, qui teneat dexteram Patris & oves quas secum adduxit ad dexteram illius statuat. Advertendum autem est, quod S. Aug. *l. de symbol.* dicit. Sedere ad dexteram Patris significat judiciariam potestatem. Et in hoc eodem sensu accipit verba illa *ps. 106.* Sede à dextris meis. Eugubinus dicit: Accipe Judiciariam potestatem. Adstare autem ex S. Aug. *in ps. 109.* seu assistere Judicio, adjuvantis atque auxiliantis est, & Advocati Officium gerentis. Cum ergo Christus ascendit in cœlum, jussus est à Patre sedere ad dexteram suam, & hoc actu judex vivorum & mortuorum constitutus est. Quando autem dicitur stare auxiliandi ostendit promptitudinem alteri in necessitate constituto succurrendi. Ideò *Act. 7. v. 55.* Quando Stephanus lapidatus est à Judæis, vidit Christum auxiliatorem sibi adesse. Ecce inquit video cœlos apertos & JEsum stantem à dextris Virtutis DEI. Ascendit ergo Christus, ut habeamus illum advocatum apud Patrem. Advocati partes Christus explevit quidem, *Joan. 17. v. 9.* Non pro eis rogo tantum, sed & pro iis, qui credituri sunt per Verbum eorum in me. Unde S. Thomas dicit Christi pro nobis intercessionem esse triplicem. Primo enim interpellavit pro nobis ante passionem devotâ oratione in horto, deinde in Cruce, ipsâ sanguinis effusione, ubi sanguis Christi melius dicitur clamare, quam sanguis Abel. Tertio post ascensionem Vulnerum & cicatricum repræsentatione juxta illud *ad Hebr. 5. v. 1.* Ut appareat nunc vultui DEI pro nobis. Et sic *Joan. 1. c. 2. v. 1.* Advocatum habemus apud Patrem JEsum Christum. In causis inquit S. Th. *in 1. Joan. c. 2.* animarum; non possessionum; idque apud Patrem, ut iram Patris habeat placare, repræsentando Patri humanam naturam cicatricibus signatam, & ita sua merita allegantem non nostra. Si ergo Marcus Antonius Orator Romanus causam Aquilii tuitus est, cum is de periculo capitis reus teneretur, quando Sagum multis confossum telis & gladiis populo Romano exhibuit. De Christo apud Patrem quid sentiamus? de quo S. Cypr. *serm. 3. de Jejun.* Qui

Christus sedet, id est judicat.

Christus in cælo stat, id est juva-re paratus est.

Christus est Advocatus n ster.

Marcus Antonius pro Aquilio perorat.


ut appareat vultui DEI, pro nobis, reservatæ in corpore inquit plagæ, salutis humanæ à Patre exigunt pretium, & obedientiæ donativum. Quarè sicut S. Chrysologus *serm. 121.* de Lazaro dicit totum corpus pauperis perorasse, quia ulceribus quibus scatebat peroravit. Quid dicemus de Christo, qui quinis vulneribus velut efficacissimis linguis, veniam exorabit. Advocatum proindè habemus apud Patrem, qui tot ora habet, quod vulnera, quibus animabus nostris patrocinetur.

Christus perorat vulneribus.

S. Bern. *serm. de ascens.* in eo felicitatem Christi Regis ponit, quod fuit felix clausula itinerarii Filii DEI. Venit aliquando Solon ad Croesum cujus cum vidisset innumeras divitias, interrogatus Solon, quem mortalium felicissimum crederet respondit; Tellus Atheniensis, quia felix illi vitæ clausula obtigisset. Concludit deindè, omnis rei felicitatem à suo exitu oportet ducere. Concludamus & nos, & credamus nos felices futuros, si cum Christo felix fuerit clausula itinerarii nostri. Judam & Latronem unica divisit itinerarii clausula. Navigationis felicitatem probat exscensus in littore. Felix quem ex mundo abeuntem nubes excipit, ut verum sit dicere abivit in cœlum.

Fortunam debemus metiri à fine.

Christus felicissimus, quia ad cœlum abivit.



ARTI-



ARTICULUS VII.

Inde venturus eſt judicare vivos, & mortuos.

DISCURSUS XXVIII.

De Judicio hominum in particulari.

DAri judicium particulare, id eſt, animas hominum ſtatim à mortè judicari à Chriſto, eſt de fide. Licèt id negent Anabaptiſtæ, qui volunt animas hominum interire; Et non admittant Calviniſtæ, qui dicunt animas noſtras dormire, & ſoporari, uſque ad diem Judicii. Quid verò clarius, quam quod S. Paulus *ad Hebr. c. 9. v. 27.* dicit, ſtatutum eſt hominibus ſemel mori, poſt hoc autem, judicium. Confirmat hoc Job *c. 21. v. 13.* Ducunt in bonis dies ſuos, & in punćto ad inferna deſcendunt. Oſtendit hoc Lucas *c. 16. v. 22.* factum eſt autem ut moreretur mendicus, & portaretur ab angelis in ſinum Abrahæ. Mortuus eſt autem & dives, & ſepultus eſt in inferno. Ubi vides malos ſtatim poſt mortem puniri, bonos verò etiam præmiari. Cum verè dicat *Eccleſ. c. 11. v. 28.* Quoniam facile eſt coram DEO in die obitus reddere unicuique ſecundùm vias ſuas. Et ſtatim ſubdit *v. 29.* Et in fine denudatio operum illius. Quæ denudatio operum noſtrorum Chriſto Judici attribuitur, quia non fruſtrà ſuper Iridem venturus dicitur, ſol ille juſtitiæ divinæ, qui radiis ſuis omnia penetrantibus corda & conſcientias hominum ſic illuminabit, ut ſint futura veluti ſpecula vel vitra, in quibus patebunt omnia. Hanc illuminationem David adſcribit vultui divini Judicis *pſ. 89. v. 8.* Poſuiſti iniquitates noſtras in conſpećtu tuo, ſæculum noſtrum in illuminatione vultus tui, ſcilicet quando

Anima hominis ſtatim à morte judicatur.

Chriſtus

Christus veniet in morte hominis, tunc vultus divinus radios & lucem sparget, quæ in momento deteget omnia. O quoties in hyeme sterquilinia, & cloacæ teguntur nivibus, videturque intuentibus locus esse mundissimus, quamdiu nives incumbunt; at ubi in meridie ad incalescentem solem dissolvuntur nives, ecce sordes! ecce lutum! Talia sunt corda peccatorum; in hac vitâ scatemus sordibus peccatorum, fœdissimo luto scelerum & vitiorum involvimur, sed omnia integit nix hypocrisis. In horâ judicii liquefit nix, & ecce homo peccator, & opera ejus patebunt. Pulchre Lorinus hoc symbolum futuri judicii deducit, & demonstrat quomodo ad radios solis justitiæ cuncta opera hominum manifestanda, in apertum producantur. *Num. 25. v. 4.* iratus Dominus Moysi dixit: Tolle cunctos principes populi, & suspende eos contra solem in patibulis. Fiet hoc instrictissimo illo judicio, in quo suspendemur omnes contra solem justitiæ, & statim velut in speculo nuda erunt omnia.

Locus judicii est ipse, in quo homo moritur.

Locus porro, in quo anima judicatur est ipse ille, in quo homo moritur, quo enim momento anima separatur à corpore, eodem etiam judicatur, & recipit prout gessit in corpore suo. Licet autem aliqui putaverint, judicari hominem paulo post instans mortis obitæ, alii verò ante instans ipsum actualis separationis; videtur tamen non convenire justitiæ divinæ, ut vel ad momentum differatur sententia: neque etiam hominem DEus prævertere dici potest, quia quamdiu homo vivit, potest mereri, vel demereri, cum adhuc sit viator. Quarè licèt videamus multos in agone ipso graviter torqueri, & maximis arctari angustiis, non tamen id fit, quod sententia tunc actu feratur, sed anima præsaga futuræ sententiæ, toto corpore exhorrescit, & sic circumstantes ad justum tremendi judicii metum inducuntur. Sic accidit Stephano cuidam anachoretæ, qui multis annis in monte Sinai, in lachrymis & magnâ pœnitentiâ vixit; hic ante ultimum mortis diem in extasi positus, apertos oculos cum summo terrore huc atque illuc vertebat, cum admiratione astantium, quia vitæ præteritæ ratio ab illo exigebatur. Aliquando ergo dicebat, re vera ita est, sed pœnitentiâ & lachrymis crimen dilui. Ad quædam tamen dicebat: ita est; verè me accusatis, & quod respondeam non habeo; in DEO tamen est misericordia. Et hic quadragintâ annis monachus, qui donum lachrymarum habuit, sic obijt, quemadmodum testatur Climacus *grad. 7.* ut ambiguum reliquerit, quæ in strictissimo

Anachoreta in morte judicio divino sistitur.

Numi-

Numinis judicio ſecuta fuerit deciſio. Majori cum ſpe ſalutis deceſſit ille Franciſcanus Novitius Pariſiis, qui fatali in lecto decumbens repentè exclamare cœpit, quantum ſatius fuiſſet, nunquam naſci. Paulò poſt rurſus dicere auditus eſt: libram obſecro fideliter tractate. Tandem rogavit, appone etiam aliquid de JEſu patientis tormentis. Et tunc ſubdidit: nunc benè habet. Mirabantur aſtantes trepidationem morientis, ſed ubi illis viſionem narravit, ſeque meritis paſſionis Chriſti, in illo ſtricto DEI examine adjutum dixit, placidiſſimè expiravit. Si ergo ex hiſtoriis habemus, quod aliquando dilata fuerit ſententia, vel ante mortem ipſam fuerit executioni data, vel fuit illud ideo factum, quia erant ad vitam revocandi, vel fecit DEus ideò, ut veritas fidei noſtræ de judicio particulari tantò magis ſtabiliretur. Sic nota eſt hiſtoria illa de Doctore Pariſienſi, qui in exequiis publicis, quæ habebantur in templo, ad verba illa, Reſponde mihi quantas habeo iniquitates primâ die in ſarcophago ſe erigens, claris & diſertis verbis dixit: Juſto DEI judicio accuſatus ſum, Neque plura dixit & ſe repoſuit. Alterâ die dum reſumerentur exequiæ, & rurſum ad dicta verba perventum eſſet, erigens ſe mortuus dixit: Juſto DEI judicio accuſatus ſum. Quievit rurſus, & recubuit, uſque dum tertiâ die in exequiis iterum erectus, lamentabili voce dixit: Juſto DEI judicio condemnatus ſum, & æternum obmutuit. O quam ſunt alia judicia DEI, alia judicia hominum! Interim tamen nemo eſt damnandus, quia in ultimo vitæ momento adhuc ſupereſt ſpes veniæ, ſi ſeriò convertatur peccator. Tremendum eſt illud quod narrat S. Dorotheus de quodam monacho, qui cum audiviſſet, quod pater quiſpiam in fornicationis crimen incidiſſet, qui poſt paucos deindè dies deceſſit, eundem audaciſſimè damnatum, & æternum perditum proclamavit. Apparuit temerario Monacho Angelus defuncti animam ſecum adducens, juſſitque ut animam illam judicaret. Quo audito territus Monachus in genua procubuit, & ſuæ temeritatis veniam petiit. Promittit Chriſtus Religioſis ſedes judicantium, ſed primò in die judicii; hic nemo ſe divinis judiciis ingerat.

Franciſcanus Novitius in morte judicatus placidè moritur.

Doctor Pariſienſis tertia die ſe damnatum aſſeruit.

Nemo damnandus eſt, licèt dubiè moriatur.

Angelus ſiſtit animam temerè judicanti.

Et licèt multi ſint, qui ante Chriſtum incarnatum animas hominum à S. Michaële Archangelo nomine DEI judicatas aſſerant, velintque etiam nunc in particulari judicio illas ab eodem judicari, maximè cum Eccleſia in miſſa defunctorum dicat: Signifer S. Michaël repræ-

Chriſtus judicat animas in particulari Judicio.

repræsentet eas in lucem sanctam. Ex quo Tirinus & Viegas *in suis commentariis in apoc.* putant illum hac de causâ pingi cum staterâ, quasi actiones nostras ipse ponderaret, & dijudicaret, tamen probabilius est, & Scripturæ multisque visionibus conformius, animas omnes judicari à Christo. Cum *Joan. 5. v. 22.* dicatur: Pater non judicat quemquam, sed omne judicium dedit Filio, & causalem addit *v. 23.* ut omnes honorificent Filium, sicut honorificant Patrem. Unde videtur hoc spectare ad dignitatem ipsius Christi, qui sedet ad dexteram Patris, idque assecutus est per suam passionem, ut judex esset vivorum & mortuorum. Quarè etiam sæpius legitur exercuisse hanc potestatem judiciariam. Quid enim vero tritum magis est, quàm illa apud historicos de Udone Episcopo nota historia, qui sæpius à cœlo etiam monitus est, ut pessimam, quam egit, vitam emendaret, & seriò ad DEum converteretur. Cùm tamen id non fecisset, ulterioris moræ impatiens Christus, Udoni obdurato in templo S. Mauritii diem dixit, ubi in magnâ majestate Christus, in comitivâ plurimorum Angelorum, assidentibus sibi SS. Apostolis, & patronis templi illius, consedit, & Udonem à dæmonibus captivum adductum, atque ab iisdem gravissimè accusatum capitis primum, & deindè æternæ damnationis reum condemnavit. Sententiam capitis executus est unus dæmonum, qui obstinato homini caput amputavit, & pavimentum copioso sanguine respersit, sic ut usque hodie templum illud infami illo sanguine rubescat, in manifestum signum exercitæ potestatis judiciariæ, sibi à Patre traditæ. Non minus tremendum est, quod nostrâ memoriâ Anno Christi 1644. accidisse refert Thomas de Blanck *de milite generoso. l. 1. c. 3.* Fuit, quidam, inquit ille genere illustris, sed blasphemiis infamis, qui cum graviter in duello quodam læsus fuisset, illius optima uxor de mariti salute sollicita & Medicum, & Confessarium statim advocavit. Adest Medicus & periculum vitæ ostendit, adest & Confessarius, & ad pœnitentiam, seriamque confessionem hortatur, sed surdo loquebatur. Orat ergo Pater pro salute obdurati hominis, & hem exclamat æger. Mi Pater! Mi Pater! Misericordia! accurrit Pater, & ex ægro petit, quid velit? Video, inquit æger, scripturam oculis meis obversantem, quam ut legat hortatus est confessarius, & legit æger: Dum tempus habemus, operemur bonum. *ad Gal. 6. v. 10.* Instat ergo Pater, ut tempore utatur, ad quòd æger indignabundus; quid de salutari dolore,

Udo Episcopus à Christo in Ecclesiâ palam judicatur.

Miles blasphemus in morte sententia scripta condemnatur.

lore, quem Contritionem vocant mihi ingeris quotus enim quisque mortalis reperitur, cui tam propitium sit cœlum, ut cum Davide pretiosos illos gemitus edat? Et si quispiam est, ego certè is non sum. Respondit Pater, enimvero hoc tam arduum non est bonæ voluntati. Obticuit æger; rursus ergo ad orationem redit Pater; Iterum exclamat æger: Pater mi! Pater mi! Citò! Citò! Misericordia! Redit Pater, & hominem rabiosi instar canis spumantem reperit, hortatus tamen ad confessionem, & dolorem de peccatis, dixit adhuc esse tempus veniæ, modo velit. Sed exclamat æger, aliquid video scriptum. Jubetur legere, & legit illud *Joan. 7. v. 34.* Quæretis me, & non invenietis. Argumentum hinc sumpsit Pater, & vel nunc ad seriam confessionem faciendam hortatus est, ast omnia aspernatus æger, nullum periculum mortis esse clamavit. Desperatis rebus omnibus abitum simulat Pater, sed statim horrendis clamoribus revocatur, & æger clamat Decretoriam se videre scripturam, quæ fuit *Joan. 8. v. 21.* In peccato vestro moriemini: Dixit & eodem momento inter horrendas blasphemias desperatam evomuit animam. Cadaveris tanta erat deformitas, ut illi nec species hominis inesset, per omne corpus ebullivêre vermes, & horrendus fœtor erupit. Interim cum solaretur viduam Pater & abitum pararet, adest unus ex cadaveris custodibus, & Patrem inclamat dicens: Dominum à duobus molossis per caminum abreptum. Prodit ergo ad cubiculum Pater, & nihil nisi linteum reperit, quo contectum fuit cadaver, foramen verò, per quod corpus abreptum fuit, pugni quantitatem non superavit; fœtor autem tantus fuit, ut illo vix non extincti fuerint præsentes. Anno vertente fulmen in illud cubiculum incidit tanto impetu, ut omnes turres, & muri in acervum lapidum corruerint. Ex quo ostendo, non esse necesse Christum de cœlo ad judicandas animas descendere, ut animæ explicet decretoriam sententiam, cùm hic locutus sit per scripturam. Sic olim locutus est DEus per manum quæ in pariete *Dan. 5. v. 5.* scripsit: In eadem horâ apparuerunt digiti, quasi manus hominis scribentis contra candelabrum, in superficie parietis aulæ regiæ, & rex aspiciebat articulos manus scribentis. Nec scripsit nisi tria verba, & sententiam decretoriam in divino judicio declaravit. Mane; Mors est, numeravit enim DEus dies vitæ nostræ. Thecel; appensus es in staterâ, Judicium est divinum. Phares divisum est regnum tuum. Quæ

Ad sententiam non opus est, ut Christus de cœlo descendat.

major potest esse divisio, quàm æternum à DEO separari. Et hæc est separatio hædorum ab ovibus, quæ in æternum à misericordiâ divinâ excludet. Potest etiam DEus loqui animæ, sicut anima Abrahæ locuta est diviti Epuloni in inferno *Luc. 16. v. 23.* nec opus erat, ut Abraham descenderet ad Epulonem in infernum; adeòque patet, quàm breves sint processus divini, nec à causarum cognitione extrahantur, atque in momento sententia intimetur.

Invenio tamen aliquem descensum Christi apud *Joan. c. 6. v. 47.* ubi Regulus, cujus filius infirmabatur Capharnàum, rogavit JEsum, ut descenderet, & sanaret filium suum; Domine descende, priusquam moriatur filius meus. Ast objecit illi Christus defectum fidei, Nisi signa & prodigia videritis, non creditis. Quasi diceret, annon credis Christum, qui sanare potest, quod possit etiam resuscitare filium, si moreretur. Pulchrè tamen Baeza *l. 1. in Joan.* excusat Regulum rogantem ut descendat JEsus, antequam moriatur filius, quia dum descendit Dominus ad hominem jam in mortis articulo constitutum, tunc descendit, ut judex severus, quod Regulus non volebat accidere filio, cui Christum volebat esse propitium. Quod enim descensus ille sit formidandus, audite *Isa. c. 13. v. 9.* Ecce dies Domini veniet crudelis, & indignationis plenus, & iræ furorisque. Non miror Ego jam B. Agathonem, hanc diem formidâsse, cum enim is morti vicinus jaceret, & trepidaret, causam à bono sene Magistro suo petiverunt discipuli; & cur timeret, interrogârunt? Quia, inquit, ô filii! alia sunt judicia DEI, alia hominum. Et hinc S. Arsenius eodem modo cum moriturus timeret dicentibus discipulis: Pater in veritate, & tu times? Respondit, timor qui nunc in me est, semper in me fuit. Verè enim Amos dixit *c. 5. v. 18.* Dies Domini ista tenebræ, & non lux. Quomodo si fugiat vir à facie leonis, & occurrat ei ursus. Christus, ut inquit Rupertus Abbas, in vitâ nostrâ est tanquam leo, qui prostratis per pœnitentiam, parcit, sed in morte & judicio morientibus instat velut strictus Judex. Notum enim est, quod si homo occurrat leoni, & se coram illo prosternat, ac quasi mortuum simulet, quod ei non insistat, aut illum dilaceret: at ursi, & lupi, ac similia animalia etiam prostratos sæpe dilacerant, ac devorant. Quoties accidit, ut tædio vitæ affecti mortem optemus, & licèt cum Paulo desideremus dissolvi, & esse cum Christo, tamen reverâ in corde est impatientia adversitatis alicujus,

B. Agatho jūdicium timet.

Arsenius in morte timet.

Christus, qui in vita nobis est propitius, in morte est severus.

cui

cui dum pares ferendo non sumus, mortem, & consequentia horrenda pericula, improvidè optamus. Si nobis id accideret, quod S. Paulo, ad quem ante mortem in agro Damasceno prostratum & conversum descendit Christus, non esset, quod timeremus descensum Christi in morte, sed quia ante mortem non prosternimur pœnitentes, ut sic veniat ad nos per gratiam Dominus; Timeat is, quicunque fugit Leonem parcentem prostratis, ne incidat in ursum, id est in eum, qui parcere nescit Judicem. Pulchrè proinde Theodoretus Abbas in verba Amos. Qui Prophetiæ finem expetunt videre, nihil differunt ab homine, qui cum leonem impetentem effugisset, mox in ursum incurrit. Non est ergo expectandus DEus Judex, qui potest haberi Pater. Hinc S. Joan. *Apoc. 1. v. 13.* describens Christum Judicem dicit: Et conversus vidi similem filio hominis, vestitum podere, & præcinctum ad mamillas Zonâ aureâ. Explicat Hugo Cardinalis; Ut discamus Christum in præsenti vitâ gerere se in modum matris, sed ibi acturum officium severi Judicis. Et hinc bene advertit. S. Bern. apparet cum mamillis strictissimè ligatis cingulo justitiæ, juxta illud *Isa. 11. v. 5.* Et erit justitia cingulum lumborum ejus. Scilicet tunc mamillæ pietatis & benevolentiæ à justitiâ totaliter adstringentur, ut nullus misericordiæ in foro Justitiæ sit locus futurus. Undè benè S. Aug. monet: de misericordiâ DEI multum tibi polliceris, quasi ille, qui tibi per patientiam promisit indulgentiam, promiserit etiam tibi longiorem vitam? Non est fidendum! DEus qui nos vocat, si non auditur in vitâ, non audietur in morte. Quid misero peccatori morienti magis potest esse solatii, quàm Christus pro nobis crucifixus, qui amore nostri, ut nos à peccatis & inferno redimeret, in cruce pro nobis mori dignatus est. Sed heu me! hic etiam ipse Christus crucifixus obstinato peccatori est argumentum interitus. O quàm tremendè exclamat S. Chrysostomus *hom. 15. de verb. Apost.* Verba recito scripturæ. Ne tardes converti ad Dominum, neque differas de die in diem, subitò enim veniet ira ejus, & in tempore vindictæ disperdet te. Numquid ego scripsi hoc? Numquid delere illud possum? Si delevero timeo deleri. Scilicet in judicio videbit peccator ipsam misericordiam contra se armatam in vindictam, quia ab ipsamet misericordiâ fulcietur justitia, ut illi sic majores ad sumendam vindictam vires suppeditet. Videtur hoc dicere *Isaias c. 59. v. 16.* salvavit sibi brachium suum, & Justitia ejus

 con-

confirmavit eum. Septuaginta legunt: ultus est brachio suo: Quasi diceret: DEus potenti divinæ Justitiæ suæ brachio vindicavit sese de inimicis suis, & misericordia ipsa fulciet illum, ne ab incepto desistat. Illa nimirum misericordia, quæ modo Justitiæ divinæ remoratur brachium, illudque suspendit, eadem illa tunc vindictæ subministrabit vim & vigorem. Et hoc illud est, quod formidavit Joannes *Apoc. 15. v. 4.* Quis non timebit te Domine, quia solus pius es; an non potius diceret, quia solus justus es? Tuetur hanc propositionem S. Chrysostomus *hom. 39. in Evang.* Quanto enim Dominus ad misericordiam promptior fuit, tanto erit vindicta ejus acerbior. S. Hilarion moriturus se ipsum animavit ad egressum ex corpore infirmo, sed judicium timuit. Timoris causam si postulavero, aliam non invenio, quam reatum conscientiæ propriæ. Certè *Mat. 22. v. 12.* nudus ille à veste nuptiali conviva, interrogatus quomodo intraverit sine veste nuptiali? nihil respondit, sed obmutuit. Causam dat Ludolphus Carthus. *p. 2. c. 4.* propter timorem accusationis, propter erubescentiam iniquitatis, propter ignorantiam excusationis, præ confusione non habens, quod responderet. Propriâ urgente conscientiâ convincitur & mutus efficitur. Per hoc, quòd ille obmutuit, pergit citatus author, monstratur, quòd in illo stricto examine omne genus excusationis cessabit. Obmutuit dicit Paulus de Palatio *c. 22. in Mat.* Quia si ad tempus stricti judicii, & mortis cujusque verba hæc referantur, jam tempus non est pænitendi, sed obmutescendi. Quid enim dicet peccator, cui tot monstrantur DEI beneficia, tot à DEO impensa auxilia, tot instituta remedia; toties tamen contemptus est DEus, toties violata sunt Sacramenta? Et verò accidit multis ex nobis, quod illis duobus fratribus, sapienti uni, fatuo alteri, cui se in bivio accommodavit sapiens, adeoque jucundam ingressi viam, relictâ asperâ, in latrones inciderunt, ubi longo litigio sibi mutuo culpam imputantes uterque à Judice tandem est damnatus. hic sapiens scilicet, quod fatuum sit secutus, ille quod sapientem sequi noluerit. O quoties anima stultum corpus sequitur! & deindè in divino Judicio æternùm damnabitur? Thomas Morus hominem longioris & brevioris vitæ, comparare solebat cum duobus furibus, qui ad idem patibulum suspendendi ducuntur, in quibus hoc solùm differt, quòd unus longâ, alter breviori viâ ducatur, nec tamen ipsi sciunt, quis breviore, vel longiore viâ

In divino Judicio, nulla est excusatio.

Frater sapiens stultum secutus in latrones incidit.

Vita nostra tandem morte terminatur.

viâ procedat. Sic est! Omnes ad tremendum illud judicium accedimus, nec nisi morâ differimus. Hic tandem terminus erit æternitatis, in quo vel præmium, vel pœnam consequemur æternam. Alius vitam nostram scenam dixit, in quâ personas agimus velut in theatro, sed utinam benè. Augustus Cæsar moriturus ad amicos dixit, satisnè bellè personam nostram egimus? Illis respondentibus bellè, attrahens, claudensque lecti cortinam, valete ergo, inquit, & plaudite: quod dicunt Actores, qui comædiam faciunt. Sed non omnibus hæc sors obtingit, ut bellè personam hominis Christiani agamus. Est in cœlo Judex Christus, qui personas nostras dijudicabit, ubi scenam vitæ clauserimus. Polemon Philolophus in ludis theatralibus Judex constitutus, cùm observasset actorem quendam dixisse. O Jupiter! O terra! & gestu planè dissono hæc ostendisset, illum non modò præmio indignum judicavit, sed ne actoris nomine voluit compellari. Quid nos? quibus in vitam introeuntibus scena panditur, & cum ad cœlum ordinati simus, ne in minimo vitæ nostræ actu, cœlum monstramus. Quo ille nomine nos Christianos actores compellabit? Videt Christus omnes actiones nostras, & an cœlum, an terram spectemus, accuratissimè observat. Ægyptii DEum mundi oculum dixerunt. DEus noster, teste S. Aug. totus est oculus, etiam in occipite oculum habet, ut nihil lateat omniscium DEum.

Vita humana est scena.

Actoris nomine indignus censetur, quia gestum malum fecit.

DEus totus est oculus.

Nec opus est, in hoc divino iudicio multo examine; propria conscientia iudicabit, & condemnabit te reum. Eam rationem habet consuetudo divinæ sententiæ, ut qui gesserunt impiè, ipsi propriâ confessione se ipsos damnent. Confirmatur hoc exemplo Lamech, qui *Gen. 4. v. 23.* nemine conscio Cainum occidit, urgente tamen conscientiâ propriâ, coram insciis & facti ignaris mulieribus, contra se sententiam tulit: septulum ultio dabitur de Cain, de Lamech verò septuagies. Pulchrè S. Chrysostomus super hæc verba: Quasi carnificem se lancinantem gestaret, ita post absurdum facinus ambulat, nullo conscio sustinens illas intolerabiles pœnas, & iudex ipsius factus & accusator. Peccatum, ait dictus S. Chrysostomus *hom. 64. in Gen.* postquam factum est, & absolutum, tunc dolorem excitat in animâ, & mentem, quæ ipsum peperit, doloribus disrumpit. Et *hom. 7.* ait: Ea peccati natura est, ut priusquam omnino perpetratum sit, hominem temulentiâ afficiat, postquam autem expletum

Conscientia propria judicabit.

tum

tum & perfectum est, tunc ea voluptas se proripiat, & extinguatur, ac solus deinde stat accusator, conscientiâ nimirum Carnificis locum obtinente. Expertus est illam accusantem, tumultuantemque Anglicanus ille aulicus, qui cum in supremo morbo nihil de confessione audire vellet, tandem exclamavit: Actum est! perii! conscientia sceleribus onusta in oculis est, Hæc me damnat, necdum à DEO damnatum. Dum vivimus, conscientiam audire nolumus, audiemus in agone. Judex ille Hispanus suspecta de homicidio nudavit pectora, & ex palpitatione cordis reum monstravit. Ite nunc impii peccatores? simulate & dissimulate vestra scelera, occultate fornicationes & adulteria, rapinas tegite. In morte severus Judex Christus nudabit pectora cum tremendâ illâ voce: Hoc fecisti. Quam verum tunc erit illud *Ezech. 20. v. 43.* Recordabimini ibi viarum vestrarum, & omnium scelerum vestrorum, quibus polluti estis in eis, & displicebitis vobis in conspectu vestro, in omnibus malitiis vestris, quas fecistis. Quis, obsecro, Judam accusavit? Quis ad suspendium damnavit? dum dixit *Mat. 27. v. 24.* Peccavi tradens sanguinem justum. Pulchrè observat S. Ambr. *serm. 2. in Dan.* Domini traditorem non invenio, à Judice damnatum; Non enim damnat Pilatus, non damnat populus, sed quod majus, se ipsum condemnavit. Quem enim alter judicat, potest utcunque esse excusabilis: reus autem sine excusatione est, qui conscientiæ suæ judicio condemnatur. Meritò proinde addit S. Leo *serm. 16. de pass.* Tibi tua pœna commissa est, quia in supplicium tuum nemo potuit te sævior inveniri. Erit hic conscientia propria, quæ & accusatoris, & Judicis partes aget. Laboriosè S. Ambr. conciliat illud *Joan. 5. v. 22.* Neque enim Pater Judicat quemquam, sed omne iudicium dedit filio, Et illud *Joan. 8. v. 15.* Ego non iudico quemquam; Explicat tamen, & declarat exemplo hoc. Accidit, ut reus testibus convictus crimen fateatur, adeoque mortis sententia per iudices decernitur. Reus gratiam petit, sed respondet Judex, non possum à me facere quidquam. Ego non iudicio, sed facta tua te iudicant, ipsa accusant, ipsa te condemnant. Sic Christus dicit, nihil ex me profero, sed lex contra te mortis sententiam promulgat. Ipsa conscientia tua reum te æternæ damnationis facit. Certè illa adultera *Joan. 8 v. 11.* à Christo audivit: nec Ego te condemnabo. Vade & noli amplius peccare. Albertus Magnus dicit: nec Ego te condemnabo ab accusatoribus

Anglicanus Aulicus conscientiâ propriâ damnatur.

ribus tuis ereptam, & per pœnitentiam interiorem emendatam. Quæ quia conscientiam propriâ per actum pœnitentiæ pacavit, ideò neque amplius à se ipsa pœnam, & supplicium formidavit. Pulchrè S. Ambr. advertit, quod Christus Pharisæis adulteram accusantibus responderit; qui vestrûm sine peccato est, primus in illam lapidem mittat. Et statim dicitur *v. 9.* Audientes autem hæc, unus post unum ibat, incipientes à senioribus. Causa verò, cur à senioribus incipiant videri potest, quia priores vim intellexerunt sententiæ quasi prudentiores, cœperunt magis sua deflere peccata, qui alieni criminis venerant accusatores. Meritò proindè formidet anima misera illam comminationem Davidis *ps. 49. v. 21.* Arguam te, & statuam contra faciem tuam, vel, ut alii legunt, contra conscientiam tuam. Hoc enim, inquit Ambr. sacrilegi solet esse delictum, ut impietatem suam ipse dum recordatur puniat, & scelus suum dum recognoscit vindicet; omnium enim supergreditur sententias conscientiæ suæ sententiâ damnatus. Ex quo patet, quod talis securitatis spem nullam habeat, quia ut benè observat Zeno, si ei contingat accusatore carere, & teste conscio, cum se ipso carere non possit, violentior omni tortore conscientia, nunquam deserit peccatorem. *Mala conscientia non est secura.* Quare bene dixit S. August. *in ps. 45.* Inter omnes tribulationes animæ, nulla est major tribulatio, quam conscientia delictorum. Quia ut ait S. Leo *serm. 5. de Epiph.* mens dura & ingrata jam sibi ipsi supplicium est, & in conscientiâ suâ patitur, quidquid DEI bonitate interim differtur. Hic liber est ille, in quo totum continetur, unde miser homo judicetur. Ingemuit ad hunc librum *Job. 13. v. 26.* ubi dicitur: scribis contra me amaritudines, & consumere me vis peccatis adolescentiæ meæ. Vidit hunc scribam Ezechiel *c. 9. v. 2.* Et atramentarium scriptoris ad renes ejus, scripta autem hic sunt omnia dicta, facta, imò & cogitata nostra, dicente Ecclesiaste *c. 12. v. 14.* cuncta, quæ fiunt, adducet DEus in judicium pro omni errato, sive bonum, sive malum illud sit.

Quàm verò exactè illud futurum sit, audi *Soph. 1. v. 12.* scrutabor Jerusalem in lucernis. *Cant. 3. v. 5.* inquit sponsa: spoliavi me tunicâ meâ, quomodo induar illâ? Lavi pedes meos, quomodo inquinabo illos. Juxta S. Greg. Naz. tunicâ se spoliat, dum à peccatis mortalibus anima liberatur, dum autem pedes abluit, venialibus peccatis renuntiat: Hæc tamen tam immaculata sponsa exclamat:

Invenerunt me Custodes, qui circumeunt civitatem, percusserunt me, tulerunt pallium meum. Quærit Nyss. *hom. 12. in Cant.* Quomodo, nuda vestimentis omnibus pallium adhuc habet, quod etiamnum custodes civitatis adimunt: Et respondet: vestimento deposito non aderat sponsus visibiliter, qui de innocentiâ & puritate sponsæ judicaret, licèt se illa omnino ab Adami exuviis liberam vestimento deposito crediderit. At cum mortua divino judicio sistitur, quasi nunquam à vitiis sæculi exuta fuisset, apparet, propter infinitam DEI, cui sistitur, puritatem. Unde dicit Nyssenus, ea, quæ jam ante tunicam veterem exuerat, non exuisse antè hoc pallium videtur. Sic ascensus ad illam sublimitatem divinam aliquid ostendit rei crassæ adhærescere illi animæ, quod restat purgandum. Audiendus est D. Basil. *in reg. fus. c. 18.* Cum affirmaverit Dominus, quia jota unum, aut apex non transibit à lege, donec omnia fiant: Et rursus definierit, quia de omni sermone, & verbo otioso, quod locuti fuerint homines, reddent de eo rationem in die judicii, nihil oportet contemni tanquam parvum. Tremendum est, quod Christus *Mat. 12. v. 36.* dicit: Dico autem vobis, quoniam omne verbum otiosum, quod locuti fuerint homines, reddent rationem de eo in die Judicii. Ex verbis enim tuis justificaberis, & ex verbis tuis condemnaberis. Propter quod S. Chrysostomus *hom. 17. in Ep. ad Eph.* magna mala inquit mentem illam, quæ facetiis dedita est, magna dissolutio & vastitas inhabitant. Harmonia illius hiulca est, cariosum ac marcidum ædificium, timor exterminatus, & fugata pietas. Eousque verò progressus est Petrus Dam. *in illud Isa. 54* Et omnem linguam resistentem tibi in judicio judicabit explicans, ut nihil religiosos suos, quam de gestis sanctorum loqui voluerit. Quid est hoc, exclamat *l. 2. Epist. 18. ad Desiderium Abbatem Cassinensem*, de omni verbo otioso rationem reddent in die judicii. Fateor fratres mei, nihil ferè in monasteriis agitur, unde mens mea terribilius super monachos imminere DEI judicium suspicetur. Deducit hoc argumentum fusius, & amplificat narrando colloquium duorum monachorum, qui cùm à se visa in civitate domi referrent, ita animos Monachorum perturbârunt, ut dicat Dorotheus *serm. 4. de divin. Tim.* Immerso quodam lethali veneno in cor illorum, quo quidem vitio nihil gravius, quia plerique nauseare eremi solitudinem, sæculi vanitates concupiscere cœperunt. An non meritò his occinere

Alia erunt judicantis DEI in morte judicia.

Colloquia secularia religiosis nociva.

nere possim illud *ps. 5. v. 11.* sepulchrum patens est guttur eorum. Quod expendens S. Chrysostomus quærit cur non potius thesauri, quam sepulchra esse velimus, ut cum loquendum est, non potius Topazios, ac pyropos, id est, Evangelicas sententias potiùs, quam terrenorum sensuum putrida ossa depromamus. Non sit ergo, exclamat S. Chrysostomus in hunc locum, os tuum sepulchrum, sed thesaurus.

Jam verò audite S. Paulum *1. ad Cor. 4. v. 5.* Nolite ante tempus judicare, quoadusque veniat Dominus, qui & illuminabit abscondita tenebrarum, & manifestabit consilia cordium. Quid enim magis absconditum, quàm cogitationes cordis nostri, & ecce de his judicati condemnamur. Refert Joannes Raulinus *in suo itinerario*, quod nobilis Matrona fuerit, miræ pietatis, & in pauperes liberalis, atque ob hoc ipsum apud Episcopum, qui illius erat confessarius in magnâ æstimatione. Hæc fortè oculos in herilem servum conjecit, & lubricam mente cogitationem concepit, in quam etiam se delectando, consensit, sic tamen, ut ubi se recollegit, & cogitationem, & opus ipsum vehementer detestaretur. Neglexit illa hanc cogitationem confiteri, nec multò post in gravem infirmitatem delapsa, & mortua est. Episcopus cum omni industriâ sepelivit illam in sacello suo, dum verò matutinas preces dicturus alterâ die in sacellum ingreditur Episcopus, totum sacellum ardere videt, cohorruit, animum tamen assumit & intrat, videtque in sepulchro matronam craticulæ impositam, horrendè à dæmonibus assari. Quærit cur hoc patiatur? Respondit illa, quia cogitationem turpem, cui consensi, confessa non sum. Et sic disparuit. O quàm verum est, illud *Job. 31. v. 12.* ignis est usque ad perditionem devorans. Quod explicat S. Greg. Quid est libido nisi ignis? Quid item turpes cogitationes nisi paleæ? quis etiam nescit, si in paleis ignis negligenter extinguitur, ex parvâ scintillâ omnes paleæ accenduntur. Qui ergo virtutum incrementa von vult extinguere, ita debet libidinis ignem extinguere, ut per tenuem scintillam, nunquam possit ardere. Benè *S. Hier. ad Eustoch. Ep. 22.* Ne sinas malum cogitationum crescere, sed dum parvus est hostis interfice, parvulos illide. Fecit hoc Pharao *Exod. 1.* dum parvulos Hebræos occidit. Moysem, quem in fiscellâ excepit filia, sprevit, qui deinde Pharaoni coronam sustulit, simul & vitam. An non hic cogitaverit in mari rubro, utinam Moy-

Cogitatio morosa matronam damnat.

Cogitationes libidinosæ statim repellendæ.

sem primum ad me allatum suffocâssem. Hoc idem in inferno clamat dicta matrona, quæ obortam malam cogitationem non suffocavit. Benè itaque monet Ovidius. Opprime dum nova sunt subiti mala semina morbi. Experti sumus, quod sæpè cum velimus, resilire non possimus. Basiliscus ova ponit, simplex alia avis, vel gallina eadem excludit, sed cum suo interitu. Dæmon ova parit, ast tu non exclude. Si David primam cogitationem in solario confregisset, nunquam deindè lachrymis sic stratum rigâsset. Quare *Jerem. 4. v. 14.* dicit: usquequo morabuntur in te cogitationes noxiæ. In quem locum S. Greg. *l. 7. moral.* bene observat dicens, Non, inquit, reprehendit DEus, quod anima pravis cogitationibus agitetur, hoc enim sæpè in potestate nostra non est, sed quod in eis moram trahat,& delectetur. Pintus Ramirez *in Cant. l. 3. c. 6. v. 12.* ex *Plinio historico l. 7. c. 2.* refert, Pygmæos singulis annis expeditionem facere contra ova gruum, quia si ova non expugnarent, sed pullos sinerent excludere, à gruibus obruerentur. Ova dum sunt, confringenda sunt, non expecta grues. Et verò quis in domo suâ temerè scintillam in stramine sustinet? Si scintilla pravæ cogitationis incidit, opprime. Audi *Job. c. 41. v. 12.* de dæmone dicentem, halitus ejus prunas ardere facit.

Quid dicam de neglectis charitatis operibus de quibus. *Mat. 25.* longus pertexitur catalogus, & ideo æterno supplicio adjudicantur. Fuit in aulâ Mauritii Cæsaris fæmina nobilis, quæ scire volebat sententiam, in judicio contra se ferendam. Cui S. Greg. rescripsit. Omnis te vita tua docebit. si dextrè egisti, dextram tenebis. Pulchrè S. Eligius, delicatè nobiscum agitur, quomodo judicemur. Hoc insuper felicitatis est, si fortè hactenus malè scripsisti sententiã tuam, ut possis eandem meliùs vivendo emendare: Et hinc in stricto illo judicio gaudebunt boni, trepidabunt mali, quia scient, quam sibi vivendo scripserint sententiam, & si bona fuerit, quod amplius mutare non debeant. Curiosam aliquando quæstionem habuerunt Pharisæi *Mat. 16. v. 1.* Rogaverunt, ut signum de cœlo ostenderet eis. Quid Christus? Audite *v. 2.* facto vespere dicitis, serenum erit, rubicundum est cœlum. Et nos sæpè signa petimus, & futuri judicii eventum scire desideramus, vesperum inspiciamus. vesper est vita nostra *ps. 29. v. 6.* ad vesperum demorabitur fletus, & ad matutinum lætitia. Ex vespere præsentis vitæ collige serenitatem futuri judicii.

Sententia stricti judicii est in nostra potestate.

Si

Si rubicundus est, id est, applicatis bene meritis, & Christi sanguine in asperitate, & charitatis fervore, serenum ominemur manè propitii Judicis. Econtrà qui vesperum habuit serenum, juxta illud ducunt in bonis dies suos, metuant sibi ex prævio hoc vespere futuram tempestatem, fulmina & tonitrua, & talia quidem, qualia Petro Hispalensi teste in Tartariâ audiuntur, quæ solo fragore hominem exanimant. Hæc nostra est vesania, licèt enim sciamus judicium illud rigidum impendere, illius tamen incurii vivimus. Æsopum miserat Herus, ut in foro aliquid emeret, cui dum in foro obvius fit Prætor, interrogat. Quò vadis? Respondit Prætori Æsopus, Nescio. Credidit Prætor, se ab Æsopo ludi, & rursus indignatione plenus Æsopum interrogat; Quo vadis? rursus reponit ille nescio. Iratus Prætor mandat satellitibus, ut Æsopum ad carcerem abducant, conversus ad Prætorem Æsopus dixit: En quia nesciebam, quo vaderem; credebam enim me ad forum pergere, & modò ad carcerem abducor. Quo liberali responso mitigatus Prætor, liberum Æsopum dimisit. O mi Christiane! Quoties tibi meritò occini posset in vitâ tuâ, Quo tandem vadis? Usque adeo æternitatis immemores vivimus, ut nihil minus, quàm DEI judicium fore, credere videamur. Æsopum stultum fabulæ memorant; Næ tu Æsopo longè stultior, & ne dicam mortalium omnium stultissimus es. Rex quidam moriturus pomum curavit aureum, hoc dedit filio, ut illud daret mortalium omnium stultissimo, diu hunc quæsivit filius regius, sed non invenit. Tandem in Regem quempiam incidit, qui jure gentium sibi subditarum, sic regnavit anno uno, ut sequenti exulaverit; huic pomum obtulit, stultissimum illum credens, quod modicam regnandi cupiditatem, perpetuo exilio commutaret. Sed prudenter respondit Rex ille, Quia anno illo ita sibi prospexit, ut omni vitâ sequente in exilio commodè viveret. Nos ad æternitatem tendimus, & de nullo commeatu soliciti nobis non providemus, unde æternum vivere mereamur. *Judic. 12.* Galaaditæ controversiam habuerunt cum Ephrateis. Occupaverant Galaaditæ vada Jordanis, per quæ Ephraim reversurus erat, quia verò se non poterant dignoscere, excogitarunt Galaaditæ ingeniosè hanc tesseram, ut quisquis transire vellet, diceret Schiboleth. Quia verò Ephraditæ. Schin literam pronuntiare non poterant, ex hujus vocis pronuntiatione à Galaaditis discernebantur. Venit ergo Galaadites, & dixit

Æsopus nescit, quo vadat.

Pomum aureum stultissimo omnium dandum.

Æternitati prospicere debemus.

Schiboleth, qui velut amicus transire permissus est. Venit Ephrathæus & dixit Siboleth, statimque jugulatus est. Quid est Schiboleth, nisi spica plena, & Siboleth nisi spica vacua? Audiamus modo S. Hier. Jordanis aliud non est, quàm fluvius illius strictissimi judicii; Omnes per vadum hujus Jordanis, id est, divini judicii transire debemus, at non omnes sic constituti sumus, ut tunc verè dicere possimus Schiboleth, hoc est, ut proferamus spicam virtutis & meritorum granis plenam; adeoque ubi Siboleth, id est, vitam vacuam produxerimus, non transibimus ad cœli felicissima gaudia, sed ab infernalibus dæmonum larvis jugulabimur in æternam damnationem detrudendi. Pulchrè & ingeniosè S. Greg. Nyss. quærit. Undè colligi possit, quod homo dormiens non utatur integro, & perfecto rationis judicio? Et respondet ex obscænis somniis illud colligi posse, quæ homini dormienti obrepunt. Nullo enim pacto hoc fieri posset, si animus eo tempore à ratione & mente gubernaretur. Quo ergo modo obdormiscit homo ille, qui se in judicio divino compariturum credit? Nam si mentis compos esset, avocare animum ab illius judicii cogitatione, & somno se tradere nunquam posset. Decem virginibus, quarum quinque prudentes, aliæ quinque fatuæ dicuntur, Christus regnum cœlorum comparavit, quæ dormitavêre omnes & dormierunt. *Mat. 25. v. 5.* quando moram trahebat sponsus, quem ad nuptias conducturæ convenerant. Quærit hic Abulensis, utrum omnes decem virgines positâ omni solicitudine de adventu sponsi somno habenas permiserint. Videntur enim hoc indicare verba S. Matthæi. Respondet tamen *q. 6. in c. 25. Mat.* verisimilius est, quod prudentes dormitabant tantum, & non dormiebant, fatuæ autem dormiebant. Hoc enim pertinet ad prudentes, nam cum tenerentur curâ expectationis venturi sponsi non possunt dormire profundè, quia cura hæc illas excitaret. Dormitabant igitur, id est leviter, & pauculum rapiebantur sopore, & statim evigilabant. Fatuæ verò quasi non esset eis aliqua cura, dormiebant; licet essent in expectatione venturi sponsi. Et ideo dormire & non dormitare dicuntur. Meritò fatuæ dictæ, quæ inter non tantum propinquantis sponsi, sed paulo post futuri judicii timores, tam vacuæ à curis fuerunt, ut totaliter somno fræna laxarent. Meliùs vigilavit vir quidam pius & devotus, qui quoties audivit sonitum horæ secum dicebat: Domine DEus jam iterum unā horam vitæ meæ consumpsi,

Contra Otium bonum & securum remedium.

de quâ tibi redditurus sum rationem, quomodo illam impenderim. Nullum enim à te est mihi impensum tempus, cujus mihi non sit reddenda ratio. Ita Petrus Binsfeldius *de pec capit. c. 12.* Quis modo poterit dormitare, non dicam dormire. Undè obsecro ergo fit, quod peccata peccatis accumulemus? nisi quia dorminus & futuri stricti judicii memores non vivimus. Philosophus quidam Athenas venit, ut sibi asinum ad clitellas vehendas coëmeret. Offerebantur venales plurimi, sed nullus placuit, voluit enim habere asinum cum caudâ pavonis. Omnes hic riserunt Philosophum, non minus autem ille risit se ridentes, quod nimirum illi riderent se quærentem asinum cum caudâ pavonis, cum illi caput, & corpus habeant vitæ asininæ, & tamen caudam & finem vitæ suæ velint habere pavoninum; seu multarum virtutum schemate illustrem. In vitâ parandum est, undè in Judicio ultimo securi simus. Adolescens quidam vitam meditabatur monasticam, sed cum à matre, plus æquô filium amante, revocaretur à proposito, constanter illam filius repressit, & verò vicit, dicendo: volo salvare animam meam. At verò dum in monasterio sibi & saluti suæ vacat remissius, morbo gravi corripitur & in mentis excessu ad DEI tribunal adducitur. Stetit ante tribunal mater, cum aliis damnanda, quæ ad filium conversa clamavit. Quid hoc fili? & tu hic inter cæteros damnandos ades? Ubi nunc sunt illæ voces tuæ, volo salvare animam meam. Dixit, & altum ingemuit Mater. Filius verò sibi restitutus, & sanitati pristinæ redditus, aliud mente non volvebat, quam matris exprobrantis voces. Cum verò illum solarentur socii, piè exclamavit. Si in illa tantùm umbratili scenâ judicii, vel unius matris improperia non sustinui, quomodo in extremi Judicii die, & Christi, & Angelorum improperia feram? Quod si à pauculis verbis defunctæ matris tantus in hoc iuvene fuit motus animi, quis sensus in nobis esse debet, quibus vox illa severi Judicis *Ma. 18.* Redde rationẽ, in auribus debet insonare. Ut pueri faciliùs addiscant litteras, & verba, quæ illis proponuntur, sæpè in pictura illis verba, & litteræ repræsentantur. Difficile est verbũ redde Rationem, adeoq; sæpius in Evangelio nobis per similitudinnẽ, modò servi, modò villici, modò fœneratoris à Christo proponitur. Non otiosè hic quæri potest, undè hic servus tantum contraxerit debitum? *Matt. 18. v. 24.* oblatus est ei unus, qui debebat ei decem millia talenta? S. Chry-

Horâ sonante cogitemus, nos de ea rationem DEO daturos.

Asinus cum cauda pavonis.

Religiosus factus ut animam salvaret, nil minus fecit.

Chrysostomus dicit, quia fortè se rationem redditurum nunquam reflectebat. Cur nos in tanta debita apud Deum dalabimur? Judicii divini immemores vivimus. Felix tamen fuit servus iste, cui Dominus tantum dimisit debitum; felicior fuisset, si nec tantum debuisset. O quàm bene est illi animo, qui nihil se debere novit.



DISCURSUS XXIX.

De Judicio extremo, & universali.

In Judicio universali non est novum Judicium.

IN hoc Judicio non nova sententia, sed prioris jam latæ publicatio expectanda erit. Ad quod judicium quàm ægrè & invitus quasi veniat, ipse declaravit. *Matth. 24. v. 28.* Dum se cadaveri quasi assimilat, quod non motu intrinseco, sed alieno movetur dicens: ubicunque fuerit corpus, ibi congregantur & aquilæ, ut ostendat, quanto cum mœrore opus illud exerceret, cui omnis judiciaria majestas cadaverosa, & quasi fatalis videtur. Et ideo forte sol obscurabitur, & luna non dabit lumen suum, ut elementa sui Authoris ad condemnandum venientis testentur mœrorem. Si enim, inquit Palatius, tenebris tantis integitur mundus, ubi Judex venit iratus; Non id igitur opus Judicis: Non enim est opus suum irasci, condemnare, punire: alioquin si lubens, & gaudens, venisset ad pœnam, rideret orbis, & cuncta gaudio plena essent. Non autem judicare, sed salvare mundum venit. Aularum hic mos est; ut lugeant cum Principe, & lætentur cum eodem, dicente Camerario *in medit. hist. Cent. 1. c. 66. de aula Maximiliani secundi.* Imperatoris optimi, observavi familiares Cæsaris plerosque imitari solitos colorem vestitûs. Rex ille supremus DEus, cui familiariter millia millium, & decies centena millia ante ejus ostium excubant stellarum exercitus, & vestes & vultus suos irato Principi conformaturi dicuntur. Atrata elementa inquit author operis imperf. *apud Freyre in c. 7. Judic.* & mœrentia luminaria mœrorem & luctum sui ad condemnandum non sponte venientis testantur authoris, alioquin si gaudens, & lubens venis-

Christus invitus ad judicium venit.

Aulici se Principi suo conformant in vestitu.

venisset ad pœnam, rideret orbis, plenaque cuncta gaudio essent. Undè quandò de judicio loquitur Christus, semper fere addit, id sibi à Patre mandatum esse. Sic *Act. 10. v. 42.* dicitur. Hic constitutus est à Deo Judex vivorum & mortuorum. Et *Luc. 12. v. 14.* de judicio ferendo inter duos fratres rogatus, Respondit, homo! quis me constituit Judicem? aut divisorem inter vos. Ego non judico quemquam. Quod observans S. Chrysostomus *serm. 121.* dicit. Cùm à scribis, & Doctoribus accusaretur adultera, avertit faciem suam, & declinavit in terram, nè crimen cerneret, maluit in pulvere scribere veniam, quam dare in carne sententiam. Non enim misit DEus filium suum, ut condemnet mundum, sed ut salvaretur mundus per ipsum. Sic Procopius in *Isa. c. 64.* meritò ait Christum increpuisse dæmones *Luc. 4. v. 34.* clamantes: venisti perdere nos. Quia Tertullianus *l. 4. contra Marcionem* inquit Judicis & ultoris, & ut dicam sævi DEI personâ agentis agnoverunt JEsum, & nonpotius illius perdere & punire nescientis. Et paulo post planè ut invidiosum, & in ipsâ confessione petulantem dæmonem increpuit JEsus, quasi hæc esset summa gloria Christi, si ad perditionem dæmonum venisset, & non potius ad hominum salutem; Qui nec discipulos de subjectione spirituum; sed de securitate salutis suæ gaudere volebat. Hinc Petro dixit, an putas, quia non possum rogare Patrem meum, & exhibebit mihi modò plùs, quàm duodecim Legiones Angelorum. Non dixit, inquit Euthymius, possum eos perdere. maluit enim imbecillis videri, quàm perdendi potentiam ostentare. Quin ut omnem severitatis umbram effugeret, neque ipsos Apostolos potestatis jure voluit insignire, adeoque neque virgam *Mat. 10. v. 10.* eos portare permisit: in quem locum eleganter Hilarius: Neque virga, id est, potestatis externæ jure indigere voluit, habentes virgam de radice Jesse, nam si quæ alia fuerit, non erit Christi. Reges olim, ut habet Pineda *in Job c. 9.* virgis utebantur, in quarum summitate rosæ, seu lilia pullulabant. Annon hic verum est illud *Eccles. 24. v. 12.* Et ossa eorum pullulent, nempe ut lilia & rosæ, quæ suavitatem spirant mansuetudinis. Quod quidem Christum ex hoc capite aversari existimo, quia in illo universali judicio manifestanda sunt omnia delicta nostra. *Gen. 18.* peccavit Sodoma, pœnamque decrevit DEus, quam manifestaturus dixit *v. 17.* num celare potero Abraham, quæ gesturus sum? S. Thom. *in c. 13. in Gen.* hæc verba intelligit sic, qua-

si DEus ægrè Abrahamo prodere vellet crimen Sodomitarum. Quia DEus, inquit, est valde difficilis ad publicanda occulta nostra crimina. Hinc *Lev. 1. v. 10.* Quando DEus sacrificium pro peccatis ordinavit, Immolabit, inquit ad latus altaris, quod respicit Aquilonem. Benè Hesichius ad Aquilonem, inquit, quia hæc pars semper nebulosa. Observavit hoc etiam Patriarcha Joseph. *Gen. 45. v. 1.* Qui cum ultra cohibere non posset, quin se fratribus manifestaret; præcepit, ut egrederentur cuncti foras. Philo de vitâ Joseph, hoc ideo factum dicit, quia dicturus erat, ego sum frater vester, quem vendidistis. Sic quoque Christus *Joan. 12.* Duæ erant sorores utraque incredula. Martham multis Christus increpuit, ubi Magdalena advenit, nihil ei Christus loquitur. Turba enim aderat, nec voluit eam aliis præsentibus reprehendere. Si ergo Christus tam difficilis est in judicandis hominibus, iisque reprehendendis, rectè infert S. Bern. *Ep. 42.* Et ego, inquit, mihi assumam, quod nec ipse Pater assumit, dicam Ego, quod Filius tam coactè, & invitè suscipit, ad quod omnis creatura luget. Quarè justa querela est S. Aug. *serm. 202. de Temp.* Maxima pars humani generis indiscreto judicio ad reprehendendum, & judicandum prompta est. Vel sol ipse velum obducet, ut tu fratrum tuorum crimina non prodas, sed obtegas. Et hinc *Mat. 24. v. 29.* dicitur, sol obscurabitur & luna non dabit lumen suum, & stellæ de cœlo cadent, quia vellent tegere tam enormia peccata totius mundi. Ut vel ideo concidentibus cœli luminaribus, putent aliqui, novum ignem accendendum ad judicii illustrationem dicente coronato Propheta *ps. 96. v. 2.* Ignis ante ipsum præcedet. Quod *Isaias c. 66. v. 15.* confirmat: Quia ecce Dominus in igne veniet.

DEus non facilè propalat occulta nostra delicta.

Proni sumus ad judicandum.

Veniet autem, non ut DEus, quia impii DEum non videbunt, sed veniet ut homo, quod bene observat S. Hier. qui dicit damnatos visuros Christum in formâ hominis, quam amore nostri suscipere dignatus est, ut verificetur illud, quod videbunt, in quem transfixerunt. Quarè Godefridus Cardinalis S. Priscæ ait, videbunt humanitatem, ut DEus in eâ forma, in quâ judicatus est à mundo, judicet mundum. Quis venturus est judicare exclamat S. August. *in ps. 147.* nisi qui voluit judicari. Unde solatur bonos & justos S. Bern. *serm. 73. in Cant.* O verè Patrem misericordiarum, vult per hominem homi-

Christus ad judicium veniet in forma hominis.

nes

nes judicare, quo in tantâ trepidatione & perturbatione malorum electis præstet fiduciam naturæ similitudo. Adeoque loquens de hac tremendâ judicii die, se alium non, quàm filium hominis affirmat. Sic enim clarè loquitur S. Matthæus, cum venerit filius hominis, & S. Joannes in suâ Apoc. inquit: Et vidi, & ecce nubem candidam, & super nubem sedentem, filio hominis similem. Gratiosè S. Bern. Vult itaque in judicium venire, non tamen in formâ DEI in judicio comparere, sed in eâ, quâ nobis natus est, idque de sexu fœmineo. Sic enim *Joan. 5. v. 27.* dicitur: Et potestatem dedit ei, judicium facere, quia filius hominis est. Ideo namque quia filius hominis est, & homo factus, atque in cruce pro nobis mortuus est. Verùm quàm amabilis fuit humanitas Christi in terris, tam tremenda erit in die judicii. Certè S. Vincentius Ferrerius audet dicere, quod tunc eligerent peccatores, potius ad infernum detrudi, quam Domini præsentiam ferre judicantis. Judicaturo enim Domino, inquit S. Hier. *l. 2. Ep. 6. ad Helvid.* lugubre mundus immugiet, tribus ad tribum pectora ferient, & potentissimi quondam reges nudo latere palpitabunt. Nec reges tantùm hujus mundi, sed virtute præcelsi sancti contremiscent.

Humanitas Christi in judicio erit terrori.

An non excelsus coram DEO fuit Abraham, & tamen is DEO duce ivit in convallem illustrem in terram visionis. Hebræus legit in convallem timoris, in terram timoris. Job ille excelsus amicus DEI, semper super se tumentes fluctus DEum timuit. David vir secundùm cor DEI *ps. 118. v. 120.* de se fatetur: A judiciis tuis timui. Ut meritò proinde exclamet S. Aug. nimis timidus esse volo, quia nimirum ignem æternum timeo. Melius est enim justum DEum Judicem timere, quàm de salutis suæ severitate præsumere. Audite Tertull. *de cultu fœm.* Qui de se ipso vel amore suo in DEum præsumit, minus veretur, minus præcavet, adeoque plus periclitatur.

Sol & luna obscurabitur, stellæ de cœlo cadent.

Ut verò propiùs accedamus, expendamus vel ipsa illa, quæ hunc judicii actum præcedunt. Patientur cœli luminaria, & luce suâ privabuntur, dicente Christò *Mat. 24. v. 29.* sol obscurabitur, & luna non dabit lumen suum, & stellæ de cœlo cadent. In senectute oculi caligant, tremunt membra, labant, nutantque pedes, quæ omnia videntur vicinam mortem innuere. Fient hæc in ultimâ mundi senescentis ætate, cum jam finis, & consummatio instabit. Oculi mundi, id est, sol & luna, cœli illa pretiosa luminaria caligabunt,

terra contremiscet, stellæ ipsæ concident. Hi sunt mundi quasi morientis paroxismi. Erunt signa in sole, sed non illa, quæ cum Josue aut Ezechia facta legimus, quando sol stetit imperio hominis, vel retrogessus est. Sol obscurabitur, id est, facies solis Justitiæ divinæ mœrore lugubri investita, horrorem pariet admirandum. Florimundus Raymundus *l. 3. de ortu & progressu hæreseon* scribit, quod pugnaturo Carolo quinto cum Saxone sol ruber visus sit. Erubescet enimverò sol Justitiæ Christus, vel ardore vindicantis Justitiæ, vel pudore nostrorum scelerum confusus. Nos dum erubescimus vel manu faciem tegimus, vel rubore suffundimur. Erubescet Christus, pudebit enim illum pro nobis inaniter profusi sanguinis, tot gratiarum & beneficiorum perditorum. Referunt historici, quòd anno 1581. visus sit in sole gladius. In sole Christo videbitur gladius ille apocalypticus, *Apoc. 19. v. 15.* Et de ore ejus procedit gladius, utraque parte acutus, ille scilicet qui Patrem à filio dividet in omnem æternitatem, & hominem à DEO separabit in æternum. Sol modò in signis suis graditur. Tunc verò erunt signa in sole. Erit signum irati Leonis Judicis, à cujus fulmineo ore omnes damnati miserrimè fulminabuntur. Erit signum æquissimæ libræ, scorpionis morsicantis reas damnatorum conscientias, cancri retrocessuri in separationem justorum à damnatis, qui à voce Judicis Christi velut milites in horto fulminati cadent retrorsum. Sagittarii sententiam damnationis vibrantis in reos. Tauri, arietis, capricorni cornibus crucis damnatos arietaturi. Erunt signa in luna, quæ obscurabitur, non enim amplius patrocinabitur Maria, quæ pulchra est ut luna, & peccatorum est refugium. SS. PP. illud *Cant. 7. v. 4.* de Maria intelligunt, collum tuum sicut turris eburnea, quia sanctissima virgo intercessione suâ pro peccatoribus est robustissima. Licet autem Philippus Abbas dicat de ebore, quod si illi imponatur tela, quod tela ab igne non consumatur; ita etiam peccator, qui eburneæ turri Mariæ modo innititur, ab igne iræ divinæ non consumetur. Tunc autem quia decretoria sententia irrevocabiliter lata est, & promulgata, amabile hoc ebur Maria, penitus enervatum erit, ejusque intercessio nulla audietur. Scio Ego, quod Jonas morte duriorem tulerit ablatam sibi umbram. Maria umbra est peccatorum à facie irati DEI. Non dicam, quòd pallida luna pluat, rubicunda flet. Pluet tunc imber lachrymarum non amplius fructuosarum, & à facie irati DEI flabit

Sol pugnante Carolo V. ruber visus.

In sole visus est gladius.

Erunt signa in sole.

Maria in judicio non amplius patrocinabitur.

ventus

ventus furoris Domini. Erunt signa in stellis. Scilicet tunc nulla stella nos ducet ad præsepe, & cunas amabilis DEI, sed tunc caudatorum instar cometarum virgâ suâ fatali nempè approbationis judicio, impellent damnatos in ignem æternum. In vita S. Alexandri 3. Maji refertur, quod angelus cum virgâ ferreâ, & igneâ apparuerit Aureliano, has virgas nobis peccatorum nostrorum vinculis colligavimus. Tunc stellæ de cœlo cadent, qualiter *Apoc. 9. v. 1.* cecidit stella illa, quæ aperuit abyssum; scilicet abyssum infernalium ignium, in æternum reseratura. Nomine stellarum intelligunt SS. PP. communiter Sanctos & electos DEI. Inter has stellas, quædam dicitur Hesperus, illa nimirum morientium Patrona, quæ in occasu mortalis vitæ Clientibus suis oritur. S. Barbara, hæc etiam tunc concidet, nec amplius patrocinabitur. Quid tunc miser peccator aget? Certè nihil gravius nobis in hac vitâ mortali potest accidere, quàm deseri ab omnibus. Si tamen modo in terris deseramur à terrenis, cœlum saltem nobis superest, quo recurramus. Tunc omni præsidio etiam ipsius cœli destituti perire debebimus, nisi in vitâ operibus misericordiæ & vitâ Christianâ præoccupaverimus. Advertendum autem est, quòd Angelus tubâ citabit judicandos, hocque multi credunt S. Michaëli Archangelo committendum, cujus est repræsentare Christo animas judicandas dicente S. Paulo *1. ad Thess. 4. v. 15.* Quoniam ipse Dominus in jussu & in voce Archangeli, & in tuba DEI descendet de cœlo, & mortui qui in Christo sunt, resurgent primi. Et quidem quemadmodum dicit idem Apostolus *1. ad Cor. 15. v. 52.* In momento, in ictu oculi, in novissimâ tubâ. Canet enim tubâ, & mortui resurgent. Ubi verò mortui resurrexerint, Christus gloriosus aderit, ut tunc impleatur illud Pauli *1. ad Cor. 15. v. 26.* Omnia enim subjecit sub pedibus ejus. Et propterea idem Paulus *ad Philip. 2. v. 10.* DEus Pater exaltavit illum, & donavit illi nomen, quod est super omne nomen, ut in nomine JEsu omne genu flectatur, cœlestium terrestrium, & infernorum, & omnis lingua confiteatur, quia Christus est in gloria DEI Patris. Tunc comitabuntur eum omnes Angeli in numero incredibili, & quod vero simile est, in specie visibili ad terrorem impiorum, & consolationem justorum. Uti & in comitivâ Sanctorum dicente S. Juda Apostolo *in Ep. v. 15.* Ecce veniet Dominus in sanctis millibus suis, facere judicium contra omnes impios, de omnibus operibus impietatis eorum, quibus impiè

Patrocinium SSrum in judicio non erit.

S. Barbara Hesperus morientium.

In Judicio divino Angelus tubâ canet.

impiè egerunt, & de omnibus duris, quæ locuti sunt contra DEum peccatores impii. Qui omnes assistent ante thronum DEI, ita effigiatum è nubibus, ut is ex claritate corporis Christi illustratus singulari splendore clarescat. Parebit deinde signum filii hominis dicente Christo *Mat. 24. v. 30.* Tunc parebit signum filii hominis in cœlo, crux nimirum Christi divinâ virtute redintegrata; quod conformè videtur verbis sequentibus: Tunc plangent omnes tribus terræ, utique damnatis in pœnam æternam. En prostat Christus cruentus de cruce pendens, inclamat Stephanus Cantuariensis, accedat, qui peccat, accedat, & videat crucem, & propter se mulctatum morte, turpatum in cruce, sputis illitum, plagis lividum, spinis coronatum, lanceâ perforatum, & esse adversarius erubescat. Meritò tunc aliquis reprobos alloquetur verbis S. Ephrem *de pass.* contempleris ô homo immaculatissimum Dominum in cruce suspensum, audesque, ô impudens & infelix homo in deliciis vitam tuam transigere, an nescis ô miser! quod de his omnibus rationem exiget, qui pro te crucifixus est dominus. vibrabit hæc crux tonitrua & fulmina in damnatos, quorum omnia abscondita peccata illuminabit. Sic enim illuminationem cordium in die Judicii S. Hippolytus M. *tract. de consum. secul.* adscribit radiis S. crucis. Radiabit enim illa inter nubes in manibus Angelorum juxta Iridem iudiciariæ sedis instar solis super electos, ut recreentur; super reprobos, ut torqueantur. Verba Authoris sunt. Apparebit signum filii hominis cum multitudine exercitûs Angelorum, universam terram illuminans, super claritate solis in adventu Domini. Opalus gemma, refert varios colores diversarum aliarum gemmarum, nempe ignem carbunculi aurum amethysti, virorem smaragdi, purpuram iaspidis, verbo uno nobilissimus est naturæ partus. Ars tamen naturam imitatur, quæ commune vitrum ita præparat, ut opalo sit simillimum. Adulterinam tamen gemmam probat lux solis, hæc enim illud irradians ostendit, non gemmam sed vitrum esse. Tales adulterinos Opalos habet mundus, multi enim videntur ardere igne charitatis, argento puritatis, sed imponunt & decipiunt, gemmæ non sunt, vitra sunt. Verus Justitiæ sol, & lux ipsa sanctæ crucis ubi illos irradiaverint, in momento fucus omnis palam fiet. Nec est, qui se oculis divinæ iustitiæ subducat. Omnes inquit Sanctus Paulus *ad Rom. 14. v. 10.* stabimus ante tribunal Christi. Quod rursus

Signum crucis erit in cœlo.

Opalus gemma refert omnes gemmarum colores.

Omnes palam judicabimur.

rursus asserit. *2. ad Cor. 5. v. 10.* omnes enim nos manifestari oportet ante tribunal Christi, ut referat unusquisque propria corporis, prout gessit, sive bonum, sive malum. Et tunc bonos quidem judicabit judicio approbationis, malos verò judicio exprobrationis. Atque hoc publicè, dicente Christo apud *Matth. c. 16. v. 27.* filius enim hominis venturus est in gloriâ Patris sui, cum angelis suis & tunc reddet unicuique secundùm opera ejus. Ut scilicet non solum cuique constet de æquitate Judicis sed & publicè videatur divina providentia circa justos & improbos, ut scilicet improbis, qui duxerunt in bonis dies suos, sit major confusio. Boni autem qui in hoc mundo pressuras passi sunt, & quemadmodum dicit Paulus *ad Hebr. 11. v. 37.* circuierunt in melotis, in pellibus caprinis, egentes, angustiati, afflicti, ut majori gloriâ coram omnibus ornentur. Hæc autem omnia fient in valle Josaphat teste *Joël. c. 3. v. 2.* ubi clarè dicit: congregabo gentes, & deducam in vallem Josaphat, Beda dicit vallem, per quam transit torrens Cedron, in qua scilicet Christus passionem suam exorsus est. Ut nimirum ibi peccatoribus majestatem suam exhibeat, ubi maximè in eandem peccârunt. Hic omnia arcana nostrorum cordium patebunt, imò ipsa etiam peccata licèt grandia Sanctorum. Quærit S. Gregorius, an in die Judicii etiam Davidis adulterium, S. Petri negatio, infidelitas S. Thomæ, libidines S. Magdalenæ prodibunt? Et respondet, quòd ita, non tamen ad confusionem illorum, sed gloriam. Pulchrè id declarat exemplo. *Exod. 14. v. 13.* quo Deus solatus est per Moysem populum in Ægypto, quando illum ad mare rubrum persecutus est Pharao dicens: Ægyptios, quos nunc videtis, nequaquam ultra videbitis usque in æternum. Dum ergo Israëlitæ transeunt per mare rubrum, eosque insequuntur Ægyptii, hi coëuntibus aquis omnes submerguntur: Dicit scriptura: viderunt Ægyptios mortuos super littus maris. Objicit S. Aug. Quid est hoc? promittit DEus, quod non sint visuri amplius Ægyptios? Respondet eleganter, prius vidisse illos vivos cum fastidio, sed postea vidisse eos submersos cum consolatione. Hoc idem de adulterio Davidis, de negatione Petri, de infidelitate S. Thomæ, de libidinibus Magdalenæ pænitentis dicendum est, quorum delicta audiuntur etiam nunc cum consolatione, & in judicio cum gloriâ ipsorum manifestabuntur. Heu quantus autem tremor, & consternatio occupabit tunc homines peccatores, cum voluptuosa, & carnalis anima, videbit cadaver suum

Judicabimur in valle Josaphat.

Etiam Sanctorum magna peccata manifestabuntur.

scatere

ſcatere vermibus. Quando ſuperbus videbit idolum ſuum redactum in cineres, ubi ſol humanæ gloriæ convertetur in tenebras orcinas, ubi ſtella omnis felicitatis infernalis evaneſcet, & nihil niſi flammas piceâ caligine mixtas, poſt ſe relinquet. Pulchrè S. Joannes in ſuâ *Apoc: c. 18. v. 9.* dum deſcribit ruinam meretricis babylonicæ dicit: & flebunt, & plangent ſuper illam, qui cum illâ fornicati ſunt, & in deliciis vixerunt. Sed cur obſecro plangent? Audite S. Joannem, cum viderint fumum incendii ejus. Explicat hoc venerabilis Beda Judicium perditionis ſuæ, quoniam fumus ignem præit. Nondum Judex apparebit, & jam intolerabilis pudor peccatores torquebit. Denique erit pro ſupplicio, quod vilitatem meretricis ſuæ ardentem videre cogantur. Unde Beda loco citato cunctas mundi pompas, & ea, quæ ſenſibus ſuavia, vel externis ſunt uſibus accomodata deficere lugebunt. Timemus fulmina, coruſcationes formidamus, horremus tonitrua! Et quid obſecro eſt tonitru? Et tamen licèt ſonitus tantùm ſit, timetur tamen, & terret etiam illos, qui populos faciunt contremiſcere. At verò tonitru in damnatos feralis ſententiæ, quod à ſupremo Judice audietur, ita feriet, ut in momento omnes detrudat in domum æternitatis infeliciſſimæ, in æternum duratura inferorum incendia. Hæc eſt vox illa tremenda, quæ auribus S. Hieronymi ſemper inſonuit, ut dixerit. ſive comedam, ſive bibam vox iſta inſonat in auribus meis. Venite benedicti! Ite maledicti! Ridet hanc piam formidinem noſtram acatholici, qui penè ex Mahometis Alcorano ſibi cœlum facilitant. Tunc enim inquit ipſe Mahomet veniet velut lanoſa ovis, in cujus lanam velut pulices inſilient Turcæ, ut per illum cœlo illati deinde ſe explicent, & ſecurè diffundant: Quid aliud agunt Lutherani, qui ad hanc formam quaſi cœlo ſe ingerunt, atque ſolis Chriſti meritis ſe contegunt, ſicque in ſola fide & meritis Chriſti ſtabunt in judicio ſecuri. Enimverò credidit S. Hieronymus & meritis Chriſti plurimum præfidebat. Quid dicam de tot SS. Martyribus, qui in teſtimonio fidei mortui ſunt. Quid memorem tot Sanctiſſimos viros & fœminas, qui ſine dubio crediderunt, & in meritis Chriſti piiſſimè confidebant, tamen iuxta doctrinam S. Petri *2. Petr. 1. v. 10.* Quapropter fratres magis ſatagite, ut per bona opera certam veſtram vocationem, & electionem faciatis, hi ſuam ſalutem bene operando aſſecurârunt.

Turcæ & Lutherani facilè cœlum intrant.

Legite

Legite obsecro totum caput *25. Matth.* ubi in fine à *v. 31.* usque ad finem illius capituli Judicii processus describitur, & sententia decretoria æternæ salutis, æque ac maledictionis decernitur, nec tamen fidei in Christum (quam Catholici semper supponimus, nec meritorum Christi, quorum participes nos facere debemus) mentionem ullam audio. In hoc tremendo & iustissimo DEI processu sententia vitæ æternæ illis verbis *Mat. 25. v. 34.* publicatur. Venite benedicti Patris mei, possidete paratum vobis regnum à constitutione mundi, & causalis statim additur: esurivi enim & dedistis mihi manducare; sitivi, & dedistis mihi bibere; hospes eram, & collegistis me; nudus, & cooperuistis me; infirmus, & visitâstis me. Paribus verbis planè *v. 41.* decernitur sententia condemnatoria. Tunc dicet, & his, qui à sinistris erunt, discedite à me maledicti in ignem æternum, qui paratus est diabolo, & angelis eius. Quare? Fortassis ideò, quia non credidistis? Nihil Ego hic audio de fide, sed audite Christum *v. 42.* Esurivi enim & non dedistis mihi manducare; sitivi, & non dedistis mihi potum; hospes eram, & non collegistis me; nudus & non cooperuistis me; infirmus & in carcere, & non visitastis me. Audite modo tremendum fulmen non in infideles tantum, sed fideles, à piis charitatis operibus nudos evibrari. Et ibunt hi in supplicium æternum, justi autem in vitam æternam. Hæc credo fuerit causa, quod Calvinus *l. 3. c. 14. §. 21.* dicat, nempè quos DEus suâ misericordiâ æternæ vitæ hæreditati destinavit, eos ordinariâ suâ dispensatione per bona opera inducit, in ejus possessionem. Quod *l. 9. c. 15. §. 1.* repetit. Non enim aut fidem somniamus bonis operibus vacuam, aut justificationem, quæ sine iis constet. *Calvinus sibi contradicit.*

Quomodo ergo sui immemor Calvinus in eodem loco à me citato docet. Justitiam in fide positam esse, non in operibus. Cui consonat *Lutherus p. 6. fol. 196.* ubi dicit: Maledictus ille, qui aliter docet, quàm quòd in solâ fide nostra consistat justificatio. Parcius obsecro! Si enim nos Catholici dicamus Lutheranis, quod ex doctrina S. Pauli sit unus Christus, una fides, unum baptisma. Et consequenter qui hoc non credit, ex doctrina S. Joannis jam sit condemnatus; exprobrant illi nobis illud Christi; Nolite judicare, & non judicabimini, nolite condemnare & non condemnabimini. Quâ fronte ergo maledicit Lutherus nobis, qui docemus, quod justificatio nostra non in solâ fide, sed & in operibus consistat. Nisi forte homo impius maledicat ipsi Christo. Qui *Mat. 7. v. 19.* dicit: omnis *Opera ad salutem sunt necessaria.*

arbor, quæ non facit fructum bonum, excidetur, & in ignem mittetur. Cui similis est textus ille Evangelicus *Mat. 22. v. 11.* Intravit autem Rex, ut videret discumbentes, & vidit ibi hominem non vestitum veste nuptiali, & ait illi, Amice, quomodo huc intrâsti non habens vestem nuptialem. Quem ideo ligatum manibus, & pedibus ejecit in tenebras exteriores. Hanc vestem nuptialem S. Joan. *Apoc. 3. v. 18.* charitatem dicit: suadeo tibi emere à me aurum ignitum probatum, ut locuples fias, & vestimentis albis induaris. Undè Paulus *ad Eph. 4. v. 24.* monet. Induite novum hominem, qui secundùm DEum creatus est in Justitiâ & sanctitate veritatis. Quos textus SS. PP. unanimiter explicant de operibus bonis ex charitate factis. Ut propterea Christus *Mat. 25. v. 41.* nullam aliam fecerit mentionem, quam operum, dum dixit: discedite à me maledicti in ignem æternum, qui paratus est diabolo, & angelis ejus. Quia scilicet esurivi, & non dedistis mihi manducare &c. Undè etiam S. Paulus *2. ad Cor. 5. v. 10.* Judicii diem in quæstione & examine bonorum operum repræsentat, dum dicit: omnes enim nos manifestari oportet ante tribunal Christi, ut referat unusquisque propria corporis, prout gessit sive bonum, sive malum. Quod Christus confirmat *Apoc. 2. v. 23.* Ego sum scrutans corda & renes DEus, dabo unicuique secundum opera sua. Quod *ibidem c. 22. v. 12.* repetit. Ecce venio cito, & merces mea mecum est, reddere unicuique secundùm opera sua. Certè quando DEus creavit hominem, inquit sacer textus, posuit eum in paradysum voluptatis, ut operaretur, & custodiret illum. Per paradysum intelligunt SS. PP. Ecclesiam, Philo Hebræus intelligit ipsam vitam iustorum. Ex hac ordinatione divinâ S. Ambr. duo deducit, & postulat ab homine Christiano. Primo ut operetur semper nova opera bona, & proficiat de bono in melius. Secundò ut opera sua custodiat. Hæc duo, inquit, ab homine requiruntur, ut & opera nova quærat, & parta custodiat. Et hoc putat S. Basil. voluisse DEum, quando dixit primis parentibus, crescite & multiplicamini, quod non tantum de generatione, Adami & Evæ, verum etiam de augmento virtutum & bonorum operum in animâ intelligi debet. Et hinc S. Bern. *serm. 51. in Cant.* fides sine operibus mortua est, dicit; Sicut inutiliter quoque flos apparet, ubi non sequitur fructus. Ut benè dixerit proinde Eugenius *in l. 4. Reg.* fides & opera vinculo quodam indissolubili connectuntur,

Bona opera sunt facienda & conservanda.

ctuntur,

ctuntur, ubi enim una deficit altera penitus non ftabit. Hinc 2.Pet.1. v.10. Hortatur Apoftolus, ut per bona opera certam veftram vocationem & electionem faciatis, hæc enim facientes non peccabitis aliquando. Et *S. Jacobus c.2. v.20.* ficut corpus fine fpiritu mortuum eft, ita fides fine operibus mortua eft. Quia verò Jacobus heterodoxis non placet, audite S. Paulum *ad Gal.5. v.6.* Nam in Chrifto JEfu neque circumcifio aliquid valet, neque præputium fed fides, quæ per charitatem operatur. Ariftoteles homo gentilis *l.1. Eth. c.9.* beatitudo eft præmium virtuofarum operationum. Quem diviniori lumine illuftratus S. Thomas ex S. Aug. explanat dicens: Multis & diverfis operationibus, & virtutibus indiget humana anima, ut affequatur beatitudinem. Sic Chriftus requifitus à quodam, quid faciendo vitam æternam poffidebo? interrogavit, In lege quid fcriptum eft? & ubi refpondit Pharifæus, DEum ex toto corde amandum *Luc.10. v.28.* dixit Chriftus, hoc fac & vives. Ex hoc bene inferunt Catholici, quod fola fides non falvet. Lutherus tamen *fuper 5. pf. Tom.3.* inquit, fi tibi fcriptura præcipiat facere opus bonum, fic intelliges, quod fcilicet tibi prohibeat, aliquod bonum opus facere, cum illud non poffis facere. O impia, ne dicam belluina interpretatio! Pharifæus non interrogavit Chriftum, quid credendo, fed quid faciendo vitam æternam poffidebit. Unde etiam Chriftus refpondet; hoc fac; & non dixit; hoc crede. Et benè fequitur dictum Chrifti. Et vives, fcilicet in vitâ æternâ. Quare ficut Chriftus hic nullam mentionem faciendo de fide, fidem tamen non excludit, quia fine fide impoffibile eft placere DEO *ad Hebr.11. v.6.* ita quando Chriftus loquitur de fide, non referendo fe ad opera, intelligendus eft, pariter, per hoc bona opera non exclufiffe. Uti benè S. Auguft. *l. de fide & op. c.13.* monet. Libenter proindè viderem, quomodo Lutherus explicet illud *Mat.20.* quando paterfamilias conduxit operarios in vineam fuam, quibus mercedem juftam pro operâ conducta promifit. Si enim vera effet allegata doctrina Lutheri: fi fcriptura dicit ut bonum opus faciamus, fic intelligendum effe, ut prohibeat bonum opus, cum illud facere non poffis. Effet, inquam hoc patrisfamilias mandatum, ite & vos ad vineam meam idem dicere; ac otiemini in vinea mea, non laborate, quod tamen falfum effe manifeftè probatur ex Evangelii contextu. Primò enim dicuntur operarii, deinde dicunt ipfi, fe portâffe pondus & æftum diei.

Rursus quomodo murmurare potuissent, & dicere, hi ultimi tantùm unâ horâ laborarunt, & tamen eos nobis pares fecisti, si enim otiosi esse debuissent, facilè responderi illis potuisset, eos non ad laborandum, sed otiandum missos esse. Ex quo deducitur, quod DEus præmium, quod daturus est justis, illud non daturus sit nisi propter opera. Sicut enim se pœna habet, propter negationem seu defectum bonorum operum, ita etiam præmium correspondet bonis operibus. Sic enim *Mat. 25. v. 34.* dicet: venite benedicti Patris mei, possidete paratum vobis regnum à constitutione mundi. Sed quare? Audite, Esurivi enim & dedistis mihi manducare. Ideoque Paulus *1. ad Cor. 3. v. 8.* dicit unusquisque autem propriam mercedem accipiet, secundum suum laborem, DEI enim sumus adjutores. Atque ideo ne in hoc labore deficiamus, hortatur nos *2. ad Cor. 4. v. 17.* Id enim quod in præsenti est momentaneum, & leve tribulationis nostræ, æternum gloriæ pondus operatur in nobis, non contemplantibus nobis, quæ videntur, sed quæ non videntur. Ut verò videamus clariùs, quàm opera ad salutem sint necessaria, in specie descendit scriptura ad actus certos, & determinata opera bona. Et quidem ad contritionem nos hortatur Paulus *2. ad Cor. 7. v. 10.* Quæ enim secundum DEum est tristitia, pœnitentiam stabilem in salutem operatur. Sæculi autem tristitia mortem operatur. Ut propterea *ad Philip. 2. v. 12.* dicat, cum metu & tremore salutem vestram operemini. Et S. Petrus ubi monet, ut per bona opera vocationem certam faciamus, *2. Pet. 1. v. 11.* expressè dicit: sic enim abundanter ministrabitur, vobis introitus, in æternum regnum Domini nostri, & Salvatoris JEsu Christi. An non expressè præter fidem scriptura à fidelibus exigit Timorem Domini? *Eccles. 1. v. 28.* Qui sine timore est non poterit justificari. Ideoque David *ps. 110. v. 10.* inquit: Initium sapientiæ Timor Domini. Quod confirmavit Salomon *Prov. 14. v. 27.* Quia timor Domini est fons vitæ. Ità spem pariter & fiduciam postulat Salomon *Prov. 28. v. 25.* Qui sperat in Domino sanabitur. Quod idem S. Paulus asserit, *ad Rom. 8. v. 24.* spe salvi facti sumus. Charitatem vel ipse Christus exigit. *Joan. 14. v. 23.* si quis diligit me, sermonem meum servabit. Et Pater meus diliget eum, & mansionem apud eum faciemus. Et ideo S. Joan. *in suâ Ep. 1. c. 3. v. 14.* gravissimè asserit. Qui non diligit, manet in morte. Christus verò *Luc. 7. v. 47.* Magdalenæ peccata remissa dixit, quia dilexit:

Specialia opera bona nobis scriptura mandat.

Remit-

Remittuntur ei peccata multa, quia dilexit multum. Clarissimè verò Paulus *1. ad Cor. 13. v. 2.* contestatur, si habuero omnem fidem, charitatem autem non habuero, nihil sum. Exigit præterea Christus præter fidem observationem mandatorum *Mat. 19. v. 17.* si vis ad vitam ingredi serva mandata. *Joan. verò 15. v. 10.* si præcepta mea servaveritis, manebitis in dilectione meâ. Quod *ibid. v. 14.* repetit: vos amici mei estis, si feceritis, quæ Ego præcipio vobis. Unde Apostolis per orbem dispergendis mandavit *Mat. 28. v. 20.* docete eos servare omnia, quæcunque mandavi vobis. In quæ verba S. Hier. *in c. 28. Mat.* Jussit Dominus quæcunque servanda sunt, præcipere. Ne autem putaremus levia esse & pauca, addit. Omnia quæcunque mandavi vobis. Baptismum Christus eodem modo sub pœnâ salutis perdendæ ordinavit. *Joan. 3. v. 5.* Nisi quis renatus fuerit ex aquâ & Spiritu sancto, non potest introire in regnum DEI. Adeoque *Act. 2. v. 35.* monuit. S. Petrus. Baptizetur unusquisque vestrum. Causa datur *1. Petr. 3. v. 81.* Salvos nos facit baptisma. Si verò post baptismum quis lapsus est, necessaria est pœnitentia dicente Christo. *Luc. 13. v. 3.* Nisi pœnitentiam egeritis, omnes similiter peribitis. Quare tam solicitè monet S. Jacobus *in suâ Ep. Can. c. 5. v. 16.* Confitemini alterutrum peccata vestra. Ex quo manifestum fit, quod opera nostra bona mereantur vitam æternam. Sic enim *Mat. 20. v. 8.* Cum esset serò dixit Paterfamilias ad villicum suum, voca operarios, & da illis mercedem, & quilibet accipiebat grossum suum. Per grossum intelligunt communiter SS. PP. beatitudinem cœlestem. Ex quo sequitur, quod regnum cœlorum pro labore in vineâ tanquam merces homini debita à DEO detur. Et in hoc omnes beati pares sunt, quia omnes grossum accipiunt, nempe essentialem beatitudinem, pares tamen non sunt in accidentali gloria, & ideo variæ sunt apud Patrem mansiones. *Joan. 14. v. 12.* Et *S. Aug. l. de virg. c. 26.* sic declarat. Quomodo ergo Lutherani in suo cantu de præceptis ogganiunt. Quod opera nostra sint perdita, nec aliud nisi iram DEI mereantur? Item in aliis cantionibus, opera nostra nihil omnino mereri. Scriptura dicit, quòd operarii in vineâ meriti sint grossum, & non iram apud Patrem familias. Certè in die Judicii juxta sententiam Christi justi experientur opera sua misericordiæ fuisse meritoria. Cùm clare dicat Christus *Mat. 20.* Venite benedicti. Cur? Esurivi enim, & dedistis mihi manducare. Objiciunt tamen hæretici, si grossus

Opera bona merentur vitam æternam.

Gloria essentialis æqualis est omnibus, accidentalis est diversa.

significat beatitudinem, quare nihilominus aliqui murmurârunt, quod ultimi tantùm acceperint, quantum primi? Ad quod Respondemus Catholici, in cœlo non fore murmur: Deinde dicimus hanc posteriorem partem parabolæ spectare Judæos, qui quia in lege semper fuerunt, credebant se aliquam habituros prærogativam præ gentibus, quæ quia posteriores erant, à Judæis despiciebantur, tanquam impares tantæ gratiæ, & hunc errorem voluit DEus avertere. Et hinc S. Chrysostomus bene observat. Quod Christus sæpè in parabolis aliquid immisceat, quod ad substantiam quidem quæstionis non pertinebat, serviebat tamen ad alium finem à Christo intentum. Advertendum tamen est, quod DEus non observet rationem temporis, quamdiu aliquis laboraverit, sed quàm benè, quia unus una hora plùs mereri potest, quàm alter integrâ die. Sic enim *Marc. 12. v. 43.* Vidua illa dedit duos nummos tantum, & tamen plus dedit, quàm omnes illi, qui manus plenas injecerunt in gazophylacium.

Sola fides non justificat.

Meritò ergo Ecclesia Catholica decernit, quod sola fides sine operibus non justificet. Clarè enim S. Jacobus in *Ep. sua Can. c. 2. v. 24.* dicit. Ex operibus justificatur homo, & non ex fide tantum. Et ideò in eodem *c, v. 14.* per Ironiam quærit. Quid proderit, si fidem quis dicat se habere, opera autem non habeat? numquid poterit fides salvare illum? Quod bene advertens S. Paulus *1. ad Cor. 13. v. 2.* dixit. Si habuero omnem fidem, ita ut montes transferam, charitatem autem non habuero, nihil sum. Quod gravissimè *ad Gal. 5. v. 6.* confirmat. In Christo JEsu neque circumcisio aliquid valet, neque præputium, sed fides (bene observa) quæ per charitatem operatur. Ut propterea S. Aug. *serm. 16. de verbis Apost.* dicat. à fide incipit homo, sed quia etiam dæmones credunt, necesse est, addere spem & charitatem. Quod utique dæmones nequeunt, sicut & damnati, & ideo salvi esse non possunt. Hanc fidem infructuosam Christus ostendit fuisse in Judâ. *Joan. 6. v. 71.* Nonne Ego vos duodecim elegi, & ex vobis unus diabolus est. Quod explicat. *v. 72.* Dicebat autem Judam Simonis Iscariotem, hic enim erat traditurus eum, cum esset unus ex duodecim. Ubi vides Judam licèt reprobum, fidem habuisse. Idem videmus accidisse cum Simone Mago. *Act. 8. v. 12.* Tunc Simon (scilicet Magus.) & ipse credidit, & cum baptizatus esset adhærebat Philippo. Imò & à charitate & omnibus bonis operibus potest fides separari, atque separata permanere. Id enim clarissimè

rissimè videtur in dæmonibus & manifestè apparet. *Joan. 12. v. 42.* Multi ex Principibus crediderunt in eum, sed non confitebantur, dixerunt enim gloriam hominum magis, quàm gloriam DEI. Et *Mat. 7. v. 22.* Multi dicent mihi in illâ die, nunquid in nomine tuo prophetavimus, & in nomine tuo dæmonia ejecimus. &c. Et tunc confitebor illis, quia nunquam novi vos. Sic licèt adulterium commiserit David, & occiderit Uriam; licet Petrus negaverit Christum, tamen & in Petro, & in Davide perstitit fides. Ut propterea S. Aug. dixerit. Fides sine charitatè potest quidem esse, sed non & prodesse. Quare hæc fides sine operibus mortua est. Docet hoc disertis verbis S. Jacobus *in Ep. sua Can. c. 2. v. 17.* Sic & fides, si non habeat opera, mortua est in semetipsâ. Quod per similitudinem explicat ibidem *v. 26.* Sicut enim corpus sine spiritu mortuum est, ita & fides sine operibus mortua est. Luctantur hic, & mirè se torquent Lutherani, ut quibusdam se scripturæ textibus tueantur. Quare illud ex S. Paulo *ad Rom. 3. v. 28.* adducunt. Arbitramur enim hominem justificari per fidem sine operibus legis. Sed expendenda sunt verba totius capitis, in quo disputatur de præcellentiâ novi, & veteris testamenti & ostenditur quod novum testamentum præcellat, quia gratia DEI, quam fides per Christum nobis proponit seu opera ipsius veræ fidei, ad quæ nos illa hortatur, nos â peccato liberat, non verò opera legis, & ideo dicit S. Paulus nos justificari per opera fidei, non verò per opera legis. Et licèt scriptura sæpius absolutè justificationem tribuere videatur fidei. Patet tamen quod eadem scriptura tribuat justificationem etiam aliis actibus. Unde differentia est in eo, quod fides sit fundamentum, & radix omnium operum bonorum, atque adeo radicaliter est fundamentum justificationis nostræ. Quare si scriptura loquitur de fide absolutè, scilicet *Marc. 16. v. 16.* Qui crediderit & baptizatus fuerit, salvus erit. Et rursus *Joan: 3. v. 16.* Ut omnis, qui credit in ipsum, non pereat, sed habeat vitam æternam. Semper subintelligenda est tacita illa conditio, si cætera adsint, nimirum, si mandata serves, si de peccatis contritus fueris. &c. Quo sensu loquuntur SS. PP. qui fide nos justificari asserunt, id est, operibus fidei, non verò operibus naturæ, aut legis Mosaicæ. Ubi verò Apostolus *ad Rom. 3. v. 24.* dicit nos justificari gratis: Justificati gratis per gratiam ipsius per redemptionem, quæ est in Christo JEsu. Et ad *Eph. 2. v. 8.* Gratis enim salvati estis per fidem, & hoc non ex vobis,

DEI

DEI enim donum est. Sic est intelligendum, quod sine merito operum nostrorum, quæ fidem vel justificationem antecedunt, justificemur. Quod verba illa Apostoli, DEI enim donum est, significant. Quare S. Aug. *in Ps. 98.* exclamat. Exaltemus illum, qui fecit ipsam Justitiam, quam habemus. Quis enim facit in nobis Justitiam, nisi qui nos justificavit. Quod explicant Theologi per gratiam excitantem, vel prævenientem, quâ DEus cor hominis movet ad salutis suæ desiderium, & consistit in speciali motione voluntatis ad opus salutare, juxta illud *Joan. 6. v. 44.* Nemo potest venire ad me, nisi Pater, qui misit me, traxerit eum. Quæ sufficiens est, & dicitur, quia homo liberè potest eam amplecti, quod tamen ex perversa sua voluntate non facit. Cujus rei exemplum habemus. *Isa. 5. v. 2.* ubi sub figurâ vineæ sterilis describitur homo divinæ gratiæ non correspondens. Sepivit eam, & lapides elegit ex illa, & plantavit eam electam, & ædificavit turrim in medio ejus, & torcular extruxit in eâ. Et expectavit ut faceret uvas, & fecit labruscas. Similiter. *Jerem, 7. v. 13.* Locutus sum ad vos manè consurgens & loquens, & non audivistis, & vocavi vos, & non respondistis. Hinc *v. 15.* dicit: Projiciam vos à facie meà. sicut projeci omnes fratres vestros. Quod si verò gratiæ excitanti liberè, & libenter assentiamur, & cum illâ, cum quâ operari possumus, actu operemur, Excitans ista fit efficax, quam DEus *Ezech. 36. v. 27.* illis verbis explicat. Spiritum meum ponam in medio vestri & faciam, ut in præceptis meis ambuletis, & judicia mea custodiatis, & operemini. Quibus verbis etiam gratia concomitans explicatur, quâ ad ipsum opus animati adjuvamur à DEo, ut illud pro salute nostrâ perficiamus. Pulchrè hoc explicat Christus *Matth. 25. v. 25.* similitudine ductâ de quodam, qui abiit in regionem longinquam, & servis suis varia ad negotiandũ talenta partitus est. Et dum alii negotiantur, unus eorum commissum sibi talentum reposuit in sudario, & Domino suo, ubi reversus est, restituit. Sed malus & piger servus audivit, atque insuper malè mulctatus est. Præclarè in hunc locum S. Chrysostomus *hom. 79. in Mat.* Vides quomodo non solum rapaces, & qui aliena invadunt, nec solùm malefactores, sed etiam, qui bona opera negligit, extremo cruciatur supplicio, ut propterea dixerit S. Hildebertus. Porro munera DEI damno sunt possessoribus otiosis, quibus nolle negotiari ad salutem, homo negotiatur ad supplicium. Si quæris quæ sit ista negotiatio? Lege, si placet, 2.

Para-

2. Paralip. c. 17. v. 3. Fuit Dominus cum Josaphat, qui ambulavit in viis Patris sui primis, & perrexit in præceptis illius. Josephus *l. 8. Antiq. c. 9.* sic habet. Hic Rex perpetuo propitium & auxiliatorem DEum habuit, qui cum esset vir justus, ac pius, per singulos dies dabat operam, ut aliquid DEO gratum faceret. Quàm planè contrarium docet Lutherus *de Captiv. Babyl.* Non alia via potest homo convenire cum DEO, aut agere nisi per fidem. Opera ille nihil curat. Tam dives est Christianus, ut non possit perire, etsi velit; Quantumcunque malè vivat, nisi nolit credere. Dicite rogo Lutherani. Quomodo ergo intelligendus est S. Petrus *in suâ Ep. 2. c. 1. v. 10.* Satagite ut per bona opera certam vestram vocationem, & electionem faciatis. Quid sonant illa verba S. Jacobi *in sua Can. c. 2. v. 14.* Quid proderit fratres mei, si fidem quis dicat se habere, opera autem non habeat, numquid poterit fides eum salvare. Unde *v. 17.* dicit: fides si non habet opera, mortua est in semetipsâ. Quod probat *v. 20.* Vis autem scire ô homo inanis, quoniam fides sine operibus mortua est. Abraham Pater noster nonnè ex operibus justificatus est, offerens filium suum super altare. Ideoque S. Paulus *ad Gal. 5. v. 6.* ait: Nam in Christo JEsu neque circumcisio aliquid valet, neque præputium, sed fides, quæ per charitatem operatur. In quem locum S. Athanasius: Perdisce autem, quomodo fides operetur per charitatem. Hoc est ut actuosa & exercita sit; Charitate verò si caret, otiosa sit, & torpida futura. Quomodo, obsecro, respondebunt hæretici his S. Pauli verbis *ad Gal. 6. v. 9.* Bonum autem facientes non deficiamus omni tempore. Tempore enim suo metemus, non deficientes. Ergo dum tempus habemus operemur bonum ad omnes. Quomodo explicabunt illud *ad Hebr. 10. v. 36.* Patientia vobis necessaria est, ut facientes voluntatem DEI, reportetis promissionem. Qualiter excludent opera bona, si audient Paulum *1. ad Tim. 2. v. 15.* dicentem. Mulier seducta in prævaricatione fuit, salvabitur autem, si permanserit in fide, & dilectione, & sanctificatione cum sobrietate. Quid quod doctrina Christi clarè repugnet verbis Lutheri *Mat. 28. v. 19.* ubi Christus Apostolis mandat. Euntes docete omnes gentes &c. docentes eos servare omnia, quæ mandavi vobis. S. Aug. super hæc verba eruditè observat; Non dixit docentes eos, quod sim natus, sed ut mandata servent. Hinc ipsis Apostolis Christus *Joan. 15. v. 14.* Vos amici mei eritis, si feceritis,

Fides non sola, sed opera cum fide justificant.

ritis, quæ Ego præcipio vobis. Ubi S. August. priorem suæ interpretationis sensum repetit. Non dixit si natum me credideritis. Audite proinde *S. Joan. c. 5. v. 28.* Venit hora, in qua omnes, qui in monumentis sunt, audient vocem filii DEI, & procedent, qui bona fecerunt, in resurrectionem vitæ, qui verò mala egerunt, in resurrectionem judicii. In quem locum graviter S. Aug. Erit combustio eorum æterna, qui cum fide bona opera non habuerunt. Certè *S. Jacobus c. 2. v. 19.* inquit: Tu credis, quoniam unus est DEus, bene facis. Sed & dæmones credunt, & contremiscunt, non tamen ideo beati sunt. Pulchrè S. August. quid verius, brevius, vehementius dici potuit? Cum & in Evangelio legamus, dixisse dæmonia, cum Christum filium DEI confiterentur. Verissima est illa S. Gregor. Nyss. *orat. 2. de resurr.* exprobratio: qui sibi conscii sunt turpissimarum & fœdissimarum actionum, quibus graves pœnas meriti sunt, odio judicii tollunt resurrectionem, aut saltem pro eo quod cupiunt & optant, varias sibi cogitationes fingunt: Scilicet, ut salvemur satis est Christum pro nobis passum, vel sanguis ipsius infiniti est valoris, vel DEI infinita est misericordia. Causam dat S. Gregorius ut suis perditis moribus polliceantur impunitatem. Meritò proinde S. Thomas *in illud Mat 27. v. 29.* Genuflexo ante eum illudebant ei dicentes. Ave Rex Judæorum. Significantur inquit per istos illi, qui voce confitentur, se nosse DEum, factis autem negant. Tales genua flectunt coram Christo, sed simul exspuunt in faciem ejus. O quam vivaci penicillo depinxit hos S. Greg. Nyss. Fundent Lutherani spes suæ salutis in meritis Christi, sed legant Paulum *ad Tit. 2. v. 14.* Qui dedit semetipsum pro nobis, ut nos redimeret ab omni iniquitate, & mundaret sibi populum acceptabilem, sectatorem bonorum operum. Hæc loquere & exhortare, & argue cum omni imperio. Quæ verba licèt clara sint, tamen ea sic explicat Cajetanus. Etsi Christus redemit, ac mundavit sibi populum in sanguine suo, ea tamen lege illum redemit, ac mundavit, ut se ipsum quoque populus servet, ac promoveat, ut sit æmulator bonorum operum, non verò ut otio torpescat, sed velut æmulando incumbat bonis operibus. Convenimus cum Lutheranis in hoc Catholici, & dicimus. Longinus nobis aperuit latus Christi, ut intremus, & requiescamus ibi securi. Dicimus etiam nos, inter brachia salvatoris, & vivere volumus, & mori cupimus, sed addimus cum S. Paulo oportet nos esse

cer-

certos. Quare fides illa, quæ est sola fiducia promissionum, quam Lutherani dicunt consistere in eo, ut aliquis generaliter credat, Deum facturum, quod promisit credentibus in se. Vel specialiter, quâ quis promissiones à Christo factas sibi applicat, non est salvifica. Quia licet credas firmissimè, & confidas, quod omnia peccata tibi propter Christum sint remissa, licèt speres constantissimè, te esse filium & amicum DEI, ibis tamen ad diabolum. Ratio est, quia fides est de eo, quod est à Christo JEsu, vel à DEO revelatum. Sed tibi esse peccata remissa, nec à Christo, nec à DEO est tibi revelatum. Patet hoc in S. Paulo *1. ad Cor. 9. v. 27.* quando dixit, castigo corpus meum, & in servitutem redigo, ne cum aliis prædicaverim ipse reprobus efficiar. Certè Paulus habuit fidem veram & justificantem, & tamen, ut patet ex his verbis, non credidit, sibi peccata esse remissa. Imo *1. ad Cor. 4. v. 4.* sibi nullius peccati conscius adhuc formidavit. Nihil mihi conscius sum, sed non in hoc justificatus sum. Quod si autem ulterius consideres, quod hæc fiducia vana, quâ credo mihi esse peccata remissa, vel quâ credo me esse filium DEI, & Christum pro me satisfecisse, atque adeo nullo alio opus esse, me salvificet: Ad quid Christus docuit nos orare, dimitte nobis debita nostra? Ad quid est sacramentum Pœnitentiæ? Ad quid sunt opera misericordiæ spiritualia & corporalia? Ecce quanta porta aperitur hominibus ruendi ad diabolum! Quare fides vera & salutaris alia non est, quàm nostra Catholica, qua verè credimus, omnia vera esse, quæ DEus revelavit, nimirum DEum esse remuneratorem bonorum operum, & vindicem malorum, de quo diximus *in 1. p. hujus operis. c. 2.* Et de hac fide est illud S. Athanasii, Quicunque vult salvus esse, ante omnia opus est, ut teneat Catholicam fidem, quæ consonat cum illis verbis Pauli *ad Rom. 10. v. 9.* Quia si in ore tuo confitearis Dominum JEsum, & in corde tuo credideris, quod DEus illum suscitavit à mortuis, salvus eris. Ecce S. Paulus hic nihil dicit de fiduciâ remissi peccati, quod nempè si firmiter credas, quod eo ipso jam sint remissa, & tu sis salvus futurus. Sed adverte, quod Paulus simul nobis memoriam resurrectionis ingerat, ut illius recordemur. *Luc. 24. v. 26.* Nonne hæc oportuit pati Christum, & ita intrare in gloriam suam, scilicet, quod sicut Christus post passionem suam recepit præmium passionis suæ, ita & nos in resurrectione nostrâ simus accepturi præmium operum nostrorum,

 juxta

juxta illud *2. ad Cor. 5. v. 10.* omnes enim nos manifestari oportet ante tribunal Christi, ut referat unusquisque propria corporis prout gessit (non prout credidit) sive bonum, sive malum.

Opera nostra non sunt omnia mala.

Ex quo ulterius patet contra Lutheranos opera nostra non omnia esse mortifera, sed in his multa bona. Licèt enim Ecclesiastis. 7. v. 1. dicatur. Non est enim homo justus in terrâ, qui faciat bonum & non peccet; hoc tamen non significat omnia opera justi esse peccata, sed solum neminem esse adeo justum, ut benè semper operetur, sed omnes nos interdum peccare. Adeoque *Prov. 24. v. 16.* dicitur, septies cadet justus, &, quod notandum est, resurget. Audiamus proinde orationem Ezechiæ Regis *Isa. 38. v. 3.* Memento quæso, quomodo ambulaverim coram te in veritate, & in corde perfecto, & quod bonum est, in oculis tuis fecerim. Neque scriptura laudaret Davidem. *3. Reg. 15. v. 5.* Eo quod David fecisset rectum in oculis Domini. Certè illud *Matth. 6. v. 2.* Si oculus tuus simplex fuerit, totum corpus tuum lucidum erit. SS. PP. sic explicant, si recta sit intentio nostra, opus ipsum bonum est. Confirmat hoc S. Paulus *ad Titum 2. v. 14.* Ut mundaret sibi populum acceptabilem sectatorem bonorum operum. Quod rursus *ad Eph. 2. 10.* repetit. Creati in Christo JEsu in operibus bonis. Et ideo *Luc. 1. v. 6.* Zacharias & Elisabeth laudantur. Erant autem justi ambo ante DEum, incedentes in omnibus mandatis, & justificationibus sine querela. Quod magis apparet à contrario. Quia scriptura vindicat DEI servos ab hac calumnia, & eos non peccasse ostendit. *Job. 1. v. 22.* In omnibus his non peccavit Job labiis suis. Imò ipse DEus defendit illum *Job. 2. v. 3.* Fuit rectus, & recedens à malo & adhuc retinens innocentiam. Sic David de se ipso loquitur *ps. 16. v. 3.* Probasti cor meum, & visitasti nocte, & non est inventa in me iniquitas. Numquid & Paulus *1. ad Cor. 7. v. 28.* inquit, si nupserit virgo non peccavit adeoque *2. Petr. 1. v. 10.* dicitur. Hæc facientes non peccabitis aliquando. Occurrit hic commendatissima illa charitas & apud DEum maximè meritoria, de quâ Pennequin *de amor. divin. p. 3. c. 28.* de sacerdote refert, qui ad hominem cum morte luctantem vocatus, ubi cum desperabundum omnino reperisset cum eodem transegit, & dixit, se statum animæ illius cum omni reatu scelerum in se suscipere; sua verò apud DEum merita eidem transcribere. Ex lethargo quodam moribundus excitatus peccata sua confiteri

Quidam merita sua infirmo obdurato cedit & convertit.

cum

cum lachrymis cœpit, & viatico muniri petiit, atque placidè planè expiravit. Proxima ab obitu nocte sacerdoti apparuit defunctus, eique salutem suam in gratiis retulit, addens merita sua, quæ ipsi tam charitativè applicuit, ob insignem hunc charitatis actum eidem esse duplicanda. Verissimum namque est, quod S. Anselmus *l. 2. Ep. 5.* dixit: Quisquis diligit aliquem, aut per dilectionem prodest alicui, scitote, quia plus sibi prodest, quam aliis. Verum quidem est, quod nobis objiciunt Lutherani *Isaiæ c. 64. v. 6.* facti sumus, ut immundus omnes nos, & quasi pannus menstruatæ, universæ Justitiæ nostræ. Sed hic Propheta loqui de iniquis intelligendus est, & idolis servientibus. Nec obstat quod dicat omnes, quia per ly omnes, non omnes intelligit collectivè, sed tantùm juxta scripturæ phrasim, potiorem partem. Sic namque *Gen. 6. v. 12.* dicitur omnis quippe caro corruperat viam suam & tamen *v. 9.* paulo ante dixit. Noe vir justus, atque perfectus fuit in generationibus suis. Accedit, quod Propheta non loquatur simpliciter de omnibus omnino operibus impiorum, sed tantùm de sacrificiis, neomeniis, Sabbathis, calendis & festivitatibus. Sic enim *Isa. 1. v. 13.* dicit, ne offeratis ultra sacrificium frustra, incensum abominatio est mihi. Neomeniam & Sabbatum & festivitates alias non feram. Iniqui sunt cœtus vestri, Calendas vestras & festivitates vestras odivit anima mea. Intelliguntur ergo solùm omnes actus, & opera illa impiorum, quæ ad cultum divinum spectant. Instant tamen hæretici, & urgent illud Davidis *ps. 142. v. 2.* Quia non justificabitur in conspectu tuo omnis vivens. Ad quod respondemus Catholici, quia hoc comparativè ad Justitiam divinam intelligendum est; sicut enim stellæ lucidæ sunt in se, comparativè tamen ad solem videntur tenebrosæ. Sic Justitia nostra si conferatur cum divina est nulla. ad quod alludit *Job. c. 9.* Et quomodo Justificabit se homo cum DEO. Ut propterea dixerit S. Aug. *l. ad Orosium contra Priscillianistas. c. 10.* cujus enim participatione Justi sunt, ejus comparatione nec Justi sunt. Cœterum ipse Christus nos hortatur, ut lux bonorum luceat, ut videant opera vestra; quod notandum, *bona*, & glorificent Patrem vestrum, qui in cœlis est. Quod S. Petrus insinuat. *Act. 10. v. 34.* Non est personarum acceptor DEus, sed in omni gente qui timet eum, & operatur justitiam, acceptus est illi. Quod rursus *ad Eph. 2. v. 10.* repetit. Ipsius enim sumus factura, creati in Christo JEsu, in bonis operibus, quæ præparavit DEus,

ut in illis ambulemus. Ad quæ proinde nos Paulus hortatur, *1. ad Timoth. 6. v. 17.* Divitibus hujus sæculi præcipe non sublime sapere, neque sperare in incerto divitiarum, sed in DEO vivo, qui præstat nobis omnia abundè ad fruendum, bene agere, divites fieri in bonis operibus.

Liberales in pauperes in judicio securitatem habent.

Et hinc divites in pauperes benigi magnam in Judicio divino securitatem habent. Pulchrè S. Leo Papa. *serm. 4. de collect.* Cibus egeni, regni cœlestis est pretium & largitor temporalium, hæres efficitur æternorum. *serm. deinde 5.* exclamat. Eleemosynæ peccata delent, mortem perimunt, & pœnam perpetui ignis extinguunt. Eruditè planè quidam Neotericus *in verba ps. 111.* Jucundus homo qui miseretur, & commodat, disponet sermones suos in judicio. Sermones, inquit, ejus, sunt opera ejus, quibus in judicio ultimo defenditur, quia tunc ei fiet misericordia, quia ipse aliis fecit. Et hoc dicitur à simili alicujus præmeditantis causam suam, ut eam firmis allegationibus in judicio muniat. Sic iste opera sua disponit & ordinat, ut his causa sua in judicio defendatur. Unde S. Basil. *serm. in divit.* indignatus exclamat. Quid respondebis Judici, tu qui parietes vestis, hominem nudum sinis? Qui equos ornas, fratrem in turpi amictu contemnis? Qui frumentum putrescere sinis, esurientes non nutris? Qui non aperuisti domum, repudiaberis à Regno. Non dedisti panem, non accipies vitam æternam. Quare affectuosè monet S. Aug. Cupis ô homo, ut tui misereatur Deus, fac, ut proximo tuo miserearis. Tantum tui miserebitur DEus, quantum & tu misereberis proximi. Tantum accipies in aliâ vitâ, quantum feceris in præsenti vitâ. Causam dat *l. 50. hom. 53.* patrocinatur Eleemosyna in die judicii homini, ut flammas æternas non timeat. Quia ut inquit *hom. 39.* ante fores gehennæ stat misericordia, & neminem permittit in carcerem mitti. Fuit Constantinopoli matrona pia, cui filia fuit magnæ venustatis, & paris omnino castitatis, hanc Zeno Imperator ex gremio matris suæ sustulit, & turpiter constupravit. Mater tribunali humano destituta DEum justum vindicem imploravit. Lachrymanti apparuit B. Virgo, & justas querelas dixit, sed simul illi ostendit Zenonis liberalitatē in pauperes, vindictam divinam impedire. Quam primum Zeno Arianus factus est, & in pauperes parcior, factus in convivio ebrius, vivus sepultus est. Eleemosyna enim inquit S. Chrysostomus *hom. 33. ad pop.* Christi adstat tribunali, non tantùm patrocinans, verùm & ipsi

Eleemosyna non permittit, ut DEus puniat peccata.

psi

psi persuadens Judici, ut reo patrocinium præstet, & pro eo sententiam ferat. Nihil namque ait idem Chrysostomus *hom. 31. in c. 11. Gen.* ita nos eximere potest à gehenna ignis, atque largitas eleemosynarum. Disponet inquit *in ps. 111.* sermones suos in judicio, hoc est patrocinium consequetur, non deerit ei defensio, nec erit ei condemnatio, cùm eleemosyna defensionem pulchram sibi comparet. Quare Henricus Dux Poloniæ S. Hedwigis maritus illâ suadente hospitale exstruxit pro alendis mille personis, & exercendâ perpetuâ hospitalitate, non alio consilio, quàm ut in die judicii à Christo mereretur audire. Hospes eram, & collegistis me. Venite benedicti &c. Merebuntur tunc misericordes omnes, audire Christum misericordem. Quia bene S. Chrysologus super verba illa: in die mala liberabit eum Dominus. In die, inquit, mala illi DEus liberator assistet, qui à malis pauperem liberaverit. In angustiis illum DEus clamantem audiet, qui pauperem, cum clamaret, audivit. Non videbit diem malum, qui dies bonos habere pauperem fecit. Imò ipsi pauperes patrocinabuntur. ut propterea dixerit, S. Chrysologus sine causa accusant peccata, quem pauper excusat. Uti & à contrario: Excusari non potest, quem fames pauperis accusat. Quare concludit: Quæ cum ita sint, qui se novit per mala sæculi vitam ducere; eleemosynam semper auxilium secum ducat, ad præsidium sibi turmas pauperum vocet. Neque enim DEus despicere poterit pauperes intercessores in die judicii, quos hic in terris velut pupillam oculorum suorum habuit. Patet hoc in Nabuchodonosore Rege, cui interitum regni prædixit Daniel, sed remedium statim adjunxit. Quamobrem consilium meum placeat tibi Rex, & peccata tua eleemosynis redime, forsitan ignoscet DEus delictis tuis. Etiam post latam jam sententiam non desperat veniam Daniel. Post menses autem duos oblitus rex sermonis Domini in aula sua deambulans superbivit dicens: Nonne hæc est Babylon magna, quam ego ædificavi domum regni, in robore fortitudinis meæ, & in gloriâ decoris mei. Sed cùm sermo adhuc esset in ore Regis, vox de cœlo ruit: Tibi dicitur Nabuchodonosor Rex, Regnum transibit à te. Quærit hic D. Hieron. Cur non statim post sententiam, contra regem DEus assumpserit supplicium, sed primò post duos menses sententia executioni data sit? Et respondet. Fecit Nabuchodonosor juxta Danielis consiliũ misericordias in pauperes, & idcirco usque ad mensem secundum, in eum est dilata sententia,

Hospitale erigitur ut in judicio mereatur excipi hospes cœli.

tentia, sed quia postea ambulans in aula Babylonis gloriatur, & dicit: Nonne hæc est Babylon magna, quam ædificavi, bonum misericordiæ perdidit malo superbiæ. Non est peccatum inquit S. Chrysostomus *hom.25. in acta Ap.* quod non possit purgare eleemosyna, quodvè non possit extinguere. Hom. verò *super ps. 40. verba illa Dominus opem ferat illi super lectum doloris ejus.* Bene inquit lectum doloris diem mortis intelligimus, ille enim gravis & molestus est peccatoribus propter metum judicii. Sed in eo fert opem ei, qui est amator pauperum. Jubet enim esse bono animo, ut qui sit clementiam ac misericordiam consecuturus. Quare graviter commonet divites *hom. 33. in Gen.* Vestes non sinamus à vermibus rodi; & absque usu in arculis putrescere, cum tot sint, qui indigent, & ambulant nudi; sed veneremur, honoremque demus nudo Christo potiùs, quàm tineis, & induamus eum, qui propter nostram salutem nudus obambulare voluit, ut cum ipsum induerimus, audiamus in illâ die: Nudus eram, & vestistis me. Fuit rusticus ingenio satis liberali, qui aulicis consuevit, & hominibus cultioribus non fuit ingratus. Cùm verò inter aulicos incidisset discursus, in quo quærebatur, quot ulnis egeret DEus, ut vestem sibi pararet, dicente scripturâ; cœlum & terram ego impleo. Rusticus qui aderat, aliis laboriosè calculantibus, illis facillimè quæstionē resolvit, dicens, quinque vel sex ulnis, nec amplius opus esse. Hocque Christi testimonio comprobavit, qui dixit: Quod uni ex minimis meis fecistis, mihi fecistis. Me inquit his pauculis ulnis vestite, & Christum vestietis, cœlumque obtinebitis. Pulchrè S. Chrysostomus *hom. 9. de pœnit.* Eleemosyna, inquit, via est, quæ hominem in cœlorum arces celerrimè inducit, advocati optimi loco fungens. Referunt Cistercienses Annales de quodam peritissimo Medico sui ordinis, qui artem suam non nisi in pauperum favorem impendebat. Hic non tantùm medicinas dabat, sed horrentia etiam vermibus ulcera ipse lavabat, manibus detergebat, tantâ curâ & affectu, ut Christi vulnera fovere videretur. Cùm in agone jaceret totus hilaris, eum Abbas interrogavit, ut lætitiæ suæ causam ediceret. Dixit: Piissimus JEsus meus, mihi indigno peccatori apparuit, & ad me dixit: ecce peccata tua deleta sunt à facie tuâ. Veni ergo securus. Veni, & vide, & deosculare vulnera mea, quæ tantum dilexisti, & toties in pauperibus fovisti. Quā plena consolatione est hæc S. Chrysologi *in c. 25. Mat.* sententia, quòd Abel passus sit, quod Noë mundum

Pauperes n di vestiendi.

Rusticus DEum vestire vult. 5. vel 6. ulnis panni.

Medicus Religiosus à Christo in morte miro solatio recreatur.

dum servaverit, quod Moyses legem tulerit, quod Petrus resupinus in crucem ascenderit, DEus tacet, hoc solum clamat, quod pauper comederit. Quare merito exclamat S. Chrysostomus *serm. 91.* Da panem si DEum debitorem, non judicem vis habere. Non timete proinde illud *ps. 75. v. 6.* dormierunt somnum viri divitiarum, & nihil invenerunt in manibus suis. In quem locum eleganter S. August. nihil invenerunt in manibus suis, quia nihil posuerunt in manu Christi. Quisquis per pauperes in manu Christi reponit, nec tineam, nec aeruginem timeat. Non diffidamus DEO, cum tam graviter nos moneat S. Augustinus: Ponunt pueri in thesaurario, & securi sunt, tu ponis in manu Christi, & times? Quidquid in manu Christi reponitis, cum fœnore recipietis. Merito itaque exclamat S. Ambr. sit illis misericordia fons salutis, quibus avaritia fuit mortis incendium, ut flammas quas sibi peccando accenderunt, largiendo restinguant. Et hinc S. Chrysostomus *hom. 36. ad pop.* dicit. Tanta vis est eleemosynæ. Cum multâ fiduciâ suos introducit alumnos. Est enim nota cœli janitoribus, cui contradicit nemo, sed omnes cedunt. Certè S. Catharina Senensis cùm solicitè cogitaret, quid responderet aliquando Judici, ubi accusabitur à Dæmone? vidit Dominum, qui argenteam illi crucem ostendit, quam in juventute suâ pauperi dederat, dicens: confide filia hæc crux, quam dedisti pauperi, coram regio tunc tribunali causam tuam defendet. Sic nummos tuos, quos in sinum pauperum deponis, aliquando in valle Josaphat ostendet Christus. Hoc enim est, quod *Oseæ 12. v. 6.* dicitur: Misericordiâ & Justitiam custodi, & spera in Deo tuo semper: septuaginta legunt, & propinqua DEO tuo semper. Certè moriens securè DEO propinquat, si misericors fuit. Sic enim S. Hier. *in ps. 40.* non memini, me legisse malè mortuum, qui libenter opera pietatis exercuit, habet enim multos intercessores, & impossibile est multorum preces non audiri. Hac de causâ S. Ludovicus Galliæ Rex pauperes stipendiarios milites suos vocare solitus est, à quibus Regnum Franciæ custodiretur. Narrat S. Greg. *l. 4. dial. c. 6.* de quodam Stephano nomine, qui visus est ex angustissimo ponte in fluvium præceps ruere, cum verò dæmones vellent arreptum demergere, angelus eundem ab interitu vindicavit. Visionem ubi intellexit Episcopus, dixit Stephanum esse civem notum, quem propter libidinis suæ scelera multa, cum in periculo æternæ damnationis versetur, auxilio

S. Catharinam Senensem crux argentea paupert data in judicio tuebitur.

S. Ludovicus pauperes stipendiarios milites suos dixit.

tamen liberalis eleemosynæ ab interitu vindicandum, & ad pœnitentiam revocandum. Pulchrè S. Joan. Damasc. *orat. de Judic.* ubi expendit verba illa *Mat.25.* Discedite à me maledicti in ignem æternum. Esurivi enim & non dedistis mihi manducare. &c. Non, inquit dixit discedite à me, quia furtum & homicidium commisistis, & alia mala. Sed ait: quia de substantiâ vestrâ pauperibus non dedistis. Sicut illos qui ad dextram futuri sunt sola misericordia liberabit, ita eos qui ad sinistram sunt, sola avaritia condemnabit. Ita enim Hugo Cardinalis *in Mat.* Christus omnia facta justorum tacet, & solas eleemosynas commemorare dignabitur, ita neque malefacta improborum pronuntiabit, sed arguet illos, qui eleemosynam non fecerunt.

Advocatus non vult audire pauperes, miserè moritur.

Tremendum est, quod de advocato in annonæ caritate erga pauperes immisericorde refertur, qui ne pauperes audiret misericordiam implorantes, ad ultimum domûs angulum se retraxit, dicens: Non durabo cum istis canibus. Adest interim armatus vir ad portam domus, qui ad Dominum admitti petiit, negat famulus herum suum Domi esse. Mentiris, inquit miles, ne audiret voces pauperum, ad conclave certum, quod nominavit se inclusit. Tu verò dic illi, quod citem illum ad DEI tribunal, subitoque morbo correptus advocatus ille hortantibus licet amicis confiteri renuit, & impœnitens decessit. Meritò plane S. Chrysostomus *hom. 33. ad pop.* Melius est hanc artem dandi eleemosynam scire, quam esse regem, & diademate coronari. Adeoque idem S. Chrysostomus *hom. 22. in Joan.* Impossibile enim, impossibile inquam est; etsi innumera facias bona, sine eleemosynâ cœlestis regni vel vestibulum quidem attingere. Econtrà verò liberaliter in pauperes erogata, fiduciam certam nobis facit salutis. Magnum planè est, quod *Prov. 13. v. 8.* dicitur: Redemptio animæ viri divitiæ suæ. Expertus hoc est tempore S. Joannis Eleemosynarii Petrus nomine, officio telonarius, homo in pauperes durus, & asper, ita quidem ut inter mendicos fieret concertatio, non sine stipulatione, si quis ab illo quid impetraverit. Unus præ cæteris fortunam tentaturus, ad ostium domûs accedit, & clamans eleemosynam rogat, indignatus Petrus, cum in furore aliud non inveniret, obvium panem post illum projicit, quem mendicus elevat, atque ad socios in signum defert victoriæ. Post biduum infirmatur Petrus, & in quiete ad divinum tribunal sistitur, ponderantur peccata, bonorum operum nihil inveniebatur. Tandem ap-

Petrum telonarium panis datus mendico in judicio defendit.

apponitur panis iste, ab invito pauperi datus; qui lanci impositus, peccata sic exæquavit, ut redituro dixerit Angelus, abi, & panem hunc auge. Sicque Petrus non ex somno solùm, sed etiam vitâ scelerata evigilavit. Doceat nos exemplo suo Loth Patriarcha. *Gen.39.* qui propterea quod liberaliter hospitio exceperit advenientes hospites à Sodomæ incendio fuit salvatus. De quo Origenes *hom. 5. in Genes.* Audite hæc qui peregrinis clauditis domos, Audite! Qui hospitem velut hostem vitatis. Loth in Sodomis habitat, alia ejus bene gesta non legimus, hospitalitas sola in eo ex usu veniens memoratur. Evadit ignes, evadit incendia, ob hoc solum, quod domum suam patefecit hospitibus. Hospitalem domum angeli sunt tuiti. Clausas hospitibus domos ignis ingressus est. In celebri quodam oppido magna fuit erga pauperes inclementia, sic, ut nulli pauperi daretur eleemosyna. Hanc impietatem ulturus DEus pridie vindictæ divinæ misit Angelum adeò miserando aspectu, ut omnibus compassionem moveret, rejectus tamen ab omnibus, ad Proconsulis domum venit, à quo susceptus & perhumaniter habitus fuit. Cum ergo consedissent aliquamdiu, ab angelo amanter monitus est, ut peccata sua sæpius confiteatur, & in pauperes benignus existat. Deinde monuit oppidum die altera flammis totum absumendum. Territus hoc nuntio Proconsul, ab angelo confortatus est, futurum enim ut domus ipsius utpote charitatis hospitium conservetur, dum manifestum supplicium irrogatur immisericordiæ. Pulchrè certè S. Chrysologus: Loth quia hospitio suscepit angelos, judicium prævenit. Misericordiam nescit divinus ignis exurere. Faciat ergo misericordiam, qui vult gehennæ incendia non timere. Quia ut bene S. Chrysostomus *hom. 33.* Non sinit nos eleemosyna eo decidere, quo dives ille epulo decidit. Nec audire verba illa tremenda, discedite à me maledicti in ignem æternum, sed in sinum Abrahæ deducit. Ex dictis, ut credo patet, opera nostra bona non tantùm non provocare iram DEI, sed insuper DEum placare. Testem hujus habeo Ezechiam Regem. *2. Paralip. 30. v. 18.* Et oravit pro eis Ezechias dicens: Dominus bonus propitiabitur cunctis &c. Quem exaudivit Dominus, & placatus est populo. Hoc eodem verbo placationis utitur David *Ps. 105. v. 27.* Et stetit Phinees & placavit, & cessavit quassatio. Hac phrasi utitur Propheta *Ezechiel. c. 43. v. 27.* facient sacerdotes super altare holocausta vestra, & quæ pro pace offerunt,

Angelus mendicus à domibus arcetur.

Hospitalitas domum ab incendio servat.

Opera nostra bona placant DEum.

& placatus ero vobis, ait Dominus DEus. Sic orante Moyse ad Dominum. *Exod. 32. v. 14.* dicit Textus, placatusque est Dominus, ne faceret malum, quod locutus fuerat Dominus adversus populum suum. Eant nunc hæretici & rudi plebeculæ imponant, se purum DEI verbum habere, quando tot claris scripturæ testimoniis ostenditur, nos in die Judicii non à sola fide justificandos, sed ex operibus à radice fidei procedentibus æternum præmiandos.

Dies extremi judicii est ignota.

Superest modo investigare tempus illud, quo dies ista judicii futura sit? Multi ex SS. PP. ex illo mundi opificio, quo DEus orbem sex diebus molitus est, cum apud DEum mille anni, sicut dies unus computentur, putant mundum sex annorum millibus staturum, quibus evolutis mundus rursus occidet, & interibit. At verò nemo de illa quidquam dicere potest. Cum clarè dicat Christus *Mat. 24. v. 36.* de die autem illâ & horâ, nemo scit. Et certè Christus inter diem judicii & universale diluvium paritatem facit. *V. 37.* Sicut autem in diebus Noë, ita erit & adventus filii hominis. Sicut enim erant in diebus ante diluvium comedentes & bibentes, & nuptui tradentes, usque ad eum diem in quo intravit Noë in arcam, & non cognoverunt, donec, venit diluvium & tulit omnes: ita erit adventus filii hominis. Adeoque sicut minime opinantibus hominibus diluvium supervenit, ita non cogitantibus nobis dies judicii aderit. Cœterum ex verbis Christi *Mat. 24. v. 30.* De die autem illa & hora nemo scit, neque angeli cœlorum, nisi solus Pater, impius Arius deducere voluit, filium minorem esse Patre. Sed negat id S. Chrysostomus *hom. 11.* ubi dicit: Si Christo homini datum est, ut sciat, qualiter oporteat judicare, quod est maius, nonne multò magis datum est ei ut sciat, quod minus est, scilicet tempus judicii. Nonnè Christi anima in verbo omnia videt, quæ DEus scientia visionis agnoscit? Videt utique & cognoscit. Unde *Apoc. c. 5. v. 12.* vox magna audita est dicentium. Dignus est Agnus qui occisus est, accipere divinitatem & sapientiam. Exponit Glossa, id est omnium cognitionem. Quomodo ergo audet dicere Arius, quod neque filius sciat. Et licèt *Marc. 13. v. 32.* dicatur. Neque filius scire, audiendus est, S. Thom. *3. p. q. 30. art. 2.* Dicitur nescire diem & horam judicii, quia non facit scire, quia non revelat, quia non manifestat. Sic Apostolis interrogantibus, quando ad judicandum venturus esset? Christus eis respondit: non est vestrum nosse tempora, vel momenta, quæ Pa-

ter posuit in suâ potestate. Et hinc dicit se nescire, quia aliis non vult indicare. Jam olim Christiani, etiam in ipsa prima Ecclesia tempore postolorum timebant adventū diei illius. Sic ut S. Paulus *2. ad Thess. 2. v. 2.* suos monuerit, ut non citò moveantur à sensu suo, quasi instet dies domini. Quia inquit venturus est prius filius perditionis, adeoque non mirum est, si in perturbatione tantâ hominum, in tantis bellis & seditionibus varia etiam inter SS. PP. intercesserit de hac die opinio. Novissimè Anno Christi 1532. Pastor quidam firmissimè persuasit suis Auditoribus anno insequenti certissimè futurum diem judicii, idque ex verbis illis scripturæ: VIDebVnt In qVeM transfIXerVnt deduxit, ex hoc enim textu per chronosticas litteras 1533. anni numerum elicuit, & mundi interitum certò prædixit. Crediderunt rudi Pastori, simpliciores oviculæ, & se diligentissimè per pia opera ad tremendam illam diem præparârunt, quando venditâ omni supellectili pecuniam perpotaverunt. Quia verò in condictam diem grandis tempestas oborta fuit, magna cum devotione populus temulentus ad templum accurrit, & magnæ pænitentiæ indicia dedit, sed discussâ tempestate, ubi omnia priori tranquillitati sunt restituta, populus, turpissimè delusus, pastorem nisi maturè fugisset, certò mactâsset. Stultius & periculosius in vico Salinario Amsterodami septem viri, & quinque fæminæ Anabaptistæ convenerunt. Ex quibus Theodoricus sartor afflatus Enthusiasmo, se in terram projecit, in eâque exanimis quasi jacuit, repentè autem evigilans, quasi à DEO doctus fuisset, dixit diem instare judicii in forum deindè progreditur, & væ! væ! horrendum inclamans diem judicii instare dixit. Concurrunt ad arma cives, & Prophetas capiunt, quæstione deinde super eos habitâ calendis Martii capite minuerunt. Aliter S. Chrysostomus *hom. 9. in Thess. c. 5.* optimam dignoscendi illius diei rationem assignat, nempe quamvis diem. Jam ab Adam, inquit, incepit consummatio. Omnes dies vitæ nostræ cognatæ sunt illius. Quod ille simul & summatim est, hoc quisque est per partes. Explicatur hoc in simili: Qui emit pannum, particulam sibi à mercatore præscindi petit, ex qua totam peziam dijudicat. Ex quovis die decursum vitæ nostræ metiri debemus, & sic ultimi tandem conclusionem deducere possumus. Cœterum cur Christus diem illum non manifestaverit Apostolis, causam dat Cajetanus, quia quæstio hæc & postulatum neque eorum saluti profuisset,

Falsus propheta de die judicii.

Anabaptistæ stultè diem judicii prædicunt.

Quævis dies est futuri judicii prognostica.

ſet, neque ad virtutem ſolidam homines animâſſet. Quarè S. Ambroſ. *l. 5. de fide ad Gratianum.* Scire non proderat, proderat ignorare. Si enim tempus & hora judicii nota nobis eſſet, juſtus diſſolveretur, & peccator in ſceleribus ſuis perſeveraret, cum ſciret aliquod adhuc ſibi tempus ſuper eſſe. Concludit deindè nervosè S. Doctor. Si modo tam incerti vivimus, nunc dum mortis & judicii diem ignoramus, ita ut omni momento improviſa & inſperata mors imminere queat, tamen ità deſides & negligentes ſumus? Quid foret ſi multorum annorum tempus haberemus. Quis voluptatibua ſe tunc non dederet, certò ſciens ſe tanti temporis ſpatium habiturum. DEus ergo qui nos in noſtræ ſalutis negotio ſolertes, & ſedulos, eſſe vult, deſiderat, ut in virtutum actibus ferventer nos exerceamus, atq; adeò omnem ſecuritatem proſcribit, ac perpetuo eoq; ſalutari timore nos refrænat, ita ut nec diem, neq; horã, nec momentum certũ nobis ſpondere poſſimus. Sed ſibi ſoli judicii univerſalis & particularis notitiam reſervat. Et hinc quando dicit *Marc. 13. v. 14.* De die autem illo vel horâ nemo ſcit, neque angeli in cœlo, neque filius niſi Pater, ſtatim ſubjungit: Videte! vigilate, & orate, neſcitis enim quando tempus ſit. Quod explicat Cajetanus, mentis oculis perluſtrate, vigilate bonis operibus ſedulò incumbentes. Videre enim non prodeſt, ſi ſtudium non impendatur ad bonum exequendum, vel ad vitandum malum. Unde vel hinc dici poteſt miſericors eſſe Deus, qui de ſuo judicio tantopere nos præmonet, & tot ſignis terret, ut iram DEI evadamus. Dum enim noluit nos ſcire diem, voluit, ut omnes dies obſervèntur. inquit benè S. Aug. Non miror itaque ego S. Hieron. tam graviter extimuiſſe tubam illam feralem: Surgite mortui, & venite ad judicium, quæ ejus auribus ſemper inſonuit, ut neque comedere, neque bibere virum tam ſanctum pateretur. Monet nimirum DEus antequam puniat, ut moniti telum furentis DEI evadamus. Clementiæ enim DEI hoc eſt peculiare inquit S. Baſil. *hom. 1. in Jerem.* Non clam, aut ſilenter ingerit ſupplicia, ſed per cõminationes ea prædicit, per hoc peccatores invitans ad pœnitentiam. Fecit hoc ipſum DEus, *Exod. 9. v. 18.* ubi per Moyſem Pharaoni minatur, eique pœnam juſſit dici. En pluam cras hac ipſa hora grandinem, qualis non fuit in Ægypto. Et tamen per Moyſen monet ibidem *v. 19.* Mitte ergo jam nunc, & congrega jumenta tua omnia, quæ habes in agro

gro &c. Bene observat S.August. *in Exod.35.* quid est, qnod mandavit DEus Pharaoni cum grandinem se facturum magnã minaretur, ut festinet congregare pecora sua, & quæcunq; essent in campo ne grandine intereant? Et respondet, id totum fuisse opus misericordiæ, ut non exequeretur pœnam, quam comminatus fuerat. Hoc enim non tam indignanter quàm misericorditer, videtur admonere. Quod confirmat Origenes *in c. 9. Exod.* Vide temperamentum divinæ correptionis; non cum silentio verberat, sed dat vocem, & doctrinam cœlitus mittit, per quam possit culpam suam mundns castigatus agnoscere. Nec caret mysterio, quod de Christo venturo Judice dicatur. Videbunt filium hominis venientem. In quem locum S. Aug. *in ps. 147.* Qui venturus est judicare quis est? Nisi qui voluit judicari. Nec timeas accusatorem, de quo ipse dixit Princeps hujus mundi missus est foras. Consonat illi S. Bern. supra citatus *serm. 73. in Cant.* O verè Patrem misericordiarum, vult per hominem homines judicare, quo in tantâ trepidatione, & perturbatione malorum, electis præstet fiduciam naturæ similitudo.



AR-

ARTICULUS VIII.

Credo in Spiritum ſanctum.

DISCURSUS XXX.

Spiritus ſanctus verus eſt DEus à Patre & Filio procedens.

Spiritus ſanctus ejuſdem eſt ſubſtantiæ cum Patre & Filio.

IN hoc fidei articulo conteſtamur, nos vivâ fide credere tertiam in SS. Trinitate perſonam, quæ ſicut verè eſt DEus, ita Patri, & Filio omnino eſt æqualis, & ejusdem cum Patre & Filio eſt ſubſtantiæ, majeſtatis & potentiæ. Sic enim *1. Joan. 5. v. 7.* dicitur. Tres ſunt qui teſtimonium dant in cœlo, Pater, Verbum, & Spiritus ſanctus. Et hi tres unum ſunt. Ubi advertendum eſt, quod non dicat Unus, ſed Unum, juxta illud *Joan. 10. v. 30.* Ego & Pater unum ſumus. Quod ſicut æqualitatem naturæ in Patre & Filio oſtendit, ita verba allegata, & hi Tres unum ſunt, æqualitatem ſubſtantiæ, & potentiæ in omnibus tribus perſonis manifeſtat. Undè ſicut Chriſtus *Mat. 28. v. 19.* æqualiter de Trinitate perſonarũ loquitur, dum dixit Apoſtolis: Euntes ergo docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, & nullã Differentiam, ſed per omnia æqualitatem in his tribus perſonis aſſerit. Ita S. Athanaſius in ſuo Symbolo diſertè dixit: DEus eſt Pater, DEus eſt Filius, DEus eſt Spiritus ſanctus. Et hinc fortè in actionibus ad extra plerumque locutus eſt DEus in numero plurali dicens. *Geneſ. 3. v. 22.* Ecce Adam quaſi unus ex nobis factus eſt, ſciens bonum, & malum. *Gen. 2. v. 18.* Faciamus ei adjutorium ſimile ſibi. Quâ plane phraſi uſus eſt etiam in ipſa creatione. *Gen. 1. v. 26.* faciamus hominem ad imaginem & ſimilitudinem noſtram. denique *Gen. 11. v. 7.* eodem planè modo dixit: Venite igitur deſcendamus, & confundamus

mus ibi linguam eorum. Quæ verba ficut omnibus tribus perfonis in Trinitate funt communia, ita etiam fides Spiritui fancto divinitatem planè æqualem cum Patre & Filio tribuit, & oftendit, quando Spiritum fanctum verum effe DEum decernit. Ita enim *Act. 5. v. 5.* quando Ananias, & Saphyra volebant fraudare S. Petrum de mercede agri venditi, Petrus eofdem reprehendens dixit: Cur tentavit Sathanas cor tuum mentiri te Spiritui fancto? Et ftatim *v. 4.* fubjungit. Non es mentitus hominibus fed DEO. Hinc etiam eadem fcriptura attributa divina quæ funt folius DEI, non minus Spiritui fancto, quam reliquis perfonis affignat. Scilicet Omnipotentiam *pf. 32. v. 6.* Verbo Domini cœli firmati funt, & fpiritu oris ejus omnis virtus eorum. Omnipræfentiam *Sap. 1. v. 7.* Quoniam Spiritus Domini replevit orbem terrarum. Æqualitatem cum Patre & Filio ex citato *1. Joan. 5. v. 7.* Quoniā tres funt, qui teftimonium dant in cœlo, Pater, Filius, & Spiritus fanctus, & hi tres unum funt. Omnifcientiā divinam *1. ad Cor. 2. v. 11.* Quis enim hominū fcit, quæ funt hominis, nifi fpiritus hominis qui in ipfo eft? ita & quæ DEI funt, nemo cognovit, nifi Spiritus DEI. Potentiam, & voluntatem quidvis faciendi *1. ad Cor. 12. v. 11.* ubi enarratis divifionibus gratiarum dicit Apoftolus: Hæc autem omnia operatur unus atque idem Spiritus, dividens fingulis prout vult. Ex quibus manifeftè oftenditur Spiritum fanctum verum effe DEum, qui cum Patre & Filio juxta S. Athanafii fymbolum, Unus eft in divinitate, æqualis in gloria, & coæternus in majeftate. Adeoque qualis Pater & Filius, talis eft etiam Spiritus fanctus, nempe increatus, immenfus, æternus, omnipotens, denique DEus verus, & Dominus. Neque differentia ulla à S. Athanafio dicitur, nifi in modo procedendi. Quia neque factus aut creatus, neque etiam Genitus dici poteft, fed procedens, & ideo in Nicæno fymbolo dicitur. Qui ex Patre, Filioque procedit, fpiratione nimirum activa, quæ utrique eft communis. Licet enim Pater & Filius fint duæ perfonæ, funt tamen unus Spiritus à quibus non per intellectum fed per voluntatem, adeoque non velut imago, fed per voluntatem & unionem velut amor procedit. Et ideo à S. Thom. *p. 1. q. 37. art. 1.* dicitur, nexus & vinculum Patris & Filii, amor fuavis, & dulcis, non volaticus, fed æternus, qui nos omnes vinculo dilectionis, & charitatis nexu, in æternum copulare intendit. Licèt autem tam Pater, quam Filius fit Spiritus juxta id quod

S. Spiritus proprie eft Spiritus.

dicit S. Joan. DEus Spiritus est, propriè tamen hoc prædicatum convenit huic tertiæ personæ, quia procedit per amorem, qui est quidam in rem amatam impulsus & quasi flatus, qui optimè per Spiritum exprimitur.

Spiritus sanctus quomodo mittatur à Patre & Filio.

Hinc bene explicatur per hanc processionem quomodo Spiritus sanctus à Patre, & Filio mittatur. Qui enim ab aliquo mittitur, ab eo procedit. Non autem hæc missio fit per imperium, consilium, aut suasionem, sicut homo solet mitti ad hominem, neque per motum localem, quomodo missus est Gabriel Angelus ad Mariam Virginem, sed per novum modum præsentiæ in aliquo signo, quale fuit columbæ vel ignis. Sic à Patre missus est in forma columbæ, quando Christus baptizatus est in Jordane. *Mat. 3. v. 16.* Baptizatus autem JEsus, confestim ascendit de aquâ, & ecce aperti sunt ei cœli, & vidit Spiritum DEI descendentem sicut columbam, & venientem super se. Putant aliqui Spiritum sanctum in formâ columbæ insedisse Christo in aquis baptizato, ut significaret fæcunditatem, quam suâ gratiâ per baptismum communicata, Ecclesiæ daturus erat. Et hoc erat quod statim in prima creatione mundi hic spiritus divinus incubando aquis, easdem fœcundaverit. Quærunt enim sacræ scripturæ interpretes, quis fuerit, ille spiritus, cujus mentionem facit Moyses *Gen. 1. v. 2.* Et Spiritus DEI ferebatur super aquas. Tertullianus, & Theodoretus ventum fuisse dixerunt. S. Augustinus, Basilius, & Beda Spiritum sanctum fuisse asserunt. S. Chrysostomus per Spiritum Domini intelligit virtutem & efficaciam, quam DEus aquæ impressit, cujus impulsu illæ movebantur, & fluebant, secundùm naturæ suæ inclinationem. Nititur autem fundamento sacræ scripturæ, in qua Spiritus sanctus vocatur motio, quam suo impulsu imprimit. Quare sic loquitur: Mihi videtur significare hoc, quod adfuerit efficax, & vitalis quædam operatio aquis, & non fuerit aqua stans & immobilis, sed mobilis & vitalem quandam vim habens. Causam dat, nam quod immobile omnino, inutile est. quod verò movetur, ad multa conducit. Abul. *in c. 1. Genes* putat fuisse Spiritum sanctum, qui vitalem, mobilemque virtutem dedit aquis. Voluntas, inquit & mens opificis, ferebatur super aquas, quasi mente pertractans & designans, quæcunque decreverat ex aquis facere, ad similitudinem hominis opificis. Ac proinde vult quod illud ferebatur, denotet motionem, seu in mente divina designabat id, quod mediante

Spiritus Sanctus in forma columbæ.

Spiritus Sanctus aquas in creatione fæcundat.

aquâ

aquâ tanquam instrumento operari vellet, scilicet, ut homo renasceretur à peccatis mediante aquâ sanctificante, quia aquæ dederat efficaciam opererandi nostram sanctificationem. Ergo illud ferebatur super aquas, fuit effectus singularis aquæ baptismalis, apud nos Christianos. Ex quo deducunt Patres Ascetici, Christianum hominem non debere esse stabilem, sed mobilem & nunquam otiosum, sed auxilio Spiritus sancti se semper movere, continuo operari, & de virtutis unius perfectione ad aliam progredi, ut tandem salvus fiat, & salutem æternam consequatur. Ut meritò dici possit illud *Joan. 6. v. 64.* Spiritus est, qui vivificat. S. Cyprianus legit: Spiritus est omnium viventium anima. Clarius id asserit Petrus Damianus *serm. 21.* sicut anima est vita corporis, ita & vita animæ nostræ Spiritus sanctus. Ut sicut corpus animâ recedente collabitur, ita & eadem anima si Spiritus vivificator abscesserit, necesse est, ut moriatur. Hinc *Actor. 2. v. 2.* quando factus est repente de cœlo sonus, tanquam advenientis Spiritûs vehementis, Apostoli acceperunt de cœlo quasi novas animas, & novâ, ac cœlesti inceperunt vivere vitâ. Hinc novi motus, hinc cœlestia desideria, hinc generosus & intrepidus animus, à Spiritu sancto vivificatus. Ecce quanta divinarum operationum fœcunditas! Certè hic divinus Spiritus, qui in primâ orbis creatione aquis fœcunditatem contulit ad generationem piscium, & avium, idem deindè in incarnatione filii DEI Mariam obumbrando fœcundavit, ut vel ipsa fœcunda fieret Virginitas. Pulchrè S. Basilius verbum illud ferebatur, censet idem esse, quod fovebat, vel vivificabat aquas præparans illas, ad mox secuturam fœcunditatem, quod idem dicit S. Hieronymus allegans textum Hebraicum, ubi ferebatur explicat incubare, & confovere ductâ similitudine à gallinâ, & volucribus quæ ovis incubant, eaque confovent, & naturali suo calore vivificant, ut sic pullos suos excludant. Quæ forte ipsa causa est, cur Spiritus sanctus, in specie columbæ avis fœcundissimæ in baptismo Christi super aquas Jordanis apparuerit, ut ostenderet baptismi aquas fore suarum gratiarum fœcunditate fertilissimas, quando statim in principio nascentis Ecclesiæ ad tria millia hominum baptizata sunt. Sicut ergo ex fœcundatione Spiritûs sancti ab aquis prodierunt pisces & aves, ita videmus ex Sacramento baptismi homines alios emergere, qui velut cœlestes volucres sese elevant, seque auxilio sancti Spiritûs cœlo inferunt, dum homines

Spiritus Sanctus omnium viventium anima.

terreni piscium instar, in hujus mundi pelago hærent, eique immorantur. Neque se tot cœlestes animæ sublevarent, nisi per gratiam Spiritûs sancti elevarentnr. *Exodi 16. v. 14.* habemus, quod cum filiis Israël manna de cœlo plueret, mane ros jacuit per circuitum castrorum, cumque operuisset superficiem terræ, apparuit in similitudinem minutum: Quænam obsecro hujus rei necessitas, ut rori superveniret manna, nisi ut ostenderetur per manna DEI gratiam intelligi, per rorem autem Spiritum sanctum. Manna ergo non descendebat sine rore, quia gratia DEI non descendit in cor hominis, nisi prius à Spiritu sancto præveniatur. Pulchrè Rupertus Abbas *in Exodum*. Ros qui cum manna descendit, Spiritum sanctum significat, Sicut enim ros terram calidam, & aridam refrigerat, & fœcundat, ita etiam terra humani cordis à Spiritu sancto irrigata, calorem, quem concupiscentia accenderit, amittit, & ab illo fœcundatur, ut novos virtutum fructus proferat. Albertus Magnus mirabilem refert Adamantum originem & generationem. Nempè in Regionibus Aquilonaribus decidunt nives, quæ post aliquos menses liquefiunt, plerumque tamen in profundis vallibus, quas radii solis non penetrant, remanent nivis massæ, quæ paulatim à frigidissimis, siccissimisque ventis ita purgantur, ut omni humiditate, & sordibus sublatis reddantur duræ velut crystallus, rursus à supervenientibus ventis siccioribus certæ particulæ illarum massarum ita siccantur, & indurantur, ut tandem in durissimos adamantes transformentur. Videtur ad hoc alludere *Ecclef. c. 43. v. 22.* Frigidus ventus Aquilo flabit, & gelabit crystallus ab aquis. Talis nix erant Apostoli candida quidem, dicente Christo *Joan. 13. v. 10.* Vos mundi estis, sed frigida & mollis, nam relicto eo fugerunt. *Mat. 26. v. 26.* Postquam autem Christus Dominus per gloriosam resurrectionem suam *Joan. 20. v. 22.* Insufflavit dicens: Accipite Spiritum sanctum, facti sunt velut crystallus, acceperunt jam aliquod robur, tamen fragiles adhuc erant & timidi. At ubi in Pentecoste fit de cœlo sonus, fugato omni timore durantur, in adamantes. Placuit hæc venti similitudo Regio psalmographo *ps. 142. v. 11.* cum dixit: Spiritus tuus bonus deducet me in terram rectam. Causam dat Genebrardus: Quia sicut ventus impellit in cœlum. Vel ut ait S. Chrysostomus: Spiritus Domini instar venti omnes concupiscentias extinguit, & ad majora exercenda semper impellit. Hoc Spiritu impulsus David dixit

Adamantum origo.

Spiritus Sanctus ventus.

xit

xit *ps. 54. v. 7.* Quis dabit mihi pennas sicut columbæ? volabo, & requiescam. Bene S. Ambr. *l. de Virg.* monet: sume igitur alas virgo, sed Spiritus, ut supervoles vitia, si contingere cupis Christum.

De Octavio Cæsare scribit Aldus Manutius, quòd jactabundè dixerit: Romam accepi lateritiam, relinquo marmoream. Verius ego dixero de Spiritu sancto, quod ubi cor hominis visitat dicere possit, hominem accepi luteum, & reliqui aureum. *Apoc. 21. v. 18.* dicit Joannes sibi ostensam esse civitatem cœlestis Jerusalem. Ipsa verò civitas inquit aurum mundum. S. Hieronymus *in ps. 133.* dicit: Vidit Joannes civitatem sanctam, quæ tota erat aurea, muros habebat aureos, aureas habebat plateas, quia in hac civitate Christus regnat. Scilicet non habitat Christus in luto, sed in auro. Unde sollicitè videndum, an corda nostra lutea sint, an aurea? Si lutea sint, igne S. Spiritûs expurgentur. Quia teste S. Basilio: Quemadmodum solis radiis nubes illuminantur & splendescunt, sic & Spiritus sanctus, cum in cor hominis ingreditur aureum colorem & aspectum inducit. Et hinc putat Laminez. *Conc. 4. Dom. post Ascens.* quod Ecclesia prius celebret festum Pentecostes, quam Corporis Christi, ut scilicet anima per Spiritum Sanctum ad Eucharistiam bene præparetur. Consueverunt olim Judæi in vespere diei Lunæ decimæ quartæ cujuslibet mensis Martii omnes domos scrutari, & si panem fermentatum invenerunt, illum abjecerunt, gravis enim abominatio fuit agnum cum fermentato comedere. Dum sacra Eucharistia sumitur, agnus novæ legis comeditur, quem oportet manducare in azymis synceritatis & veritatis, non veteris nequitiæ. Sancta igitur Ecclesia sicut olim synagoga, non in lucernis ardentibus, sed in illuminatione Spiritûs sancti, priusquam festum Corporis Christi faciat, omnes angulos cordis vult visitari, & si fermentum adsit veteris malitiæ, illud abjiciamus. Sic ad excipiendum Christum præparandus erat senex Simeon, qui *Luc. 2. v. 25.* magnoperè laudatur. Ecce homo erat in Jerusalem, cui nomen Simeon, & homo ille justus, & timoratus expectans consolationem Israël. Præcipua tamen laudis ratio consistit in eo: Et Spiritus sanctus erat in eo. Ut ulnis suis exciperet JEsum Simeon, Spiritus sanctus illum præparavit, dicente Bartholomæo Pisano: JEsum in ulnas accepit Simeon, eò quòd Spiritus S. purgaverit eum. Quare si & nos Christum ulnis cordis excipere volumus, prius à Spiritu sancto sumus expurgandi.

Augustus Romam lateritiam fecit marmoream.

Spiritus S. homines facit ex luto aureos.

Cur Pentecostes ante festum Corporis Christi.

Præparatio ad Eucharistiam.

S. Spiritus corda nostra præparat.

Venit Spiritus sanctus in formâ columbæ candidissimæ *Joan. 1. v. 32.* Vidi Spiritum descendentem quasi columbam de cœlo.) De columbâ, quam Noë ex arca emisit, habemus, quod cum aquæ inundarent cadaveribus hominum, & animalium, illa tamen nulli cadaveri insederit, sed cum non haberet, ubi pes ejus requiesceret, reversa sit in arcam; ita planè Spiritus Sanctus columba est candidissima, quæ non insidet cadaveribus, id est, hominibus carni deditis. Sic in formâ columbæ insedit capiti S. Catharinæ Senensis, quæ sicut virgo erat castissima, ita pulcherrimo candore virginalis suæ pudicitiæ, Spiritum sanctum niveam hanc columbam de cœlo traxit, ut super eam conquiesceret. Bene observat S. Ambr. *l. 6. de arca, & Noë.* Columbas aquis non insidere, neque natare. Hinc *Gen. 8. v. 11.* quando Noë emisit columbam, & illa retulisset ore viridem ramum olivæ, intellexit is, aquas diluvii decrevisse. Verba sacri textus sunt *v. 11.* venit ad eum columba portans ramum olivæ virentibus foliis in ore suo. Intellexit ergo Noë, quod cessassent aquæ super terram. Ergo particula est illativa, illius nimirum consequentiæ, columbæ se aquis non immergunt, ergo cum columba ramum ferat, aquæ decreverunt, quia ramum non accepisset, nisi imminutis aquis arbores frondosæ prostarent. Occurrit hic quod Alcuinus observat *Gen. 3. v. 17.* verba illa: quia comedisti de ligno, ex quo præceperam tibi, ne comederes, maledicta terra in opere tuo, & gratiosè quærit, cur DEus non maledixerit aquis? Si dicas inquit ille, aquam non peccâsse, cui tamen maledixit DEus. Respondet dicens: Terræ maledicitur non aquis, quia homo de fructu terræ contra mandatum manducavit, non de aquis bibit, & in aquis erat peccatum abluendum, de fructu terræ contractum. Et ideo quia per aquam futura erat emundatio & depuratio nostra, exclamat Tertullianus *contrâ Quintilianum.* Nunquam sine aquâ Christus. In aquâ Christus manifestatur à Patre, hic est Filius meus dilectus. *Matt. 3. v. 17.* In aqua Christus primum se manifestavit, & fecit miraculum. *Joan. 2. v. 7.* quando in nuptiis in Canâ Galilæa aquam convertit in vinum. Ad fontem convertit Samaritanam. *Joan. 4. v. 6.* super aquas ambulavit. *Matt. 14. v. 25.* In aquis navigans tempestates sedavit. *Matt. 8. v. 26.* In aquâ denique quæ fluxit ex latere, vitam & passionem suam clausit. Ecce quanta cura puritatis & munditiæ! Hinc non immeritò Spiritus Sanctus custos virginum dicitur, quas immortali sponso Christo maritat. Et certè licèt

Spiritus Sanctus columba candida castitatem amat.

Aquis DEUS non maledixit licèt terræ.

Spiritus S. Sponsus virginum.

licèt omnis anima justi, possit esse, & dici sponsa Christi, speciali tamen ratione id virginibus datur, ut nominentur & sint sponsæ Christi. Et hoc ideò, quia à virginitate pulchræ sunt, atque amabiles & simul etiam per hoc ad sponsi ipsius naturam, geniumque accedunt. à Joële dicitur Christus vir pubertatis: Septuaginta legunt vir virgineus; à S. Hieronymo vocatur sponsus virginalis. S. Epiphanius sponsum incorruptionis nominat. S. Ambrosius exclamat; DEI sapientia, DEI sanctitas. DEI castitas. Quid ergo mirum si virgines amet, si eas in sponsas assumat. Sic assumpsit S. Catharinam virginem, etiam inserto in digitum sponsali annulo, in signum castissimi amoris, cui sicut pulchra est casta generatio virtutum, sic eidem pariter pretiosa sit, & amabilis. Et certè quid nî sit amabilis? Et quidem vel ex eo, quia Gulielmus Parisiensis virgines propter similitudinem, quam habent cum DEO, eas singulariter ab eodem dicit adamari. Sine ulla periphrasi Joannes Climacus *tract. 1.* dicit, quòd virginitas sit similitudo DEI, & S. Basilius *de vera virgin.* Virginitas inquit hominem DEO incorruptibili simillimum facit. Jam verò si juxta Ciceronem *l. 1. offic.* similitudo morum, amoris, & amicitiæ est principium; Necesse est virgines DEO simillimas, maximam cum eodem habere amicitiam. Nihil amabilius, nec copulatius inquit Cicero, quam morum similitudo bonorum, in quibus enim eadem studia sunt, eædem sunt voluntates, ut æque quisque altero delectetur, ac seipso. Et hinc claritatem quasi divinam participant. Certè Angelicam claritatem tribuit illis S. Chrysologus *serm. 143.* In carne inquit præter carnem vivere, non terrena vita est, sed cœlestis. Et si vultis scire angelicam gloriam acquirere majus est, quam habere. Esse enim angelum felicitatis est, virginem esse est virtutis. Pulchrè S. Hieronymus ad Mauritii filiam scribens, dum eam DEI filiam, divinæ nativitatis nobilitate decoratam asserit, hortatur, ut ipsius diviná ingenuitate clarescat. An non enim S. Catharinæ V. & M. facies cœlesti luce illustrari visa est ab ipsis carceris custodibus, & ab ipsâ Imperatrice Tyranni conjuge, quæ vel hoc cœlesti fulgore fidei lucem animo hausit, & se Christianam confessa est? Casta fuit S. Cæcilia, & ideo illius oculi, frons, facies totumq; corpus à Valeriano collucere visum. Casta fuit S. Agatha, cujus carcer ipse, à cœlesti lumine resplendere visus est, emanante luce ex ipsius Agathæ radiosâ facie. Casta fuit S. Walburgis, cujus faciem solis instar radiare, non sine amabili stupore spectantium conspexere plurimi.

Virgines Sponsæ Christi.

Christus amat virgines.

S. Catharina virgo Christo desponsatur.

Virginitas est similitudo DEI.

S. Catharina à castitate radiosa.

Castitas cœlesti splendore ornat.

rimi. Ut credam vel ipsas virgines sidera agnoscere, & velut affinia sibi lumina venerari & amare. Non malè virginitas componitur cum margaritâ, cujus uti ait Plinius *l. 9. c. 35.* Dos omnis est à candore, si quæras unde ille candor oriatur? Dicam ab influxu puri roris cœlestis. Si purus ros inquit Plinius influxerit, candor concipitur. Virginitatis, quæ cœli est margarita, dos omnis est à candore. Si petas unde hic niveus candor oriatur? Dicam à puriore utique sanctissimi Spiritus, ejusque gratiæ cœlesti rore. Cujus suavissimus candor tantam parit amabilitatem, ut magnetis instar trahat, & trahatur. Trahat, inquam non ferrum sed DEum, trahatur non ad frigidum septentrionem, sed ad meridiem, ubi sponsus cubat. Meritò exclamat Tertull. *l. de cultu fœm. c. 8.* Ubi DEus, ibi pudicitia, & ubi pudicitia ibi DEus, dicam ego ibi spiritus sanctus. Licèt autem Sanctissimæ Trinitatis opera ad extra sint indivisa, tamen virginitas magis spiritui sancto, quam alteri ex tribus personis competit: cum enim hujus virtutis excellentia, omnes alias perfectiones superet, noluit eam DEUS præcipere, sed solum consulere dicens: Qui potest capere, capiat. Et ideò etiam S. Paulus. *1. ad Cor. 7. v. 25.* dicit de virginibus præceptum non habeo, consilium autem do. Sicut ergo Verbo divino competunt ea, quæ spectant ad rationem cognitionis, sic spiritui sancto tribuuntur ea, quæ sunt amoris, qualiter excessus legis censeri debet, qui necessariò fit per spiritum sanctum ab impulsu excessivo amoris. Hic enim spiritus seminator est casti consilii, & virgines velut sponsas Christi, quarum Tutor & custos est, eidem castissimè desponsat, atque velaminis loco, cœlestis gratiæ suæ copiâ obumbrat. Quemadmodum fecit in Maria, cui velaminis loco, fuit obumbratio spiritus sancti, dicente cœlesti paranympho Angelo: Virtus altissimi obumbrabit tibi.

Virgines ipsis astris sunt amabiles.

Virgines margaritæ sunt.

Castitas propria est S. Spiritus operatio.

Venit Spiritus sanctus in formâ columbæ, quæ fel non habet. Ita enim S. Augustinus *tract. 7. in Ep. Joan.* In columbæ specie Spiritus Sanctus venit, quo nobis charitas infunditur. Causam hujus aliam non assignat, nisi quia hæc columba fel non habet. Est enim Spiritus amoris & charitatis; Et signum inhabitantis Spiritus Sancti in cordibus nostris est charitas. Hinc quando Christus promisit se missurum Spiritum Sanctum, causam dedit, ut nos faciat unum, adeoque quando abivit ex mundo, tam instanter Patrem rogavit: Pater sancte serva eos in nomine tuo, ut sint unum, sicut & nos. Ex quâ unione quid aliud

Spiritus Sanctus est Spiritus charitatis.

aliud colligamus, quam notam hanc esse discipulorum Christi, & characterem Spiritus sancti, quo eos distinguit, quos suâ gratiâ obumbrat, si nimirum dilectionem habuerimus ad invicem. Unde Paulus *ad Philip. 2. v. 1.* si qua societas Spiritus est, quasi diceret si invicem estis socii, amici, fratres, concordes, unanimes & charitate pleni. Abraham certè ut jurgia tolleret pestem fraterni amoris, ob pastores illorum: Ne sit inquit jurgium inter me & te, fratres enim sumus. Rectè S. August. *serm. 25.* Melior est affinitate sanguinis, Christi fraternitas. Quoniam illa sibi interdum inimica est, Christi autem fraternitas sine intermissione est pacifica. Hinc Frater, quod Festus & Aulus Gellius observant, idē est ac ferè alter, ut scilicet alter in altero vivat. Quod Plutarchus *l. de fraterno amore* expendit. Fraterni inquit amoris, consuetudinis & usus, exempla natura non longè à conspectu nostro removit. Fecit videlicet in ipso corpore pleraque duplicia, germana & gemella; manus, pedes, oculos, aures, nares; per hoc significans, omnia hæc salutis & auxilii causâ, non diffidii vel pugnæ esse divisa, unde sicut manus manum fricat, ita frater qui adjuvatur à fratre. Et hoc est quod *Prov. 18. v. 19.* dicitur, quod sit civitas quasi firma. Ut propterea Paulus *ad Eph. 4. v. 3.* moneat, soliciti servare unitatem Spiritus in vinculo pacis; & statim subdit: unum corpus, & unus spiritus, ac si diceret; si unum corpus estis, nimirum si vos invicem diligitis, id totum Spiritus sanctus operatur. *Ezech. 37. v. 17.* vidit Propheta campum plenum ossibus, quæ sic allocutus est: ossa arida audite verbum Domini, intromittam in vos spiritum, & vivetis. Factus est sonitus, & ecce commotio, & accesserunt ossa ad ossa, unumquodque ad juncturam suam, & ingressus est in ea Spiritus, & vixerunt, steteruntque super pedes suos exercitus nimis grandis valdè. S. August. *serm. 2. ad fratr.* ait: Spiritus humanus sicut nunquam vivificat membra, nisi fuerint unita, sic Spiritus sanctus, nunquam nos vivificabit, nisi pace uniti fuerimus. Concordat S. Bernard. *serm. 1. de S. Michaële.* Videre est animam hominis, quemadmodum universa membra corporis vivificat, sed sibi cohærentia. Separa ergo quodvis à juncturâ cæterorum, & vide, an de cætero vivificet illud. Sic omnis qui ab unitate dividitur, non dubitas, quin ab illo recesserit Spiritus sanctus, & Spiritus vitæ. Audite ergo ossa arida & sicca, quæ inter cineres vestros alitis, & fovetis odia, ossa estis mortua, Spiritus enim

Frater ferè alter.

Charitas est spiritus animæ.

nim vitæ, spiritus amoris, spiritus unionis, denique Spiritus sanctus recessit à vobis. Si vultis ut Spiritus sanctus vos rursus vivificet, redite ad juncturam & concordiam, & bonus JEsus intromittet in vos Spiritum sanctum & vivetis. Graviter proinde concludit S. Basilius *Ep. 79.* Hinc certè probatur, quam non ducantur Spiritu sancto, qui falsas inter se suspiciones alunt, quos S. Judas *in Ep. Catholica v. 19.* animales & spiritum non habentes vocat. In quem locum Hugo *lib. de arca Noë.* Ut anima sit capax cœlestis gratiæ, præparet se in pace & tranquillitate. Quia non sine causâ David *ps. 75. v. 3.* de Christo dixit: In pace factus est locus ejus, quia non habitat in cordibus, quæ non habent pacem aut diligunt proximum suum. Causam reddit S. Hilarius *in S. Mat. c. 18.* ipse enim qui pax, atque charitas est, sedem in bonis, ac pacificis voluntatibus collocavit. Propter quod *2. Petr. 3. v. 14.* studiosè nos hortatur dicens: Propter quod charissimi, hæc expectantes satagite, immaculati & inviolati ei inveniri in pace. Quod considerans *Tertull. l. de spectac. c. 15.* monet: DEus præcipit nos Spiritum sanctum pro naturæ suæ bono tenerum, & delicatum, DEum videlicet amoris cum tranquillitate, & lenitate, cum quiete & pace tractare, non cum furore & bile, non cum irâ aut dolore inquietare. Ubi ergo charitas, ibi Spiritus sanctus. Ut proindè si quæram, quod Paulus suos Ephesios, si Spiritum sanctum accepistis? id scire omnino possitis, si sit in vobis cor unum, & anima una. Quia bene idem S. Apostolus *ad Rom. 5. v. 5.* Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum, qui datus est nobis. Hic enim Spiritus unit, & conjungit. Et ideo hanc unionem inter Davidem & Jonatham mirè deprædicat Aëlredus *de amic. Spirit. c. 3.* dum exclamat: O pulcherrimum veræ dilectionis speculum! Et Lyranus *in 2. Reg. c. 1.* verba illa: Doleo super te frater mi Jonatha, super amorem mulierum sic exponit. David volens ostendere vehementiam & synceritatem amoris, hanc adducit similitudinem. Tanta est enim affectio viri in mulierem, ut dicatur, relinquet homo patrem & matrem, & adhærebit uxori suæ. Sicut ergo conjunctio matrimonii efficit unam carnem, ita etiam qui syncere amant, eorum animas unit affectio. Sed adhuc magis diligebatur David à Jonathâ, quia diligebat eum sicut animam suam. Anima quippe Jonathæ conglutinata est animæ David. Benè proinde S. Greg. Naz. *Orat. 16.* Pulchra res est fraternus amor, cujus rei testem habemus

Ubi Charitas, ibi Spiritus sanctus.

Chri-

Christum qui non modò frater noster vocari, sed etiam salutis nostræ causâ mori dignatus est. Præclarè S. Chrysostomus *hom. 72. in Ep. ad Rom.* Ex hoc potissimum DEO gloria accedit, quod in unum complicemur & conjungimur, ideoque per charitatem, quam Christus *Joan. 17. v. 2.* dicit se dedisse discipulis, intelligit Maldonatus mortem illius, per quam nobis Spiritus sanctus datus est. Pulchrè *Levit. 4. v. 7.* jubentur sacerdotes intingere digitum suum in sanguinem vituli, eoque septies aspergere tabernaculum & velum. Tollet sacerdos de sanguine vituli, & asperget digito septies contra propitiatorium. Et paulo post: immolatoque vitulo in conspectu Domini inferet sacerdos, qui unctus est de sanguine ejus in tabernaculum testimonii aspergens contra velum. Abbas Rupertus *1. in Levit.* intelligit per digitum Spiritum sanctum, sic enim ab Ecclesia vocatur Dexteræ DEI tu digitus. Per sanguinem vituli, intelligit sanguinem Christi, per numerum septennarium, septiformem gratiam Spiritûs sancti, qui datus est mundo, per passionem & mortem Christi. Verba sunt Ruperti: digitum in sanguinem intingere est, Spiritum sanctum per sanguinem suum dare, nam digitus DEI dicitur Spiritus sanctus. Quod ipsum *l. 2. in Mat. c. 27.* repetit dicens. Ut quid vitulus iste immolatus, Quid sanguis Christi est fusus? nisi Spiritum sanctum, qui in eo septiformi plenitudine requiescit, in remissionem peccatorum acciperemus. Advertendum autem est, quod *Act. 2. v. 2.* dicitur: factus est repente de cœlo sonus tanquam advenientis Spiritus vehementis; non enim otiosè videtur Spiritus sanctus venisse in vento valido. Hærent subinde naves in portu, rebus quidem omnibus instructæ, & in longissimum iter paratæ, exire tamen ex portu nequeunt, donec secundus ventus aspiret. Momento ipso quo ventus propitius incipit aspirare, elevantur anchoræ, attrahuntur rudentes, expanduntur vela, impelluntur remi, & naves quasi volant in pelagus. An non instar naviũ in portu hærebant Apostoli Hierosolymis in cænaculo, & ad illud iter se parabant? de quo *Marc. 16. v. 15.* Christus: Ite in universum mundum, prædicate Evangelium omni Creaturæ, sed quia nondum aspirabat necessarius ventus, perseverarunt unanimiter in oratione suspirantes cum sponsa *Cant. 4. v. 16.* Veni Auster & persla hortum meum. Qui ventus cum validus sit, per illum S. Bern: Spiritum sanctum intelligit. Hinc ubi in die Pentecostes circa sextam factus est repente de

Spiritus Sanctus venit in Spiritu vehementi.

Apostoli à Spiritu S. impulsi per orbem volant.

cœlo sonus tanquam advenientis Spiritus vehementis, in quo Spiritus sanctus supra Apostolos descendit, subito Apostoli aperuerunt portas cœnaculi, & veluti ex portu solventes explicuerunt vela divinæ prædicationis, ut verificaretur illud *ps. 18. v. 5.* In omnem terram exivit sonus eorum. De causis ventorum disputant Philosophi. David *ps. 134. v. 7.* in divinis thesauris eos reponit. Qui producit ventos de thesauris suis, adeoque effectus illius videmus, & experimur, causam tamen ignoramus, & nescimus. Est enim verò ventus celerrimus. Quid autem celerius Spiritus sancti gratia? Ambulat super pennas ventorum inquit David *ps. 103. v. 3.* Quia ut inquit S. Augustinus in hunc locum, velociter currit sermo ejus, cito implens quidquid vult. Et S. Ambr. ait nescit tarda molimina Spiritus sancti gratia. Unde enim tam miræ fierent conversiones, nisi à vento S. Spiritus, & illius gratia speciali impelleremur. Abbas quidam zelosus ut latronem insignem converteret optimis se vestibus induit, atque equum conscendit, sicque ad viam à latronibus infessam perrexit. Non diu indagandi erant prædones, obvii captum hospitem ad Principem suum abducunt. In cujus conspectum ubi venit Abbas, quæsivit, quid velint, & cujus causa se captivum Principi sistant. Latro dixit, se equum, & vestes illius velle. Bene respondit Abbas: Hæc mihi DEus cujus sunt omnia dedit, & ego illis multis annis usus sum, par est ut etiam tu illis utaris. Sed illud libenter scirem, quomodo tu veste mea usurus sis? Risit Latro, dicens: vendam; & hinc me & meos alam. Suspirans Abbas reposuit, si de cibo & veste agitur, mecum veni, dabo tibi, quidquid necessarium fuerit. Respondit latro se fabis non esse assuetum. Promittit Abbas mensam liberalem, carnem nimirum & pisces cum omni securitate. Quæ omnia, ubi sibi tam candidè promitti vidisset, pergit cum Abbate. Hic Abbas illi religiosum addidit, qui servi loco illi famulatus est. Tractavit illum lautè; Religiosus vero illi comedenti semper humi assidebat, modicum panis, & parum aquæ habens, quo fruebatur; ubi hoc vidit latro, quærit ex monacho, quid peccâsset, quod tam duram vitam agat. Nihil reponit Monachus me scio graviter peccâsse sed pœnitentiam ago, ut DEum mihi in morte propitium habeam. Vulneravit hoc verbum cor latronis, dixitque: væ mihi tot sceleribus onusto, & statim lachrymans ad Abbatem cucurrit, ejusque pedibus advolutus, peccata sua confessus, sceriam

Spiritus sancti gratia non tardat.

Abbas latronem mirabiliter convertit.

seriam pœnitentiam egit. Quam vehemens fuit hic Spiritus, qui hominem peccatorum limo infixum, tam facilè in cœlum impulit. Solent aliqua præsidia sic munita habere ostia, ut non nisi per funem, quo attrahuntur, ostium attingere, & penetrare possint. Cœlum est turris fortissima, præsidium est inexpugnabile, cujus ostium est à terrenis planè sublevatum; neque illud sine consensu filii DEI quisquam potest intrare dicente *S. Joan. c. 6. v. 44.* Nemo potest venire ad me, nisi Pater meus traxerit illum. Hæc tractio fit per gratiam Spiritus sancti, cujus virtute trahitur homo ad superna. Sicut enim ventus sursum trahit paleas & pulveres, ita etiam Spiritus sanctus missus à Patre rapit peccatores, ut sic elevati intrent cœleste ostium. In magnifico illo Salomonis templo etsi quatuor portæ fuerint, illa tamen quæ Orientalis dicebatur, fuit celeberrima. In cœlum portæ dicuntur patere duodecim. Una tamen porta antonomasticè dicenda est, ipso Christo teste, qui dicit. Ego sum ostium, qui quia *Zach. 6. v. 12.* dicitur vir oriens, merito porta orientalis dici potest. Hoc vero mirabile, quòd Christus illos tantum Pastores nominet, qui intrant per ostium, cum etiam fures & latrones per ostium intrare possint. Ego hic ostium materialiter sumi non putem, est enim ostium unus Christus, per quem Pastores à latronibus discernuntur. Sic S. August. *tract. 45.* Christus ostium est, per quod legitimi Pastores intrare debent. Ostiarius verò per hanc portam intranti est Spiritus sanctus, qui dona sua confert ei, qui per Christum intrat credens in eum.

Gratia Spiritus S. funis est, quo ad cœlum trahimur.

Mirabilis visio fuit objecta Prophetæ *Ezech. c. 1.* vidit enim turbinem, quem secuta est atra nubes, in cujus medio vidit currum gloriæ DEI, qui à quatuor animalibus trahebatur, vel potius à quatuor alatis juvenibus ducebatur, quorum quisque ante se faciem habebat hominis, ad dextrum verò latus faciem leonis, à sinistra faciem bovis, & desuper faciem aquilæ. Præterea quivis fuit instructus alis, quarum duabus texerunt femora, aliis duabus volabant. Supra currum regale spectabatur folium, in quo consedit homo igneus & lucidus, circumdatus Iride. Multa in hoc mysterio curiosè indaganda essent. Ego in Iride Sanctissimam Trinitatem veneror, de qua S. Basil. *Ep. 43. ad S. Greg. Nyss.* Hæc inquit ut una est & tricolor, viridis nimirum, cœrulea, & purpurea; Sic DEus unus est in essentia, & trinus in personis. Purpureum velut alii igneum viderunt DEum illi, qui mon-

S. Trinitas in Iride repræsentata.

tem Sinai fumantem, flammeúmque viderunt, qui rubi ardentis meminerunt, qui denique fulminantem DEum æternæ damnationis fatali ictu experti sunt. Sed etiam rubrum vidit *Isaias c. 63. v. 2.* quare rubrum est indumentum tuum? Hunc purpuratum vidimus in monte oliveti, in Prætorio Pilati, denique in ipsâ cruce totum sanguine perfusum. Viridem vidit S. Joan. *in Apoc. c. 4. v. 3.* hic scilicet color spiritum sanctum notat, qui sicut consolator noster est, ita ejus præsentia recreatur anima, non minus ac virore oculi nostri delectantur. Quid enim non fiduciæ ab eo sperare debemus, quem charitatis & amoris Magistrum accepimus. Certè S. Gregorius *in Ezech.* dum adventum sancti spiritus in igne contemplatur, exclamat: Ignis in terram mittitur, cum per ardorem sancti Spiritus afflata terrena mens, à carnalibus suis desideriis crematur, spiritualísque amore succenditur. Alludit nimirum S. Gregorius ad verba illa Christi *Luc. 12. v. 49.* Ignem veni mittere in terram, & quid volo, nisi ut accendatur. Quidam hanc sancti spiritus operationem hac historica relatione explicat. Principissæ alicui in Russia rebellavit urbs, quam cum videret, se armis, & vi non posse subjugare, conversa ad dolum, de urbe rebelli crudelem sumpsit vindictam. Obtulit civibus omnem libertatem, hac tamen conditione, ut quævis familia ad se mitteret certum numerum columbarum; missæ sunt ergo quàm plurimæ. Ipsa verò Ducissa paratos pyrobolos columbarum alis alligari curavit, cum quibus ad sua columbaria revolantes plurimis in partibus tecta ædium succenderunt, & sic inter paucas horas urbs tota conflagravit. Simile quid meliori effectu operatus est divinus amor. Rebellaverunt adversus DEum peccatores, imò verò obduraverunt faciem suam & noluerunt reverti. Descendit filius DEI de cœlis, factus est homo, passus & mortuus est, sed quia neque suo sangvine dura corda rebellium emollire potuit, misit igneam columbam, spiritum sanctum, qui suis ignibus primùm accendit Apostolos, ipsi verò velut ignitæ columbæ totum mundum pervolitantes, sparserunt in universo mundo ignes divini amoris. Benè autem adverti debet spiritum sanctum non absolutè descendisse in forma ignis, sed illum ignem arsisse in formam linguarum, ut sciamus circa linguas fore operationem spiritus sancti, ita ut aliqui putent, illas linguas igneas penetrâsse ora Apostolorum, ut visi fuerint, quasi ardere. Quare merito cum S. Gregorio dico, ut igneæ linguæ igneam legem loquerentur. Adeoque *Actor. 2. v. 4.* dicitur,

Spiritus Sanctus amoris verus Magister.

Urbs à columbis incinerata.

Spiritus sanctus in forma ignearum linguarum.

dicitur, cæperunt loqui, prout Spiritus Sanctus dabat eloqui illis. Certè *Isa. 6. v. 7.* debuit lingua Isaiæ purificari per Seraphinum. Et carbo ille Seraphicus fuit illius ignis, quo spiritus sanctus purificat linguas nostras. Quærunt autem aliqui, cur spiritus sanctus in linguis igneis & quidem hora nona descenderit? Quod enim in linguis igneis venerit spiritus sanctus, clarum id est ex verbis *Act. 2. v. 3.* Et apparuerunt illis linguæ dispertitæ tanquam ignis. Hoc autem ipsum factum esse horâ nonâ colligitur ex eo, quod Petrus omnem suspicionem ebrietatis à se, suisque sociis avertere volens dixerit, nondum esse horam diei tertiam, quæ apud nos est hora nona, qua crucifixus etiam fuit Christus. Horâ ergo nonâ, qua atrocissimum facinus est commissum, descendit spiritus sanctus in specie ignearum linguarum, ut amorem, quo ardebat, tali figura loqueretur. Velut iisdem linguis, & ardentissimis vocibus dicere voluerit, se paratum venire, ut illo igne consumat Judæorum alioquin inexpiabile scelus, & ab omni noxâ, quam maledicentissimis suis linguis illâ ipsâ horâ contraxerunt, liberos pronuntiare, si tantùm se peccâsse, dolerent, & pessimum facinus vera cordis pœnitudine damnarent. Quam bene ignis iste in forma linguarum obtusus descendit, ne credamus aculeari in fulmina, amor enim fulminare nescit, sed blandiri, & oscula parare charitatis, ut eum Paracletum sciamus, & Consolatorem. Hinc cum olim vellet DEus conspirantes in malum confundere homines *Gen. 11. v. 7.* inquit textus: Divisit eos Dominus ex loco illo, per diversitatem linguarum, ubi verò DEus misit Spiritum sanctum super Apostolos, sic eos in diversitate linguarum univit, ut fieret ex multis cor unum, & anima una. Quare, dum in actis Apostolicis dicitur, cœperunt loqui variis linguis, statim apponitur: Multitudinis autem credentium erat cor unum, & anima una. Pulchrè S. Chrysostomus *orat. in Pentec.* Cum olim homines superbia elati turrim extruere voluerint, quæ ad cœlum usque pertingeret, & injectâ divisione linguarum pravam illorum coitionem dissipavit DEus; idcirco jam quoque in spiritu ignearum linguarum ad eos evolat Spiritus sanctus, ut per illum orbem terrarum divisum, conjungat. Discamus ergo ex hoc articulo fidei igneas habere linguas, id est, charitate plenas, quæ nos in concordia & fidei charitate conservent, conemurque per veram cum DEO & proximo unionem, sic in anima nostra tueri Spiritum sanctum, ne unquam illum

illum per dissensionem, aut peccatum deperdamus. Expertus est hoc Christianus ille, qui perditè Saraceni hominis filiam adamaverat, sed parens in idolo consulvit dæmonem, an filiam Christiano homini dare deberet? negavit diabolus, nisi prius fidem ejuraret Christianus, & Christum desereret. Quod amore filiæ turpissimè excœcatus fecit Christianus, & ecce Spiritus sanctus in specie columbæ, ex ore abnegantis fidem egressus est, & visibiliter circumvolitavit. Consultus rursus dæmon dixit, hoc ideò fieri, quia Spiritus sanctus redire paratus esset. Quare cogat Christianum ad jurandum, quod non velit pœnitere de fidei factâ abnegatione. Et ecce ubi juravit, columba se in altum levavit, nec amplius visa est. At verò postquam insanis suis amoribus potitus, imò verò lassatus fuit, ad se reversus facti pœnitens ingemuit, & magno cum dolore sua peccata confessus, jussus est in solitudine tamdiu pænitere, usque dum rursus visibiliter Spiritus sanctus in formâ columbæ rediit. Quoties nos peccamus, Spiritum sanctum perdimus, sed dum confitemur peccata nostra, eundem rursus recipimus. Felix, imò felicissimus est ille, qui Spiritum sanctum nunquam à se dimisit.

Christianus fidem negans perdit Spiritum sanctum.



ARTI-

ARTICULUS IX.

Sanctam Ecclesiam Catholicam; Sanctorum Communionem.

DISCURSUS XXXI.

Datur Ecclesia, quæ veram Fidem profitetur.

CErtum est, & indubitatum quod in mundo sit aliquis verus cultus DEI, qui post abrogatam legem Mosaicam, & veteris testamenti antiquatas cæremonias, à Christo institutus, & Apostolis traditus, atque ad nostra tempora traductus est, adeoque vera est hæc illatio. Ergo datur vera Ecclesia, in quâ vera de DEO fides docetur, & habetur. Cum Christus clarè dixerit *Matth. 16. v. 18.* super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, & portæ inferi non prævalebunt adversus eam. Cui proindè suam assistentiam promisit. *Mat. 28. v. 30.* Et ecce Ego vobiscum sum omnibus diebus, usque ad consummationem sæculi. Notandum verò est, quod hoc nomen Ecclesiæ diversimodè accipiatur; aliquando enim sumitur pro templo & quodam loco, in quo fideles congregantur ad orandum & laudandum DEum, quo sensu accipit scriptura *Judith. 6. v. 21.* ubi cum Achior in Bethulia retulisset omnia, quæ locutus is fuit ad Holofernem, & Ozias suscepisset in domum suam, expletoque jejunio se refecissent, inquit sacer textus: Convocatus est omnis populus, & per totam noctem intra Ecclesiam oraverunt, petentes auxilium à DEO Israël. Aliquando accipitur Ecclesia magis latè pro multitudine fidelium in certâ Provinciâ, Regno, aut certâ

Datur vera Ecclesia, in qua vera fides habetur & docetur.

Ecclesia diversimodè accipitur.

parte orbis: quo sensu locutus est S. Paulus *ad Rom. 5. v. 16.* Quando dixit salutant vos omnes Ecclesiæ Christi, utique quæ erant in Asiâ, unde hanc epistolam ad Romanos scripsisse putatur. Aliquando in amplissimâ latitudine significat cœtum omnium ubique existentium, & veram de DEO doctrinam, atque rectum Sacramentorum usum profitentiũ, in quâ latitudine sumpsit S. Paulus *1. ad Cor. 10. v. 17.* dicens: quoniam unus panis, unum corpus multi sumus omnes, qui de uno pane participamus. In quæ verba S. Anselmus. Sicut unus panis ex multis granis, & unum corpus ex multis membris componitur, sic Ecclesia Christi, ex multis fidelibus charitate copulante connectitur. Certè in Canticis laudaturus sponsus dilectam sponsam suam, eam à pulchritudine commendat, cujus genas cum fragmine mali punici comparat, ut nimirum in aperto fragmine grana purpurea intuentium oculis statim subjiciantur, quia præcipuum, quod in ea est, laudat, nempe charitatem, quam symbolicè malogranatum repræsentat. Et hinc Christus Ecclesiam suam comparavit, horto paradysi. *Cant. 4. v. 3.* Emissiones tuæ paradysus malorum punicorum. Ubi emissiones vocat propagines arborum, quæ ex terræ velut magnæ matris sinu, quasi emitti videntur. Adeoque juxta interpretes sensus est, quod emissiones & propagines Sanctorum, sint variis virtutibus illustres animæ, præcipuè SS. Apostolorum, quorum nomen, ut ait Philo hebræus, missionem significat, quæ cum reliquis Sanctorum ordinibus, efficiunt hortum amænissimum, seu paradysum, ex fructiferis malogranatis consitum. Cur verò Ecclesiæ perfectionem & ornatum malogranatis assimilaverit, ratio alia non est, quam quod tota Ecclesiæ pulchritudo ex ejusdem singulari charitate habeatur. Unde vel ipsa divina Sapientia in hac ipsa totius universi concordi harmoniâ gloriatur. *Eccles. 24. v. 24.* Ego mater pulchræ dilectionis, quia in omnibus creaturis, quæ à divinâ Sapientiâ gubernantur, & in suos fines ordinantur, pulchra quædam relucet dilectio, & ordinatissima charitas etiam in his ipsis, in quibus aliàs naturalis est oppositio. Sic licèt cœlum oppositos habeat motus, ab Oriente in occidentem, & ab Occidente in orientem, id tamen cum tali fit harmoniâ, ut in illâ disparitate mira resplendeat uniformitas, ut vel ideo quidam sapienter dixerit, cœlum innato moveri amore. Quid dicam de elementis, quæ licèt oppositas habeant qualitates, tamen illa divinæ sapientia sic collocavit, ut non solùm

Ecclesiæ pulchritudo est ab unitate.

lum inter se non diffideant, verum etiam in bonum universi, mirè inter se cohæreant. Quæ si in orbis universi machinâ adeò manifestè relucent, quantò magis in Ecclesiâ DEI resplendebunt, quam vel ideò super fraternâ charitate fundavit; ut S. Chrysostomus super illud *Mat. 4. v. 18.* vidit duos fratres &c. dicat: Ideo super fraternitatem Charitatis Ecclesiæ composuit fundamenta, ut radicibus charitatis exuberans, quasi humor ascendat in ramos, ut per naturam, & gratiam, ipsa charitas firmior habeatur. Fuerunt hi duo Apostoli fundamentum Ecclesiæ, qui deinde suo sanguine hanc Ecclesiæ basim stabiliverunt. Ut quod de Roma Lucanus Poëta dixit. Fraterno primi maduerunt sanguine muri; Idem de his primis Ecclesiæ fundamentis dici possit, qui suo martyrio Ecclesiam exornàverunt. Planè ejusdem est opinionis S. Thomas *in Mat.* dicens binos elegit, quia voluit, ut per hoc significaretur charitas spiritualis. Quia ut bene advertit S. Greg. *hom. 17. in Evang.* Charitas minus, quam inter duos haberi non potest. Olim fundaturus DEus Synagogam ejusdem fundamenta in duobus fratribus, Moyse scilicet, & Aarone constituit. Præclarè S. Ambr. *l. 1. de Joseph.* Jungat liberos æqualis gratia, quos junxit æqualis natura. Observavit hanc divinæ fabricæ structuram S. Chrysostomus in duobus Apostolis ad ipsam primam hominis creationem respexisse, dum enim considerat verba illa *Genes. 2. v. 19.* Non est bonum hominem esse solum, ideoque dixit faciamus ei adjutorium simile sibi; Sic in molitione Ecclesiæ suæ vocavit eos, scilicet fratres inquit S. Chrysostomus: Sicut enim in paradyso primo parente condito dixit Dominus, non est bonum hominem esse solum, ita, qui novum condebat paradysum in terra, novosque homines in eo constituere decreverat, prioribus longè excellentiores, vocato Andreâ, ei sociare volebat Petrum. Benè omnino docente S. Gregorio: Non habet aliquid viriditatis ramus boni operis, si non manet in radice charitatis.

3. Reg. 5. Quando Salomon ædificare voluit domum Domino, pluris lignis indiguit, sic ut etiam ab Hiram Sidoniorum Rege peteret homines, qui in Libano Cedros, & abiegnos cæderent in ædificium destinatum necessarios. Christus Dominus unico ligno crucis, Ecclesiam toto orbe diffusam ædificavit. Quod non miror, quia etiam Patriarcha Jacob unicum baculum habuit, quando ivit in Mesopotamiam, ut indè sibi uxorem acciperet. Hic tamen dum so-

Christus in una cruce fundat Ecclesiam.

mnum capit *Gen. 28. v. 13.* audit sibi dici, Terram, in quâ dormis, tibi dabo, & semini tuo, eritque semen tuum quasi pulvis terræ; dilataberis ad Orientem, & Occidentem, & Septentrionem & meridiem. Audite, obsecro, sensum S. Augustini de baculo hoc. Jacob ad accipiendam uxorem exhibuit baculum & Christus ad redimendam Ecclesiam detulit crucis lignum. Laminez *in Conc. 4. de Invent. S. Crucis* expendens virgam Moysis, de quâ *Exod. 4.* habemus, quod abjecta in terram versa sit in colubrum, & recepta rursus in statum priorem redierit, inducit S. Augustinum *in fine comm. in Gen.* sic loquentem: Virga illa crucis mysterium præferebat. Sicut enim per virgam Ægyptus decem plagis percutitur; ita & per crucem totus mundus humiliatur & vincitur. Quarè quod *Isa. 11. v. 12.* dixit: Levabit signum in nationes, & congregabit profugos Israël, & dispersos Judæ colliget, à quatuor plagis terræ, id ego longè meliore jure de Christi Ecclesiâ dixero, quæ percusso per passionem & mortem Christi pastore, per universum orbem dispersis SS. Apostolis est coadunata. Ut propterea S. Ambrosius *serm. 2. in ps. 118.* super illa verba: percutiam pastorem, & dispergentur oves gregis dicat: Ideo dispergentur, ut repleatur totus orbis terrarum grege Christi. Et hinc est quod DEus templi Salomoniaci fabricam, ideam esse voluerit Ecclesiæ suæ. Neque enim Salomon passus fuit, ut in illius ædis structuram aurum, lignum, & metallum ullum conferretur, quod terra ipsa Israëlis protulisset; aurum enim montes ex Ophir, cedros ac marmora Tyrus, ac Sidon miserunt. Egregiè S. Bruno *libell. de Laud. Eccles.* Aurum & ligna, cæteraque, quibus templum DEI constructum est, non ibi nata, sed aliunde allata sunt. Sic igitur & Ecclesia ex omnibus Gentibus ædificata, omnes homines recipit. Et ideo David in spiritu dixit. Gloriosa dicta sunt de te Civitas DEI: ac si diceret, synagogam Mosaicam excipiet Ecclesia Christi; sed tanto illa gloriosior, quanto Moysem superat, & excedit Christus. Hujus tantæ gloriæ & splendoris causam dat ipse David, cum enim dixisset *Ps. 68. v. 3.* Gloriosa dicta sunt de te Civitas DEI, subjunxit: Ecce alienigenæ & Tyrus, & populus Æthiopum hi fuerunt illic. Ad quos omnes vel etiam in primitiva Ecclesiâ jam tunc coadunatos conversus Paulus *1. ad Cor. 12. v. 27.* dicere potuit: vos autem estis corpus Christi & membra de membro. Ex quo an non benè inferam: Veram Ecclesiam Christi esse visibilem.

Templum Salomonis typus Ecclesiæ.

Si enim Corpus Christi est visibile, nimirum tanta populorum collectio, quidni & Ecclesia, quæ re vera est corpus Christi, erit visibilis. Undè non parum miror hæreticos, qui *in Confess. Helv. c. 17.* docent Ecclesiam invisibilem appellari posse: cujus rationem reddunt, quod oculis nostris absconsa, DEO autem soli nota, judicium humanum sæpe subterfugiat. Sed obsecro dicite; si Ecclesia soli DEO nota est, quomodo salus Judæis æque ac gentibus erit possibilis? cum nemo possit salvari nisi sit in Ecclesiâ, quam tamen scire non poterit, nisi sciat, ubi sit. Est quidem fides interna invisibilis, externa tamen est visibilis, cùm verò Ecclesia aliud non sit ex dictis, quam congregatio profitentium fidem, & Ecclesia fundatur non purè in fide interna, sed tam in hac, quam etiam externa, & quia debet hæc congregatio seu multitudo fidelium esse cognita, quæ quatenus fidem exterius profitetur, & consuli & adiri potest. Juxta illud *Isa. 61. v. 9.* Omnes qui viderint eos, cognoscent illos, quia illi sunt semen, cui benedixit Dominus. Et verò quid clarius, quam quod *ps. 18. v. 6.* dicit psalmographus: In sole posuit tabernaculum suum, id est, in clara luce posuit Ecclesiam suam, ut videlicet omnibus fieret manifesta. Adeoque S. Augustinus *tract. 2. in Ep. S. Joan.* dicit Tabernaculum ejus in sole positum est, non in nocte, sed in die. Non dicam ego Ecclesiam, seu fidem nostram, testimonio Christi esse lucem & lucernam *Mat. 5. v. 14.* Vos estis lux mundi. Neque accendunt lucernam, & ponunt eam sub modio, sed super candelabrum, ut luceat omnibus, qui in domo sunt. Super quæ verba disertè S. Hilarius *in S. Mat.* Lucerna Christi non recondenda sub modio est, neque operimento occultanda synagogæ, sed in ligni passione suspensa lumen æternum est in Ecclesiâ habitantibus præbitura, Pari etiam lumine fulgere Apostolos monet, ut admonitione operis, DEO laus impertiatur. Quare S. Chrysostomus *hom. 4. in c. 6. Isa.* graviter planè dixit facilius est solem extingui, quâ Ecclesiam obscurari. Unde nisi cæci sint hæretici, visibilem DEI Ecclesiam negare non poterunt. Maximè cum Ecclesia à Daniele *c. 2. v. 35.* dicatur mons magnus, qui implevit universam terram. Et clarius adhuc apud *Isa. c. 2. v. 2.* Et erit in novissimis diebus præparatus mons domus domini, in vertice montium. Ut meritò D. August. *tract. 2. in Ep. D. Joan.* dixerit, quid amplius dicturus sum, quam cæcos? qui tam magnum montem non vident. Qui contra lucernam in candelabro positam

Ecclesia Christi est visibilis.

sitam oculos claudunt. Certè S. Ambrosius *l. 7. in Luc. c. 11.* ait fides nostra in altissimo omnium locata monte, hoc est Christo non potest tenebris & ruinis hujus mundi abscondi, sed fulgens calore solis æterni, luce nos gratiæ spiritualis illuminat. Sed quid obsecro, miramur, cæcutire carnales hæreticos, si gratiæ spiritualis lumine sola illuminentur corda fidelium: Meritò profectò fit illis malitiosè ad tam claram lucem caligantibus, quod factum est cuidam hæretico furioso, qui cum ausus fuisset stricto gladio ferire statuam Beatæ Virginis MARIÆ, ex illius imaginis vulnere statim copiosus effluxit sanguis, quo multi infirmi cum fuissent inuncti, sanabantur. Impius quidam hæreticus, ubi hoc audivit, imagini sacræ illudere volens, jumentum suum cæcum & oculis captum, eò adduxit, dicens se illud eò duxisse, ut Maria miraculosè illi visum restituat. Et ecce bestiæ visus redditur, irrisori verò impio adimitur. Melius actum est cum S. Dionysio de quo in Chronicâ Martini Poloni refertur, quod prædicante S. Paulo in Areopago, ille se in Christum crediturum dixerit cum conditione, si S. Paulus illuminaverit cæcum, qui tunc transibat. Conversus namque ad Paulum dixit. Si dixeris huic cæco. In nomine Domini DEI tui vide, & is viderit, statim credam. Sed ne utaris verbis Magicis, ego tibi formam verborum præscribam. In nomine JEsu Christi nati de virgine, mortui, qui resurrexit, & ascendit ad cœlum; Vide. Ut verò adhuc magis tolleretur omnis magiæ suspicio, mandavit Paulus Dionysio, ut ipse super cæcum eadem verba proferret. Quæ cum Dionysius dixisset, cæcus vidit, & credidit Dionysius. Eruditè S. Bernardus. triplex cœcitatis genus posuit. Cœcos à nativitate, quales sunt Turcæ & Gentiles. Cœcos per infirmitates, & passiones corporis, quales sunt mali Christiani. Denique alios qui cœci sunt ex injecto pulvere, & tales sunt hæretici, qui persuasionibus ineptis excœcantur, & proinde veræ fidei non adhærent. Annon enim gravis est hæc Cœcitas, ab eâ Ecclesiâ desciscere, super quam spiritus sanctus descendit, quam tot miraculis ornavit, & SS. Martyrum sanguine purpuravit. Et ad unius privati hominis fallax verbum, à verâ fide recedere. Excutite obsecro pulverem ab oculis vestris, & videte, an non sit gravis & inexcusabilis ignorantia, scripturæ proprios sensus invertere, verbo Christi filii DEI addere, vel demere pro libitu, sacrum Evangelium contra authoritatem Conciliorum, & SS. PP. interpretari, dogmata sacro-

Hæreticus blasphemans in B. V. excæcatur, jumentum videt.

Dionysius Areop. credit, illuminato cæco.

Triplices cæci.

Hæreticorum cæcitas.

sacrorum Conciliorum spernere, & pravis opinionibus levissimorum hominum adhærere, conscientiam, & animam suam ac salutem iis committere, de quorum vocatione, & missione non constat, qui sæpius magis corium & calceos, quam scripturam tractare noverunt. Proh pudor! Non sic agit DEus, dum Ecclesiæ Prælatum, aut Pastorem ordinat. Facit utique DEus, quod egit in primâ creatione *Gen. 1. v. 26.* Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram, & præsit. Quæ obsecro illa similitudo? Nisi ut Ecclesiæ Pastor imitetur in divinis potentiam Patris, sapientiam filii, & amorem Spiritus Sancti. Advertendum autem quod non dicat, faciamus hominem imaginem, sed ad imaginem, quia in divinis filius est imago Patris, sed homo tantum est ad imaginem, ut scilicet illius imitetur attributa.

Pastor verus imitari debet potentiam Patris.

Imitari ergo debet potentiam Patris, id est, animosus esse & cordatus, qui cedere nesciat etiam Regibus, ubi DEI Ecclesia patitur. Ostendit hoc Gratianus Nepos Eugenii Papæ, Legatus ab Alexandro tertio Pontifice ad Angliæ Regem missus in causa S. Thomæ Cantuariensis, de quo Baronius Anno 1169. qui Regi multa minitanti liberè & disertè dixit, minis abstine, quia de tali curiâ sumus, quæ novit imperare Regibus. Et hoc est, quod *Exod. 3. v. 5.* dictum est, cum enim DEus populo suo Ducem & Pastorem constituisset: solve inquit calceamentum de pedibus tuis. Explicat hoc S. Ambrosius. Mortale igitur, ac terrenum calceamentum jubetur solvere, cùm mitteretur ad liberandum populum, hujus enim minister muneris, timere nihil debet, nec à suscepto officio, mortis periculo retardari. Calcei ex mortuorum animalium pellibus symbolum sunt nostræ mortalitatis. Calceos proinde exuere debet, nec ulla formidine mortis ab officio impediri. Hinc DEus *Ezech. c. 3. v. 9.* dixit. Ecce adamantem & silicem dedi faciem tuam. Et David *ps. 3. v. 7.* Non timebo, quid faciat mihi homo? Certè vel ipse S. Thomas Cantuariensis Episcopus Henrico secundo Angliæ Regi fortissimè obstitit, neque ullis pollicitationibus, aut terroribus de sententiâ dimoveri potuit, ut cederet iniquæ cupiditati regiæ. Vos ego hic interrogo hæreticos, petóque mihi ostendi ex toto grege Pastorum vestrorum, vel unum, qui se ad exemplum S. Thomæ Cantuariensis Episcopi potestati regiæ, iniquas arbitrio vestro leges, contra vos vel vestram synagogam statuenti, opponere ausit. Cùm enim omnes arbitrio plebis, ne dicam arbitrio regis, aut Principis facti sitis, vel ipse in pago rusticus judex, in

Legati cordata ad Regem Angliæ responsio.

S. Thomas Cantuar: cordatè Regi obstitit.

in vos jus, & imperium exercere potest. Ut propterea ingeniosè, acriter tamen perstrinxerit authoritatem vestram Richardus Sacerdos in Angliâ à vobis captus. Hic enim cùm in carcere constrictus vinculis, à ministellis Calvinistis molestissimè infestaretur, & unus ex illis impertinentiùs ogganiret. Uni Petro à Christo datas esse claves. Respondit subridens vinculatus Sacerdos; Neque ego negaverim tibi claves esse concreditas, sed Petro claves cœli, tibi verò cellæ vinariæ, sic enim vox tua stridula sonat, & nasus rubicundus, ac cupreus indicat.

Sacerdos in catasta ridet Calvinistam Prædicantem.

Imitari debet Pastor Ecclesiæ sapientiã Filii. De Christo dixit Isaias *c. 9. v. 2.* Populus qui ambulat in tenebris, vidit lucem magnam, habitantibus in regione umbræ mortis, lux orta est eis. Adeoque idem Propheta *c. 2. v. 5.* Ambulemus inquit in lumine Domini, quod utique Christus intellexit, quando *Matth. 5. v. 14.* Apostolis dixit: Vos estis lux mundi. Quod explicat S. Bern. *serm. 66. in Cantic.* Dictum est hoc Apostolis, ideoque super candelabrum positi sunt, ut toti luceant mundo. Præclare plane Nissenus *tom. 2. Dom. 2. Adv.* qui Apostolos leges animatas esse dixit, ubi alludere videtur, ad id, quod fieri solet, cum liber aliquis prælo subjicitur, cujus cum unumquodque folium, quod primum typo subjicitur, si vacuum à mendis & erroribus habeatur, folia ejusdem generis quæ illud sequuntur, etiam absque vitio erunt. Si verò illud mendosum sit, necesse est, ut reliqua etiam erroribus scateant. Omnis ergo reliquorum foliorum corruptela à primo folio dependet. Cum ergo Apostoli prima essent Ecclesiæ Christi folia, & instar primarii cujusdam exemplaris spiritus sanctus tam studiosè illos formavit, ut cœteri omnes Christiani ex eorum doctrinâ & imitatione fierent perfecti. Si enim in primis foliis, vel in iis qui fuerunt Principes Ecclesiarum, postquam eos spiritus sanctus ad lucem sui divinissimi ignis attentissimè emendavit, & in die Pentecostes ipse suo divino igne purgavit, fuissent reperta mendosa, certò futurum erat, ut omnis posteritas corrumperetur, atque sic exigua spes profectus Christiani nobis remansisset. Divinus sponsus laudaturus sponsæ suæ pulchritudinem à collo commendare voluit. *Cant. 4. v. 4.* Sicut turris David collum tuum, quæ ædificata est cum propugnaculis. Hugo Cardinalis cum glosâ ordinariâ vult hic intelligi Ecclesiarũ Rectores, nam sicut per collum alimonia omnis in stomachum descendit, & per hoc corpus vivit, & nutritur Sic Ecclesiarum Rectores doctrinæ pabulum, quod animarum victus est,

Pastor verus imitari debet sapientiam filii.

Sancti Apostoli libri Spiritus S. sine errore impressi.

popu-

populo subministrant, ex quo robur omne, viresque anima trahit. Diximus paulo ante SS. Apostolos libros fuisse plane absolutos. Occurrit mihi, quod glossa ex sententiâ S. Chrysostomi monet, ubi observat, quod S. Matthæus Evangelium suum ab hoc verbo Liber incipiat. Et S. Joannes Evangelium suum à mentione verbi hujus nempe libri claudat. Dicit enim Matthæus Liber generationis JEsu Christi. S. Joannes verò claudit: Licèt & alia multa sunt, quæ fecit JEsus, quæ si scribantur per singula, nec ipsum arbitror mundum capere posse eos, qui scribendi sunt libros. Quid est, quærit glossa, quod à libro sumat initium, & libris absolvitur, perficiturque Evangelium? Respondet sibi ipsi; Libri arma sunt, quibus propugnandum est Evangelium, quæ prima se hostibus objicere, & cum postremis movere in legiones Catholico nomini infensas debent. Tolle D. Thomam, & dissipabo Ecclesiam dixit quispiam impii Lutheri emissarius. Sunt ergo libri inquit Thom. de Kempis *serm. 20.* arma Clericorum, ornamenta Ecclesiæ, divitiæ, & thesauri DD. tubæ sacerdotum, solatia religiosorum, epulæ devotorum, testamenta Sanctorum, luminaria fidelium, seminaria virtutum, organa sancti Spiritûs. Non otiosa fuit quæstio an arma, an litteræ in republica præstent? Sed facilè quis concludet, cùm arma per litteras perficiantur. Habemus hujus pulchrum argumentum. *1. Reg. 21. v. 9.* Quando David fugiens Saulem venit ad Achimelech, à quo cum postulasset David arma; Respondit Achimelech: Ecce hic gladius Goliath Philistæi, quem percussisti in valle Terebinthi, est involutus pallio post Ephod. Erat autem Ephod vestis Sacerdotalis. Quid ergo nunc est aliud gladius involutus in Ephod, quam scientiam gladio præferri? Quod insinuat *Malach. c. 2. v. 7.* Labia enim Sacerdotis custodient scientiam, & legem requirent ex ore ejus, quia angelus Domini exercituum est. Et certè militum omnia illustria licèt facinora, oblivione quasi sepulta essent, & tenebrarum pallio jacerent involuta, nisi illis suam lucem litteræ attulissent. Unde quispiam Ecclesiæ armamentarium dixit. Quod confirmat Joan. Gerson. *l. de laud. scriptorum tom. 1.* Non habent tyranni depopulatores Regionum seu religionum efficacius machinamentum, quam si libris ipsas spoliaverint, ac privaverint. Expertus hoc est Sedecias Rex Judæ, qui ubi vidit Principes Regis Babylonis ingressos Jerusalem, & sedisse in mediâ portâ, fugit. Sic enim *Jerem. 39. v. 3.* Ingressi sunt omnes Principes Regis

Libri arma sunt Ecclesiæ Catholicæ.

Libri armis præstant.

Babylonis, & sederunt in portâ mediâ. Si quæras quid sit illa porta mediâ. Respondent Vatablus, & Aria Montanus, quod sicut Jerusalem habuit tres muros, sic etiam habuit tres portas, in medio autem erant ludi litterarii, & gymnasia. Quo innuitur, quod licet hæretici velut jurati Ecclesiæ hostes, eandem variis persecutionibus infestent, quamdiu tamen eo non progrediuntur, ut portam secundam seu mediam invadant, Universitates evertant, libros diripiant, tamdiu timendum non esse. Ast ubi arcem sapientiæ diruunt, & scripturam demoliuntur, tunc enimverò conclamatum esse, & ejus ruinam, ac interitum deplorari posse, est manifestum. Nunquam profectò Lutherus tam procul progressus fuisset, si sæculum illud plures viros insigniter doctos, & sapientiâ conspicuos habuisset. Ubi gymnasia erexit, & scholas publicas aperuit Societas JEsu, opposito quasi validissimô repagulo furens stetit hæresis, & tumentes fluctus suos infregit. Loquantur Florimundus Remondus, & Thomas Bozius de signis Ecclesiæ; ego pluribus hic supersedeo. Hoc unum dicam, quod sedes Apostolica in publico de S. Ignatio officio dicit. Ipse tamen ad prædicandum Indis Evangelium, S. Francisco Xaverio aliisque in alias mundi plagas ad religionem propugnandam disseminatis, Ethnicæ superstitioni, hæresique bellum indixit, eo successu continuatum, ut constans omnium fuerit sensus, & Pontificio confirmatus oraculo, DEum sicut alios aliis temporibus sanctos viros, ita Luthero ejusdemque temporis hæreticis Ignatium, & institutam ab eo Societatem objecisse. Quæris quomodo? ipse apertis inquit *in Lect. 6. Breviarium Romanum*, ubique locorum ad juventutem erudiendam in litteris, ac pietate gymnasiis indefessus lucrandis DEO animabus institit. Ecce quomodo in Ecclesiâ Catholicâ adlaboretur, ut imitemur sapientiam filii DEI. Ut Christi fideles ambulent in lumine Domini. Et prædicans unus sutor, qui die dominicâ, vel festâ dum declamat, quam non intelligit postillam, æternæ veritatis verbum tanquam ab ore Christi disseminet? Meritò exclamat S. Hieronymus *Ep. 103. ad Paulinum.* Taceo de Grammaticis, Rhetoribus, Philosophis, Geometricis, Musicis, Astronomis, Astrologis, Medicis; ad minores artes veniam & quæ non tam lingua, quàm calamo administrantur. Agricolæ, cæmentarii, fabri, metallorum, lignorum cæsores, lanarii quoque, & fullones, & cœteri absque Doctore non possunt esse, quod cupiunt.

Lutheri incrementa à defectu literatorum illius sæculi.

S. Ignatius Luthero opponitur.

Sola

Sola scriptuarum ars est, quam sibi omnes passim vendicant. Mulierculæ inverecundæ inquit Cresolius cum duas, tresve Pauli Epistolas didicissent oblitæ modestiæ, & impudoratæ, non dubitârunt viros graves in Theologiâ Principes acri ingenio, studioque politos invitare, & provocare ad disputandum: atque adeò gloriari, quod in sacrorum Codicum intelligentia, de Sorbonicis in Theologiâ Doctoribus palmas & triumphos retulissent. Hujus insaniæ specimen exhibet S. Hieronymus, qui sic loquitur. Hanc utique scripturam garrula anus, hanc delirus senex, hanc Sophista verbosus, hanc universi præsumunt, lacerant, docent, antequam discant. Hanc mulierculæ in curribus, in navibus deblaterant, hanc textrix ex textrinâ, Tonsor è tonstrinâ, coquus è coquinâ, denique ministelli aliquando ex fæce hominum conflati è cathedra deprædicant. Quam rectè in illos cadit illud D. Basilii in cocum garrulum. Tuum est pulmentum coquere, non Evangelium exponere. Tuum est garrula anus fila nere, non textum docere. Ut propterea S. Hieronymus meritò queratur. Alii discunt prôh pudor à fæminis, quod viros doceant. Et ne parum hoc sit, quadam facultate verborum, imò audaciâ edisserunt, quod ipsi non intelligunt. Justo dolore plenus exclamat Hylareti *Dom. 1. post Epiphan.* Mentiuntur proindè hæretici, qui Scripturam sacram facilem & cuivis perviam deblaterant. Nam si Josephus tantus vir & Maria *Luc. 2. v. 20.* Et ipsi non intellexerunt; statim verba sacra non intellexerunt, quomodo plebei & indocti opifices, sine Doctore tam profunda capient fidei mysteria. O quam Ego rudibus fidei, & salutis æternæ Doctoribus optarem illam cathedram, quam P. Joannes Benedictus S.I. Sacerdos in Angliâ pro fide Christi vinculatus habuit: cum enim in catastâ suspensus manicis ferreis, & aculeatis constrictus pependisset, sic pendulum Calvinista ministellus ad disputandum provocavit. Conversus ad Carnificem Pater, dixit subridendo. Age hominem istum sublimem rape, ut cujus tanta est disputandi mecum libido, disputantium more paribus subselliis decertemus. Hæc ideo à nobis dicuntur, ut vel ipsi tandem intelligant, in scripturis sacris sine prævio Doctore eas non posse, quod cupiunt. Sed proh pudor sola scripturarum ars est, uti deflet S. Hieronymus quam sibi omnes vendicant. Ut non immerito dicat Persius in suis Satyris, scribimus indocti, doctique poëmata passim. Ah quoties meritò occinas illis rabulis divinam scripturam

Scriptura non est facilis.

Sacerdos in catasta Prædicantem ad parem cathedram invitat.

deblaterantibus, quod accidit illi, qui cum in scripturâ parum versatus in quodam discursu, ubi allegabatur sensus literalis, ingenuè non dicam stupidè professus est, se litteralem sensum non scrutari, eo quòd Paulus dicat Littera occidit. Ingeniosè alter respondit: Bene cavisti mi Domine, ne littera te occideret, quia nulli studuisti. Tumor quidam est, & trabeata ambitio apud homines istos, qui inter rudes docti videri cum velint, apud prudentes reverâ sunt Arcadicæ pecudes. Hinc quod Contzen *l. 9. polit. c. 42.* bene notavit cum suæ doctrinæ diffiderent ad Concilii Generalis authoritatem exequendam se semper paratos dolosâ simulatione ostenderunt, plurimos tamen Principes deluserunt. Dicunt enim in præfatione Augustanæ confess. Ad Generalis Concilii conventum provocamus & appellamus, cui appellationi adhuc adhæremus, neque eam per hunc vel alium tractatum deserere intendimus, aut possumus, de quo & solenniter protestamur. Ita illi Anno 1330. Et tamen cum anno 1542. à Paulo III. Pontifice Concilium ritè indictum fuisset, & Anno 1545. primus consessus celebratus fuisset, atque Concilium integris annis 20. usque ad annum 1563. perdurasset, nunquam concesso licèt quocunque salvo conducto induci poterant, ut in Concilio comparerent; ut dignè de his dici possit: Hæc est potestas tenebrarum.

Quidam ne à Litera occidatur, literalem sensum non investigat.

Hæretici diffidunt suæ doctrinæ.

Aliter se habet dignitas Ecclesiastica, & cura Pastoralis *1. Reg. 13. v. 14.* Ipse DEus quæsivit sibi virum secundum cor suum, ut esset Dux super populum suum. S. Gregorius in hunc locum, quæsivisse virum DEus dicitur, ut eligendorum Antistitum forma omnibus præbeatur, ut omnis qui ad Ecclesiæ sanctæ culmen eligitur discutiendus esse ab hominibus doceatur. Quæri autem debet secundum cor DEI, ut videlicet non solum voluntatem divinam intelligant, sed bonis etiam operibus ostendant. Oleaster in verba Isaiæ, & factus est principatus super humerum ejus dicit: Putant usque hodie insensati filii Adam, imperia regna & Principatus hujus sæculi, honores esse, & non onera, quos puer divinus arguit, qui suum Principatum quasi grave onus super humeros gerit. Non ergo Prælate aut Princeps cum ad Prælaturam vocaris, te ad honorem vocari putes, sed ad onus & sub præfectura tibi gemendum puta, sicut sub onere gravi. Lepidum est, quod legi apud probatum authorem. Quidam Episcopatum laboriosè quæsivit, sed ubi ipso die consecrationis in loco con-

Ecclesiasticæ dignitates conferendæ cum delectu.

Honores Ecclesiastici onerosi.

constituto comparuit, interrogatus an velit consecrari? Quid ni? inquit, quando tam laboriose pro illo obtinendo egi. Interrogatus rursus, an in die judicii pro animabus sibi commissis respondere velit? Respondit disertè. Nolo. & ipso Episcopatu cessit. Hoc ego de Pastoribus heterodoxis dicam, qui sæpe ad Ecclesiam DEI, à qua apostatàrunt, redirent, sed hoc unum obtendunt, quia hoc munere pastorali se, uxorem, & liberos sustentare debent. Erratis, quicunque Pastores dici vultis, & non animas, sed lac & lanam expectatis. Audite quid *Apoc. 3. v. 1.* Sardicensi dicatur Episcopo. Scio opera tua, quia nomen habes, quod vivas, & mortuus es. Alcazar eruditè sic explicat: Respicitur ad ipsum Episcopi nomen, quod Græcè significat inspectorem, sive speculatorem. Episcopus ergo nomen est hominis, qui ex speculâ omnia oculis circumspicit attentis, & vigilis excubitoris partes agit. Et hic patet culpa, quæ in Episcopo Sardicensi reprehenditur. Nomen Episcopi, habes, id est, vigilis, & mortuus es, quia oscitabundus dormis, nec gregi tuo invigilas. Benè itaque S. Gregorius Nyss. tales nos in omni vitâ præstemus, quales nos requirit Christiani nominis excellentia. Nimirum inquit Nyssenus in suo *cœl. polit. p. 1. l. 5. c. 4.* ut hoc semper agamus, quod inclytæ appellationi congruit. Erudita & gratiosâ id similitudine declarat, si inquit in officinam intrares librariam, in quâ prostarent opera SS. PP. Augustini, Basilii, Chrysostomi, Gregorii, Hieronymi &c. si postquam exciperes, & aperires, atque invenires esse opera Lutheri, Calvini, Zwinglii, Machiavelli &c. nè tu Bibliopolam illum rogo dignum exclamares? Quid Christus in die judicii dicet? Si in titulo Christiani, invenerit opera Turcarum? si in titulo Pastoris repererit prædonis aut nescio cujus latronis vitam & acta. An non meritò tunc audietur tremenda illa vox. Ite in ignem æternum. Estote itaque nominum, & officiorum vestrorum memores, & solicitè curatè, ne quod ait. S. Ambr. *apud Hugonem Cardinalem in c. 3. Apoc.* sit nomen inane, & crimen immane, deifica possessio & diabolica actio; religiosus amictus, & irreligiosus profectus, gradus excelsus, & deformis excessus. Ne locutionem simulemus columbinam, & vitam habeamus corvinam, ne professionem monstremus ovinam, & ferocitatem habeamus lupinam. Mementote vos debere DEO reddere rationem de ovibus vestris. Tremendum est, quod Turonis accidit. Fuit ibi vir bonus & pie-

Episcopi gregi suo invigilent.

Simus, qui videri volumus.

Nomini respondeat actio.

Archi-Episcopum Turonensem Sanctus Martinus apud Judicem Christum accusat.

Prælati indigni divino judicio extinguuntur.

Prælati in amore debent excellere.

& pietati singulariter addictus, qui quotidiè ad preces matutinas majoris Ecclesiæ venire consueverat; quodam die solito citius venit, Ecclesiam tamen apertam reperit, in quâ dum ad columnam consistit, repentè vidit in Ecclesia lucem magnam, & Judicem sedentem in throno, quem frequentes circumstiterunt Angeli. Cùm ecce venit S. Martinus cum multitudine Sanctorum, & cœpit graviter accusare Archiepiscopum loci, qui citatus sedit in cathedrâ suâ in Pontificalibus suis, sed cum nesciretis, quid responderet, judex pede percussit cathedram Episcopalem, eumque cum cathedra evertit, visioque sic disparuit. Ubi verò vir ille bonus, qui hæc vidit, ad Archiepiscopi domum venit, eundem repentinâ morte extinctum reperit.

Tertium quod in divinis imitari debemus, ut imaginē & similitudinem divinam referamus, est amor, quem habere debet, quisquis Pastoris munus vult implere. Certè S. Joan. *cum c. 3. v. 16.* contestatur amorem, quo DEus nos amavit, exclamat, sic DEus dilexit mundum, ut filium suum daret unigenitum. Disputant SS. PP. an Abrahami tam parata voluntas, & prona ad victimandū filium suum, an matris Samuelis expedita filii oblatio DEO gratior, & in se magis meritoria fuerit? Arbitrum hujus quæstionis habeo S. Chrysostomum *in Ep. ad Ephes.* qui Annam præfert Abrahamo, eo quod Abraham habito primum mandato filium suum offerre voluerit. Illa autem sine omni mandato filium suum DEO sacraverit. Quid dicemus nos de Patre æterno, cui nemo imperare poterat, adeoque ex mera misericordiâ, & gratiâ, quâ nos dilexit filium suum unigenitum mundo dedit. *Cant. 3. v. 9.* ferculum sibi fecit Rex Salomon de lignis Libani, columnas ejus fecit argenteas, reclinatorium aureum; juxta communem interpretum sensum hoc ferculum erat rheda, vel currus, in quo ipso die desponsationis suæ, per plateas urbis cum sponsâ suâ vehebatur. Addit Soto Major Salamonem in medio illius ferculi, curiosè curâsse depingi amores suos, in summitate verò currûs amorem & affectum, quo erga sponsam ferebatur. Christus sibi præparavit ferculum crucis, scripsit & pinxit in illâ vivacissimè purpurâ sui sanguinis amores ardentissimos juxta illud *Isaiæ 49. v. 16.* Ecce in manibus meis descripsi te. O quanta hæc Dei nos amantis est benevolentia! Non minus DEI filius nos amavit, qui pro nobis animam suam posuit. Certè complementum amoris sui statuit ipse *Joan. 15. v. 13.* Majorem hac dilectionem nemo habet, ut animam suam ponat quis pro amicis suis.

Fe-

Fecerunt hoc Apostoli sancti, & quod singulare est omnes continuata, & nunquam interruptâ serie per integros trecentos annos sancti Romani Pontifices, qui pro grege sibi à Christo per S. Petrum commisso, animam suam posuerunt, & glorioso Martyrio coronati sunt. Sic enim

Pontifices per trecentos annos Martyres.

I. Anno Christi 69. 29. Junii S. Petrus in crucem actus est.

II. S. Petro successit Linus, qui Anno Christi 80. 23. Septembris gladio Martyr occubuit.

III. Linum secutus est Cletus, qui Anno Christi 93. 26. Aprilis sub securi cecidit.

IV. Post Cletum venit Clemens I. cui in mari demerso Anno Christi. 102. 23. Novembr. ipsi angeli sepulchrum & templum efformârunt, quod annuatim recedentibus maris fluctibus, à Christianis magnâ cum pietate visebatur.

V. Anacletus successit Clementi I. qui Anno Christi 112. 13. Julii glorioso Marryrio vitam terminavit.

VI. Secutus est Evaristus, qui 26. Octobris Anno Christi 121. Martyr occubuit.

VII. Huic successit Alexander I. qui sub Adriano Anno Christi. 132. 3. Maji sub gladio cecidit.

VIII. Post hunc Xixtus, vel Sixtus I. qui Anno Christi, 142. 6. Aprilis Martyr sub Antonino pio occubuit.

IX. Fuit Telesphorus, qui sicut testatur *Irenæus l. 3. c. 3.* & Tertullianus *in suo carmine contra Marcionem* martyrio coronatus est.

X. In Pontificatu Romano Martyr fuit Hyginus, hic Anno Christi. 158. 11. Januarii occubuit.

XI. Martyr cecidit Pius I. de hoc Breviarium Romanum habet, quod sub Marco Aurelio Anno Christi 167. martyrii coronam acceperit.

XII. Pari corona martyrii ornatus est illius successor Anicetus, qui sub Aureliano Anno Christi 175. 17. Aprilis interemptus est.

XIII. Soter fuit, qui sub eodem Aureliano Anno Christi 194. 22. Aprilis martyrii palmam est assecutus.

XIV. Hoc eodem Anno successit Elevtherius hic 26. Maji Anno Christi 194. uti habet Romanum breviarium martyr cecidit.

XV. Victor I. Anno Christi. 203. 23. Julii sub Imperatore Severo vitam martyr terminavit.

XVI. Zephyrinus Anno Christi. 221. 28. Augusti.

XVII. Callistus I. Anno Christi. 226. 14. Octobris.
XVIII. Urbanus I. Anno Christi. 233. 25. Maji.
XIX. Pontianus Anno Christi. 237. 19. Novembr.
XX. Antherus, Anno Christi. 238. 3. Januarii.
XXI. Fabianus, Anno Christi. 253. 20. Januarii.
XXII. Cornelius, Anno Christi. 255. 14. Septembr.
XXIII. Lucius I. Anno Christi. 257. 4. Martii.
XXIV. Stephanus I. Anno Christi 260. 2. Augusti.
XXV. Sixtus II. Anno Christi. 261. 6. Augusti.
XXVI. Dionysius, Anno Christi 272. 26. Decembr.
XXVII. Felix I. Anno Christi. 275. 30. Junii.
XXVIII. Eutychianus Anno Christi. 283. 8. Decembr.
XXIX. Cajus, Anno Christi. 269. 22. Aprilis.

XXX. S. Marcellinus, qui lapsus quidem, sed gloriosè resipuit, & Martyr sub Diocletiano Anno Christi. 304. 26. Aprilis cecidit. Quartum sæculum inchoavit S. Marcellus I. qui sub Maxentio ad stabulum, seu equile cæsaris relegatus, inter ærumnas & labores serviles longo martyrio Anno Christi. 309. 19. Januarii contabuit. Quia verò Ecclesia à persecutionibus tunc respirare cœpit nec amplius aperto ferro sævierunt Tyranni, ego cum enarratis S. Martyribus contentus hanc laureolam tot purpuratis rosis decoram Ecclesiæ Romanæ in triumphum imponam. Eant nunc Lutherani, & vel unum ex suis Pastoribus Martyrem, qui pro suis ovibus animam posuisset ostendant. Non dicam ego quadraginta quatuor Pontifices Sanctissimos Confessores, quos omnes Ecclesia solenni ritu canonizatos colit & veneratur. Quos mihi Sanctos numerabit omnis hactenus hæresis, quorum nefanda scelera orbi universo sunt notissima. Insurgunt hic contra sedem Romanam pleno agmine hæretici, & nobis excessum quorundam Pontificum obtendunt, sed tam paucorum errores non officiunt Ecclesiæ intaminato splendori, cùm inter 244. hactenus Pontifices vix octodecim numerentur, quos cum aliquo fundamento historicorum acrior calamus perstrinxit. Cœterum de his Pontificibus dixero, quod de Alexandro 6. Romano Pontifice scripsit Joannes Mariana *l. 27. c. 2.* Multa inquit is de Alexandri vita tum famâ, tum scripto prodita sunt, vera? an ex invidia? non facilè dixerim. Omnia conficta temerè fuisse non arbitror. Nisi velint Lutherani, ut nos Catholici omnia credamus, quæ de ipsorum Evangelistâ novo Martino Luthero

Lutherani non possunt ostendere veros pro fide Martyres.

Paucorum Pontificum errores non officiunt Sanctitati Ecclesiæ.

Luthero scripta fuerunt. Quæ omnia si vera essent, nullum abominabilius monstrum, non dicam Germania, sed neque orbis universus vidisset. Quod si autem nolunt, ut omnia tanquam vera credamus, quæ multorum audaci nimis ore, vel calamo effusa sunt, cur ergo illi tam sanctè credunt, quæ contra sedem Apostolicam propudiosa calumniandi effutiit licentia. Et verò si in Apostolico Collegio inter duodecim fuit unus Judas, nec tamen hujus perfidia derogat sanctitati Apostolici status; Quid mirum si inter ducentos quadraginta quatuor hactenus Pontifices octodecim, quos etiam ipsi Catholici fatemur, censurâ graviore perstringi posse, quos tamen nemo unquam hæreseos, aut à fide pertinacis defectus potuit convincere. Quarè si hæretici tam oculati sunt in pervidendis paucorum Pontificum delictis, cur non etiam vident Ecclesiæ Catholicæ stabilitatem, quæ vel ex ipsâ perpetuâ Pontificum successione ostendit, quod deficere non possit, dicente Angelo *Luc.1.v.33.* Regni ejus non erit finis. Regnum autem Christi aliud non est, quam vera ejus Ecclesia visibilis & cognita. Neque enim Regnum dici possunt homines aliquot occùlti, ab invicem separati, & dispersi, qui se non noverunt. Annon meritò exclamem cum S. Augustino *contra Donatistas in ps. 102.* O impudentem vocem! Illa non est, quia in illa tu non es. Vide ne tu ideo non sis, nam illa erit, etsi tu non sis. Quomodo ergo stabit verbum Christi *Matth.16.v.18.* super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, & portæ inferi non prævalebunt adversus eam, neque Christus disertè dixisset apud *Matth. c.ult. v.ult.* Et ecce ego vobiscum sum usque ad consummationem sæculi, id est, usque ad diem Judicii, cum visibilibus illis hominibus, & eorum in Ecclesiâ DEI successoribus. Hinc *Matth. 3. v.12.* dicit S. Joannes Baptista de Ecclesiâ Christi: Permundabit aream suam, & congregabit triticum suum in horreum, paleas autem comburet igni inextinguibili. Quod sine dubio non fiet ante diem judicii: Quarè de Ecclesiâ Christi visibili aream istam ipsi fatentur hæretici. Adeoque verissimum est, quod *Isa. 61. v. 8.* promisit DEus. Et fœdus perpetuum faciam eis, & scietur in gentibus semen eorum, omnes qui viderint eos, cognoscent illos, quia isti sunt semen, cui benedixit Dominus. Digito proindè in Ecclesiam Romanam intento dixit *Isaias c. 35. v. 8.* Et hæc erit vobis directa via, ita ut stulti non errent per eam. Certè si neque stulti possunt errare per eam, quis pru-

Judas proditor non derogat Collegio Apostolico.

Ecclesiæ stabilitas ex continuata successione Pontificum.

prudens metuat, cum Christus dicat *Luc.10. v.16.* Qui vos audit, me audit. Hoc enim est quod *Isaias c.59. v. ult.* tam graviter asseverat, promisisse DEum. Hoc fœdus meum cum eis dicit Dominus Spiritus meus qui est in te, verba mea, quæ posui in ore tuo, non recedent de ore tuo, & de ore seminis tui, & de ore seminis seminis tui, dicit Dominus, amodo & usque in sempiternum. Quod Christus *Joan. 14. v.16.* confirmavit, quando dixit. Et ego rogabo Patrem, & alium Paracletum dabit vobis, ut maneat vobiscum in æternum, Spiritum veritatis, quem mundus non potest accipere. Subdit deindè: vos autem cognoscetis eum, quia apud vos manebit, & in vobis erit. Et hinc Christus *Matth. 18. v.17.* DEI Ecclesiæ inquit utique visibili: Si autem Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut ethnicus & Publicanus. Veritas enim fidei Ecclesiæ authoritate nititur, quæ dicitur *1. ad Tim. 3. v. 15.* Ecclesia DEI vivi, columna & firmamentum veritatis. Adeoque *1. Joan. 4. v.6.* Apostolus illuminatissimus dicit: Nos, hoc est, Apostoli, & Ecclesiæ Pastores ex DEO sumus. Qui novit DEum, audit nos. In hoc cognoscimus Spiritum veritatis, & Spiritum erroris. Nimirum in assensu ad ea, quæ docet Ecclesia, ejusque Prælati, & in dissensu ab eorum doctrinâ. Unde licet asserant Novatores, quod Ecclesia aliquando tota erraverit in Concilio Ariminensi, quando expunxit Græcum *homusios*, id est, consubstantialis. Sciendum tamen est, quod licèt ibi sexcenti Episcopi fuerint, tamen non fuerit collecta tota Ecclesia, quia Romanus Pontifex, quo sine nullum Concilium Generale est ratum, cum aliis multis Episcopis statim contradixit. Atque ille error ex ignorantiâ linguæ Græcæ ortus, inter illos sexcentos Episcopos licèt faverit Arianis, tamen per reliquos Episcopos linguæ Græcæ magis peritos, ipsumque Pontificem fuit emendatus. Utor itaque verbis Calvini, *qui l. 4. instit. c. 2. sect. 1.* dicit: Si vera Ecclesia est columna & firmamentum veritatis, quod tamen dicit S. Paulus *1. ad Timoth. 2. versu. 15.* certum est, Ecclesiam non esse ibi, ubi Regnum occupavit mendacium, & falsitas. Quod in Ecclesiâ Christi implicat, nam doctrina Ecclesiæ, non tam est Ecclesiæ, quàm Christi, & Spiritus sancti. *Quod Luc. 10. v. 16.* expressè dicitur. Qui vos audit, me audit. Et *Act. 15. v. 28.* Universi Apostoli scribentes fratribus Antiochiæ, Syriæ, & Ciliciæ ajunt:

Errori Concilii Ariminensis contradixit Pontifex & alii Episcopi.

ajunt: Visum est Spiritui sancto & nobis. Quia ergo Spiritus sanctus errare non potest, neque errabit Ecclesia, quæ dicitur, & est sancta, Sancta autem non esset, si falsa & impia doceret.



DISCURSUS XXXII.

Ecclesia Christi est una.

DOcet nos Catechismus, quod debeamus credere Ecclesiæ. Et ratio est, quia Ecclesia vera eam fidem docet, quam Christus suo ore sacrosancto tradidit, Apostoli toto orbe prædicarunt, SS. PP. à Christo hucusque suis libris commendàrunt, tot SS. Martyres suo sanguine subscripserunt, tot sancti non solum in primitivâ Ecclesiâ, verùm etiam usque hodie tam insignibus miraculis stabiliverunt. Quia verò inter tot obortas sectas, variæ Ecclesiæ enatæ sunt, cum tamen non sit nisi una, in quâ salvari possimus, quæri necessario debet, an Lutherana, an Calviniana, an Anabaptistica, an Catholica, sit illa vera Ecclesia, in qua salvari possimus, & salutem æternam consequi. Quare cum fundamentum Ecclesiæ sit vera fides, quæ non potest esse multiplex, sed una dicente S. Paulo *ad Ephes. 4. v. 5.* Unus Dominus, una fides. Conveniebat divinæ providentiæ dare, certa signa, vel notas, ex quibus vera fides dignosci possit, & consequenter vera Ecclesia à falsa distingui. Advertendum autem est, quod Lutherus & Calvinus, imò plerique hæretici nostri temporis, admittant per quingentos primos annos in Ecclesiâ nostrâ veram, & illibatam fidem perstitisse, adeoque quidquid à SS. PP. illius temporis, vel sacris Conciliis fuit statutum, etiam ipsi agnoscunt & acceptant. Adeoque Generale Concilium Nicænum à trecentis octodecim PP. habitum velut legitimum & sanctum ipsa confessio Augustana statim in primo articulo agnoscit. Quod Concilium, quia expressè suâ authoritate confirmavit symbolum & confessionem fidei, quam Sacerdotes profitentur in sacro, dicentes & unam, sanctam, Catholicam & Apostolicam

Notæ & signa veræ Ecclesiæ.

licam Ecclesiam; Nos, aliis alia signa inquirentibus, cum his quatuor contenti erimus, & eam Ecclesiam veram esse dicemus, Quæ una, quæ sancta, quæ Catholica, quæ Apostolica fuerit. Ponunt quidem Lutherani Neoterici, & Calvinistæ duo signa, nimirum puram divini verbi prædicationem, & legitimam Sacramentorum administrationem, sed quia omne signum ex natura suâ est sensibile, quemadmodum docet S. Aug. *l. 2. de doctr. Christ. c. 1.* & aliundè ex Philosophiâ notum est, quod omne signum alicujus rei debeat esse notius, quam res illa cujus est signum, ignotum verò æque fit, ubi prædicetur purum verbum divinum, aut ubi sit legitima Sacramentorum dispensatio, quam ubi sit vera Ecclesia, hæc duo ab hæreticis adducta signa, veræ Ecclesiæ notæ statui non possunt, cum ad hæc ipsa signa, aliæ notæ, vel signa requirantur. Et verò quia Ecclesiæ veræ signa debent posse cognosci tam à gentilibus, quàm à fidelibus, tam à rudibus, quàm à doctis, prædicatio verò puri verbi divini, & dispensatio Sacramentorum agnosci non possint, nisi à solis Christianis & fidelibus, & quidem iis solùm, qui callent scripturam, eamque amplectuntur, manifestè concluditur, quod hæc duo signa vera non sint, sed illa, quæ à nobis assignantur pro veris haberi debeant. Quia notius est cuivis etiam gentili, quid sit esse unum, quid sit pium esse & sanctum, quid sit esse universale, & commune omnibus ejusdem professionis, quàm si quæras, quæ sit vera Ecclesia. Debet enim signum esse sensibile. An verò ego Sacerdos Catholicus, vel Prædicans conficiat Sacramentum, non est sensibile. Nisi fortè apud Catholicos notius sit esse Sacramentum Eucharistiæ, si Sacerdos clariore voce verba consecrationis proferat, quæ ubi circumstantes audiunt, ex præsente materia & forma, factaque adoratione à Sacerdote agnoscere possunt. Quod apud Lutheranos fieri non potest, qui dicunt, quod Sacramentum primo fiat in sumptione. Quia verò potest aliquis hostiam citius sumere, alius verò in ore diutius tenere, fiet, ut ego nunquam sciam, quando erit Sacramentum Lutheranorum. Et tamen ipse Kemnitius concedit Sacramentum esse signum visibile gratiæ invisibilis.

Hæreticorum signa sunt nulla.

Signum debet esse sensibile.

Signum ergo visibile veræ Ecclesiæ est unitas, quam unitatem velut visibile signum Christus ipse suis dedit. *Joan. 13. v. 31.* In hoc cognoscent omnes, quia discipuli mei estis, si dilectionem habueritis ad invicem. Pulchrè S. Gregorius *l. 20. moral. c. 9.* Testimonium

Unitas Ecclesiæ est signum veræ Ecclesiæ.

nium supremi discipulatus est donum fraternæ dilectionis. Et hoc signum statim prima dedit Ecclesia. *Act. 4. v. 32.* Multitudinis autem credentium erat cor unum & anima una. Qui effectus ardentissimæ illius orationis, quam Christus habuit ad Patrem, fuisse credi potest, quando dixit: *Joan. 17. v. 20.* non pro eis tantum rogo, sed & pro eis, qui credituri sunt, per verba eorum in me, ut omnes unum sint, sicut tu Pater in me, & ego in te, ut & ipsi in nobis unum sint; ut credat, mundus, quia tu me misisti. Unde eleganter S. Cyrillus Alexand. *l. 9. in Joan.* signum certissimum & indubitatum erit vos meos esse discipulos, si quantum natura vestra, & humanitatis condicio capere potest, meæ vitæ vestigia sequamini, ut ita à mutuæ charitatis vinculo non disjungamini. Ideoque citatus S. Gregorius dicit. Quam dilectionem quia omnes hæretici habere refugiunt, & dum ab Ecclesiæ universalis unitate dividuntur, jure de eis dicitur, quorum virtus manuum mihi erat pro nihilo. Ut propterea S. Augustinus *tract. 65. in Joan. tom. 9.* in illa verba Christi: In hoc cognoscent omnes, quia discipuli mei estis. &c. tanquam diceret inquit. Alia munera habent vobiscum etiam non mei, non solùm naturam, vitam, sensus, & eam salutem, quæ hominibus, pecoribusque communis est, verùm etiam linguas, sacramenta, Prophetiam, fidem, distributionem rerum suarum pauperibus, & traditionem corporis, sic ut ardeant, sed quia charitatem non habent, ut cymbala concrepant, nihil sunt, nihil ipsis prodest: Non ergo in illis quamvis bonis muneribus meis, quæ etiam habere possunt non discipuli mei; sed in hoc cognoscent omnes, quia discipuli mei estis si dilectionem habueritis ad invicem. Concludit deinde: Charitas in deliciis tuis, ipsa non comperdit cum impiis animam tuam, ipsa discernit causam tuam. Et hanc unitatem in Ecclesiâ Catholicâ suspexit, & deprædicavit Justinianus Imperator *in l. inter claras §. omnes. cod. de sum. Trin.* dicens: omnes verò Sacerdotes sanctæ Catholicæ, atque Apostolicæ Ecclesiæ, atque Reverendissimi Archimandritæ Sanctorum monasteriorum, sequentes sanctitatem vestram, & custodientes statum & unitatem sanctarum DEI Ecclesiarum, quam habent ab Apostolica sanctitatis vestræ sede, nihil penitus immutantes de Ecclesiastico statu, qui hactenus obtinuit, atque obtinet, uno sensu confitentur & glorificant prædicantes. Hanc unitatem commendat fusius *paulo infra §. petimus 5.* Plus enim ita

Unitatem Ecclesiæ agnovit Justinianus.

circa vos omnium amor, & vestræ sedis crescit authoritas, & quæ ad vos est unitas sanctarum Ecclesiarum inturbata servabitur, quando per vos didicerint omnes beatissimi Episcoporum, quæ ad vos relata sunt synceram vestræ sanctitatis doctrinam. Concludit deinde §. *Liquet.* Unam veram fidem Catholicam Domini & DEI Salvatoris nostri JEsu Christi magisterio institutam, & Propheticis, Apostolicisque prædicationibus ubique diffusam, & Sanctorum per totum orbem confessionibus roboratam, PP. atque sanctorum sententiis adunatam & nostræ doctrinæ (utique Pontificiæ) consentaneam, inconcusè atq; inviolabiliter devotâ DEO & piâ mente servavit. Hæc est igitur vestræ fidei, hæc certa religio, hoc beatæ recordationis PP. omnes, Præsidesque Romanæ Ecclesiæ, quos in omnibus sequimur, hoc sedes Apostolica prædicavit hactenus, & inconcusè custodivit. Huic confessioni, huic fidei quisquis contradictor extiterit, alienum se ipse à sanctâ communione, alienum ab Ecclesiâ judicabit Catholicâ. Est namque Ecclesia cœtus hominum ejusdem Christianæ fidei professione colligatus, sub regimine legitimorum Pastorum, ac præcipuè unius Christi in terris Vicarii Romani Pontificis. Quem omnes Christiani veri agnoscunt pro capite, cui in doctrinâ & Sacramentorum usu consentiunt. Hinc quando Christus ascensurus ad Patrem, abiturus erat à nobis, ille vices suas demandavit Petro. Quando dixit. *Matth 16. v. 18.* Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam. ubi per Petram significari Petrum, quasi omnes SS. PP. docent, adeoque Ecclesiæ fundamentum fuit Petrus. Si enim fundamentum alicujus communitatis & multitudinis est ille, qui ei præest, sic namque fundamentum familiæ est Paterfamilias; Regni totius fundamentum est Rex. Sic S. Petrus per claves sibi à Christo traditas *v. 19.* & tibi dabo claves regni cœlorum, accepit potestatem gubernativam totius Ecclesiæ Christi. Sic videmus in signum potestatis & dominii, quod advenientibus Regibus & Principibus offerantur claves Civitatum, & oppidorum, quas cives deferunt, & se subjectos ostendunt. Quod magis elucescit ex verbis Christi, quibus potestas collata explicatur sequentibus statim verbis. Et quodcunque ligaveris super terram, erit ligatum & in cœlis, & quodcunque solveris super terram, erit solutum & in cœlis. Quod per claves autem scriptura intelligat potestatem gubernativam ha-

Pontifex Romanus est verè caput Ecclesiæ Christi.

Per claves intelligitur potestas gubernativa.

habemus id claré *Isa. 22. versu 22.* Et dabo clavem domus David super humerum ejus, quod omnes intelligunt de SS. cruce, quam Christus humeris suis exportavit in montem Calvariæ, ut verum esset illud : Regnavit à ligno DEus. In cujus testimonium in cruce Christo titulus Regis fuit appositus. Sed obstrepunt hæretici, æque enim volunt reliquis Apostolis dictum esse *Joan. 20. v. 23.* Accipite Spiritum sanctum, quorum remiseritis peccáta, remittuntur eis, & quorum retinueritis, retenta sunt; adeoque reliquos Apostolos Petro pares esse asserunt, & consequenter Ecclesiam non tantum supra Petrum, sed supra omnes Apostolos fundatam esse. Placuit mihi pro responso instantia, quam dat hæreticis P. Petrus Wittfeld *in suâ Theologiâ catechetica l. 1. de fide. Disquis. 6. Instruct. 3. Quæst. 3.* super omnes Apostolos inquit fundata est Ecclesia, sed non eodem modo. Supra Petrum enim fundata est ut supra fundamentum primum, post Christum; supra reliquos Apostolos, ut supra fundamentum post Petrum. Et hinc quando dicitur. *1. Petr. 5. v. 2.* pascite qui in vobis gregem, ostendit illos particulares particularium Ecclesiarum esse constitutos Pastores. Petrum autem, cui à Christo dictum est bis, pasce agnos meos, tertio etiam dictum est, pasce oves meas amplior potestas collata censeri debet. In quem locum eleganter *Eusebius Emiss. in nativ. S. Joan. Evang.* Prius agnos, deinde oves Petro commisit, quia non solum Pastorem, sed etiam Pastorem Pastorum constituit. Pascit igitur Petrus Agnos, pascit & oves. Pascit filios, pascit & matres, regit & subditos, regit & Prælatos. Omnium igitur Pastor est, quia præter agnos & oves nihil in Ecclesia est. Explicat hoc eruditè dictus Wittfeld hac instantiâ; Imperium Romanum fundatum est supra Imperatorem Romanum, & Principes Imperii. Sed supra Imperatorem, ut totius Imperii moderatorem, suprà Principes ut moderatores particularium Provinciarum. Nec obstat quod *Actor. 8. v. 14.* dicatur, cum autem audiissent Apostoli, qui erant Hierosolymis, quod recepisset Samaria verbum DEI, miserunt ad eos Petrū & Joannem. Ex hac missione inferunt hæretici contra Petrum, ergo Petrus non erat illis superior. Sed bene advertendum est, quod aliud sit mitti consultivè tantùm. aliud verò præceptivè; & priori modo consultivo mitti potest non tantum inferior, sed æqualis & superior. Sic Pater in divinis misit filium, Pater & filius, miserunt Spiritum sanctum, non tamen exinde inferre licet, quod Spiritus sanctus, non sit æqualis Patri, &

Etiam reliquis Apostolis data est potestas clavium, sed non eodem modo.

tri, & Filio, vel quod Filius sit minor Patre. Sic etiam videmus Paulum restitisse Petro *ad Gal. 2. v. 11.* Cum autem venisset Cephas Antiochiam. in faciem ei restiti, quod non intelligi debet Paulum id fecisse authoritativè, sed solum charitativè. Quod usque hodie in multis religiosis familiis bene constitutis practicatur, ut aliquis superintendens vel Monitor Prælato ordinis adjungatur, qui in certis circumstantiis ex charitate superiorem monere potest, neque tamen ex hoc arguitur in monente Potestas supra monitum. Meritò proinde S. Petrus tot SS. PP. oraculis caput Ecclesiæ, & Pastor Pastorum salutatur. Sic enim Cyrillus Hierosol. *Catech. 2.* Petrum nominat Apostolorum Principem. S. Epiphanius *hæres. 51.* Discipulorum Ducem Eusebius in Chron. primum Christianorum Pontificem. Cyrillus Alexandr. *l. 12. in Joan. l. 64.* Principem, capútque cæterorum. Denique Cypr. *l. de unitate Ecclesiæ* caput, fontem, radicem, totius Ecclesiæ appellat. Longus essem si omnia PP. testimonia adducerem, quibus abundant homiliæ disertissimæ Doctorum Ecclesiæ, & SS. PP. divino spiritu plenissimi sermones redundant. Placet mihi S. Bern. *qui l. 2. de consid. ad Eugenium* Pontificem scribit. Si me amas Petre, pasce oves meas. Quas? illius vel illius populos Civitatis? Oves, inquit, meas. Cui non planum est, non designâsse aliquas, assignâsse omnes. Nunc verò quia S. Petrus martyrio coronatus est sub Nerone, illi in curâ Universalis Ecclesiæ successit Linus, de quo disertè S. Aug. *Ep. 165.* dicit, Petro successit Linus. Sic etiam videmus in ipso Canone in communicantes ante actualem consecrationem post nomina Sanctorum Apostolorum imponi nomina successorum S. Petri in cathedrâ Romanâ, & quidem primo Lini, deinde Cleti, & Clementis qui primum sæculum Christi velut Romani Pontifices concluserunt. Hoc eodem ordine referuntur ab Eusebio Cæsar. *l. 3. hist. Eccl. c. 13.* atque ab ipso Platina hac successione locantur, & fusius à Cardinale Bellarmino *in sua chronol.* demonstratur. Et verò si in antiquo testamento in Synagogâ, quæ fuit figura Ecclesiæ hoc fuit constitutum, ut demortuo Pontifici succederet alius, cur id negetur Ecclesiæ, quæ usque ad finem mundi perdurabit. Cujus proinde fundamentum cum fuerit Petrus, qui velut homo mortalis, usque ad consummationem ultimam mundi in propriâ personâ non potuit perdurare, mansit saltem usque in hodiernam diem in suis successoribus Romanis Pontificibus. Apud quos juxta Concilium Nicænum &

S. Petrus unanimiter à SS. PP. Ecclesiæ caput salutatur.

Chal-

Chalcedonense Ecclesia Romana semper habuisse primatum dicitur, & Romanus Episcopus vocatur omnium Ecclesiarum caput, atque universalis Ecclesiæ Papa. Et hinc statim in sui Romani Episcopatûs initio S. Petrus varios Episcopos in orbem universum misit, & quidem per universam Italiam Capuam S. Priscum, Neapolim Aspres, Taracinam Epaphroditum, ad Equicolas Marcum ab Evangelista diversum, Fesulas Romulum, ad Lucam Civitatem Paulinum, Ravennam Apollinarem, Veronā Euprepium, Paduam Prosdocimum, Paviam Syrum, Aquilejam Hermagoram, in Siciliam Pancratium, Marcianum Perillum & Philippum Episcopos misit, de quo fusius Cardinalis Baronius ad annum Christi 46. In Galliam verò & quidem ad Lemovicenses Tolosanos & Burdegalenses S. Martialem, ad Remenses Sixtum, ad Arelatenses Trophimum, ad Senonenses Sabianum, ad Cenomanos Julianum, ad Viennenses Crescentium, ad Catalaunos in Campaniam Memmium, ad Bituricenses Ursinum. In Arverniam Austremonium, ad Xantonas Eutropium. In Hispaniam deinde Torquatum, Ctesiphontem, Secundum, Indeletium, Cæcilium, Hesychium, & Euphrasium, per quos septem, & eorum successores universa deinde Hispania fuit conversa. In Germaniam ablegavit Valerium, Maternum, Eucherium, Crescentium, Laurentium de quo Raderus in sua Bavaria sancta. S. Beatum, Ægistum, Marcianum. In Asiam verò ipse Anno Christi 51. sub persecutione Claudii Imperatoris profectus est, ubi per septem annos velut solicitus Pastor Pontum, Bythiniam, Galatiam, & Capadociam visitavit, relicto Romæ, uti scribit S. Epiphanius *hæres. 27.* Lino & Cleto, qui velut fideles Petri coadjutores interim Ecclesiæ Romanæ providerunt. Quæ omnia fusius refert Baronius ad annum Christi 46. & Martyrol. Romanum, aliique varii authores testantur. Quemadmodum autem S. Petrus prædictos sanctos Episcopos ad tres orbis partes dimisit, sic planè de Lino, Cleto, Clemente Petri proximis successoribus, S. Innocentius *in sua Ep. 1.* disertis verbis testatur. Manifestum est in omnem Italiam, Gallias, Hispanias, Africam & Siciliam, insulasque interiacentes nullum hominum constituisse Ecclesias, nisi eos, quos Venerabilis Apostolus Petrus, aut successores ejus Sacerdotes constituerunt. Quod certè neque Petrus, neque Successores ejus fecissent; nisi Universalis Ecclesiæ caput & Pontifices fuissent. Ut propterea S. Hier. *Ep. 57.* dicat: Bea-

Romanus Episcopus est omnium Ecclesiarum caput.

S. Petrus caput Ecclesiæ per omnes Provincias misit Episcopos.

titudini tuæ (nempe cathedræ S. Petri) communione consocior, super illam Petram Ecclesiam ædificatam scio. Taceo quod juxta continuatam praxim Ecclesiæ Concilium Oecumenicum, & legitimum habitum non sit in Ecclesiâ, nisi authoritate Pontificis Romani niteretur. Non dicam, quod dicit Tannerus *tom. 3. disp. 1. q. 7. dub. 3.* quod nulla unquam fuerit in Ecclesia exorta hæresis, quæ non à Romano Pontifice mediatè vel immediatè fuisset condemnata. Hinc ex toto orbe Christiano quæstiones dubiæ de fide semper ad Petri Romanam cathedram sunt delatæ, utpote cui dictum est à Christo *Luc. 22. v. 32.* Ego rogavi pro te ut non deficiat fides tua, & tu aliquando conversus, confirma fratres tuos. Illi enim datæ sunt claves, seu potestas aperiendi cœlum iis, quibus per ignorantiam rerum fidei clausum fuisset. Et quia illi dictum est à Christo Pasce oves meas, data sunt illi pariter omnia, quæ ad bene pascendum gregem sibi commissum sunt necessaria, inter quæ primario est doctrina & fidei infallibilitas, quia si posset errare Petrus, ejusque Successores Christi vicarii in suis definitionibus; illi non confirmarent, sed deciperent fratres suos; adeoque non pascerent, sed mactarent, atque infernalis lupi faucibus oves exponerent. Meritò proindè dixit S. Basil. *in Ep. sua ad Pontif.* Pietati tuæ donatum est, ut quod adulterinum est, à legitimo secernas. Quia verò hæc omnia à plurimis Controversistis copiosè sunt pertractata, ego ad illos lectorem remitto. Ad meum itaque propositum revertor, & Ecclesiam Catholicam verè unam ostendo, quia omnes veri Christiani & Catholici cum suo capite nempe Romano Pontifice sunt uniti, quem pro suo capite agnoscunt, eique in doctrinâ & Sacramentorum usu consentiunt.

Nulla hæresis orta in Ecclesia, quæ non fuisset à Pontifice Romano damnata.

Ecclesia est una quia est unum caput.

Cum enim Ecclesia à S. Paulo *ad Rom. 12. v. 4.* dicatur corpus, dicente: Sicut enim in uno corpore multa membra habemus, omnia autem membra non eundem actum, ita multi unum corpus sumus in Christo, singuli autem alter alterius membra. Quod *ad Eph. 4. v. 4.* repetit, dicendo: unum corpus, & unus Spiritus, sicuti vocati estis in unâ spe vocationis vestræ. Quasi diceret, sicut est una spes vocationis, ita est, & esse debet unus Spiritus adeoque tam solicitè Christus *Joan. 17. v. 20.* Patrem suum cœlestem rogavit. Non pro eis autem, id est, Apostolis rogo tantum, sed etiam pro eis, qui credituri sunt per verbum eorum in me, ut omnes unum sint, sicut tu

Pater

Pater in me, & ego in te, ut & ipsi in nobis unum sint. Qui enim cum corpore reliquo, & capite non consentit, & unus est; neque cum Christo consentit. Hinc postquam S. Hier. *Ep. 57. ad Damasum* dixit: Cathedræ Petri communione consocior, statim subjunxit: quicunque extra hanc domum agnum comederit, profanus est. Neque enim inquit S. Cypri. *Ep. 55.* aliunde hæreses obortæ sunt, quàm inde, quòd non cogitatur in Ecclesiâ unus sacerdos, & unus Judex ad tempus vice Christi. Quare si, quod ex S. Paulo diximus, Ecclesia est unum corpus visibile, nempe collectio fidelium, quæ toto orbe diffusa in suis membris nempe Christi fidelibus cernitur, debet illa habere visibile caput, quod est Romanus Episcopus Christi Vicarius, & in cathedrâ Petri Successor, cui tanquam capiti suo in terris adhæreat. Quod profectò de Ecclesiâ Lutheranâ dici non potest, quia Lutherani docent in Ecclesiâ non esse caput, cui omnes teneantur obedire; non esse Judicem, cujus definitionem omnes teneantur sequi. Cùm tamen S. Athanasius ad Felicem II. Cyrillus Alexandrinus ad Cœlestinum, S. Ambr. *Ep. 81.* ad Siricium Papam recurrerint, & resolutiones in materiâ fidei petiverint. Sciverunt illi utique Canonem. 29. Concilii Nicæni à 318. Episcopis habiti, cui etiam Constantinus Magnus anno Christi 324. interfuit, ubi sic decretum fuit. Qui tenet sedem Romæ, caput & Princeps est omnium Patriarcharum, cui data est potestas in omnes Principes Christianos & omnes populos eorum. Ut qui sit Vicarius Domini nostri super cunctos populos, & universam Ecclesiam Romanam. Qui enim dixit *Matth. 28. v. 20.* Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem sæculi, intellexerit id de legitimis & veris Petri successoribus, quibus sublato per mortem Petro, utpote immediato Christi Vicario, usque ad consummationem sæculi continuis ejusdem successoribus adesse debebit. Et hoc est illud, quod Paulus *ad Ephes. 4. v. 11.* voluit, quando dixit. Et ipse scilicet Christus dedit quosdam Pastores & Doctores ad consummationem Sanctorum in opus ministerii in ædificationem corporis Christi, donec occurramus omnes in unitatem fidei, & agnitionem Filii DEI, in mensuram ætatis plenitudinis Christi, hoc est, in resurrectione universali mortuorum. Ut jam non simus parvuli fluctuantes, & circumferamur omni vento doctrinæ, in nequitiâ hominum; in astutiâ ad circumventionem erroris. Ex quo concludes, quod si Christus

vi hujus suæ promissionis dabit Ecclesiæ Pastores, usque ad extremum mundi diem, certe Pastorem illius primarium interire non patietur, cùm is velut caput illius visibile, in terris omnium maximè sit necessarius, ad oves Christi in concordi unitate continendas. Et verò si Spiritus sanctus per Davidem *ps. 108. v. 8.* prædixit. Et Episcopatum ejus accipiat alter, adeoque *Actor. 1. v. 20.* Petrus tam solicitè juxta voluntatem DEI illi Successorem providit; quanto magis Petro Pastori universalis Ecclesiæ, cum Petrus & officium illius propter oves, quæ usque ad consumationem mundi perdurabunt, & non oves propter Petrum sint constitutæ, dicente S. Aug. *l. de Pastoribus c. 1.* quod Christiani sumus, propter nos est, quod Præpositi sumus propter vos est. Quod si autem vel in antiquo testamento DEO tanta cura fuit in successione unius familiæ, ut domus illa continuata serie succederet, & non extingueretur, ut propterea *Ruth. 4. v. 14.* Mulieres gratulentur Noëmi dicentes Benedictus Dominus, qui non est passus, ut deficeret successor familiæ tuæ, magis longè successio Pontificum erit cordi Christo, ut in Ecclesiâ suâ pro quâ sanguinem fudit, continuatâ successione Pastores summi, ejusque in terris Vicarii continuentur. Observavit hoc S. Chrysostomus *l. 2. de sacerdotio circa principium*, dum quærit. Quanam de causâ ille sanguinem effudit suum. Certè ut pecudes illas acquireret, quarum curam tum Petro, tum Petri successoribus committebat. Si enim semper manet Ecclesia, quæ est ovile Christi, necesse est, ut maneat etiam ejus Pastor, qui alius non est nisi Petrus, & ejus in Episcopatu Romano successores. Huic enim dictum est à Domino *Matth. 16. v. 18.* Et ego dico tibi, quia tu es Petrus, & super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam. Prævaluissent enim portæ inferi, si aliquando Ecclesia universalis summo Pastore fuisset orbata, & corpus Ecclesiæ sine capite perstitisset. Conatus id fuit evincere dæmon ab anno Christi 300. per totum illud sæculum, quo solo, plures, quàm quinquaginta hæreses insurrexerunt. Et in Asia quidem ita prævaluerunt Ariani, ut ipsum Cæsarem in partem suam inclinaverint. In Africâ dominabantur Manichæi, Donatistæ, & Pelagiani. In Europâ præter Arianos grassabantur Priscillianistæ, Jovinianistæ, Origenistæ, Photiniani, & plures alii. Quos omnes authoritate Cæsareâ firmabat Constantius Imperator Arianos secutus, & Julianus Apostata Gentilis factus. In Italiâ Ostrogothorum, Visigothorum,

Ecclesia in 4. sæculo gravissimè perturbata.

rum in Hispaniâ, Vandalorum in Africâ Reges Arianis adhærebant. Tumultuabantur Patriarchæ Constantinopolitani, & Antiocheni, plurimi Archi-Episcopi & Episcopi, qui vel Arianis adhæserunt, vel sedem Apostolicam Romanam in suo primatu perturbabant. Has tamen tam sævas & frequentes tempestates, Ecclesia Christi super petram fundata Christo summo capite se protegente, confudit, & annullavit. Ita quidem ut si in ullo sæculo authoritas sedis Romanæ fuit propugnata, certè in illo sæculo authoritate præcipuorum Doctorum & SS. PP. nimirum ab Athanasio, Basilio, Chrysostomo, Gregorio Nazianzeno, Ambrosio, Augustino, Hieronymo, fuerit defensa & conservata. Sicut S. Athanasius *in Epist. ad S. Marcum Papam*, hanc quasi maximam inter fidei nostræ dogmata statuerit: Romanam Ecclesiam matrem, & caput esse omnium Ecclesiarum. Et ideo quia caput est Ecclesiæ, ipsius est convocare Concilia, eisque præsidere, vel per se, vel per legatos suos. In hoc enim omnes Catholici conveniunt, quod dicant Pontificem Romanum quemadmodum docet Bellarm. *tom. 1. de Rom. pontif. l. 1. c. 10.* Sancti Petri Apostolorum Principis, totiusque Ecclesiæ militantis capitis immediatè ab ipso Christo instituti legitimum successorem, ac totius militantis Ecclesiæ Monarcham, caput, & fundamentum esse, soli enim Petro, ejusque legitimis successoribus dictum est, Tibi dabo claves. Neque ullus alius audivit sibi à Christo dictum esse. Pasce agnos meos; pasce oves meas, id est non solum populum fidelem, sed ipsos etiam Pastores, id est, Prælatos & PP. in Conciliis congregatos. Unde putant aliqui hoc esse juris divini, sic quidem ut supremus Pastor, & Pontifex Romanus etiamsi vellet, non possit se juridicè Concilio subjicere, quod enim DEUS statuit, homo non potest tollere. Et hinc vidimus, quod S. Marcellinus Pontifex cùm ex timore suppliciorum sub Diocletiano Imperatore fidem negâsset, & thus Diis Gentium incensâsset, facti pœnitens, cùm intellexisset Sinuessæ collectum Episcoporum Concilium, cilicio indutus eò perrexerit, & multis cum lachrymis perfidiam suam detestatus, se Concilio subjicere voluerit, Concilium tamen unanimiter reclamaverit, contestatique sunt PP. Collecti, quod prima sedes à nullo alio judicetur. Quare illum, ad pœnitentiam cùm Petro agendam sunt cohortati. Quod si verò aliquando inveniatur, quòd Imperatores Concilium indixerint, illud aliter factum non est, quam cum authoritate & con-

Romana Ecclesia mater & caput est omnium Ecclesiarum.

Romanus Pontifex non potest se juridicè subjicere Concilio.

Imperatores non nisi cum consensu Pontificum Concilium indicunt.

sensu Pontificum Romanorum, quod claris verbis testatur Sixtus III. *in Ep. sua ad Orientales.* Valentinianus, inquit, Augustus authoritate nostrâ Synodum convocavit. Quod pari sensu Adrianus II. *in Ep. ad Basilium Imperat. quæ lecta est in synodo 8. actio. 1.* rescripsit: Volumus per tuæ pietatis industriam Constantinopoli numerosum convocari Concilium. Sic Constantinopolitanum non tam indixit Imperator Theodosius, quam litteras Papæ Damasi quibus Concilium indicebatur ad Episcopos misit. Sicut ergo primis illis temporibus Imperatores non indixerunt Concilia Generalia sine authoritate Pontificis, sic neque Pontifices sine Imperatorum auxilio & ope eadem habuerunt, non quod Concilia sine Imperatoribus non fuissent rata, quod rudissimè dicunt heterodoxi, sed ut Episcopi authoritate Imperatoriâ in itineribus á paganis defenderentur, vel ut sumptibus publicis pauperiores Episcopi transveherentur, vel etiã ne publicis statutis Cæsarum de seditiosis Conventiculis à Concilio adeundo PP. convocati retardarentur. In his proindè si Imperatores comparuerunt, judicia & leges non dictare & ferre, sed audire solebant. Ut propterea Marcianus Imperator *in 7. act. Concil. Chalcedonensis* dixerit: Nos ad fidem confirmandam, non ad potentiam ostendendam exemplo religiosissimi Principis Constantini synodo interesse volumus, ut veritate inventâ non ultrâ multitudo pravis doctrinis attrectata discordet. Ecce quam cordi fuerit ipsis Imperatoribus unitas Ecclesiæ Catholicæ, quam etiam per Concilia Generalia conciliare laborârunt.

Pontifices in Conciliis convocandis opem requisiverunt Imperatorum.

In Ecclesia Christi est unitas doctrinæ.

Alterum, in quo unitas Ecclesiæ consistit, est, ut sit unitas & consensus in doctrinâ, ut omnium, qui sunt unius fidei, una sit doctrina juxta illud *Act. 4. versu 33.* Multitudinis autem credentium erat cor unum & anima una. Bene enim monet S. Paulus *1. ad Cor. 14. v. 33.* Non enim est dissensionis DEus, sed pacis, sola enim Ecclesiã Catholica est, quæ in doctrinâ fidei consentit, dum illa solum circà dogmata fidei credit, quæ proponit Ecclesia, & illa reprobat, quæ Ecclesia damnat. In divino verò cultu, & administratione Sacramentorum, & numerum eundem servat, & cæremonias easdem adhibet per totum orbem terrarum. Quod quia non videmus fieri apud Lutheranos, quis nõ videat, illos hoc signo destitui, & unitate carere, de quo vel ipsi queruntur, quod in varias sectas vel in ipso ortu suo fuerint divisi. Has sectas suas & discordias vel ipsi sectarii libris per illos ema-

emanatis evulgarũt,ut opus non sit Catholicos in his confutandis occupari. Nec verò tantum inter se dissentiunt, sed ipsi à se ipsis turpissimè discordant, & contradicunt. Lutherus certè *in suo libro de captiv. Babyl.* jam unum tantùm Sacramentum nempe Cœnam, jam duo, Cœnam nimirum & Baptismum; aliquando etiam tria; Cœnam, bapsismum, & pœnitentiam concedit. Tandem nec septem esse abnuit in Ecclesiâ Sacramenta. O Protheum! & in salutis negotio periculosum Vertumnum. Fusus est in hoc demonstrando Cochleus in Luthero suo septicipite, Faber in Antilogia, aliique probati authores, qui tanti Evangelistæ errores, & falsissima dogmata clarè ostendunt. Olim Arii doctrina à nobis, nempe sede Catholicæ Ecclesiæ Romanâ declarata est erronea, quia hæc doctrina ab homine nempe Ario, qui Sacerdos fuit in Africâ, & veteri legi Christi fuit contraria, spargebatur. Ostenderunt præterea Catholici sæculum, annum, locum, diem, quo fuit disseminata, cui & à quo fuerit contradictum, atque adeo doctrinam illam manifestè esse novam & erroneam confutaverunt. Annon pariter Lutheri doctrinam erroneam ostendemus, quando Lutherum natione Saxonem, professione Monachum, deinde Catholicum Sacerdotem, horum errorum authorem monstramus. Quos ipse in Saxoniâ Wittenbergæ Anno Christi 1517. 1. Novembris Primâ vice contra indulgentias disseminavit. Sed & manifestissimè ostendimus, eidem fuisse contradictum ab Eckio, Joanne Cochleo, Embsero, SS. Theologiæ Doctoribus, à Cardinale Cajetano, & ipso Leone 10. Clemente 7. Hadriano 6. Romanis Pontificibus, ab ipso Concilio Tridentino, à plurimis, ad quas ipse provocavit, Academiis & Universitatibus, nempe Parisiensi, & Lovaniensi, quæ omnia argumentum sunt evidens erroneæ falsæque doctrinæ, quam perniciosè Lutherus in Ecclesiam Christi induxit. Ego certè illius sum opinionis, quod si quis Lutheri tomos syncero affectu, & non passionato in Ecclesiâ Catholicam animo legeret, ejusdémque doctrinam tam fœdam, & scandalosam, sibíque contradicentem expenderet, vel hoc ipso sufficiens haberet argumentum conversionis, & tam ludicram, ac propudiosam veræ fidei titulo coloratam doctrinam detestandi. Scio ego multos honestos viros, imò & matronas erubuisse, quando viderunt, tam lascivis scurrilitatibus verbum DEI infamari. Ostendant hoc nobis Catholicis quicunque hactenus fuerunt hæretici, quod in Ecclesiâ DEI Catholicâ

Lutherus pari modo confutatur, quo olim Arius.

Lutheri doctrina sibi fœde contradicit.

licâ ab ejusdem Doctore & fidei Magistro, aliquid tam monstrosâ fœditate contaminatum, authoritate Ecclesiæ approbatum prodierit? Adeoque vel ipsi fateri debent, in Ecclesiâ Catholicâ per totum orbem diffusâ unam, eandemque esse doctrinam, quæ Christi fidelibus in Ecclesiâ proponitur, eamque uno omnes ore profitentur. Sequimur namque consilium S. Pauli *ad Hebr. 9. v. 13.* Doctrinis variis & peregrinis nolite abduci. O si hæretici seriò expenderent admonitionem illam Pauli. *1. ad Cor. 1. v. 16.* Obsecro autem vos fratres per nomen Domini nostri JEsu Christi, ut id ipsum dicatis omnes, & non sint in vobis schismata. Sitis autem perfecti in eodem sensu, & in eadem sententia. Nunquam illi in tam manifestos errores prolapsi fuissent, neque tam facile errorum Magistris adhæsissent, sed in fidei Catholicæ confessione constantes permansissent: Cùm vel ipse Anti-Lutherus, sibiq; contrarius fateatur *in tom. 7. Wittenb. Anno Christi 1551. impresso.* Ecclesiam Christi usque ad finem mundi, successionem habituram. Sic enim loquitur ipse. Quod si cessârunt jam Apostoli, Evangelistæ & Prophetæ, necesse est alios ipsis successisse & posthac successuros esse, usque ad mundi finem, nam Ecclesia duratura est usque ad consummationem sæculi. Quomodo ergo dicitis Ecclesiam post sextum sæculum defecisse, & post novem primò sæcula à vestro Evangelista rursus sub scamno extractam. Quis ergò toto illo novem sæculorum cursu salvus factus est? Cum extra Ecclesiâ nulla sit salus; dicente S. Hier. *in Ep. ad Damasum*, si quis in arcâ Noë non fuerit, peribit regnante diluvio. Quod ipsum dixit Christus Joan. *15. v. 6.* Si quis in me non manserit, mittetur foras, & arescet, & in ignem mittetur. Quod spiritu Prophetico prædixit *Isaias c. 60. v. 12.* Gens enim & regnum, quod non servierit tibi, peribit; Quippè hæc sola vinea est, in qua fidelibus operariis datur denarius: In hac solâ Petro ejúsque successoribus datæ sunt claves ad aperiendum & claudendum cœlum, cui proinde non acquiescere peccatum quasi ariolandi est, dicente S. Spiritu. *1. Reg. 12. v. 23.* Quasi peccatum ariolandi est repugnare, & quasi scelus idololatriæ, nolle acquiescere. Ideoque à Christo apud *Matt. c. 18. v. 17.* anathema ponitur refractariis: Si Ecclesiam. inquit Christus non audierit, sit tibi sicut Ethnicus, & publicanus. Causam dat ipse, *Luc. 10. v. 16.* Qui vos audit, me audit, & qui vos spernit, me spernit. Hinc à contrario. *1. Joan. 4. v. 6.* dicitur; Qui novit DEum, audit nos. Est enim-

verò

verò Ecclesia unica columba, & una perfecta, quam sibi desponsandam prædixit Christus *Osea.2. v.19.* Sponsabo te mihi in sempiternum. Quod Paulus *ad Ephes. 5. v. 32.* adimpletum dixit per Ecclesiam, dicens: Sacramentum hoc magnum est; Ego autem dico in Christo, & Ecclesia. Est illa unica familia, super quam constituit DEus fideles servos suos, nempe servos servorum DEI, quo titulo Romani Pontifices à tempore S. Gregorii Magni utuntur. *Mat.24. v.45.* Est hæc unica illâ Vinea quam triginta trium annorum labore constanti plantavit, & demum proprio sanguine rigavit, ad quam cœlestis Paterfamilias misit duos filios suos, inter quos est differentia, & quæstio, quis voluntatem Patris fecerit. *Mat. 21. v. 28.* Ubi bene notanda est decisio ipsius Christi *v. 31.* Amen dico vobis, quia Publicani & meretrices præcedent vos in regnum DEI. Quomodo ergo Anabaptistæ teste ipso Calvino *instit. l.4. c. 1. §. 18.* audent dicere, Ecclesiam esse multitudinem hominum perfectorum nullum peccatum habentium. Ubi ergo manent Publicani & meretrices? Et tamen Christus cœlo inscribit; quos hi ex synagogâ suâ excludunt. O quam ego metuo, si in horum Synagogâ se bonus JEsus inclinaret, & digito in terrâ scriberet *Joan. 8. v. 6.* diceret qui sine peccato vestrum est, vestrum primus in illam lapidem mittat. Quam ego brevi viderem Ecclesiam vel Synagogam hanc esse vacuam, cum certò futurum esset illud, quod ibidem *v. 9.* dicitur, audientes autem unus post unum exibant incipientes à senioribus. An autem JEsus solus remansurus esset, vehementer dubito. Et tamen Ecclesia Vestra est multitudo perfectorum nullum peccatum habentium. Memini tam sanctæ Synagogæ in populosâ quadam civitate, ubi cùm Anabaptistæ de religione disputaturi convenirent, magnus populus confluxerat, adfuerunt etiam fœminæ, & inter illas formosissimæ aliquæ puellæ, quæ inter viros in limine templi consistentes admitti petebant, has ubi conspicati sunt fratres perfecti planè, & nullum omnino peccatum habentes, in colla illarum puellarum per quam affectuosè ruerunt, cum præmissâ hac suavissimâ salutatione, salvete charissimæ sorores. Cùm verò penes illas puellas vetulus & senex quispiam adstaret, nec senem ullus oscularetur, quidam Catholicus argutè dixit: Charitativè sorores vestras osculamini, cur non æque fratres salutatis? Ubi vestra charitas fundata sit, facilè perspicimus, & non sine risu omnium abivit. Quid vos Lu-

Anabaptistæ sorores non fratres in osculo pacis salutant.

therani cum vestrâ Ecclesiâ ageretis, qui in confessione vestrâ Augustanâ Ecclesiam dicitis congregationem eorum, qui nunquam lapsi sunt circa confessionem fidei. Quomodo in hac Ecclesiâ vestrâ salvaretur Petrus, qui Christum negavit? Heu me quàm stultis, & vanissimis erroribus distrahimini? Ecclesia uti habetis *Mat 13. v. 47.* Similis est illi sagenæ missæ in mare, & ex omni genere piscium congreganti, ex quibus malos foras miserunt. Ergo prius intus fuerunt, neque enim aliàs foràs mitti possent. Ecclesia est area illa *Mat. 3. v. 13.* in quâ non tantùm triticum, sed etiam paleæ sunt, quæ igni inextinguibili reservantur. Ecclesia est ager ille *Mat. 13. v. 24.* in quo præter herbam bonam creverunt etiam Zizania, quæ servi eradicare volentes prohibiti sunt à Patrefamilias, sed jubentur, expectare tempus messis. In quo bene observandum est, quod semen bonum seminatum sit prius, deinde verò dormientibus hominibus dæmon supervenerit, & super seminaverit Zizania. Ubi manifestum habes signum, veræ Ecclesiæ esse unitatem, & antiquitatem fidei. Quare vera Ecclesia non est illa, quæ primò post annos complures enata est, sed debuit prognata esse, & durâsse à tempore Christi, & Apostolorum. Quod cùm nequeant præstare Lutherani, neque etiam Calvinistæ, qui primò post mille quingentos annos post Christum prodierunt, manistè ostenditur illos non à Christo seminatore vero, & bono, sed à dæmone omnium Zizaniorum authore prodiisse. Nec obstat Lutheranorum cavillatio, qui dicunt, quod visibilis Ecclesia Christi, & Apostolorum post sextum sæculum interierit, nec nisi tempore Lutheri, & Calvini rursus revixerit, expresse enim mandat Paterfamilias, ut non exterminent Zizania, sed dicitur finite utraque crescere, nempe veram & falsam Ecclesiam, nec nisi tempore suo discriminanda. Adeoque vera & una Christi Ecclesia semper perduravit, & usque ad consummationem sæculi permanebit, docente hoc Christo: Ego vobiscum sum usque ad consummationem sæculi.



DI-

DISCURSUS XXXIII.

Ecclesia Christi est Sancta.

TRanseo ad secundum signum veræ Ecclesiæ, quod est esse sanctam. Et quidem hanc sanctitatem prodit Ecclesia Catholica in suâ doctrinâ, quæ aliud non docet, quàm quod sanctum est. Hinc enimverò David *ps. 18. v. 8.* Lex Domini immaculata. Quid enim non sit immaculatum in eâ lege, quam Christus ipsa sanctitas divina dictavit. Pulchrè planè & eruditè observat Burgensis *in addit. suis ad Nicolaum de Lyra. super c. 17. Gen.* quod de hominibus qui ante Christi adventum vixerunt piè & sanctè, communiter dicatur, quòd in conspectu DEI, & ante divinos oculos ambulaverint, quod mirum videri non debet, cùm ipse DEus Abrahamo *Gen. 17. v. 1.* dixerit: Ego DEus Omnipotens, ambula coram me, & esto perfectus. Attendendum est inquit, quod de justis, seu perfectis, qui fuerunt ante Christi adventum, sæpe dicatur in scripturâ, quod ambulaverit coram DEO, uti dicitur in hoc loco *Gen. 17.* Sic etiam *4. Reg. 20. versu 3.* Ezechias Rex ad DEum conversus dixit: Memento, obsecro, quomodo ambulaverim coram te. Quod ipsum *Isa. 38. v. 3.* repetitur. Quod scriptura sicut de his, ita de plurimis aliis enunciat. Quid verò pergit author de novæ legis justis dixerit, audiamus. De justis enim qui fuerunt post adventum Christi non dicitur, quod ambulaverint coram DEO, sed potius quod sequantur DEum. Sic enim *Joan. 12. v. 26.* dicit Christus: Si quis mihi ministrat, me sequatur. Cujus causam videtur ipse dare *Joan. 8. v. 12.* Qui sequitur me non ambulat in tenebris. Vult DEus hoc insinuare, quod nos homines agamus more communi. Si enim cupias aliquem viæ socium, & dubitas an constans sit futurus itineris tui comes, curas, ut juxta te vadat, aut te præcedat. Sed cum certum habes, & securus es, quod te non destituet, incurius pergis, tametsi ille à tergo te sequatur. In veteri

Doctrina Ecclesiæ est sancta.

testamento coram & ante oculus suos habebat DEus servos suos, merito enim timere poterat, an obsequentes habiturus esset quocunque illos duceret, cùm DEO semper populus ille fuerit refractarius. At postquam in lege gratiæ amore nostri homo factus, ipse crucem bajulavit, & in illâ mortuus est, tantâ nos sui exempli efficaciâ trahit, ut meritò dicat: Venite post me. Quis enim sequi non velit Dominum cruce onustum, cui ille suo sanguine viam signavit? Voluit nimirum Christus nos in lege gratiæ ad longè majorem perfectionem assurgere, quàm fuerit in lege veteri, & populus carnalis in majore perfectione non potuit assequi. Adeoque Christus *Mat. 5. v. 20.* nobis dixit: Nisi abundaverit Justitia vestra plusquam Scribarum, & Pharisæorum, non intrabitis in regnum cœlorum. Apparuit Danieli DEus in antiquo testamento, sed & in novo se stitit Joanni in suâ Apocalypsi, factum id tamen est, cum magnâ differentiâ, & disparitate. In antiquo enim *Dan. 10. versu 5.* Ecce vir unus vestitus lineis, & renes ejus accincti auro obryzo. In novo vidit eum Joannes *Apoc. c. 1. v. 13.* præcinctum Zonâ aureâ usque ad mamillas. Abulensis hujus differentiæ causam dat, quia ibi, id est, apud antiquos contentus erat vetare operis fœditatem, hic etiam adstringit cor & cogitationes. Illis nimirum dictum erat, Non mœchaberis. Ego autem dico vobis *Mat. 5. v. 28.* quia omnis, qui viderit mulierem ad concupiscendum eam jam mœchatus est in corde suo. Illis dictum fuit non occides, qui autem occiderit reus erit judicio. *Mat. 5. v. 22.* Ego autem dico vobis, quia omnis, qui irascitur fratri suo, reus erit judicio. Illis dictum fuit *Mat. 5. v. 31.* Quicunque dimiserit uxorem suam, det ei libellum repudii. Ego autem dico vobis, quia omnis qui dimiserit uxorem suam exceptâ fornicationis causâ, facit eam mœchari, & qui dimissam duxerit, adulterat. Illis dictum fuit non perjurabis. Ego autem dico vobis *Matt. 5. v. 34.* Non jurare omnino. Illis dictum fuit: Diliges proximum tuum, & odio habebis inimicum tuum. Ego autem dico vobis *Mat. 5. v. 44.* Diligite inimicos vestros, benefacite his, qui oderunt vos, & orate pro persequentibus vos. Statuit olim Hercules, postquam mare emensus est, columnas duas, quibus inscripsit: Non plùs ultra. Moyses ille veteris testamenti Hercules, & ipse duas columnas fixit; Diliges DEum ex toto corde tuo, diliges proximum sicut te ipsum. His à se erectis columnis lemma inscripsit: Non

Lex Christi majoris est perfectionis, quam Moysis.

Dilectio inimicorum perfectio Christiana.

Non plus ultra, quasi in his consisteret plenitudo legis veteris. In his enim duobus mandatis universa lex lendet & Prophetæ. Christophorus Columbus navigatione sua columnas Herculis prætergressus, refixit ab illo positum lemma, & scripsit; Plus ultra. Sic Christus Mosaicum lemma refigens, perfectioni Christianæ ulteriorem terminum statuit. Ego autem dico vobis: Diligite inimicos vestros. Ubi bene notandum est, quod Christus dicat: Diligite inimicos vestros, non amate: est namque differentia inter amare & diligere. Amor enim ex impetu qualitatum aut meritorum personæ amatæ procedit, ut si amem hominem malum, hunc ego non amo ex motivo virtutis & honestatis, sed præcisè ob sympathiam, & sanguinis inclinationem. Dilectio autem non ex impetu inclinationis movetur, sed in rectâ ratione fundatur, & meritū, atque qualitatem objecti spectat amabilis. Et ideo Christus non amate, sed diligite, dixit, inimicos vestros, quia in inimico qualitates aliquas, quas diligamus, habemus. Sic cùm Aristotelis liberalitatem reprehendisset quispiam, quod homini pauperi, sed prodigo eleemosynam dedisset; respondit: misertus sum humanitatem, non iniquitatem. Et tu humanitatem, Deique imaginem, non iniquitatem inimici tui intuere. Undè benè S. August. docet, DEum velle, ne justitia nostra in lege gratiæ à Christo dictata sit manca, solum opus externum considerans. Illa enim manum à vindicta arcebat, non affectum; corpus removebat, non cor; vetabat occidere, non odisse. Hinc idem S. Aug. *l. de instit. Virg. ad Euseb. c. 5.* quærit, cur, DEus, quando creavit mundum, omnibus operibus suis & creaturis laudem dederit, solum verò hominem laudare prætermiserit. Quia, inquit, rerum cæterarum temporalium, vel corporalium & animalium perfectio tota est in exteriori, hominis autem perfectio est interiori; juxta illud *ps. 44. v. 14.* omnis gloria ejus filiæ Regis ab intus. Quæ vera, & maxima laus Christi fuit, omnia bene fecit. Hinc si bene non adsit, non prodest magnoperè si dicatur oravit, jejunavit, eleemosynam dedit. Sicut enim plus panis fit de granis succosis, licèt paucis, quam de plurimis vacuis, ita etiam plus meriti sperandum est ex paucis benefactis virtutum operibus, quàm multis obiter, & ad speciem peractis. Et propterea David *ps. 65. v. 15.* dicit: Holocausta medullata offeram tibi. Quod pulchrè explicat S. Greg. medullatum opus bonum est, puro corde & diligenti studio oblatum. Ideoque rejecit DEus munera & sacrificia

Aristoteles homini improbo dans eleemosynam humanitatem respicit, non iniquitatem.

Perfectio hominis est ab intrinseco.

Cain, quia de macilentis pecoribus obtulit. Ex quibus liquet ad quam virtutis perfectionem lex Christi nos erigat, & perducat, ut meritò sancta sit, & dici debeat. Et hinc à Davide merito lex immaculata vocatur. Quare huic opposita doctrina, quid aliud censeri debet, quam erronea. Ducamus si placet, modicam paralellam inter doctrinam Christi & Lutheri, & videbit quilibet, quàm dispar sit condicio hominis Catholici à Lutherano. Christus *Matth. 19. versu 3.* cum accessissent ad eum Pharisæi tentantes eum, & dicentes: Si licet homini dimittere uxorem suam, quacunque ex causa? Respondit eis: non legistis, quia qui fecit hominem ab initio masculum & fæminam, fecit eos & dixit, propter hoc dimittet homo Patrem & Matrem, & adhærebit uxori suæ, & erunt duo in carne una. Quod ergo DEus conjunxit, homo non separet.

Differentia legis Christi & Lutheri.

Lutheri & hæreticorum fœdæ libidines.

Videte nunc quid Lutherus cum septem Theologis Universitatis Wittenbergensis anno Christi 1539. die Mercurii ante festum. S. Nicolai in Ep. ad Philippum seniorem Landtgravium Hassiæ rescripserit. Quod liceat illi habere duas uxores, non aliâ de causâ, quàm quod vera conjunx, cum quâ tamen plures proles habuit, eidem ad libidinem non sufficiat, adeoque cum ipso dispensat. De quo fusius Georgius Schererus S. I. *Dom. 2. post festum trium Regum.* Quid mirum proinde est, quòd spurius iste Theologus, *Tom. 6. per Lufft Wittenbergæ anno 1553. impresso* dicat de vita conjugali. Non vis tu, volet alia. Si non vult Domina, volet ancilla. Quis similem fœditatem ab Ecclesiæ Catholicæ Doctore apud nos unquam libris editam audivit? Taceo, quòd Anabaptistæ promiscuam commixtionem in gradibus naturæ patiantur, quod sæpius ipsa animalia abhorrent. Calvinistæ ex levi causa libellum repudii concedunt, & aliam vivâ priore superinducunt. Et hæc deberet esse sponsa illa sine maculâ, sine ruga, quam Joannes vidit. Pudet me immorari turpissimis his spurcitiis, quibus verbum divinum hi errorum præcones inficiunt, & conspurcant. Sunt in Ecclesiâ Catholicâ scandala, sunt turpissima scelera, quæ etiam in ipsâ thiarâ pontificiâ, quod jactant heterodoxi Ecclesiam obfuscarunt. Ausim tamen dicere, nullus vel illorum etiam, testimonio, vel calumniis pessimus, tam impius fuit, quam apud eosdem hæreticos ipsi hæresiarchæ, & Sectarum Authores. Quis enim Pontificum, licèt in libidine notatus fuerit, cum meretrice

sacri-

sacrilegâ contra votum DEO factum nuptias publicas celebravit? Cum illâ publicè velut legitimâ conjuge vixit? Celebravit nuptias, & velut in thoro legitimo impudentissimè convixit Lutherus. Quis Pontificum Deo sacratam virginem per summum sacrilegium subduxit, & libidinibus suis constupravit? Constupravit Lutherus. Quis Pontificum suas libidines publico typo aut litteris commisit, vel de illis gloriatus est, & ad similes DEO fœdifragas turpitudines animavit? Evulgavit scriptis, gloriatus est de rebus pessimis, & ad tales DEO summè injurias turpitudines animavit Lutherus. Quem non Catholicorum hucusque non puduit similium errorum? Quis non tam turpem lapsum nostrorum ægerrimè tulit, & ingenuo pudore, ac verecundiâ conatus est contegere, & contumulare? Cùm interim nefandas suorum libidines commendet Calvinus, deprædicet Lutherus, Prædicantes innumeri in exemplum secuturis Apostatis scripto & concionibus publicis commendent. Quare si vestri Prædicantes ô Lutherani synceram Christi doctrinam docerent, eámque non corruptam traderent, solarer ego vos verbis Christi, quibus in lapsu paucorũ Ecclesiæ universalis Antistitũ ipse nos solatus est Christus *Mat. 23. v. 2.* Super cathedram Moysis sederunt scribæ, & Pharisæi: Omnia ergo quæcunque dixerint vobis, servate, & facite. Secundum opera eorum nolite facere. Nos Catholici ex tali lapsu formidare discimus, & illud S. Pauli animo nostro seriò imprimimus. Qui se existimat stare, videat, ne cadat. Rogandum namque est, ut quod de sanctis Apostolis dixit *David. ps. 74. v. 4.* Ego confirmavi columnas ejus, in Petri successoribus confirmetur. Bene S. Augustinus in hunc locum, per columnas sanctos Apostolos intelligit, quæ quasi quodam terræ motu concussæ nutabant in passione, at verò in resurrectione, & missione S. Spiritûs sunt firmatæ. Unde S. Leo *serm. 1. de SS. Petro & Paulo* inquit, Nec mundi Dominam timet Romam, qui in Caiphæ domo expaverat sacerdotis ancillam. Numquid aut judicio Pilati, aut sævitiâ Judæorum minor erat in Claudio potestas? Vel in Nerone erat debilitas? Causam nostis; ipse confirmavit columnas ejus. Ut nullis calamitatum telis, nullis hostium machinis, nullis carnificum viribus commoverentur. Quarè S. Ambr. *serm. 47.* Petrus fidelior factus est, postquam fidem se perdidisse deflevit, atque ideo majorem gratiam reperit, quàm amisit. Ut qui sibi antea infirmus fuerat, fieret omnibus firmamentum, & qui ipse nutaverat,

Apostoli in passione nutantes per Spiritum sanctum confirmati.

cœte-

cœteros fidei ſtabilitate firmarent. Eleganter S. Pater obſervat, non caruiſſe myſterio, quod primum à S. Petro miraculum patratum fuerit; Claudicantis greſſum firmâſſe. Sic enim *ſerm. 66. de natali SS. Petri & Pauli* inquit: Rectè primum ſignum mirabilium ſuorum Petrus facit ſolidando plantas hominis claudi. Ut ſicut in Eccleſiâ fidei fundamentum continet, ita & in homine membrorum fundamenta confirmet. Imitare ergo Petrum & tu. Tremuit ille ad ancillæ vocem, & pronus in terram corruit, at reſipuit ad Chriſti aſpectum, ac deindè ſtetit in omni vitâ; Ita quidem ut teſte S. Maximo *hom. 4. de SS. Ap.* qui ſibi antea infirmus fuerat, fieret omnibus firmamentum. Sancta ergo eſt Eccleſia Catholica, quæ non tantum doctrinam Chriſti ſanctam, & incorruptam docet, ſed vel ex ipſo lapſu, ſuorum ulterioris ſanctitatis accipit incitamentum.

Eccleſia Chriſti facit homines ſanctos.

Sanctitatis in Eccleſiâ Catholicà alterum eſt argumentum, ſi multos ſuæ fidei confeſſores ſanctos faciat, quos non ſolùm nos Catholici, ſed etiam ipſi adverſarii noſtri pro ſanctis venerantur. Nequeunt autem monſtrare Lutherani, vel Calviniſtæ ullum ſanctum, qui tam ab ipſis, quàm à nobis pro ſancto habeatur, quemque Lutherana, aut Calviniſtica doctrina ad minimũ ſanctitatis gradum perduxiſſet.

Lutherani non habent Sanctos.

Centenos, & Centenos ego audivi, & legi hæreticos, qui Luthero ſuo Evangeliſtæ aliud prædicatum non dederunt, quàm pretioſum Virum Germanicè den theuren Mann nominando. Quomodo enim ſanctitatis nomen vel opinio conveniat, qui Sectarum ſuarum authores, vel á fide catholicâ, vel etiam à profeſſione, quam fœdifragi profeſſi ſunt, turpiſſimè defecerunt, qui ut ipſe Lutherus de ſe ipſo ſæpius fatetur, neſcii ſunt, an à bono, an malo genio edocti, ſeipſis ſemper facti ſunt deteriores. Quod ſi vero inter Lutheranos aliqui boni ſunt, certè id non vi doctrinæ, ſed vigore innatæ honeſtatis habent, & in hoc parum, vel nihil differunt ab Ethnicis, niſi quod charactere ſacri baptiſmi initiati ad chriſtianæ perfectionis legem magis habituentur. Eccleſia verò Catholica ſanctos habet non tantùm primis ſexcentis annis virtute & miraculorum gloriâ conſpicuos, ſed uſque in hanc diem ſanctitatis honore illuſtres, quorum miranda virtus, uſque hodie à DEO glorioſis prodigiis ornatur, & ab orbe univerſo, ſi ſcurras, & mimos theatrales excipias, magnâ veneratione celebratur. Vel noſtra ætate vidimus Ignatium, Xaverium, Philippum Nerium, Iſidorum, Franciſcum Saleſium, Petrum Nolaſcum, Andream

Neque ipſe Lutherus Sancti nomen habet.

am Corsinum, Cajetanum, Thomam de villa nova, Petrum de Alcantara, Franciscum Borgiam, Aloysium, Stanislaum, tres Martyres Japonios, Martyres Gorcomienses in Sanctorum vel Beatorum numerũ relatos. Inter fœminas verò sanctitate inclytas, hoc currente sæculo S. Theresiam, Magdalenam de Pazzis, Elisabetham Reginam Portugalliæ, Margaritham Reginam Scotiæ, Rosam Limensem Virginem Sanctorum Catalago adscriptas numeravimus. Taceo quod vel inter ipsos Romanos Pontifices vix ullum sæculum fuerit si tria, ad summum quatuor excipias, ex quorum numero si non unus, certè plures etiam, vel martyrio coronati, vel sanctorum numero totius orbis consensu fuerunt adscripti. Tria prima sæcula meros Martyres viderunt Romanos Pontifices. Quid gloriosius? Turbatissimum sæculum decimum vel inter Cæsareas, regiasque, vel Principes personas numerat. S. Matildem Ottonis Cæsaris matrem; ejusdem uxorem. S. Adelhaidem. S. Brunonem ejusdem Ottonis fratrem Archi-Episcopum Coloniensem, Robertum Regem Galliæ, adhuc in vivis miraculis clarum, Eduardum Regem Angliæ Martyrio coronatum, Olaum Regem Norvegiæ, Henricum Romanorum Imperatorem, & Kunegundem consortem suam, Stephanum Regem Ungariæ, Emericum filium S. Stephani, Wenceslaum Regem Bohemiæ, Rudolphum II. Regem Burgundiæ. Inter Episcopos, & Archi-Episcopos numeravit hoc sæculum in solà Germaniâ S. Heribertum Archi-Episcopum Coloniensem, Conradum Episcopum Constantiensem, Udalricum Episcopum Augustanum, Wolfgangum Episcopum Ratisbonensem, Bernardum Episcopum Hildesheimensem, Lambertum Episcopum Trajetensem, Eliam Episcopum Sedunensem, Quarinum itidem Episcopum Sedunensem. In Hispaniâ S. Sisenandum Episcopum Compostellanum, in Galliâ Episcopum Viennensem Adonem. In Angliâ S. Oswaldum Vigorniensem, S. Dunstanum Episcopum Cantuariensem. In Bohemiâ S. Adalbertum. In Ungariâ S. Gerardum. Ut taceam Religiosos qui sanctitatis famâ hoc sæculo floruerunt. S. Romualdus fundator Camaldulensium, S. Bonifacius in Sclavoniâ martyrio affectus, ubi pari martyrii pretiosâ laureâ ornati sunt Andreas, & Benedictus Monachi. S. Odo Cluniacensis Abbas, S. Odilo ejusdem loci Abbas S. Stephanus fundator Grandimontensium, S. Medericus Abbas, S. Goar, S. Colomanus, & hos omnes vel unum sæculum

Sancti nostra memoria Canonizati.

Romani Pontifices plurimi Martyres vel confessores.

Cæsares & Reges sanctitate conspicui.

Archi-Episcopi & Episcopi sanctitate illustres.

Sæculum decimum gloriâ Sanctorum illustre.

cœlo inscriptos, gloriosâ sedis Apostolicæ Canonizatione celebravimus. Quot ego vel nostro sæculo ex solâ Societate numerarem purpuratos fidei testes, quos omnes quatuor orbis partes fidei testimonio illustres viderunt. Taceo quam plurimos gloriâ confessorum conspicuos, quos Rota Canonizationis aliquando orbi Christiano proponet piè venerandos. Ite! Ite nunc miserandi hetero-doxi, & calumniis vestris sanctitatem Ecclesiæ Catholicæ proscindite. Nos Catholici montes transferimus in signum veræ fidei, vos nec folium, quod vento rapitur, fidei vestræ sanctitate movere valetis. Legite S. Hier. *l. de viris illustribus*, ubi sic habet: cùm Ecclesia in loco quodam arctissimo inter montem & fluvium posito construi deberet, neque spatium sufficiens esset, S. Gregorius in oratione pernoctavit, & manè facto, inventa est rupes tanto spatio loco cessisse, quantum erat pro Ecclesiâ fabricandâ competens. Quod idem præstitit Siceorum Episcopus, qui cum occuparetur in ædificio templi S. Gregorii, vidit sibi obstare magnam rupem, ad cujus radices arbor alta constitit, cùm verò fabrorum operâ rupes illa exscindi non posset, mandavit sanctus vir rupi, ut aliò se transferret, paruit rupes subsistente tamen arbore, quæ ædificio subserviebat. Ita Lipomanus in vitâ S. Theodori *Tom. 7.* Et ne solis Ecclesiasticis tribuamus hanc fidei Excellentiam, Cerdonem produco, qui suæ fidei imperio uti testatur Marcus Polus Venetorum nomine Orator apud Gregorium X. Pontificem *l. 1. c. 8.* qui narrat, quod Babyloniæ Imperator totus in id incubuerit, ut Christianam fidem in ditione suâ penitus extingueret; Vocatis ergo Christianis mandat, ut fidei suæ probam facerent, & montem loco moverent, vel totâ Babyloniâ exeant. Territi hoc postulato Christiani, tristari cœperunt, Episcopo tamen suo postulatum regium exponunt, quo cum orationi & jejunio incumbentes, obtinuerunt, ut DEus Episcopo revelaret, quid fieri oporteat. Erat inter Christianos Cerdo quidam magnæ humilitatis, & castimoniæ, cujus amore oculum sibi eruerat, juxta literam Evangelicam, quia curiosiore oculo, incentiva libidinis hauserat, hunc DEus jussit inquiri, ad cujus imperiũ mons ille à Rege designatus, foret, transferendus. Ubi ergo in conspectum Regis venit Cerdo, in nomine SS. Trinitatis monti imperavit, ut alio se transferret, qui etiam inspectante Rege se movit, & aliò est translatus. Hoc miraculo motus Rex cum plurimis aliis fidem

Fides Catholica montes transfert.

S. Greg. NeoCæsar: rupem loco movit pro fabrica Ecclesiæ.

S. Theodorus Siceorum Episcopus rupem transfert remanente arbore.

Cerdo montem transfert.

Castitatis magnum apud DEum pretium.

fidem suscepit, & annuâ memoriâ tantæ fidei veritas celebratur. Nos sacrosanctum Evangelii librum inter flammas illæsum recepimus: Sic enim Zonaras *in Basilio Macedone* refert, quod pace facta inter Imperatorem & gentem Rhossicam acciderit, ut gens illa veniret in cognitionem fidei Christianæ, cumque ad baptismum inclinaret, missus est illis Episcopus, qui illos in fide instrueret, cumque is illis multa de Christo, ejusque miraculis dixisset, plebs omnis in miraculi desiderium exarsit. Annuit Episcopus, & quale peterent, postulavit. Clamârunt omnes ut sancti Evangelii librum in rogum publicè injiceret, quo illæso se credituros dixerunt. Accenditur ergo rogus, & liber sancti Evangelii rogo imponitur, qui cum diu in flammis illæsus permansisset, magnâ cum reverentiâ cum consensu populi illæsus recipitur, & omnis populus sacro baptismo est ablutus. Vos si in fidei testimonium litteram retraxeritis, mendacii reum me agite. Non enim potest DEus in confirmationem falsæ fidei concedere, ut vel arte magicâ, fidem vestram stabiliatis.

Liber Evangelii in flammis illæsus.

Non minus sanctitatis signum est, si ad fidem & Ecclesiam veram, quæ sancta est, infideles & barbaræ nationes convertantur. Sic enim dum citatus psalmographus dixit: Lex Domini immaculata, statim addit, convertens animas. Numeret Lutherus, producat Calvinus, aliique omnes hæretici proferant, quos illi ex Turcis, Indis, & Barbaris ad suam perfidiam perverterunt, quas terras zelo fidei peragraverint. Nisi eos fortè producere velint, quos auri cupiditas pertraxit in Indias, ut Mercatoribus juncti Christianos jam factos, exemplo suo pessimo & corrupto inficerent. Florimundus Remondus hoc dat testimonium S. Xaverio, quod ille solus manu sua, quæ usque hodie illibata Romæ asservatur, plures Gentilium ad fidem Christi adductos baptizaverit, quam omnes hæretici ab ortu nascentis Ecclesiæ ex gentilibus perverterunt. Fuit hæc gentium conversio prima cura S. Petro solicito Pastori, qui, quod diximus vix cathedram Romanam insedit, totius orbis curam suscepit, & in omnes regiones & provincias Episcopos, & viros Apostolicos ablegavit, qui gentes prædicatione verbi divini informarent, & ad fidem veram Christi adducerent. Fuit hæc semper cura sedis Apostolicæ, ut viros Zelo gloriæ divinæ æstuantes in remotissimas etiam alterius orbis partes expediret, qui fidei lumen tenebris Gentilium inferrent, eosque veritate & agnitione fidei illustrarent.

Conversio Gentium est sanctitatis signum.

Florimundus Remondus de S. Xaverio.

Quod zelosissimè fecit S. Gregorius Magnus, quando tam solicitè, ut Angliam converteret viros in Ecclesiâ primarios destinavit ad prædicandum ibi verbum DEI, & regnum illud convertendum. Pulchra est illa tanti Pontificis erubescentia, quando intellexit per Recaredum Regem Hispaniæ, Visigothos ad fidem Christi adductos. Aurea sunt verba illius, quæ *l.7. Ep.126.* ad Regem rescripsit; Hæc me etiam contra me excitant, quod piger ego, & inutilis tunc inerti otio torpeo, quando in animarum congregationibus pro lucro cœlestis patriæ Reges elaborant. Quid ego itaque in tremendo illo examine Judici venienti dicturus sum, si tunc illuc vacuus venero, ubi tua Excellentia greges post se fidelium ducet. Hos greges gloriosos deprædicat in Collegio Apostolico *hom. 17. in Evang.* quando consolatione plenus & gaudio SS. Apostolos in Judicio cum copioso animarum fructu adducit. Ibi inquit Petrus cum Judæâ conversâ, quam post se traxit, apparebit. Ibi Paulus ut ita dixerim conversum mundum ducens. Ibi Andreas post se Achaiam: Ibi Joannes Asiam, Thomas Indiam in conspectum sui Judicis conversam ducens. Ibi omnes gregis Dominici arietes, cum animarum lucris apparebunt, qui sanctis suis prædicationibus DEO post se subditum gregem trahent. Pulchrè & nervosè subjunxit. Nos miseri, quid dicturi sumus, qui Pastorum nomen habuimus, & oves, quas, debemus ostendere, non habemus. Vos ego Pastores compello, qui hoc nomine gloriamini, sed tot miseras oves pretioso tamen Christi sanguine redemptas, luporum instar perditis, & devoratis. Ubi vestræ synagogæ ergo est sanctitas? quam exteris & barbaris nationibus infudistis. Quis vestrum cum Petro Asiam, cum Paulo Macedoniam & Græciam, cum S. Thoma Indiam penetravit? Vestræ nimirum sarcinæ sacrilegæ, uxores dico, vestra impedimenta, ex tot infamibus nuptiis susceptæ proles impediunt, & retardant, ut vestræ fidei zelus non nisi impudicissimis cubilibus vestris circumscribatur. Apostoli relictis uxoribus secuti sunt Christum, ut tanto expeditiores essent in disseminationem Evangelii. Vos nec sine appendicibus illis vivere potestis, cum ex Evangelistâ vestro, & spurcissimo verbi illius divini, ut vos dicitis oraculo habeatis, has carnis spurcitias ad hominis vitam conservandam non minus necessarias, quam sit cibus aut potus, quo vita nostra conservetur. Ad sanctam Matrem Ecclesiam Catholicam me converto, cui semper cordi fuit animarum zelus,

S. Gregorius solicitè Angliā convertit.

Prædicantes ab uxoribus non sinuntur esse Apostoli.

lus, & Apostolicum studium animarum. Vos ego Episcopos & Pontifices veros Ovilis Christi Pastores verbis illis S. Gregorii alloquor. Proindè objurgando, suadendo blandiendo, consolando, quibus prodesse possumus, festinemus. Simus in custodiâ vigiles, aditus contra hostes soliciti muniamus, & si quando error ovem abduxerit, toto illam adnisu ad caulas revocare Dominicas contendamus. Ut de Pastoris nomine, quod habemus, non supplicium sed præmium consequamur.

Denique sancta est Ecclesia, quia caput illius quod Christus est, sanctum est. Neque enim alium Religionis Catholicæ authorem novimus nisi Christum, juxta illud Pauli *1. ad Cor. 3. v. 11.* fundamentum aliud nemo potest ponere præter id, quod positum est, quod est JEsus Christus. Dum è contrà Sectariorum fundamentum & authores sunt homines, à religione Catholicâ, & ordine suo Apostatæ, uxorati monachi. Si verò quod dicit S. Matth. *c. 7. v. 18.* Non potest arbor mala bonos fructus facere, neque DEus unquam ad Ecclesiam reformandam alios misit, quàm viros sanctos, non minus sanctitate, quàm doctrinâ conspicuos. Quid ab his hominibus sancti & virtuosi expectemus? Audite S. Aug. *l. 2. in Julian.* Talibus nimirum sanctis post Apostolos sancta Ecclesia plantatoribus & rigatoribus crevit. An verò sanctus tibi videtur, qui in SS. Trinitatem impius, uti superius de necessitate medii credendorum *c. 6.* diximus, eandem cum tribus furibus ab unâ furcâ, pendulis comparavit. Qui ex Lytaniis tam sanctum hoc nomen extirpavit. Cùm tamen videamus nihil nobis Catholicis vel ab ipsis cunabulis magis commendari, quam SS. Trinitatis cultum, & venerationem. In cruce namque efformandâ, edocendaque elaborant matres, nutrices fatigantur, Pastorum & parochorum desudat industria. Ipsa mater Ecclesia omnes psalmos cum adoratione SS. Trinitatis per Gloria Patri, & Filio, & Spiritui sancto terminat. quin ipsa Sacramenta quasi omnia cum Sanctissimæ Trinitatis nominatione conficit, quod in baptismo sacro ex ipsius Christi mandato accepimus. Hoc denique SS. Trinitatis mysterium, in Lytaniis publicis, in sacro quotidiano, in symbolo Apostolico, in collectis, quas orat, in clausulâ ordinariâ commendat. Neque aliud tam solicita mater intendit, quàm summam reverentiam, quâ tantam majestatem humillimè revereamur, & veneremur. An tu ad reformandam sanctam DEI

Ecclesia Christi sancta est, quia Christus, à quo nominamur, sanctus est.

Lutherus in SS. Trinitatem impius non est sanctus.

SS. Trinitatis honor Ecclesiæ semper in primis curæ fuit.

Lutherus Christum mendacii arguit.

Ecclesiam dices missum hominem illum, qui Christum veritatem æternam mendacii arguit? dum enim illa verba Christi *Joan. 16. v. 23.* Si quid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis. Usque modo non petiistis quidquam in nomine meo. Petite & accipietis, ut gaudium vestrum plenum sit, turpissimè, & quod horrent audire aures, *in ps. 25.* dixit. Necesse est hic Christum summè esse mendacem. Quia mater filiorum Zebedæi petiit, ut filii sederent ad dextram, & sinistram, & nihil impetravit. Sic inquit, Christum Judæi quæsiverunt, & non invenerunt. Sic virgines fatuæ pulsant, nec tamen illis aperitur. O quam Ego huic reformatori Evangelico optâssem, ut cum Mida tam felix fuisset, ut omnia, quæ petiit, sibique imprecatus fuit, fuisset consecutus. Fortè citiùs vidissemus hunc verbi divini præconem, cùm Evangelium legeret *Dom. 3. Quadrag.* Erat JEsus ejiciens dæmonium, & illud erat mutum, instar hominis à dæmone obsessi in terrâ abjectum, instar suis se volutare, & toto ore phrenetici instar spumare, clamarèque: Non sum Ego! Non sum Ego! O si unquam verum dixisti, modo certè veritatem locutus es. Quia dæmonium quod ejecit JEsus, illud erat mutum. Nimis autem loquax & garrulum fuit dæmonium Lutherus, qui suo sacrilego ore tot millia animarum seduxit, & in æternam damnationem præcipitavit. O quanti homines in turpissimos errores inducti non fuissent! Nec illa desperata vox, nescio an bovis an athei, audita fuisset, quam in colloquiis suis mensalibus sine dubio vino benè madidus effutiit. Ego si cælum apertum viderem, idque culmo stramineo de terrâ sublato mereri possem, nollem tamen illum attollere. Et credamus, his sacrilegis hominibus Christum Ecclesiam suam reformandam credidisse?

Lutherus non est dæmonium mutum.

Lutherus non vult cœlum mereri.

Ecclesia sancta mores sanctos inducit.

Quid quod Ecclesiæ sanctæ signum clarum sit, si ex doctrinâ illius sancti sequantur mores, & vita Christiano homine digna in populo videatur. Pulchrè planè Lactantius Firmianus contra Novatianos dicit: Sciendum est illam veram esse Ecclesiam, in quâ est confessio & pœnitentia, quæ peccata & vulnera, quibus subjecta est carnis imbecillitas salubriter curet, & proindè impedit, quantum potest, ne fideles in nova ruant scelera præcipites. Audite obsecro novi Evangelii confessionistas, qui apud Carolum V. Romanorum Imperatorem questi fuerunt, Rempublicam suam postquam confessio auricularis cessavit, vitiis contra naturam scatere, petieruntque

Lutherani queruntur sublata confessione homines fieri pejores.

que authoritate Cæsareâ usum confessionis auricularis restitui. Imò Lutherus ipse *Dom. 1. Adv. Conc. 2.* Evangelii novi fructum fatetur: Mundus, inquit, ex hac doctrinâ quotidiè redditur deterior; jam homines singuli septenis obsidentur diabolis, cùm anteà in papatu unico tantum diabolo obsessi essent. Diabolus jam catervatim in homines ingreditur, ut nunc in tam splendidâ Evangelii luce sint avariores, crudeliores, callidiores, multò denique deteriores, quàm anteà in Papatu fuerunt. Quot obsecro, catervas dæmonum habuerit ille, qui hujus novæ & scandalosæ doctrinæ author fuit? Ecclesia Christi longè alios suæ doctrinæ mores producit; sicut enim in primitivâ Ecclesiâ ex prædicatione Apostolica contemptus rerum temporalium secutus est, sic ut ad Apostolorum pedes deponerent omnem pecuniam, & divitias suas, ita etiam nunc videmus, plurimos opibus potentes, spreto mundo renunciare terrenis, contemptis carnis voluptatibus castimoniam amplecti, & nudum Christum sequi. Et hoc est, quod Christus *Matt. 7. v. 20.* dixit: Ex fructibus eorum cognoscetis eos. Quis obsecro nostrum tam cæcus est, ut non videat, vel etiam palpet, Turcarum sectam, & superstitionem esse pessimam, & in eâ neminem posse salvari, quia summam vitæ licentiam, etiam contrà ipsius naturæ instinctum concedit, & tamen ubi Lutherani suæ confessionis formam miserunt Constantinopolim, illam ipsi Turcæ multum accedere ad suam perfidiam testati sunt. Quare si ex fructibus cognosci debet arbor, sancta est Ecclesia Catholica, quia illa opera sancta & bona defendit, quæ tamen Lutherus rejicit, & minimè necessaria docet. Audite Christum *Matth. 7. v. 19.* Omnis arbor quæ non facit fructum bonum excidetur, & in ignem mittetur. Hujus arboris nomine intellexit Christus omnem populum Hebraicum, maximè vero Pharisæos. Erant hi Doctores antiquæ legis, & in apparentiâ extrinsecâ pulchritudinem foliorum ostentabant, in se autem erant arbores steriles, & infructuosæ. Has arbores videtur Christus comprehendisse in maledictione illius ficulneæ, quam sine fructu reperit, dicens: nunquam amplius ex te nascetur fructus in sempiternum. Miratur S. Gregor. *l. 8. moral. Ep. 42.* & ait: Hoc in te Domine maximè omnium admiror, quod ad arborem accedis, fructum quærens eo maximè tempore, quo manifestum est omnibus fructum non ferre. Benè La Nuza *hom. 17.* hanc arborem repræsentâsse Judæos ait, qui exterius

Opera bona sunt fructus veræ Ecclesiæ.

terius cæremoniarum redundabant foliis, & de illis gloriabantur, fructibus autem bonorum operum erant destituti. Confirmat hoc authoritate venerabilis Bedæ; esuriens Dominus vidit ficum habentem folia, & venit fructum quærere in illâ, nec invenit; quia salutem desiderans generis humani, vidit Judæam habentem eloquia legis & Prophetarum, venitque probare, si quem fortè in eorum corde fructum fidei, & vitæ posset invenire, sed quia folia sine fructibus habere reperta est ficulnea, damnatur. Quia Judæa, quæ verba scripturæ sine operibus signabat, dignâ est ultione punita. Rectè omnino Laminez *Dom. 7. post Pentec. Conc. 5.* Tales infructuosæ arbores sunt etiam hæretici nostri temporis, quæ foliis plenæ sunt, sed fructu carent. Fides enim inquit S. Jacobus *in Ep. sua Canonica c. 2. v. 26.* sine operibus mortua est. Quod ipsum confirmat *Concil. Trid. Sess. 7. c. 7.* si quis dixerit solâ fide impium justificari, ita ut intelligat nihil aliud requiri, anathema sit. Benè enim advertit S. Greg. Nyss. DEum in paradyso nullam voluisse habere arborem infructuosam. Dixit enim Dominus: Ex omni ligno paradysi comede. Et ipsa arbor scientiæ boni & mali fructum habuit, quem infelix Eva comedit. Concludit proinde: Ergo in Ecclesiâ militante per paradysum terrestrem significatâ, omnes homines fructum bonorum operum producant necesse est. Certè cum Christus apud *Matth. c. 25.* de stricto illo judicio cum reprobis agit, & dum in illos sententiam æternæ reprobationis fulminat, non expostulat, quod non crediderint, sed quia esurientes non cibarunt, captivos non visitarunt, infirmos non sunt solati, nudos non vestiverunt. Ex quo manifestè patet, hos ob neglectum bonorum operum pœnæ æternæ addici dum boni Catholici cœlesti præmio ornantur, quia bona & sancta opera fecerunt. Concludo hunc discursum cum verbis ipsius Lutheri, qui in quadam Epistolâ quam scripsit contrà Anabaptistas ad duos parochos sic ait: Doctrina Ecclesiæ tota est sancta, tota recta rationi consentanea, & ubi invalescit, emendantur mores, opera pœnitentiæ vigent, & sua castitati laus est. Quid aliud ex hoc ipsius Lutheri testimonio inferas, nisi quod hactenus ostendimus, Ecclesia Catholica Romana est sancta.

Hæretici nostri temporis sunt arbores infructuosæ.

Fides sine operibus nulla est.



DIS-

DISCURSUS XXXIV.

Ecclesia Christi est Catholica.

CErtum est & indubitatum DEI Ecclesiam non posse deficere, juxta illud *ps. 47. v. 9.* DEus fundavit eam in æternum. Adeoque etiam Isaias *c. 68. v. 8.* de Ecclesia DEI vaticinatus est: fœdus perpetuum faciam eis, subjungit autem statim, & scietur in gentibus semen eorum nempè juxta vaticinium Davidis *ps. 21. v. 28.* Convertentur ad Dominum universi fines terræ, id est, quod DEus ipsi Abrahæ promisit *Gen. 22. v. 16.* Benedicentur in semine tuo omnes gentes terræ. Neque otiosum credere debemus, quod in adventu Spiritûs sancti, ubi super Apostolos requievit Spiritus divinus, *Act. 2. v. 4.* repleti sunt omnes Spiritu sancto, & cœperunt loqui variis linguis, ut scilicet, qui per orbem universum erant dispergendi Apostoli ad prædicandum Evangelium, omnium gentium linguis loquerentur. Quod voluit insinuare Christus verbis illis *Act. 1. v. 8.* Eritis mihi testes usque ad ultimum terræ, in cujus utique finibus Evangelium Christi debebit prædicari, cum finem hunc passionis & resurrectionis ipse Christus contestatus sit. *Luc. 24. v. 46.* oportebat Christum pati & resurgere à mortuis, & prædicari in nomine ejus pœnitentiam in omnes gentes. Hinc S. Paulus *ad Rom. 1. 4. 8.* scribens inquit, fides vestra annunciatur in universo mundo. Quæ fides ideo Romana dicitur, quia ibi Petrus sedit, & inde dispersit in omnem terram sacri Evangelii præcones; ideoque S. Aug. *in ps.* de Ecclesiâ Romanâ inquit, ipsa est Petra, quam non vincent superbæ inferorum portæ, utpote in quâ, ut idem S. P. *Ep. 162.* loquitur, semper Apostolicæ cathedræ viguit Principatus. Benè proindè S. & Venerabilis Pacianus *in Ep. suâ ad Sempronianum* dixit: Christianus mihi nomen, Catholicus verò cognomen, illud me nuncupat, illud ostendit. Causam autem subjungit, Catholicum istud nec Marcionem, nec Apellem, nec Montanum sonat, nec hæreticos sumit authores.

Apostoli ut essent universales, à Spiritu sancto docentur varias linguas.

Hæretici corruperunt nomen Catholicum.

thores. Quod nomen mire aversati hæretici vim intulerunt symbolo Nicæno, in quo nos Catholici dicimus Credo unam Sanctam, Catholicam Ecclesiam, illi audacissimè posuerunt loco Catholicæ Christianam. Et Beza *in præfatione suâ in novum testamentum* hanc vocem Catholicam planè rejecit. Gloriatur ergo Ecclesia Christi in hoc cognomine Catholici, quia à Christo fundata, ab illo originem suam traxit, ut manifestum sit, quod qui ab alio nomen accipit, non Christi vel Catholici nomen sortiatur, sed hæretici. Sicut enim illorum doctrina, nunquam antea sic tradita fuit in Ecclesiâ; sic etiam non à Christo, sed suarum Sectarum authoribus, nomen & ortum suum acceperunt. Nec illos tuetur, quod nolint Lutherani à Luthero, aut Calvinistæ à Calvino dici, quia eos pudet authorum suorum, adeoque Evangelici vocari affectant. Quia tamen non soli Lutherani, sed etiam Calvinistæ hoc nomine volunt gaudere, ut vel hi ipsi inter se discernantur, adhuc debebunt à Luthero Lutherani, à Calvino Calvinistæ appellari. Quare licet per calumniam in Ecclesiam nostram retorquere velint vim nostri argumenti, adeoque nos dicunt & nominant Papistas, quia tamen à nullo determinato Papa nos Papistas denominare possunt, & in primis sæculis omnibus veri Catholici Romanis Pontificibus, & sedi Apostolicæ semper adhæserunt, huic nomini Catholico, nihil omnino officit, sed nos papistas dicere, idem erit, ac Catholicos nominare; utpotè qui veræ petræ Christi semper adhæsimus. Sectarii verò, qui à sede Pontificiâ recesserunt, à suis Sectis, eorumque sequacibus nomina imposuerunt. Ut meritò S. Hieron. contra Luciferianos dixerit: sic ubi audieris eos, qui dicuntur Christiani non à Domino JEsu Christo, sed à quoquo alio nuncupari ut Marcionistas, Valentinianos, scito non Ecclesiam Christi, sed Antichristi esse Synagogam. Imò hæc ipsa Sectarum dissensio occasio fuit, ut statim post tempora Apostolorum, quando hæreses multiplicari cœperunt, Ecclesia Christi, ut ab hæreticorum conventiculis discerneretur, etiam nomine discerni debuerit, atque Christi fideles Catholici, ipsaque Ecclesia Catholica à numero & multitudine fidelium dici cœpit. Hanc enim differentiam inter ipsam Ecclesiam Christi & Synagogam Isaias ponit *c. 54. v. 1.* Multi filii desertæ magis, quam ejus, quæ habet virum. Quod explicat S. Paulus ad Galatas de Ecclesiâ Catholicâ, neque potest de ullâ aliâ Ecclesiâ, quàm nostrâ verificari. Hæc enim cujus filii

Ecclesia Christi est Catholica, quia à Christo.

Hæretici quia pudet illos Authoris sui, volunt dici Evangelici.

Ecclesia Christi ex vaticinio superat synagogam & omnes sectas.

filii olim Gentiles, & deserti ante Christi adventum fuerunt, nunc filiorum numerositate, & dominationis suæ amplitudine eam, quæ habebat filios, id est Judæorum Synagogam superat, & multis omnino incrementis longè antecellit. Dum interim tamen Synagoga licèt à DEO rejecta, & reprobata alias omnes Sectas sive Lutheranorum, sive Calvinistarum, sive aliorum quorumcunqne Ecclesias superstitionis diuturnitate, regionum varietate, & hominum multitudine præcellit. Quarè sicut Synagoga Judæorum vincit quoscunque hæreticos, cujuscunque illi appellationis & nominis sint: ità Ecclesia Catholica multitudine suâ, & numero superat Synagogam, eamque multis titulis excedit. Ut verè de Ecclesiâ Catholicâ dici possit, quod Christo à Patre promissum fuit per Davidem *ps. 2. v. 8.* Postula à me & dabo tibi gentes hæreditatem tuam, & possessionem tuam terminos terræ. Est enim illa mons ille magnus, de quo *Daniel. 2. versu 25.* Qui implevit universam terram. Vel certè mons ille in vertice montium præparatus, & fluent ad eum omnes Gentes. Hic enim mons nempe Ecclesia Catholica, ubi à S. Petro Romæ in domo S. Pudentis Consulis Romani fundamentum primum posuit, & se in vertice montium anno Christi quadragesimo quinto, decimâ octavâ Januarii collocavit, statim quod supra diximus, per totum orbem se effudit, quando Petrus per universam Italiam, Episcopos & viros Apostolicos expedivit, qui per universam Italiam doctrinam & fidem Christi disseminârunt. Sed non contentus Italiæ finibus per totum orbem se diffudit, quando in Galliam, Hispaniam, Germaniam varios sanctos Episcopos, & fidei Magistros ablegavit, dum interim diffusi per totum orbem Apostoli in conversione Gentium in Asiâ, Africâ, & Europâ desudârunt. Qui Zelus Apostolicus dum in S. Apostolo Petro & ejus successoribus à S. Augustino commendatur, in succedentibus etiam Pontificibus per omnia sæcula singulariter semper incrementum sumpsit. Quid enim non egit Alexander I. ut Hermetem Urbis Romanæ Locumtenentem non solùm Christianum, sed etiam Martyrem efficeret. Cujus exemplum deinde sub Eleutherio plurimi Senatores Romani secuti, & ad fidem Christianam Catholicam conversi sunt. Sub hoc Eleutherio primum conversa est Anglia per S. Lucium Regem, quæ deinde per sanctum Gregorium Magnum misso ad eos S. Augustino, aliisque viris Apostolicis, unâ cum Scotiâ & Hyberniâ fidei lumine est illustrata. Sub

Ecclesia velut mons magnus est visibilis.

Petrus toto orbe se diffundens videri potuit ab omnibus.

S. Petri successores in fidei disseminatione Zelosi.

Sergio I. Pontifice Hollandia, Westphalia, Frislandia fidem Catholicam est amplexa. Tempore Gregorii II. Pontificis Germania superior, Thuringia, Franconia, fidei veræ lumine est illustrata. Sub Hadriano I. auxilio Caroli Magni Cæsaris Catholica facta est Saxonia. Bulgariam Nicolaus I. convertit. Poloniam Joannes XIII. ad fidem Catholicam adduxit. Ungariam Sylvester II. ope S. Henrici Cæsaris Catholicam vidit. In Turciam & Tartariam sub Alexandro III. Pontifice fidei prædicatio penetravit. In Americam Alexander VI. viros Apostolicos misit. Indiam & Japoniam Paulus III. prædicatione S. Xaverii veræ fidei luce illustravit. In Mauritaniâ per missum á Julio III. Patriarcham & Episcopos, plurimi ad fidem conversi sunt. Thomæi in Indiâ sub Paulo V. cum Sede Apostolicâ sunt reconciliati, sub quo etiam Africani Congenses fidem Christi sunt amplexi. Quanti conatus, quantique progressus Ecclesiæ Catholicæ usque hodie in hoc sæculo decimo septimo videntur, dum per omnes quatuor partes orbis, continuæ novæ ad Ecclesiam fiunt accessiones. Testatur hoc China, Persia, nova Francia, quæ omnes Regiones dum continuo Martyrum sanguine rigantur, fœcundior his in partibus exsurgit Ecclesia Catholica, & in fertiles traduces, id est, novarum gentium conversiones transplantantur. Unde meritò S. Chrysostomus exclamat: Enimvero sicut plantæ rigatæ aquis magis crescunt, ita etiam fides nostra oppugnata magis floret, & seditione agitata incrementa majora sumit. Confirmat hoc *hom. de ferendis opprob.* exemplo S. Stephani dicens: Lapidatus est Stephanus, & pullulavit Paulus, & illi qui per Paulum crediderunt. Scio ego Psaltem Regium minari Synagogæ velut mysticæ vineæ excidium, adeoque *ps. 77. v. 44.* inquit: Et occidit in grandine vineas eorum. Hodie tamen in vineâ Ecclesiæ hi lapides, seu grandines culturam fœcundam ostendunt, & vineæ fertilitatem commendant. Dum enim *Isaias c. 5. v. 2.* de vineâ suâ dicit: Lapides elegit ex eâ, in originibus habetur. Lapidavit eam. quod Velasquez *in Indice Conc. pro S. Stephano* interpretatur sic: alia est vinea Ecclesiæ, alia est vinea mundi, hæ nimirum mundi si grandinantur, nullum fructum afferunt: Ecclesia autem ex tribulationibus firma & munita redditur. Unde Zeno Veronensis enumerans labores Pauli, ac inter alia illud *2. ad Cor. 11. v. 25.* semel lapidatus sum, lapideis inquit imbribus feliciter grandinatur. Facessat proinde Poëtarum Deucalion

Persecutiones Ecclesiæ incrementa.

lion qui ex lapidibus homines suscitavit. Ex lapidibus Stephani natus est Paulus, & quotquot suo Evangelio Christo genuit. Josephus de bello Judaico refert *l. 1. c. 5.* Circa Jericho pinguissima Judææ est regio, & balsami nutrix, cujus inciso acutis lapidibus cortice, stillantem lachrymam ex vulneribus colligunt. Balsami inquit frutex incisus lapide, balsamum spirat. Non est proinde cogitandum si DEus vineam suam Ecclesiam scilicet grandinet, illam fore infructuosam, aut illam non amare. Vinicola vitem scindit & amputat, non eradicat. Pulchrè S. Ambr. Hæc vinea recisa non moritur, sed augetur. Ecclesia dum ligatur, excutitur, dum humiliatur extollitur. Paradoxum certè videri potest, quod S. Bern. *serm. 29. in Cant.* asserit, semper in Ecclesiam depugnatum est hostili animo, damno utili. Exundat Nilus per Ægyptum, sed damno utili, quia fœcundat terram. Incidit venam Medicus, sed damno utili, quia sanitas consequitur. Putatur vitis & scinditur, sed damno utili, quia feracior redditur. Premuntur in torculari uvæ, sed damno utili, quia vinum copiosius prorumpit. Sulcatur terra, sed damno utili, quia fœcundior redditur. Certum enim est, quòd sanguis Martyrum sit semen Christianorum. Ostendant suæ fidei fœcunditatem hanc hæretici, & per sanguineos rivos Martyrum Ecclesiam suam diffusam monstrent. Possum proindè de Ecclesiâ Catholicâ dicere illud *Malach. 1. v. 11.* In omni loco à solis ortu usque ad occasum sacrificatur, & offertur nomini meo oblatio munda, quia magnum est nomen meum in gentibus, dum per totum orbem diffusi Catholici, veræ & salutiferæ fidei veritatem defendunt, suoque sanguine gloriosissimè eidem subscribunt. Et hinc meritò Ecclesia nostra tam à fidei nostræ hostibus, quàm etiam ab amicis & domesticis semper appellata est Catholica. Id enim inquit S. Cyrillus est nomen proprium S. Matris Ecclesiæ, matris omnium nostrûm. Et licèt omnes hæretici se Catholicos dici velint, quærenti tamen peregrino alicui, ubi ad Ecclesiam Catholicam conveniatur, nullus hæreticorum synagogam suam, vel domum audebit ostendere, sed quisque intento in nostram Ecclesiam digito, illam Catholicam dicet. Quod ipsum magis confirmatur ex eo, quia etiam hæretici & Gentiles semper hanc nostram Ecclesiam, Catholicam esse, sunt confessi. Et licèt frequenter de hac fuerint quæstiones gravissimæ, triumphavit tamen semper, & evicit Ecclesia nostra, ut Catholica diceretur & crederetur. Adeoque

Balsamum lapide incidi debet, ut pretiosum fiat.

Sanguis Martyrum est semen Christianorum.

Nomen Catholici, proprium est Ecclesiæ.

que præclarè S. Auguſt. *l. de vera Relig. c. 7.* velint, nolint ipſi quoque hæretici, & Schiſmatum alumni, quando non cum ſuis, ſed extraneis loquuntur, Catholicam nihil aliud quam Catholicam dicunt. Bene itaque concluditur, & totius orbis conſenſu, & vel ipſorum adverſariorum teſtimonio, quod ſola Chriſti Romana Eccleſia ſit verè Catholica & univerſalis. Quomodo enim poſſet dici Lutherana Eccleſia Catholica, quæ priori ſæculo ex Saxoniæ latebris erupit, & ab Apoſtatâ Monacho originem traxit, nec niſi inter anguſta Germaniæ ſpatia hactenus conſtitit. Noſtrâ Catholica, per totum orbem diffuſa, fidei ſuæ dogmata prædicat in Germaniâ, diſſeminat in Italia, propagat in Hiſpaniam, profitetur in Galliâ, diffundit in Indiâ, & in Oriente & occiduo ſole ubique divulgat. Hoc eſt quod prædixit David *pſ. 2. v. 8.* Dabo tibi gentes hæreditatem tuam, & poſſeſſionem tuam terminos terræ. Ex quo proinde bene Vincentius Lyrinenſis intulit: Eos eſſe propriè Catholicos, qui tenent, quod ſemper, quod ab omnibus, quod ubique creditum eſt. Et hinc Chriſtus ipſe in Miſſione ſuâ Apoſtolicâ *Marc. 16. v. 15.* dixit: Euntes in mundum univerſum prædicate Evangelium omni Creaturæ.

Eccleſia Lutherana non eſt Catholica.

Occaſione quorum verborum vel ſcurra quidã impudentiſſimus, vel rabula ipſo Arcadico animali rudior, ut indignitatem horum hominũ videas, canes illius loci collegit in forũ, & illis Evangeliũ prælegit. Requiſitus cur id fecerit? reſpondit, ſe mandatũ Chriſti impleviſſe, qui jubet prædicari Evangeliũ omni Creaturæ. Scio ego S. Antoniũ de Padua aliquando piſcibus concionatũ eſſe, ſed hoc non in ludibrium Evangelii, verum cum maximâ animarũ converſione factum eſſe. Cum enim S. Antonius obſtinatis concionaretur hæreticis, & concionanti aures præbere nollent, ad maris ripam ſe contulit, juſsítque piſces ad audiendum verbum divinum convenire. Paruerunt confeſtim piſces, & innumeri diverſarum ſpecierum convenerunt, qui circa littus extra fluctus & aquas erexerunt capita, & toto tempore, quo S. Antonius illis obligationem, quam Creatori ſuo debent, expoſuit, attenti & immobiles permanſerunt. Hujus miraculi fama in urbem illata eosdem prorſus hæreticos, qui S. Antonii concionem audire contempſerant, ad ripas maris evocavit, eósque rei novitate attonitos Antonius ſic eſt allocutus. Hi piſces perduellis animi veſtri teſtes ſunt. Cùm enim animalia ſint nullius diſciplinæ capacia, & à ciccuratione vel maximè aliena, tamen divinum verbum ore meo prolatum

Stupidus Prædicans Evangelium canibus prælicat.

latum reverentur, quod vos contumeliosè spernitis. Hi, inquam, pisces perfidiam vestrã condemnant, hi contra duritiam & indomiti cordis vestri rebellionem sententiam ferunt, & quamvis loquendi facultate careant, tamen impietatis vestræ pœnas, & vindictam exposcunt. Memini Ego P. Bernardum Colnagum è Societate nostra cum in amœno viridario cum aliis, qui aderant, versaretur, uti testatur Joannes Paulinus in vita ipsius *l. 2. c. 16. §. 8.* & aves jucundissimis modulis, quos natura docuerat, suavissimè cantillarent, atque omnium, quotquot præsentes aderant, aures mirificè demulcerent, soli Colnago hic cantus avium placere visus non est. Quare illis imperavit, ut cessarent à cantu suo familiari, & novam, quam intonabat melodiam assumerent, atque docto gutture, disertísque vocibus, ac expeditâ linguâ cantarent Christus Iesus. Et ecce rem stupendam omnes illicò aviculæ, mandato Patris obtemperant, inauditâque hactenus musicâ sæpius suavissimis vocibus demandata sibi verba Christus JEsus repetitâ etiam voce decantârunt. Quo tam mirando cantu novi hi Amphiones audientium animos prorsus attonitos planè extra se rapuerunt. O quam dispar est studium! quam diversus hæreticorum modernorum & sanctorum virorum circa scripturam & verbum divinum sensus! illi ad ludibrium scripturâ utuntur, & verbum DEI propudiosè conculcant, sancti & electi DEI, etiam irrationales creaturas ad verbi divini & Creatoris sui reverentiam inducunt. Intelliguntur ergo omnis Creaturæ nomine homines, quibus in toto mundo prædicari debet Evangelium. Sic ut in omnibus provinciis & regnis qua latè patet orbis, verbum DEI & fidei Catholicæ doctrina proponatur. Ita quidem, ut bene observat S. Aug. *ex illo Matt. 24. v. 14.* Et prædicabitur hoc Evangelium regni in universo orbe in testimonium omnibus gentibus, & tunc veniet consummatio. Ut dies judicii non sit ventura usque dum hæc universalis prædicatio consummatur. Quæ verò fides alia, quàm nostra Catholica per totum orbem prædicatur? Et quod Ecclesiæ Catholicæ singulare est, quod nos prædicamus in Europâ, huic assentitur totus Oriens & occidens, hoc reliquæ orbis partes Catholicæ firmiter credunt, & confitentur. Eandem enim doctrinam, eadémque fidei dogmata tenet Ecclesia in Europâ, quæ in Asiâ, Africâ, & Americâ, fideli populo proponuntur. Ostendat hanc uniformitatem Ecclesia Lutherana. Certum est enim aliud doceri in Ungariâ, aliud in Saxoniâ, ex quo vel

Colnagus aves novum cantum docet.

Hæretici doctrinæ uniformitatem non habent.

vel ipsi Agentes Ducis Saxoniæ, ubi Posonium venerunt, & in Ecclesiâ super Altare præter imaginem cœnæ nihil repererunt, scandalizati ipsosmet confessionis Augustanæ & Helveticæ sectarios reprehenderunt, atque pro legitimis Lutheranis, seu Confessionistis non agnoverunt, usque dum crucem in altari posuerunt, & imagines vitæ Christi in templi parietibus suspenderunt. Taceo tantam in doctrinâ varietatem, cùm hic unum, alter duo, tertius tria sacramenta admittat. Ite in Italiam, peragrate Hispaniam, perambulate Galliam, lustrate Germaniam, adite Indiam, totam investigate Europam, tentate Asiam, periclitemini Africam, ipsam tot sæculis inviam intrate Americam, denique in toto orbe inquirite Catholicos in fide instructos, omnes ubique septem Ecclesiæ Sacramenta à Christo instituta asserent, purgatorium dari dicent, invocationem sanctorum agnoscent, Missæ sacrificium vivis æque ac defunctis salutare confitebuntur, denique omnia nostræ fidei dogmata æquali tenore, & fidei unanimi professione contestabuntur. Quarè cum in omnibus à Christo hucusque sæculis in Ecclesiâ Catholicâ invariata doctrina semper permanserit, cùm veræ Ecclesiæ proprietas sit, non posse deficere dicente Angelo *Luc. 1. v. 32.* Regnabit in domo Jacob in æternum, & Regni ejus non erit finis. Utpote contra quam portæ inferi non prævalebunt, propter perpetuam, & usque ad consummationem sæculi à Christo promissam assistentiam. *Matth. 28. v. 20.* Ecce ego vobiscum sum usque ad consummationem sæculi. Quid aliud inferre poterit quisque prudens, & recti honestus arbiter, quam unam & solam Ecclesiam Romanam esse veram Catholicam. Quod magis elucet ex eo, quia omnes, qui Ecclesiam Catholicam persecuti sunt, licèt maximi orbis monarchæ & Imperatores, gravissimis pœnis etiam in hac vita castigati sunt. Sicut enim in antiquo testamento DEus defendit Synagogam, & populum electum, sic ut Pharaonem persequentem populum demerserit in mari rubro; Core Dathan & Abiron contra Moysem & Aaron seditiosos, à terra absorberi passus sit: ut taceam Antiochum, Sennacherib, Holofernem, Heliodorum, & complures alios, quos divina Nemesis Synagogæ infestos, & refractarios gravissimis pœnis afflictos attriverit, & tristissima morte exterminaverit. Ita planè in Ecclesiâ suâ sanguinarios illos Tyrannos & Christianitatis juratos hostes atrocissimis pœnis in manifestâ vindictam tantarũ persecutionũ ipse DEus est persecutus. Sic Nero ille infamis

Persecutores Ecclesiæ Christi sicut olim Synagogæ puniti sunt.

famis Tyrannus anno insequente post iniquissimè martyrio affectos SS. Apostolos Petrum & Paulum fugitivus in speluncâ non procul Româ se ipsum interemit. Ulpianus Christiani nominis infensissimus hostis, noctu repente à milite cæsareo seditiosè perimitur. Maximinus cum filio à proprio milite decapitatur. Decius fugitivus in palude una cum equo submersus est. Valerianus sanguinarius à Sapore Persarum Rege captus, eidem inscensuro equum, pro scabello deservivit, & tandem vivus excoriatus est. Julianus Apostata à S. Mercuriano hastâ transfixus crepuit. Valens quemadmodum Ammianus Marcellinus testatur, in modum foculi ardentissimis febribus est extinctus. Zeno vivus sepelitur, & suismet carnibus absumptis fame enecatur. Constantinus Copronymus toto corpore vivus adhuc, & spirans, computruit. Basiliscus in exilio fame enecatur. Anastasius à fulmine perit. Justinianus I. ubi Ecclesiam persequi cœpit, deliravit; & sine prole moritur. Justinianus II. dum sedem Romanam perturbat, Imperio privatur. Belisarius in Pontificem Silverium injurius, fortunis & honoribus omnibus exuitur. Annon hæc omnia clarissima sunt argumenta amantissimi DEI, qui suæ Ecclesiæ Catholicæ curam habet tam paternam. Venio ad Sectarum authores, & hæresum Primipilos, in quos justa DEI vindicta gravissimis pœnis condignè planè animadvertit. Manichæus, qui Regis Persarum filium in testimonium suæ fidei miraculosè plane curare voluit, sed occidit, vivus excoriatus est. Donatistæ quidam, qui canibus objecerunt Eucharistiam, ab iisdem canibus sunt lacerati. Arius cùm Ecclesiam intrare vellet, ad latrinas publicas secessit, & viscera sua dignâ sepulturâ contumulavit. Nestorius impiâ à vermibus excesâ linguâ periit. Lutherus cum cœnam plenam facetiis spurcis sumpsisset, eadem nocte crepuit. Carlostadius à dæmone jugulatus scribitur, & testantur Ministri Basileenses. Calvinus vermibus & pediculis consumptus expiravit, & uti Bolsecus testatur, dæmones invocans inter diras, & execrationes blasphemam evomuit animam. Et verò DEus ipse sæpius luculentis miraculis ostendit hæreticorum se detestari perfidiam. Mulier Calvinistæ marito cohabitavit, quæ cum prolem feliciter enixa fuisset, unicè optavit, ut infans à se editus, ritu Catholico baptizaretur. Maritus verò à Calvinistico Prædicante puerum voluit baptizari, quarè cum uxorem contristare non vellet, totus tamen in eo esset, ut suum in hoc expleret deside-

Sectarum authores turpi morte pereunt.

Infans Calvinisticè baptizãdus moritur, apud matrem Catholicam reviviscit.

 rium,

rium, dormienti matri à latere suffuratus est prolem, eamq; ad Calvinisticum detulit Pastorem; ubi verò parens ad prædicante pervenit, prædicans infantem mortuum reperit, qui non modicè cum parente expostulavit, quod mortuum infantem sibi obtulisset. Parens inopinato casu consternatus mox domum cum infante mortuo revertitur, & clam cubiculum uxoris ingressus, ubi illam dormientem reperit, infantem dolosè in sinum matris reponit, tacitoque gressu recedit, & usque dum ipsa evigilaret, expectavit, tunc simulato vultu uxorem accedit, & de infante interrogat, quæ infantem vivum & sanum exhibet. Quarè quod testatur Florimundus Remondus miraculo manifesto territus ipse maritus religionem Catholicam amplexus est, & infantem à sacerdote Catholico voluit baptizari.

Patriarcha Arianus volens cæcum illuminare videntem excæcat.

Arianus Patriarcha Cyrola nomine, quod habet Baronius, volens veritatem doctrinæ suæ Arianæ adstruere, eamque miraculo firmare Mendicum quendam datis in pretium 50. fl. corrupit, ut se cæcum simularet, & in plateâ, ubi patriarcha erat transiturus, se exponeret, eumque transeuntem tanquam divinæ fidei Doctorem inclamaret, ut se cœcum velut sanctus Præsul & veritatis Evangelicæ verus Magister efficaciâ suæ fidei illuminaret. Hoc cum magnâ comitivâ suorum stipatus Patriarcha transiens in loco constituto ubi audivit, accessit, & miraculosè se oculos mendici aperire velle simulavit, ast ubi mendici oculos attigit, ingens oculorum dolor miserum hominem invadit, & verè cœcus factus est. Quarè perfidiam suam detestatus est, & omnibus, qui non credunt Spiritum sanctum, ejusdem cum Patre & Filio naturæ & substantiæ esse, imprecatus est, eosdem ut secum paterentur dolores Ad hoc miraculum & concursum populi cùm intervenissent Catholici Episcopi, & cœcum verè in Spiritum sanctum credere invenissent, S. Evagrius Episcopus fiduciâ in DEum plenus in confessione sancti Spiritûs, signo crucis super oculos facto, cœcum à doloribus & cæcitate liberavit. Non sine confusione Arianorum, plausu verò Catholicorum, qui gratias divinæ bonitati egerunt, quod credentes in se in confirmationem fidei Catholicæ exaudiverit. Hoc pro conclusione addo, ut videant hæretici DEum justas pœnas exposcere ab illis, qui Ecclesiam Catholicam oderunt, & persequuntur. Apud Novesium in ditione Coloniensi, nescio quâ de causâ monasterium Canonicorum Regularium dirutum fuit. Erat tunc Novesii fœmina hæretica, quæ cum ex odio

in

in Catholicos, jam longo tempore in Ecclesiam illam ingressa non fuisset, interrogata, cur non intrâsset, respondit jlocalariter metuere se, ne columnæ Ecclesiæ in caput ipsius decidant. Ubi verò post Pascha dirui cœpisset Ecclesia, fœmina illa quæ avidè ruinam Ecclesiæ illius spectare voluit, accurrit, & ubi inter jocos, ac sarcasmos ingressa est Ecclesiam, repente à collapsa inibi Ecclesiâ opprimitur, & ad stuporem ipsorum hæreticorum perimitur. Non sine motu gravi animorum, quando clarè viderunt omnes, quod DEus Ecclesiæ nostræ illatas contumelias & opprobria justâ vindictâ, puniat, nec patiatur esse inulta. *Mulier hæretica ex odio in Catholicos aversata Ecclesiam Catholicam, ruina illius opprimitur.*

Quod si ergo in ore duorum aut trium testium stat omne verbum, & veritas humana si tali testimonio firmetur, sufficienter stabilita creditur: Cur derogant hæretici veritati divinæ dicenti: Et portæ inferi non prævalebunt adversus eam. Quando non solum tot SS. eximiique Ecclesiæ Doctores & PP. id affirmant, sed etiam sectarii fatentur, Judæi & gentiles agnoscunt, omnes denique populi & nationes Catholicam confitentur. Sicut enim ab initio nascentis Ecclesiæ post ascensionem Christi una eademque fuit Christi, & Petri Ecclesia, ita in hunc usque diem eadem esse perseverat, nec illam ullus unquam divisit, sed quia extra hanc salus non est, inconcussa stabit, & usque ad consummationem sæculi permanebit.



DISCURSUS XXXV.

Ecclesia Christi est Apostolica.

Idem Catholicam esse verè Apostolicam vix melius ostendere posse existimem, quam si eandem dixero fuisse fidem ipsius S Pauli Apostoli, qui extrà controversiam fidem habuit verè Apostolicam. Audite ergo S. Paulum *ad Rom. 1. versu 8.* Fides vestra (ad Romanos scribit) annunciatur in universo mundo. Statimque subjungit *versu 11.* Desidero enim videre vos, ut aliquid impertiar vobis spiritualis gratiæ, ad confirmandos vos, id est simul *Fides nostra est fides Pauli.*

consolari in vobis, per eam, quæ invicem est fidem vestram, atque meam. Ex quibus verbis quid aliud concludas? quàm si fides Romanorum, & Pauli invicem est, sequitur quod fides Romanorum sit eadem, quæ Pauli. Quod Justinianus videtur claris verbis stabilire. *l. 1. in princip. Cod. de sum. Trinitate.* Fidem enim Catholicam Romanam tradidit Apostolus Petrus. Romam proinde *Novel. 9.* legum Patriam & fontem sacerdotii vocat, quia S. Petrus Apostolus primus & summus Apostolorum hujus Apostolicæ sedis author est. Ad cujus inquit Justinianus venerandæ sedis authorem hoc est Apostolorum primum Domino loquente præceptum est. Pasce oves meas. A cujus proindè ore, sicut lex Ecclesiæ Catholicæ dictata est, & per orbem universum diffusa; ita ad nos usque hodie dimanavit, ut meritò doctrina, quæ non est ab Apostolis & Petri successoribus continuâ serie ad nos propagata, nec sit, nec dici possit doctrina verè Apostolica. Ubi manifestum est, quod Lutheri & Calvini, aliorumque Novatorum doctrina & fides, Apostolica dici non possit, quæ primo priori sæculo Anno Christi 1517. est prædicata, & quia antecedenter in Ecclesia DEI taliter nunquam fuit proposita, Apostolica credi non potest. Ut proinde bene cum Tertull. *l. de præscript.* modernis novatoribus dici possit. Qui estis vos? unde? & quando venistis? Ubi tamdiu latuistis? meritoque illud S. Hier. *Ep. ad Pamachium & Occanum* vobis occinam: Cur post quadringentos (dicam ego mille quingentos) annos docere nos nitimini, quod ante nescivimus. Usque in hanc diem, sine istâ vestrâ doctrinâ Christianus mundus fuit. Adeoque verbis Optati l. 2. contra Parmenio: Tenemini, dum dicit, vestræ cathedræ originem ostendite, qui vobis sanctam vultis vendicare. Quia verò vestræ cathedræ originem aliam ostendere non potestis, quam illam eandem, quam anno 1517. Wittenbergæ per Apostatam Monachum insedistis, quid aliud, quàm cathedram pestilentiæ esse ostenditis? Unde ut Ecclesiam Apostolicam esse clarè evincamus, necesse est, ut ab aliquo Apostolo successionem legitimam continuata serie ostendamus. Quam seriem cùm à S. Petro Apostolo continuatam ostendat Ecclesia Catholica dicente S. Augustino *in Ep. 165.* Petro successit Linus, Lino Cletus, Cleto Clemens &c. quorum ulteriorem seriem cum usque in hæc nostra sæcula laboriosè pertexuerit P. Christophorus Ott. S. I. in suâ Româ gloriosâ, ego hic percensere supersedeo. At verò quia hanc

Nulla Ecclesia hæreticorum est Apostolica.

hanc seriem neque inchoare, neque pertexere possunt Novatores hæretici, Ecclesia illorum non est Apostolica, sed falsa & erronea. Quos enim illi Superintendentes Episcoporum loco habent, ab alio non quam à Luthero derivant, qui quia ipse Episcopus non fuit, sed solum sacerdos, neque alios Episcopos ipse creare potuit, cùm nemo det, quod non habet; neque alios sacerdotes consecrare valuit, quia hoc est solummodo Episcoporum. Meritò proindè exclamare debeo cum S. Aug. Tenet me in Ecclesiâ ab ipsâ sede Petri Apostoli, cui pascendas oves suas Dominus commendavit usque ad præsentem Episcopatum sacerdotum successio. Irenæus verò *l. 4. c. 43. contra hæreses* monet: His, qui in Ecclesiâ sunt, presbyteris obaudire oportet, & eos qui successionem habent ab Apostolis, reliquos verò, qui absistunt à principali successione, & quocunque loco colligantur, suspectos habere, vel quasi hæreticos, & malæ sententiæ. Cum Ergo Lutherani non habeant Episcopos, nisi fortassis eos, qui à nobis apostatârunt, & sic sacrilegè fortassis aliquos ordinatos sacerdotes, manifestum est, quod nec legitimam habeant missionem. Neque enim Ecclesia verum Christi ovile unquam sine Pastoribus & Episcopis esse potuit. Benè namque dicit S. Cypr. *l. 4. Ep. 9.* Ecclesia non est, quæ non habet sacerdotes. Et ipse dedit quosdam quidem Apostolos, alios Pastores & Doctores. Nempe tales, qui suam consecrationem ab aliis atque aliis acceperunt, usque dum tandem ad SS. Apostolos, & ipsum Christum devolvamur.

Continuata in Ecclesia sacerdotum successio veram Ecclesiam ostendit.

Cœterum evidentissimum signum veræ & Apostolicæ Ecclesiæ est illud, quod Apostolis suis ipse Christus dedit *Marc. 16. v. 17.* Quando Apostolos ad Evangelii prædicationem misit. Signa autem eos, qui crediderint, hæc sequentur, in nomine meo dœmonia ejicient, linguis loquentur novis, & si quid mortiferum biberint non eis nocebit, super ægros manus imponent, & bene habebunt. Et statim subditur *v. 20.* Illi autem profecti prædicaverunt ubique Domino cooperante, & sermonem confirmante sequentibus signis. Hæc mihi ostendant Lutherani, & ego fidem illorum Apostolicam venerabor.

Evidens signum fidei à Christo datum sunt miracula.

Fatetur certè Erasmus Roterodamus *in suâ Diatribe de libero arbitrio.* Cum inquit afferant paradoxotera, nullus tamen extitit, qui vel equum claudum sanaverit. Vehementer se torquet Conradus Diethrich *in suâ analysi Evang. Dom. 21. post SS. Trinit.* ubi dicit stul-

 tum

tum esse petere miracula, cum hæc ideo solum fiant, ut increduli convertantur. Quàm immemor est suorum verborum Diethrich, cùm dicat nos Catholicos graviter errare in fide, & sic in infidelitate hærere, consequenter debet admittere, nos jure posse petere miracula, cum in hoc statu, in quo nos dicit hic nasutus Prædicans versari, nempè in infidelitate, faciat nos pares Turcis & Gentilibus, qui miracula ab his novæ legis Doctoribus possunt petere. Pulchrè proinde Georgius Wicelius in suâ relatione Lutheranismi inquit. Jam si recens est doctrina ista, quæ ab orthodoxis omnibus discrepat, uti re vera est, debebat miraculis firmari, sed nulla horum existunt, cur ergo adhuc hæsitas? Hæc ille divinâ gratiâ à Lutheranismo recenter conversus. Annon ego meritò vos alloquar verbis *S. Epiph. tom. 2. contra Ebionitas.* Aliquem mortuum, ô Ebion! suscita, leprosos munda, aut cæcis visum restitue, aut paralysi resolutum sana, si potes. Non potes autem, quia contraria facis incredulitate, & vinculis carnis occupatus. Si autem hoc facere non potes, uti re verà non potes, quid, inquit, multum te jactas? Et paulo infra, imò si nomen Christi invocaveris, nihil efficies. Hinc diximus sæpè, sed frustra fuisse conatos hæreticos miracula facere. Videte Ecclesiam Catholicam, hæc utique sufficientissimis ac efficacissimis miraculis corroborata ac confirmata est, ut qui de cœtero dubitaverit in fide, nullam mereatur excusationem dicente Christo *Joan. 15. v. 24.* si opera non fecissem in eis, quæ nemo alius fecit, peccatum non haberent. Nunc autem excusationem non habent de peccato suo, quia reverâ Davide teste. Testimonia tua credibilia facta sunt nimis. Stat illa fidei tessera in nomine meo, dæmonia ejicient. Quis vestrûm unquam dæmonem expulit? Lutherus puri verbi divini Evangelista, voluit ejicere dæmonem, fabula est tot calamis comprobata, tot libris confirmata, ut probatione non egeat. Sed dæmon illi tantas fecit angustias, ut planè ad alvi profluvium adegerit. Cum verò fugere ex Sacrystia Wittenbergæ vellet, dæmon illi portam obstruxit, non exiturus, nisi Fridericus Staphylus oculatus hujus miraculi testis securi seram infregisset, & huic Thaumaturgo Apostolo ad fugam viam aperuisset. Fortassis autem in fide Lutheranâ jam melius stabilitis gratiam miraculorum obtulerit quispiam? Augustæ anno Christi 1563. in suburbio S. Gregorii Textoris Lutherani filia viginti annos habens,

Lutherus dæmonem frustra pellere conatur.

bens, à dæmone fuit obsessa, pro quâ liberandâ parentes opem Prædicantum implorarunt, adivit illam unus ex præcipuis, cum paris farinæ sociis, quos tamen dæmon risit, neque eorum conjurationes curavit. Cùm ecce Catholica puella intervenit, quæ obsessæ miserta, parentes rogavit, ut pro Domino Doctore Simone Catholico parocho mitterent, qui ad S. Mauritium in parochiâ habitaverat. Venit statim evocatus parochus, & cum jam domui appropinquaret, obsessa horrendè inclamavit, miréque convulsa est. Interim Catholica illa puella poculum aquæ benedictæ obsessæ porrigit, quod ubi bibit longè magis infremuit, tantúmque fœtorem exhalavit, ut præsentes penè omnes exanimarentur, multísque calumniis ascendentem per gradus parochum dæmon est persecutus. Ubi jam cubiculum ingressus est, & puellam cruce signans dixit, in nomine JEsu Regis gloriæ præcipio tibi, ut exeas, dæmon illam sic torsit, ut penè exanimis inter manus tenentium collaberetur, repetito deindè exorcismo paulo post excessit. Puella liberata ad partes Catholicorum accessit, & sacrâ Synaxi refecta, multis annis Catholica vixit. Quod vestri nequeunt Prædicantes, hoc sciunt, & præstiterunt nostri Catholici rustici. Anno namque Christi 1589. Hildesio scripsit vir fide dignus, quod in sympostio superbus quidam, & fastuosus rusticus filiam suam cantharo pleno cerevisiâ ad matrem domum miserit, quia verò filia in via cum cantharo lapsa cerevisiam effudit, juravit parens, aut se fore dæmonis, aut filiam horrendè verberandam. Domum ubi irarum plenus reversus est, securim rabiosus arripit, quod ubi vidit uxor, & liberi, quâ datâ portâ ex domo erumpunt, & vicinorum auxilium implorant. Hic tam ex vicinis ædibus, quàm non procul inde dissitâ popinâ adsunt, & domum intrare tentant, interque cæteros unus reliquis audacior intrat dicens: sive dæmon, sive mater ejus sis, in nomine JEsu ad te ingredior. Simul ac ingreditur & penes securi armatum dæmoniacum considet, ac dixit: Et hic inquit in nomine JEsu sedeo, ferias me, si audes. Ad nomen JEsu contremiscere cæpit rabiosus paterfamilias, reliqui autem audaciores facti, & ipsi ingressi, cogunt illum clarè edicere: JEsus est in corde meo, quod tamen nullo modo facere potuit. Undè suspicati id, quod erat, eum à dæmone obsessum crediderunt, adeoque primò securim ex manu extorquent, petenti deindè aquam ad lavandas manus, aquam benedictam affundunt, alii herbas

Augusta quem Prædicantes pellere non poterant dæmonem, pepulit Catholicus Sacerdos.

Rustici potentiores sunt in pellendo dæmone, quàm Prædicantes.

herbas benedictas inspergunt, alii ex herbis illis cruces efformant, quas illi appendunt, alii cereum benedictum accendunt, tantisque molestiis dæmonem agitarunt, ut cogeretur dicere: Non diu hic manebo. Paulò post vehementi vomitu tantum fœtorem ejecit, ut intolerabilis crederetur adstantibus, ubi tamen secundò vomuit ad se reversus dixit: JEsus in corde meo, & à dæmone liber convaluit. Videtis, O Lutherani! Rustici Catholici hæreticis Prædicantibus sunt contra dæmonem fortiores. Nec tantùm rustici cum dæmone audent congredi; Pueri imbelles cogunt cedere, & fugere dæmonem compellunt. In Mechliniæ oppido puella totâ quasi die cum pueris choreas duxit, sic ut à saltu fessa domum rediret, ubi cubitum pergere voluit, à dæmone fuit obsessa, adeoque à familiâ vinculis constringi debuit, & die alterâ ad vicinum templum Beatæ Virg. fuit deducta, quod ubi scholares audiverunt pueri, etiam illi advenerunt, ex quibus unus audacior aliis, quasi annorum duodecim, dæmoni imperat, ut à puella recedat. Videbatur se dæmon circa umbilicum puellæ per vehementiorem tumorem ostendere, & puer crucem dæmoni opposuit, coëgitque dæmonem versus os ascendere. In ore instar hirsuti vermis se dæmon gyrare visus est, quem tamen puer exire coegit. Ejectum deinde puer apprehendit, & in fossam aquâ plenam demersit, ubi paulò pòst disparuit. Manus pueri apprehenso infernali verme nigerrima fuit, usque dum aquâ benedictâ fuit abluta, & tunc fœtor & nigredo omnis abscessit. O quam imbelles Prædicantes! nisi fortè ex speciali amicitiâ dæmonibus nihil faciant hi Exorcistæ. Sic enim Augustanos illos Prædicantes dæmon fratres suos disertè nominavit, & conjurationes eorum risit. O dignam Evangelicis Præconibus fraternitatem! Et hujusmodi hominibus animam, & salutem vestram cœci mortales concreditis? Fortassis alia miracula tentâstis? Sic enim mortuos resuscitaverunt, & ad vitam revocaverunt Sancti Apostoli, aliique Sancti viri DEI. De vobis aptissimè certè dixit Tertull. *de præscript.* ad nostra respiciens tempora. Apostolos inquit ille Gnostici hæretici in perversum æmulantur. Hi enim de mortuis vivos faciebant, isti de viventibus mortuos faciunt. Lindanus *dial. 3. c. 1.* de Luthero refert, quod quendam aquis præfocatum excitare voluerit, sed non potuerit. Si Lutherus tempore S. Dominici vixisset, vidissetque quadraginta in aquis jam demersos revixisse ad imperium solum Sancti viri, an non pudu-

Pueri Catholici dæmones pellunt.

Dæmon Augustanos prædicantes fratres suos dixit.

Lutherus demersum in aquis resuscitare nequit.

puduisset novi verbi divini præconem? Habetur enim in vitâ S. Dominici, quod quadraginta peregrini ex Angliâ Compostellam tendentes Tolosæ navim conscenderint, sed non procul à littore cum navi demersi sint. Hos ubi sub aquis demersos vidit S. Dominicus, altâ voce inclamavit dicens: præcipio vobis, ut omnes ad littus evadatis. Et statim omnes quadraginta ex undis extulêre demersum jam prius caput, qui statim hastis, lanceis, perticis, funibusque objectis extracti sunt, & vitæ restituti. Quàm dispar est Lutheri, & S. Dominici Sanctitas! Pejus adhuc accidit Calvino, qui maritum, & uxorem pauperem induxit, ut sibi miracula patraturo, impostu-ris, & dolis suis assisterent. Persuasit enim inquit *Cornelius à Lapide in Com. in Mat. c. 7.* maritò, ut in plateâ publicâ jacens se mortuum simularet, uxorem verò copiosis etiam pecuniis induxit, ut mortuum maritum lamentis, & lachrymis copiosis deploraret, quem deinde à somno excitaturus populo à se vitæ restitutum persuaderet. Adornatur ergo ex voto fabula, & mortuus in platea maritus jam rigidum se mentitur. Uxor fœmineo ululatu viciniam implevit. Cum ecce adest Calvinus, & in fidei suæ confirmationem hunc mortuum fictum surgere jubet: clamat Calvinus, rogat uxor, ut surgat, sed frustrâ. in testimonium erroris divino judicio factum est, ut, qui se mortuum malitiosè finxit, verè mortuus fuerit, nec amplius resurrexerit. Et tunc cum summâ confusione Calvini, uxor defuncti pauperis imposturam omnem inter convicia, & execrationes in Calvinum effusas detexit, & aperuit. Simile quid cum Prædicante in finibus Poloniæ, & Ungariæ circà Cracoviam accidit, ubi pecuniâ corrupti conjuges eandem scenam adornârunt, sed ubi maritus fictè mortuus reverâ extinctus est, impostorem, non pastorem uxor rabiosa contumeliis onustum ex foro cedere coëgit.

S. Dominicus 40. naufragio demersos resuscitat.

Calvinus mortuum resuscitaturus vivum occidit.

Prædicans vivum miraculosè mactat.

Sed ad suas latebras revertuntur tenebriones, & recurrunt hæretici, atque ex illo *Joan. 4. v. 48.* Nisi signa, & prodigia videritis, non creditis, inferunt, non esse necessarium ad contestandam fidem, ut miracula fiant, cùm Christus hic Regulum reprehenderit propter petita miracula. Unde Calvinus *in c. 4. Joan. & in c. 16. & 24. Matt.* infert, malè Catholicos petere à Lutheranis, & Calvinistis miracula. Sed respondemus Catholici; Christum non ideo reprehendisse Regulum, & Judæos, quòd miracula petant, sed quod post tot præstita, plura adhuc & quidem malitiosâ cavillandi intentione petant,

Hæretici non volunt, ut nos Catholici ab illis petamus miracula.

 ideoque

ideoque Christus *Joan. 15. v. 24.* clarè dixit, si opera non fecissem apud illos, quæ alius nullus fecit, peccatum non haberent. Sunt ergo miracula fidei veræ proba, & argumentum evidens veritatis divinæ, quemadmodum docet S. Th. *in 3. p. q. 43. art. 1.* Et cum eo Franciscus Soarez *disp. 31. sect. 1.* Quæ proindè meritò à novæ legis Doctoribus & possumus, & debemus exigere. Interpellat me Conradus Diethrich *in sua analysi* & dicit: intempestivum esse, velle fidem probari miraculis, cùm illorum fides alia non sit, quàm fides Christi & Apostolorum, jam aliàs à Christo & Apostolis stabilita. At verò Domine Doctor hoc est in quæstione. Quis enim unquam sanæ mentis Catholicus concessit, doctrinam vestram esse doctrinam Christi. Ego sanè fidem vestram invenio esse magna ex parte fragmenta priscorum hæreticorum, quos uti alios hæreticos fatetur ipse Lutherus, nostra Ecclesia Catholica miraculis felicissimè devicit. Id verò quod juxta aliquos articulos novum est, & solum illud, quò impudentiæ non sunt grogressi veteres hæretici, ut id impiè asserent, quod clarè verbis Christi & legi divinæ repugnat, neque tam impudenter scripturam corrumpere ausi sunt. Vobis itaque novatoribus incumbit, ut hanc novam doctrinam miraculis corroboretis. Nec obstat, quod dicitis, multos fuisse sanctos, neque tamen fecisse miracula. Sic namque S. Joannes qui fuit vox clamantis & præco Christi, de hoc non legimus, quod ullum miraculum fecerit. Ad hoc respondet Laurentius Forerus *in vita JEsu Christi Dom. 20. post Pentec.* Si sancti homines fuerunt sine miraculis, dicam illos etiam non fuisse novæ legis Doctores, quales se jactant Lutherus & Calvinus, & dicunt, se à DEO missos, ut nos legem novam edoceant. Quod verò S. Joannem Baptistam concernit, non egebat ille miraculis, quia solùm erat præcursor Christi, & hujus doctrinam suo testimonio confirmavit. Quia verò Christus ipse suam doctrinam sufficienter miraculis stabilivit, eo ipso simul doctrinam S. Joannis confirmavit, quod docet fusius S. Thom. *in 3. p. q. 38. art. 2. ad 3.* Et verò si S. Joannes æque ac Christus miracula fecisset, homines errare potuissent, cum etiam sine miraculis apud Judæos fuerit Joannes in conceptu Messiæ, cujus admirabilis nativitas, & portentosa in abstinentiâ vita, ipsi Joanni sufficientem dederit authoritatem. at verò neque Lutherus, neque Calvinus suæ vitæ sanctitate ullam sibi compararunt existimationem. Miraculis verò opus esse

Multi Sancti non fecerunt miracula, sed non fuerunt novæ legis Doctores.

S. Joannes Baptista non egebat miraculis.

esse etiam modo, vestra inter vos postulat dissensio, cum enim inter Lutheranos & Calvinistas multa intercedant, quæ diversitatem doctrinæ, & Evangelii manifestè ostendunt, necessarium saltem erit, ut fidei vestræ veritatem divina miraculorum virtus discriminet. Certè olim Germani, Bohemi, Poloni, Ungari, Dani, Angli, Indi, aliique Orientis, & Occidentis populi potissimum per miracula conversi sunt. Sic enim Bonifacius Germanos, Ludmilla & Wenceslaus Bohemos, Joannes & Benedictus Monachi Polonos, S. Stephanus Rex Ungaros, S. Ericus Rex Danos, S. Augustinus Anglos, novissimè S. Xaverius Indos per miracula converterunt. Quid enim horum Sanctorum vita aliud fuit, quàm continuum miraculum? Longior essem si singula percenserem, unum nostri temporis Thaumaturgum accipio Xaverium, quem velut Moysem cum virgâ dicam ego SS. crucifixo instructum vel ipsa bulla Canonizationis tantorum mirabilium patratorem celebrat. Vel cum hoc unico signo sanctæ crucis Badagarum copiosum fugavit exercitum; cum Josue solem stitit, cum Daniele non tantum inter leones, sed etiam tigrides illæsus perstitit, ejusque imperio ferocissima animalia se subjecerunt. Xaverius velut alter David, non fundâ sed sola oratione integros prostravit exercitus, quorum devicta arma etiam per modum somnii in concione à se visa retulit, & populum ad gratias DEO agendas animavit. Ille non secus ac Elias contra urbem Tolo de cœlo ignes evocavit. Cum Jona in maris naufragio securus cruce, quam tenuit, tempestates sedavit. Cum Petro & Joanne claudos sanavit, cum Paulo per rosarium, & sudarium infirmos restituit, & ad pristinam valetudinem revocavit. Cum Elisæo non tantum unum, sed etiam viginti quatuor & plures in vitâ & post mortem ad vitam reduxit. Benè proindè advertit S. Ambr. *l. 10. Ep. 85.* Ideo hæretici miracula Sanctorum non credunt, quia non habent fidem Sanctorum.

S. Xaverius miraculis illustris.

Quo obsecro fundamento dicite in antiquâ lege DEus usus est, ut se verum DEum probaret, quàm miraculis? Annon DEus mittens Moysem ad Pharaonem *Exodi 4. v. 17.* Virgâ illorum mirandorum patratrice instruxit dicens. Virgam hanc quoque sume in manu tuâ, in quâ facturus es signa. Hæc enimverò virgâ mare divisit, petras durissimas in aquas dulces emollivit, imperium aëris, & maris obtinuit? Annon miraculosè Daniel illæsus in lacu servatur à leonibus *Dan. 6. v. 22.* DEus misit Angelum suum, & conclusit ora leo-

Moyses DEUM verum probat miraculis.

num, & non nocuerunt mihi, quia coram eo justitia inventa est in me. David in funda adversus Goliath victor triumphat. *1. Reg. 17. v. 50.* Prævaluitque David adversus Philistæum in fundâ, & lapide. Elisæus. *4 Reg. 2. v. 14.* divisit pallio suo Jordanem. *4. Reg. 4. v. 33.* Excitavit à mortuis viduæ filium, & *c. 5. versu 14.* à leprâ mundavit leprosum Naaman. *Elias 3. Reg. c. 17. v. 6.* à corvis alitur, suscitat viduæ filium. Denique verum DEum per miraculum probat, quando conscisso bove & affusis super altare aquis. *3. Reg. 18. v. 38.* cecidit ignis Domini & voravit holocaustum, & ligna & lapides. Jonas à balænâ illæsus servatur. *Jonæ 2. v. 1.* Et erat Jonas in ventre piscis tribus diebus, & tribus noctibus. Josue Solem & Lunam stitit. *Josue 10. v. 13.* Stetitque Sol in medio cœli, & non festinavit occumbere spatio unius diei. Nec fuit antea nec postea tam longa dies obediente Domino voci hominis. Quæ vero DEus in antiquo testamento tot miraculis confirmavit, fidei ac legis à se latæ mysteria; eadem fidei fundamenta Christus in lege gratiæ singularibus & penè infinitis miraculis confirmavit. Quid enim totum est sacrosanctum Christi Evangelium, quàm continuum quasi miraculum ita ut brevi compendio omnia complexus Marcus dicat *c. 7. v. 37.* omnia bene fecit, surdos fecit audire, & mutos loqui. Quod enim infirmitatum genus est, quòd ipse non curâsset. Paralyticis membra integra restituit; leprosos mundavit; à febri socrum Petri liberavit; sanguinis profluvium stitit; cæcos illuminavit; aridos reflorescere fecit; mutis loquelam dedit; claudos solidavit; surdis aures aperuit; hydropicos ab aquâ intercute liberavit; lunaticos ab intemperie sanavit; dæmones ex corporibus ejecit; mortuos suscitavit; denique omnis generis languores sanavit. Cum discipulis fructuosè piscatur; tempestates maris sedavit; famelicam turbam prodigiosè satiavit; ubique legem suam prædicavit, verbo denique unico omnia bene & miraculosè fecit. Atque sic legem suam & doctrinam stabilivit. Hinc cùm Joannes *Matth. 11. v. 2.* misisset ad Christum discipulos suos, qui quærerent, an Christus esset verus Messias à Patribus promissus? Christus aliud non respondit quàm hoc: Renunciate Joanni, quæ vidistis. Sed quid viderunt? Evangelicus textus declarat: Cœci vident, claudi ambulant, leprosi mundantur, mortui resurgunt. Ecce Christus suam doctrinam confirmat à factis miraculis, si enim Christus interrogantibus discipulis:

Christus omne genus morborum curavit.

Tu

Tu es, qui venturus es, claris verbis dixisset, se Messiam esse, infallibiliter à Judæis sibi objici audivisset illud *Joan.8.v.13.* Tu de te ipso testimonium perhibes. Operibus itaque quæ divinitatis perhibent testimonium, respondit dicens: Ite! Renunciate Joanni, quæ audistis, & vidistis. Licèt etiam alii Prophetæ, vel veteris Testamenti sancti homines miracula fecerint, ut Moyses virgâ mare dividens, Josue solem sistens, Elias mortuum suscitans, Elisæus leprosum sanans, Daniel leones cicurans, Jonas in ventre Ceti illæsus permanens, & alii alia miranda præstiterint, tamen illa omnia non propriâ virtute fecerunt, sicut Christus, sed DEI speciali auxilio id perfecerunt. De Christo enim solo verificatur illud *Ps. 145. v. 8.* Dominus solvit compeditos, Dominus illuminat cœcos, Dominus erigit elisos. Quod patet ex modo Imperativo, quo usus est Christus, quando sanitatem infirmis contulit. Sic enim *Matth. 9. v. 6.* paralytico dixit: Tolle lectum tuum, & vade in domum tuam. Leproso *Matth. 8. v. 3.* Volo. Mundare! Socro Petri *Luc. 4. v. 39.* stans super illam imperavit febri. Mulieri profluvium sanguinis patienti *Marc. 5. v. 34.* Vade in pace, & esto sana in plagâ tuâ. Lazaro resuscitato *Joan. 11. versu 43.* Lazare veni foras. Cœcis illuminatis *Matth. 9. v. 39.* secundum fidem vestram fiat vobis. Arido manûs usu destituto *Matth. 12. v. 13.* Extende manum tuam. Muto & surdo *Marc. 7. v. 37.* Epheta, quod est adaperire. Et statim apertæ sunt aures ejus, & solutum est vinculum linguæ ejus. Quod reliqui Prophetæ aut sancti viri facere non potuerunt, adeoque deprecatoriè solum operati sunt. Uti videmus factum cum Elia *3. Reg. 17. versu 20.* Domine DEus meus revertatur obsecro anima hujus pueri in viscera ejus. Non sic Christus egit cùm filio viduæ in Naim cui dixit. Adolescens tibi dico surge, ut ostenderet scilicet opera ipsa dare testimonium legi à se latæ. Hac de causâ Christus *Joan. 10. v. 25.* Judæis se circumdantibus, & dicentibus quousque animam nostram tollis? Si tu es Christus dic nobis palam. Respondit, opera quæ ego facio in nomine Patris mei, testimonium perhibent de me. Et verò quæ sunt illa opera, nisi eadem, quæ Joanni referri jussit, quia cœci vident &c. Certè non frustrà ille cœcus à Christo in utroque homine illuminatus dixit. *Joan. 9. versu 32.* à sæculo non est auditum, quia quis aperuit oculos cœci nati. Miracula namque quæ ipse edidit, efficax de eo ferebant testimonium. Quod tanto magis con-

Christus imperativè, alii deprecativè miracula faciunt.

firmat continuata illorum miraculorum operatio, quæ sanctis Apostolis, aliisque sanctis viris non nisi pro exigentiâ temporis à DEO fuit concessa. Quàm Ego meritò exclamem cum Davide *ps. 92. v. 5.* Testimonia tua credibilia facta sunt nimis. Ut proinde dicere de Christo possim illud *Apoc. 8. v. 3.* quando Angelus accepit thuribulum aureum, quod cùm implevisset de igne altaris & in terram demisisset stupenda tonitrua, voces & terræ motus secuti sunt. Origenes in hunc locum ait: Thuribuli nomine humanitatem Salvatoris Domini nostri JEsu Christi intelligi. Cùm verò illud thuribulum aureum fuerit, per aurum intelligi ejusdem divinitatem, cui per unionem hypostaticam juncta fuit. Thymiama seu incensum gratiam significat, quâ Christus semper abundavit. Hoc thuribulum in utero virginis elaboratum, ubi in terras delatum est, mirabilia operabatur. Fecit tonitrua, id est, ut filii tonitrui nempe sancti Apostoli fulmina verbi Evangelii detonarent. An non piè credere possum S. Joannem Baptistam audito responso Christi discipulis suis ablegatis explicuisse illud *Isa. 35. v. 5.* DEus ipse veniet & salvabit vos. Quod autem signum hujus felicissimi adventûs? Audite Prophetam: Tunc aperientur oculi cœcorum, & aures surdorum patebunt. Tunc saliet sicut cervus claudus, & aperta erit lingua mutorum. Quare ad hæc verba Prophetæ alludens Christus, hoc utique respondit Joanni: Isaias dicit: Tunc aperientur oculi cœcorum; ecce cœci vident, & Ego illorum oculos aperio, quid aliud hinc concludes, quam quia Ego sum Messias. Dicit Propheta: Tunc aures surdorum patebunt, Ego surdis auditum reddo, ergo sum verus Messias. Propheta dicit, quia salient sicut cervi, claudi; ego illis gressum reddo; cur ergo Messiam me non creditis? Aperta erit lingua mutorum, inquit Propheta, ego mutos loqui facio, non ergo potestis amplius dubitare. Si dicas Moysem fecisse longè majora miracula, quàm Christum; dicam Ego quod miracula Moysis magis furorem divinum, quàm liberalem DEI munificentiam, ostenderint. Christus verò qui aliud non, quàm mansuetudinem professus est, dicente Paulo *ad Titum 3. versu 3.* Benignitas & humanitas apparuit Salvatoris nostri, totus humanus & mitis miracula mera misericordiæ & benevolentiæ exhibuit. Hinc infirmis sanitatem, dæmoniacis libertatem, famelicis liberalem sapidissimumque cibum, naufragis salutem, omnibus denique oppressis & afflictis solatium, & auxi-

Ex vaticinio Isaiæ Christus se verum Messiam ostendit.

Differentia inter miracula Moysis & Christi.

auxilium præstitit. At verò aquas sanguine commaculare; Ranis implere domos, & conclavia; cinifes per aërem spargere; Ulcera & vesicas hominibus imponere, etsi mirabile videri possit, non tamen aliud est, nisi odiosum, & vindicantis divinæ manûs indicium. Imò illa ipsa quæ Moyses beneficus contulit in populum miracula, communiter ira DEI vel antecessit, vel secuta est. Sic DEus dedit populo manna & coturnices, sed inquit David, adhuc erat cibus in ore illorum, & ira DEI ascendit super illos. Dedit aquam petra percussa virgâ, sed statim Amalech persecutus est eos, & pugnavit contra Israel. DEO dictante in monte accipit tabulas legis divinæ, sed dum populus adorat vitulum, DEus irascitur, & Moyses tabulas DEi manu scriptas confringit. Quare dum Moyses miraculosus est, communiter etiam rigidus & asper apparet, ut obduratum Regem Ægypti emolliat vel perdat, populum verò Israëlis durissimi cordis aliquando tandem emendet.

Miraculorum potestas Ecclesiæ velut testamento transcripta.

Quæ verò mansuetissimus JESUS in confirmationem legis gratiæ præstitit, eadem discipulis suis & toti secuturæ Ecclesiæ ex hoc mundo abiens, veluti testamento transscripsit. Abiturus enim ad Patrem cum eos in universum mundum, ut prædicarent Evangelium, ablegasset *Marc. 16. v. 17.* dixit. Signa autem eos, qui crediderint, hæc sequentur: In nomine meo dæmonia ejicient, linguis loquentur novis, serpentes tollent, & si quid mortiferum biberint, non eis nocebit, super ægros manus imponent, & bene habebunt. Si autem nos parentum nostrorum ultima verba tanti facimus, ut illa veluti sancta veneremur; Cur Christi ex terris ad cœlum abeuntis doctrinam, non velut sacrosanctam suspicimus, & veneramur. Olim Socratis discipuli dixerunt. Socrates dixit, & hoc suffecit illis, ad omne dubium, & moram tollendam. Hoc nobis ipse DEI filius, quem ut audiamus ipse Pater repetitis vocibus mandavit, ille inquam ultimis verbis, quæ locutus est nobis, ille dicit. Hoc est verum signum, & aliquis dubitare velit aut contradicere? Cavete ne quod Judæis. *Joan. 15. v. 24.* exprobravit Christus, id ipsum vobis in vestram damnationem objiciat. Si opera non fecissem in eis, quæ alius nemo fecit, peccatum non haberent. Nunc autem viderunt, & oderunt, & me, & Patrem meum. Et hinc quando suam doctrinam probavit Christus, Judæos ad opera remisit. *Joan. 14. v. 11.* Non creditis quia Ego in Patre, & Pater in me est? Alioquin propter opera ipsa credite.

Et

Et quia præscivit post abitum suum futuros complures, qui hæc miracula vel magicis artibus, vel dæmonis adminiculo adscribent, sapientissimè anteoccupavit *Joan. 14. v. 12.* Qui credit in me, opera quæ Ego facio, & ipse faciet, & majora horum faciet. Annon hic admiremur DEI immensam bonitatem, quæ suæ legi divinam vim indere volens majorem quasi virtutem dedit discipulis, quam ipse videbatur exercuisse? Meritò attonitus exclamat S. Aug. *tract. 72. in c. 14. Joan.* qui faceret opera quæ Christus fecit, non inveniebamus, qui etiam majora fecerit, inventuri sumus. Quod etsi ex mente ipsius Augustini difficile sit creditu, facto tamen ipso experimur. Plures enim Judæi ad verbum Prædicantis Petri conversi sunt *Act. 2. v. 41.* quando statim conversa sunt tria millia hominum, & appositæ sunt in illa die animæ circiter tria millia. Plures Græci doctrinam Andreæ susceperunt. Plures Asiatici Joanni adhæserunt. Plures Indi Thomæ se adjunxerunt, aliisque per orbem dispersis Apostolis, quàm ipsi Christo. Audite nunc S. Augustinum citatum. Plures Apostolis prædicantibus, quam ipso prædicante Domino crediderunt. Nonne ab ore Christi dives ille juvenis tristis abscessit, qui vitæ æternæ consilium quæsivit, audivit, abjecit? Et tamen posteà, quod ab eo auditum non fecit unus, fecerunt multi, cum loqueretur per discipulos Magister bonus, contemptibilis ei, quem divitem per se monuit, amabilis eis, quos ex divitibus pauperes per discipulos pauperes fecit. Ecce majora fecit prædicatus, quàm locutus. Annon enim majus fuit umbræ suæ transitu, quod fecit Petrus, quam fimbriæ suæ tactu, quod fecit Dominus, sanare languentes? Angelum DEus jussit movere piscinam probaticam, quæ dum movebatur illa, primum, qui descendit, sanavit. Certè si DEus illam vim sanativam contulit aquæ, ut tam diversis languoribus prodesse posset, multo magis credendū est quòd DEus sanctis suis, quos voluit esse instrumenta potentiæ suæ, similem & longè majorē virtutem cōmunicavit. Si enim virga Moysis petram in aquas eliquavit, aquam in sanguinem vertit, mare divisit, aquas Jordanis stitit: Si serpens Mosaicus in deserto exaltatus morientibus vitā servavit. Quid mirum, si etiam umbra Petri sanavit infirmos *Act. 5. v. 15.* Ponebant infirmos in plateis ut veniente Petro saltem umbra obumbraret eos, & sanarentur ab infirmitatibus suis. Unde non sine causa miratur S. Aug. illud *Pauli. 2. ad Cor. 4. v. 7.* Habemus thesaurum istum in vasis fictilibus, ut sublimitas sit virtutis

Christus majorem quasi vim dedit discipulis quàm ipse ostenderit.

DEI,

DEI,& non ex nobis. Quid est inquit in vasis fictilibus, nisi in corpore hoc mortali & corruptibili. Sicut enim testa ex luto, & igne fit, sic profectò & corpus illorum sanctorum, cum sit lutum & spiritualis ignis efficaciam susceperit, testa factum est. Et quâ de causâ factùm est? ut thesaurum talem & gratiarum copiam mortali & corruptibili corpori dederit. Ut abundantia virtutis sit à DEO, & non à nobis. Ut talia miracula quæ in mortali corpore sanctorum ostendit DEus, testimonium præbeant non sibi, sed divinæ potentiæ. Confirmavit hoc S. Bern. *serm. 28. in Cant.* Nihil inquit omnipotentiam verbi clariorem reddit, quam quod omnipotentes faciat omnes qui sperant in eo. Videte an non omnipotentes fuerunt sancti Apostoli in primitivâ Ecclesiâ? Audite *Marc. 6. v. 13.* Apostoli exeuntes prædicabant, ut pœnitentiam agerent, & dœmonia multa ejiciebant, & ungebant oleo ægros, & sanabant. *Act. 3.* ad portam speciosam Petrus, & Joannes sanaverunt claudum. *Act. 9. v. 40.* Petrus flexis genibus orans conversus ad corpus dixit: Tabitha surge, & mortuam resuscitavit. *Act. 5.* Petrus verbo oris sui occidit Ananiam & Saphyram. *Act. 14.* Claudum ex utero matris suæ sanavit Paulus. *Act. 19. v. 12.* virtutes quaslibet faciebat DEus per manus Pauli, ita ut etiam super languidos deferrentur à corpore ejus sudaria & semicinctia, & recedebant ab eis languores & spiritus nequam egrediebantur. Non modica difficultas est apud authores, quid sibi velint semicinctia Pauli? Lorinus putat fuisse quoddam tegimen ab humeris usque ad genua pendulum, quo mechanici cum illiberales artes tractant, utuntur, ne cæteræ vestes, sordium aliquid ex eis contrahant, adeoque semicinctia vestes reliquas mundas servare solent. Semicinctia ergo, inquit Lorinus est ex lino, similivè materia pannus, quem circumligando dimittunt, qui in opificio, aut ministerio occupantur. Cur autem voluit DEus, ut illud semicinctium, sudariumque Pauli tam prodigiosa operaretur? ipsosque generis nostri capitales hostes ex hominibus fugaret? Cur voluit, ut eadem res & ad vilia opificia, & ad stupenda miracula esset usui? Ut scilicet significaret, nihil detrahi de dignitate alicujus rei per hoc, quod ad humilia officia adhibeatur, & ideo voluit ut sudarium, & semicinctiū Pauli ejiceret dæmones, & curaret infirmos. *Act. 20. v. 10.* Adolescens ex fenestrâ in terram delapsus à Paulo excitatur à mortuis. Sed ne Apostolorum temporibus hæc tantum facta credamus,

Semicinctia Pauli quid?

vidit omnis ætas miranda prodigia, quæ DEus ad confirmandam fidem Catholicam operatus est. Expertus est fidei nostræ virtutem Arianus Rex Galliciæ Chararives nomine, de quo Stengelius *judicior. divin. l. 4. c. 40.* cujus filius cùm ita graviter ægrotaret, ut solum spirare animadverteretur, cùmque nullum remedium à suis Arianis inveniret, ad Catholicos conversus dixit, multa se de S. Martini beneficiis audivisse, petiit ergo an filio suo ab illo sperare posset salutem? Dixerunt Catholici: S. Martinus credit, Filium Patri esse æqualem, si tu credis cum illo, quis scit an non filio sit daturus salutem. Quo audito aurum & argentum ad pedes infirmi filii curavit componi, deinde ad S. Martinum deferri, promittens, si legati filio sanitatem retulerint, se idem cum S. Martino crediturum. Ubi per legatos reliquiæ S. Martini Episcopi Regi missæ, filio infirmo sunt applicatæ, filio plena sanitas est restituta, & Rex in SS. Trinitatem credidit, atque cum filio, totoque regno Arianismum est execratus. Pleni sunt omnes libri, plenæ Sanctorum vitæ, & historiæ, plena tot authorum volumina, ut qui hoc negare velit, vix inter homines ratione præditos possit connumerari. O quam meritò exclamem ego cum S. Aug. *de utilit. Credent. c. 17.* cum quo etiam sentit Richardus de S. Victore *l. 1. de Trin.* Domine si error est, quod credimus, à te decepti sumus. Ista enim in nobis iis signis, ac prodigiis confirmata sunt, quæ nisi à te fieri potuerunt. Sed consuetam nobis occinunt Lutherani, atque Sectarii omnes næniam, nimirum Antichristum etiam facturum miracula, adeoque negant evidens esse signum veræ fidei.

S. Martini Reliquiæ filium Regis Ariani sanant.

Si verò ego Respondeam etiam Simonem Magum fecisse miraculum, sed à DEO confusum esse, ita credendum est, Antichristi miracula virtute divinâ confundenda. Quid hic opponent hæretici? Quod verò sectarii hujus temporis miracula Ecclesiæ Catholicæ magiis adscribant, faciunt illi, quod Judæi olim Christo *Luc. 11. v. 15.* dixerunt, in Belzebub Principe dæmoniorum ejicit dæmonia. Hoc semper in Ecclesiâ DEI fecerunt Gentiles, qui sanctorum Martyrum miracula attribuerunt magiis. Sed quod Christus respondit Judæis, id nos hodie reponimus hæreticis. Si autem & Sathanas in se ipsum divisus est, quomodo stabit regnum ejus? Id est, Si Sathanas per miracula cooperatus est, ut fidem suam & doctrinam Christus stabiliret, ipse Sathanas turbavit & destruxit regnum suum. At quis tam simpli-

Magiæ adscribunt hæretici miracula, sed nihil novi.

cem

cem credat diabolum, ut aliquid in perniciem suam operetur. Quarè cum miracula sint, & semper fuerint contestatio fidei Catholicæ, neque enim DEus, qui est æterna veritas contestari potest aliquid falsum, sequitur quod etiam temporibus nostris fides Catholica vera sit, & Apostolica, quam DEus hucusque tam constanter manifestis miraculis comprobat, & tuetur. Unde sicut Christus præcipuum argumentum habuit, quo se probavit Messiam esse, ita nos etiam miracula allegamus in fidei nostræ probationem, quam etsi evertere conati sint & Lutherus & Calvinus, nunquam tamen id potuerunt obtinere. Imo ego ex verbis Christi *Joan. 10. v. 17.* Si non facio opera Patris mei, nolite credere mihi. Si autem facio, & si mihi non vultis credere, operibus credite, ut cognoscatis & credatis, quia Pater in me est, & ego in Patre; infero, inquam, & dico, si ope diaboli possunt fieri miracula, Christus æterna sapientia non bene probâsset, se esse verum Messiam. Si hanc illationem concedant hæretici, impii sunt & injurii divinæ sapientiæ; Si negaveritis illatum, sentire debetis nobiscum Catholicis. Taceo quod ipse Lutherus *in suâ Postillâ Jenensi Dom. 25. post festum SS. Trinitatis* dicat: quod sancti & electi in Ecclesiâ non fallantur diabolicis fraudibus, & signis. Sic enim, inquit ille, legitur. Frater quidam illusus à dæmone ut & ipse & alii crederent illum pretiosâ veste contectum, sic ut oculi & manus referrent pretiosum sericum, ita enim dæmon illudebat oculis & manibus, sed cum socii dicerent, ut hanc vestem etiam exhiberet S. Martino tunc adhuc vivo, nequaquam dixit, quia angeli qui hac veste me induerunt, id prohibueruut. Cum vero illum vi pertraherent ad S. Martinum vestis disparuit. Pergit Lutherus & dicit in vitis PP. haberi de viro, & uxore optimis conjugibus, qui pulchram habebant filiam, quibus dæmon imposuit, ut filiam suam vaccam crederent. Afflicti parentes filiam adducunt ad S. Macarium, qui nullam illusionem passus, rogavit DEum ut oculos parentum aperiret, aperuit Dominus, & filiam agnoverunt parentes. Ita Lutherus. Ex quibus quid aliud concludas? quàm verum esse, quod neque S. Martino, neque S. Macario illudere potuerit dæmon, neque id aliis servis suis permittat bonus JEsus. Unde non parum miror Centuriatores Magdeburgenses *Centur. 1. l. 2. c. 4.* dicere, in Ecclesiâ Papistarum multa miracula accidis-

Lutherus fatetur Sanctos non ludi dæmonis imposturis.

se ope diaboli, sub velo nominis Christi, per invocationem sanctorum & cultum Sanctarum imaginum; cum tamen omnes hæretici moderni etiam admittant Ecclesiam nostram omnes hæreses devicisse signis & miraculis. Si autem hos omnes devicit Ecclesia in nomine diaboli & non in nomine Christi, & quidem illo tempore, quo jam, uti dicunt, fuit Ecclesia Antichristi, sequitur Ecclesiæ Catholicæ regnum fuisse divisum. Quod tamen falsum esse ipsi asserunt, quia dicunt papatum seu Antichristismum jam mille annis durâsse. Quot millena obsecro interim patrata sunt miracula? Discrimen igitur inter Christi miracula & dæmonis præstigias optimè capi potest ex eo, quod Magorum prodigia fiant magis ad ostentationem, & curiositatem. Quo verò fructu id factum sit, vidimus ex Simone Mago, qui ex nubibus decidens pedes confregit. Sic S. Clemens *l. 4. recognit.* refert de Zoroastro, quod volens videri DEus quasi scintillas ex astris produxerit, & easdem hominibus ostentaverit, sed tandem ab ipso dæmone fulminatus interiit. Ita Abdias Babylonicus de S. Bartholomæo scribit, quod in Indiâ fuerit idolum Astaroth, in quo residebat dæmon, qui curabat infirmos & cœcos. Causabat autem ille ægris dolores, quibus deinde persuasit, ut sibi sacrificarent, & tunc causas doloris removit, atque sic se sanari credebant. Certum namque est quod dæmon neque cœcos illuminare, multo minùs mortuos resuscitare possit. Audite obsecro Baruch Prophetam, qui idolorum & dæmonis imbecillitatem declarans dicit *c. 6. versu 35.* Hominem à morte non liberant, neque infirmum à potentiore eripiunt. Hominem cœcum ad visum non restituunt, viduæ non miserebuntur, neque orphanis benefacient. At verò de DEO David *Psal. 145. versu 8.* Dominus solvit compeditos, Dominus illuminat cœcos. Et *versu 9.* Dominus custodit advenas, pupillum & viduam suscipiet. Quasi diceret misericordiæ divinæ in omnibus operationibus certissimum esse indicium misericordiam & benignitatem. Certum itaque sit, dæmonis miracula modico tempore durare, & tandem à DEO confundi. Quis non credidisset Guidonem de Lacha Brixinensem Episcopum alterum Joannem Baptistam esse, sic enim totius populi consensu colebatur, ubi tamen ejus in Episcopatu successor, facta inquisitione illum exhumari jussit, & illius velut hæretici ossa comburi,

Discrimen inter miracula vera, & falsa.

Zoroaster miracula patrare volens à dæmone rapitur.

Dæmonis miracula nulla.

buri, ossa illius à dæmone in aëre tam diu visibiliter tenebantur, usque dum Episcopus in sacro de B. Virgine ad consecrationem venit, tunc enim dæmones exclamaverunt, ô Guido de Lacha, te quidem hactenus defendimus, sed nunc major nobis adest, atque ossa in ignem relapsa exusta, & in cineres redacta sunt. Non potest enim DEus patrocinari mendacio. Nec stabilire valet miraculo, quod divinæ veritati repugnat. Cum ergo DEus, quod superius diximus, miracula quasi Testamento Apostolis suis, totique Ecclesiæ transcripserit, dum *Marc. 16. v. 15.* his verbis illos est allocutus: Euntes in mundum universum prædicate Evangelium omni Creaturæ. Qui crediderit, & baptizatus fuerit, salvus erit, qui verò non crediderit, condemnabitur. Sigillum testamento suo apposuit, dum dixit: signa autem eos, qui crediderint hæc sequentur. In nomine meo dæmonia ejicient, linguis loquentur novis, serpentes tollent, & si mortiferum quid biberint, non eis nocebit. Super ægros manus imponent, & bene habebunt. Audite nunc verba Evangelistæ. Et Dominus JEsus postquam locutus est eis, assumptus est in cœlum. Hæc ergo sunt verba ultima ad nos Christi, quis non credat?

Miracula sunt sigillum veritatis fidei Catholicæ.



DISCVRSVS XXXVI.

Eſt in militante Eccleſia Sanctorum Communio.

Triplex Eccleſiæ ſtatus.

DIviditur hæc ſanctorum Communio juxta triplicem ſtatum eorum, qui ſunt in Eccleſiâ Catholica. Alia eſt enim Eccleſia militans, & ſumus nos, qui modo in terris agimus; ex quibus quia multæ ſunt ſanctæ & timoratæ animæ, quæ DEO placent, operibusque ſuis ac ſanctis aliis prodeſſe poſſunt, ideo eorum opera aliis etiam vivis, & in Eccleſia militante laborantibus prodeſſe poſſunt. Evidens hujus rei argumentum habemus in Job. *c. 42. verſu 8.* Ite ad ſervum meum Job, & offerte holocauſtum pro vobis, faciem ejus ſuſcipiam, ut non vobis imputetur ſtultitia. Et ſtatim ſubditur. *v. 9.* Abierunt ergo, & fecerunt, ſicut locutus fuerat Dominus ad eos, & ſuſcepit Dominus faciem Job. Altera Eccleſia eſt triumphans, quæ magnis ſuis meritis ampliſſima & condigna accepit jam præmia, quia verò plurima præſtitit opera pænalia, quæ excedunt peccatorum demeritum, vel quæ non habuerunt, vel quæ per exceſſum pœnitentiæ actæ ſupergreſſi ſunt, ideo nobis per indulgentias ex theſauro ſuo fructificant. Tertia Eccleſia eſt media inter militantem & triumphantem, quæ eſt ſtatus animarum purgatorii, quæ ſuffragiis vivorum juvantur. Et ſic S. Chryſoſtomus *in pſ. 50.* hanc communionem explicat. Cauſam autem hujus dat S. Paulus *ad Rom. 12. verſu 4.* Sicut enim in uno corpore multa membra habemus, omnia autem membra non eundem actum habent, ita multi unum corpus ſumus in Chriſto, ſinguli autem alter alterius membra. Quaſi diceret: ſicut in corpore humano os non ſibi, ſed toti corpori comedit, oculi aſpiciunt, manus cibum ori ingerunt, dentes comoliunt, fauces glutiunt, ſtomachus digerit, & concoquit, venæ meſeraicæ in omnes artus diſpenſant; ita in Eccleſiâ Chriſti nemo ſibi ſoli ſervit. Ut proindè benè de Eccleſiâ militãte dixerit David. *pſ. 118. v. 63.* Particeps ego ſum omniũ timentiũ te, & cuſtodientiũ

man-

mandata tua, id est, ego participo de bonis operibus Sanctorum, qui sunt in terris. Et hæc participatio comunis est omnibus Ecclesiæ membris, etiam ipsis peccatoribus, pro quorũ conversione Christus ipse in cruce oravit. *Luc. 23. v. 34.* quando pro ipsis crucifixoribus suis Patrem interpellavit dicens: Pater dimitte illis, quia nesciunt, quid faciunt. Magistrum suum proximè secutus est discipulus, nimirum S. Stephanus, qui pro lapidatoribus suis ardentissimè DEum est deprecatus. *Act. 7. v. 58.* Et lapidabant Stephanum invocantem & dicentem: Domine JEsu suscipe spiritum meum. Positis antem genibus clamavit voce magnâ dicens: Domine ne statuas illis hoc peccatum. Miror ego non parum Bezam, aliósque Novatores dicentes orationem nostram non prodesse peccatoribus, nec pro illis in hac vitâ constitutis orandum esse. Cum tamen S. Paulus *1. ad Tim. 2. v. 1.* dicat: Obsecro primum omnium fieri obsecrationes, orationes, postulationes, gratiarum actiones pro omnibus hominibus. Quæ verba si expendisset Beza, peccatores non exclusisset à communione orationis nostræ. Qui enim dicit omnes, neque reprobos, neque peccatores quantumcunque graves, excludit. Et certè quando oravit Moyses pro populo idololatrâ *Exod. 32. v. 31.* in hac multitudine populi non fuerunt omnes sancti & electi, cum dicat ipse Propheta: Obsecro peccavit populus iste peccatum maximum, feceruntque sibi DEos aureos. Aut dimitte eis hanc noxam, aut si non facis, dele me de libro tuo, quem scripsisti. Annon peccavit populus, quando murmuravit auditis exploratoribus, ut eos Josue & Caleb sedare non potuerint. *Num. 14. v. 19.* & tamen pro populo hoc contumace orat Moyses, dimitte obsecro peccatum populi hujus secundum magnitudinem misericordiæ tuæ, sicut propitius fuisti egredientibus de Ægypto usque ad locum istum. Et ecce quod DEO grata fuerit oratio Moysis, subditur. *v. 20.* Dixitque Dominus, dimisi juxta verbum tuum. Ita placatus oratione Moysis DEus *Deuter. 9. v. 26*, Jubet statim. *c. 10. v. 1.* tabulas novas lapideas confici, quibus legem divinam rursus inscripsit. Et orans dixi Domine DEus ne disperdas populum tuum & hæreditatem tuam, quam redemisti: in magnitudine tua, quos eduxisti de Ægypto in manu forti. Recordare servorum tuorum Abraham, Isaac, & Jacob; ne aspicias duritiam populi hujus, & impietatem atque peccatum. Ubi vides actu meminisse Prophetam peccati à populo commissi, & tamen pro eodem orat. Imo

Orationis vis & efficacia.

mo cum ab indignante DEO prohiberetur pro populo refractario orare *Exod. 32. versu 10.* Dimitte me ut irascatur furor meus contra eos, & deleam eos. Petrus Abaelardus *Ep. 3.* Attende inquit, quæ sit orationis ratio! Orare Propheta prohibitus tamen orando obtinet, quanto magis cum petere jussi simus. Si instanter oraverimus, obtinebimus. Refert Alexander ab Alexandris *Gen. dier. l. 4. c. 12.* observatum legimus à Tyriis ut Deorum simulachris vincula annectant, ne evocarentur, & abirent, cum eos hostili carmine evocatos, abituros timerent. Ecce etiam noster DEus à Moyse se vinculis stringi passus est oratione; ut quasi vinculorum impatiens, se dimitti peteret. Testatur hoc. S. Aug. *in format. Novit. c. 37.* ubi post multas de oratione laudes inquit: Hæc DEum ligat: Beatus qui te adstringit. Similiter plane loquitur B. Agathon; Magna potestas orationis vinciendi omnipotentem. Benè itaque Hugo Cardinal. *in c. 32. Gen.* Sancti suis orationibus tenent DEum, ne in peccatoribus suam exerceat Justitiam. Ut meritò exclamem cum S. Bern. *serm: de Magdal.* O humilis oratio! Tua est potentia, tuum regnum! tu sola tribunal Judicis ascendere non vereris. Tu vincis invincibilem, ligas omnipotentem. Quod ubi exemplo Moysis superius allegato demonstrat Nyssenus, verba illa DEI ad Moysem: Dimitte me ut irascatur furor meus: Ex translatione Chaldaica legit. Intermitte orationem. S. Hier. verò *Ep. 12. ad Gaudentium* inquit, Quando dicit dimitte me ostendit se teneri posse, ne faciat. Quare *Ecclef. 35 v. 21.* dicitur oratio humiliantis se nubes penetrabit & donec propinquet, non consolabitur, & non discedet, donec altissimus aspiciat. In quæ verba S. Bern. *serm. 82. in Cant.* Quando fidelis & humilis oratio fuerit, cœlum sine dubio penetrabit. Unde certum est, quod vacua redire non possit. Neque enim alia causa fuit, cur tam instanter nos ad orationem impulerit S. Martialis *Ep. 2. c. 2. tom. 3. Biblioth. SS. PP.* nisi ejus omnipotentiam novisset. Nunquam deficiatis inquit ab oratione purâ, nunquam de DEI largitate desperetis, quia salubriter, quæ desideratis adhuc differt, ut accendantur multò magis desideria vestra in eum. Benè omnino S. Ambr. *serm. 13. de Natal. Dom.* O beata violentia! quæ indignatione non percutitur, sed misericordia condonatur, vis admittitur, & gratum id est, vim patienti. Quisquis violentior per orationem Christo fuerit, is religiosior habebitur. Sic *Marc. 10. v. 48.* Cœcus sedebat

debat juxtà viam, cui clamanti: JEſu fili David, dum increpantes alii dicerent, ne ſic clamaret; ille multò magis clamavit: JEſu fili David miſerere mei. Obtinuit hac importunitate, ut JESUS ſtaret, & illum ad ſe vocaret. Stans JESUS præcepit vocari illum. Ecce perſeverantia viſum impetravit. Nihil ſic Principes horrent, & averſantur aulici, quam importunam & inſtantem ſupplicationem eorum, qui non recedunt, niſi obtento petito. Non ſic DEus de quo S. Chryſoſtomus *hom. 14.* Non eſt importunus illi quiſquam petendo, ſed tacendo. Miſerat aliquando DEus Iſaiam ad Achaz regem. *Iſa. 7. v. 11.* dicens: pete tibi ſignum à Domino DEO tuo, ſive in profundum inferni, ſive in excelſum ſuprà. Sed quid aulicus Rex repoſuit? Audi Prophetam *verſu 12.* Non petam, & non tentabo Dominum. Sed indignatus DEus per Prophetam inquit *verſu 13.* Numquid parum vobis eſt moleſtos eſſe hominibus, quia moleſti eſtis & DEO meo? Qui ſic? quis obſecro moleſtus eſt DEO? cum claris verbis dicat Rex cæremonioſus, Non petam. Hoc ipſum eſt, quia Rex Achab importunus fuit tacendo. Audite Origenem *in Ep. ad amicum ægrotum. Tom. 9.* peti ſe vult DEus; ideoque miſericordiam facilem habuit Moyſes apud DEum, quià importunè etiam pro populò veniam exoravit. Et hoc eſt, quod Paulus *ad Coloſſ. 4. v. 2.* dicit: Orationi inſtate. Inſtitit profectò Abraham. *Gen. 18. v. 23.* Quando repetitis vicibus aggreſſus eſt DEum, cumque pro Sodomâ, & Gomorrhâ deprecatus eſt. Habent hoc palatia Regum, ut eorum habitationibus amæniſſima viridaria, horti penſiles, aliaque oculorum oblectamenta objiciantur, ut, dum è feneſtris proſpiciunt, habeant, unde oculos ſuos recreent, & oblectent. De DEO David *pſ. 13. v. 2.* Dominus de cœlo proſpexit ſuper filios hominum, ut videat ſi eſt intelligens, aut requirens DEum. S. Baſilius in hunc locum ait: Proſpicit è cœlo, ſiquem orantem inveniat. Hæc unâ quaſi DEO eſt voluptas. Et verò *Gen. 18. v. 21.* DEO non ſufficit proſpexiſſe, deſcendit penitus, Deſcendam inquit, & videbo, atque ut Abrahamum ad orandum pro Sodomâ animaret. Aperit illi decretum ſuum de evertendâ Sodomâ, & Gomorrhâ. Interpellat ergo DEum Abraham, & veniam atque gratiam intuitu quinquaginta juſtorum impetrat. Diffidens numero quinque minus accipit, & iterato veniam obtinet. Deſcendit ad quadraginta, non recuſat DEus, decreſcit ad

DEO moleſti ſumus non orando.

DEus delectatur oratione noſtra.

triginta, placabilem se offert bonus DEus, Usque ad viginti, imo ad decem delabitur, adhuc placabilem se fore DEus promittit. O quanta DEI dignatio! qui ne in furore suo abuteretur Sodomitis, in decem justis toti universitati hominum veniam compromisit. Non enim relinquendus est peccator, sed orationibus adjuvandus, ut ad salutem revocetur, Annon Christus nonaginta reliquit oviculas in caulâ, ut errabundam centesimam revocaret. Ostendit hoc DEus S. Carpo olim S. Pauli discipulo, deinde Episcopo Cretensi, de quo Raderus *in p. 3. viridarii c. 6. §. 34.* hic ubi intellexit catechumenum quendam ab idololatrâ, ad castra dæmonis, & idolorum cultum abductum, ita Zelo nimio amoris divini incaluit, ut utrumque orco devoveret, neque crederet offensæ divinæ aliter satisfieri posse, quam si uterque ad infernum abriperetur. Hæc precatus, imo verò imprecatus, vidit cœlum apertum, & JEsum inter infinitos Angelos in cœli limine considere, subtus ingens patebat hiatus, ad cujus orificium duo illi viri consistebant. Ex imo barathri illius vidit ingentem draconem emergere, qui suæ caudæ spiris hos duos sibi bene notos conabatur involvere. Applaudebat Carpus, & tantùm non indignè ferebat, illos adhuc consistere. Dum ille hæc cogitat, assurgit Christus cum totâ cœlesti juriâ, & ruituris manum porrigit; atque ad Carpum conversus. I nunc inquit, & in præcipitium age miseros, quos ego pretioso sanguine meo redemi, & usque hodiè pro illis sanguinem fundere paratus sum. Quo dicto disparuit visio, & Carpus didicit laudare DEI misericordiam; atque indiscretum zelum suum, in veræ charitatis affectum ordinavit. Non ego credo Bezam tam potenti æstuâsse amore divino, ut ideo peccatores à communione excluderet, sed piguit in iisdem revocandis desudare, cum labor non sit modicus, quando vel ipse Christus sedit ad fontem fessus dum mulierem Samaritanam ad pœnitentiam revocavit. Certè S. Paulus *ad Ephes. 3. v. 14.* qui orationem conversionis remedium dixit, hujus rei gratiâ, inquit, flecto genua ad Patrem Domini nostri JEsu Christi, ut det nobis secundum divitias gratiæ suæ virtute corroborari per spiritum ejus in interiore homine Christum habitare per fidem in cordibus vestris. Confirmat hoc Baronius *tom. 3. ad annum Christi 327. n. 11.* ex *Ruffino l. 1. c. 10.* Gens Iberorum inquit, quæ sub axe Pontico jacet verbo DEI fœdera, & fidem futuri susceperat regni, sed hujus tanti boni causam præstitit mulier,

Non debemus cessare orare pro peccatoribus.

Carpus corrigitur à Christo, ne sit Severus nimium in peccatores

Varia beneficia hominibus exoramus.

mulier, quædam captiva, quæ apud eos fuit inventa, cumque fidelem & sobriam duceret vitam, totisque diebus ac noctibus orationibus apud DEum instaret, ipsâ vitæ suæ integritate admirationi & venerationi cœpit esse barbaris, & cum sæpius ex illâ curiosè quærerent, quid sibi hac vivendi methodo vellet, illa ut res erat simpliciter fassa est, se Christianam esse, atque sic piè vivendo DEum colere. Quæ deinde oratione suâ Reginam ab infirmitate liberavit, universum verò populum ad cultum veri numinis revocavit. Annon precibus suis Onias Heliodorum ab angelis castigatum in vitâ servavit. Cùm enim jaceret quasi exanimis *2. Machab. 3. versu 31.* Tunc verò ex amicis Heliodori rogabant confestim Oniam, ut invocaret altissimum, ut vitam donaret ei, qui in supremo spiritu erat constitutus. Considerans autem supremus sacerdos, ne fortè Rex suspicaretur malitiam aliquam ex Judæis circa Heliodorum consummatam, obtulit pro salute viri hostiam salutarem. Cumque summus Sacerdos oraret, iidem juvenes iisdem vestibus amicti, adstantes Heliodoro dixerunt, Oniæ Sacerdoti gratias age, nam propter eum Dominus tibi vitam donavit. Sic Daniel pro populo rogavit. *Dan. 9. v. 6. & v. 21.* ab angelo accepit consolationem, quia exaudita esset oratio illius, quia tempus ac dies venturi Messiæ abbreviabitur. Oravit Esther Regina ad Dominum *Esther. 14. v. 3.* & invenit gratiam in oculis Assueri, atque salvavit omnem populum suum.

Mulier Christiana sanata Reginâ invocato Christi nomine Iberos convertit.

Neque hoc solum in casibus communibus, sed etiam in particularibus certarum personarum accidisse vidimus, ut, sancti dum adhuc in terris agerent, oratione suâ aliis varias gratias impetrarent. Annon orante S. Clemente fons erupit, undè siti pene oppressi homines plurimi recreabantur. De hoc *Breviar. Rom. 23. Novemb. in lect. 5.* refert. Quod à Trajano Imperatore relegatus trans mare Ponticum in solitudine Urbis Chersonæ, in quo duo millia Christianorum reperit, qui ab eodem Trajano damnati fuerant. Hi cum in eruendis & secandis marmoribus aquæ penuriâ laborarent; Clemens factâ oratione in vicinum collem ascendit, in cujus jugo vidit agnum dextro pede fontem aquæ dulcis, qui indè scatebat, attingentem ubi omnes sitim expleverunt. Eustachius Abbas de quo Henriquez *in fascic. Ord. SS. L. 2. distinct. 23. c. 1.* narrat. Quod cùm exaruissent omnes fontes, & cœlum imbres negâsset, atque homines præ siti gemerent, animalia etiam fatiscerent, omnes ad B. Præsulem

Orante S. Clemente fons erumpit.

sulem confugerunt, quorum precibus commotus, plenus fiduciâ ad Ecclesiam abivit, ubi baculo suo petram percussit, & illico fluxerunt uberes aquæ. Fons, qui in Mamertino carcere à S. Petro excitatus est, in hodiernum usque diem durat, sic ut nec foras exundet, nec quantumvis hauriatur, exsiccetur. S. Isidoro Hispaniæ colono, & inter sanctos ætate nostra relato, uti habetur in historiâ vitæ illius paruit terra, sic ut sitientibus scipione suo ex terrâ fontem effoderit. Dedicavit S. Dunstanus Ecclesiam quandam cum affluxu ingentis multitudinis hominum, cum verò populo sitienti deficeret aqua, pedo suo terram verberavit, & mox copiosus fons se aperuit. S. Franciscus Agasoni, suoque, quem ante se agebat, asello, cùm valdè sitirent, nec aliunde, quo sitim levarent, haberent, ex petrâ aquam elicuit, unde ipse & asellus potaretur. Navigarunt in mari homines complures, sed cùm tempestate diutius jactarentur, sic ut aqua dulcis in vasis ad bibendum deficeret, confugerunt omnes ad Anachoretam secum in navi commorantem, à quo in extremâ necessitate constituti opem & auxilium instantissimè postularunt. Hic ad DEum per preces confugit, atque ab oratione consurgens mare signo S. crucis signavit, & aquas, quibus nautæ vasa rursus repleverunt, dulces reddidit. Quod S. hic Anachoreta precibus suis obtinuit, hoc sæpius navigantibus in mari sociis secum vectis præstitit S. Xaverius, qui dolia integra marinæ aquæ signo S. crucis in dulces & potui gratas convertit. Nec tantum sitim averterunt sancti orationibus suis, panem impetrarunt, horreumque repleverunt, ut fame pressos reficerent. In Hierosolymitano monasterio repentè defecit panis, sic ut annonæ nihil penitus superesset. Jam fratres loco cedere decreverant, sed Abbas eos ad orandum hortatus est, & ecce dum noctu orant, choroque immorantur, ita repletur horreum tritico, ut portæ vix potuerint aperiri. Post multos deindè annos deficiente rursus annonâ, orante Abbate Angelus altare copioso replevit auro, unde annona copiosa potuit comparari. Cùm Socii gravi premerentur inopiâ Romæ, S. Ignatius familiam auxit, & plurimos ad Novitiatum admisit, non sine admiratione Sociorum. Interim dum œconomus sive dispensator ex Lateranensi vesperi domum revertitur, incidit in aliquem, qui illi in silentio centum aureos dedit, & disparuit. Transeamus ad affectiones animi, & ecce S. Bernardus Godefrido Peronensi, nobili stirpe oriundo, tristitiam omnem

Eustachius Abbas oratione fontem elicit.

S. Petrus in Mamertino carcere fontem excitat.

S. Franciscus asellum fonte novo potat.

Anachoreta maris aquas cruce signatas potabiles facit.

S. Xaverius signo crucis dolia marinæ aquæ dulces facit.

Oratio horreum frumento replet.

Oratio œconomo nostro Romæ centum aureos donat.

omnem ab animo feliciſſimè per orationem abſterſit. Cum enim hic ſe S. Bernardo adjunxiſſet, & diceret, ſe ad mortem uſque triſtem futurum, ad orationem converſus S. Bernardus pro Godefrido ſupplicat, qui interim penes ſacellum gravi mœrore & ſopore oppreſſus conſederat. Finivit S. Bernardus preces, & ecce evigilat Godefridus, atque omnem triſtitiam ſublatam advertit. dicens: ad mortem uſque hilaris vivam. Non dicam Ego portentoſam illam erga parentes curam, quam S. Antonius de Padua habuit, ut pro indemnitate illorum, mira planè patraverit. Hic enim ſanctus parentem ſuum, qui regium quæſtorem egerat, contra Senatum regium feliciſſimè defendit. Cùm enim parens vir rectus & bonus ſæpius ex ærario pecunias dediſſet, neque apochas debitas ab illis recepiſſet, ubi ad rationes ventum fuit, negantibus malitioſè multis ſe quidquam accepiſſe, in grave periculum infamiæ, imò & vitæ, & capitis eſt devolutus. Dum itaque hæret coram Senatu regio parens, Religioſus ingreditur, qui aſſidentes ſic eſt allocutus. Hic homo probus eſt & recti tenax, qui vobis ipſis, qui judices aſſidetis, uti probè noſtis, ex quæſturæ ſuæ peculio, hæc & hæc ſuppeditavit. Mirati omnes, & verò confuſi per inopinatum cauſidicum, parentem abſolvunt, & crimine peculatûs eliberant. Mirabilius eſt, quod Olyſſipone egit novus hic Habacuc, ut parentes ab homicidii ſuſpicione vindicaret. Sicarius Olyſſipone patraverat homicidium, & cadaver de nocte in horto parentis S. Antonii de Paduâ ſepelivit. Ex veſtigiis cruentis parens fit reus patrati homicidii, & morti innocens adjudicatur. Pridie executionis à Guardiano ſuo Paduæ petit Antonius licentiam exeundi, quâ conceſsâ extra urbis portas egreſſus Antonius à latere ſocii ſui velut alter Habacuc abreptus Paduâ transfertur Olyſſiponem. Summo mane adit Judicem, & petit ut innocentem abſolvat. Negat innocentem judex. Adeamus ergo inquit Antonius tumulum, quem ubi aperiri juſſit, interrogat mortuum, an commiſſi homicidii reus ſit parens; vel aliquis ex domo paterna. Erexit ſe mortuus & clarâ, diſtinctaque voce negat patrati homicidii reum, neque ullum ex domo paterna facti criminis conſcium eſſe; ſicque rurſus recubuit, qui reſederat mortuus. Rogatur à judice S. Antonius, ut authorem necis à mortuo poſtularet. Reſpondit ſe non veniſſe, ut prodat nocentes, ſed ut innocentes defendat. Longior eſſem & penè infinitus, ſi beneficia omnia &

S. Antonius de Padua parentem à peculatu eliberat.

S. Antonius parentem ab imputato homicidio abſolvit.

gratias recenserem, quibus viventes in terris vivis aliis, suis orationibus profuerunt; Quod fieri non posset, si non esset communio Sanctorum, & unus alteri de congruo mereri non posset. Unde S. Paulus Thessalonicenses hortatur, & dicit *1. ad Thessal. 5. v. 25.* Fratres orate pro nobis. & S. Jacobus *in Ep. sua Can. c. 5. v. 16.* tam instanter monet. Orate pro invicem ut salvemini. Annon Evangelicus ille Centurio oravit Christum pro famulo suo, & sanitatem impetravit? Annon Apostoli Magistrum suum Christum interpellarunt pro socero Petri, quæ tenebatur magnis febribus, & statim à Christo sunt exauditi. Placet nimirum DEO hæc erga proximum charitas, quem orationibus nostris DEO commendamus. Quod licèt de oratione privatâ sanctorum hominum in hac vitâ hactenus ostendimus, longe tamen efficacius oratione publicâ factum fuisse, & in novo æque ac veteri testamento didicimus. Unde S. Paulus *ad Coloss. 4. versu 2.* Orationi instate vigilantes in eâ, in gratiarum actione, orantes simul & pro nobis. Hinc in Ecclesiâ Catholica pro salute vivorum offeruntur sacrificia missæ, aliæque preces, ex quarum meritis vivi de vivis participant. Sic fructum sacrificii pro se oblati expertus est juvenis ille, qui in custodiâ constrictus compedibus & vinculis, iisdem exutus est, quando mater illius pro eo quem mortuum credebat, requiem dici curavit. Redux enim & à captivitate liber fassus est, se quavis feriâ sextâ matutino tempore à vinculis fuisse liberatum, quod tamen aliis diebus factum non fuit. Simile quid accidit Episcopo Panormitano Agathoni, hic cum Romam navigaret, ad Insulam, quæ est in ostio Tyberis applicuit, ubi statim pro nautâ suo, quem cum abruptâ scaphâ ventorum vis in altum abripuit, sacrum dixit. Cum verò absoluto sacro rursus littus Romanum obit, obviat ipsi nauta, pro quo sacrum dixit. Interrogat ergo, quomodo evaserit? Respondit se extremâ lassitudine defatigatum, re DEO commendatâ obdormivisse, in somno illo vidisse, sibi ab aliquo panem datum, quo comesto rursus inter fluctus laboravit, atque à prætereunte navigio exceptum, Romam pervenisse. Quantum autem oratio communis DEO placeat, habemus *Matth. 8. versu 21.* quando discipuli in mari penè naufragi mergebantur: exclamant enim. Magister salva nos, perimus! Quibus Christus respondit: Quid timidi estis modicæ fidei? Nihilominus tem-

Missa pro defunctis captivo solvit compedes.

Missa pro defuncto dicta est panis naufrago.

Oratio communis DEO placet.

tempestatem sedat, & fluctus maris componit: imperavit ventis, & mari, & facta est tranquillitas magna. Dubium hoc loco movet Lyranus; Cur Christus tam promptè subvenerit discipulis, quos tamen velut modicæ fidei, fundamento utique miraculorum carere dixerat. Sic enim *Luc. 4.* in Nazareth in patria suâ non fecit miracula propter incredulitatem eorum. Assignat ergo pro causâ orationem communem Apostolorum: Sanè, inquit, non hoc obtinuit eorum fides, quæ modica erat, verùm obtinuit eorum concordia, quâ singuli pro omnibus deprecabantur dicentes. Salva nos, perimus. Ita *Actor. 12.* Petrus in carcere ab Angelo liberatur. In quem locum S. Chrysostomus *hom. ad pop. Antioch.* Vis scire quanta sit in Ecclesiâ orationis sanctæ potestas? Vinctus erat Petrus multisque catenis circumdatus? oratio autem fiebat ab Ecclesiâ pro eo, & statim à carcere eum liberavit. Quid hac igitur oratione potentius? Verè potens est communis oratio. *Isa. 6. v. 3.* Seraphini alternando Sanctus concinunt, subdit textus commota sunt superliminaria Cardinum à voce clamantis. Cur quæso clamantis dicit? qui prius omnes Angelos hoc concordi concentu insonuisse asserit; sed quasi unus fuit, quia charitate & spiritu uniti omnes erant, qui dum oratione concordi DEum laudant, ipsas cœlorum portas commovent. Ast verò quid hoc? Dum canunt Angeli repente mandatum venit silentii quasi per mediam horam *Apoc. 8. v. 1.* Cur obsecro silent Angeli *v. 3.* audite! Et alius Angelus venit, & stetit ante altare habens thuribulum aureum, & data sunt illi incensa multa, ut daret de orationibus Sanctorum omnium, super altare aureum, quod est ante thronum DEI. Et ascendit fumus incensorum de orationibus Sanctorum de manu Angeli corã DEO. Nimirum tunc terra concordi supplicatione orationem suam incepit, & ecce angeli obmutescunt. Omnes attentis auribus hærent, ut audiant petitiones nostras, & gratiarum actiones. Quòd verò hæc unita oratio DEO placeat, ex ipso thymiamate sacro, quod super altare incensi adoleri præcepit Dominus, & unius speciei non erat, licet deducere. Sume, inquit, tibi aromata Stacten, & Onyga, galbanum boni odoris, & thus lucidissimum, faciesque thymiama compositum. Sic etiam sanctificationis unguentum jubet DEus esse compositum. Sume, inquit, tibi aromata primæ myrrhæ & electæ, casiæ & olei de olivetis.

Ita

Vestes sacerdotales & thymiama plurium orationem significant.

Ita pariter in vestibus Aaronis maxima erat colorum varietas, & vel in ipso rationali duodecim gemmæ diversæ collocari jubentur, utique non aliam ob causam quam ut vice totius populi Legatus apud DEum futurus & mediator, singularum tribuum nomina, condiciones que DEO exhiberet, & ex ipsius Sacerdotis ornatu monerentur omnes, suas preces illius precibus conjungere, ne vacua rebus nomina DEO in lapidibus repræsentaret. Nemo ergo indignitatem suam prætexat, vel exilitatem, quo minus orationi communi jungere audeat suam, quando neque minimæ in organis fistulæ supervacuæ sunt. Eleganter hoc observat Humbertus *c. 37. in c. 5.* Regum unusquisque sperare debet, quod etsi non ratione sui, tamen ratione multitudinis orantis, cui se adjungit, debeat citiùs exaudiri. Placet apta hæc de organo similitudo, nam sicut in organo unus idémque spiritus, omnes percurrens fistulas varium pro cujusque modo, vel ratione sonum elicit, sic unus idemque spiritus Christi omnia Ecclesiæ membra vivificans, modificatam pro singulorum captu vocem exprimit, singulas acceptas DEO, sed simul omnes acceptissimas. Quare sicut ab organo major ornatus templis, concentui reliquo perfectio, & auribus affertur delectatio, quam ab omnibus aliis, quorum in instrumentis musicis usus est, sic communis Christianorum oratio, quacunque particulari cujusque, est longe DEO charior & suavior. Quia, ut inquit Nissenus hoc tam multarum simul fistularum facit consonantia. Verùm cùm hæc hominum sit condicio, quæ nautarum, ut in malaciâ positi cantent, ludant, conviventur, & deliciis diffluant, in tempestate verò orent; quid mirum si DEUS procellas furere patiatur, ut nos orantes audiat, dicente S. Chrysostomo. *hom. 4. ad pop.* sicut mari æstuante ad portum timor compellit, ita procellæ ad Ecclesiam compellunt. Annon ad portum Ecclesiæ DEI confugit Ezechias Rex, quando Rabsaces Dux exercitûs Regis Assyriorum cum manu validâ invasit Jerusalem. Audite Prophetam *Isa. c. 37. v. 14.* Et tulit Ezechias libros de manu nuntiorum, & legit eos, & ascendit in domum Domini & expandit eos Ezechias coram Domino, & oravit, placatusque Dominus percussit in castris Assyriorum centum octuagintà quinque millia, & ipse Senacherib in templo idoli sui à propriis filiis suis est occisus. Quid aliud petiit Judith, quando contra Holofernem progressa est, quam orationem communem *Judith. 8. v. 31.* Quando dixit ad sacerdotes. Orate ut firmum

Oratio communis elegans organum.

Necessitates publicæ nos ad orandum compellunt.

firmum faciat DEus consilium meum. Fecerunt hoc etiam jam prius Principes Sacerdotum *Judith. 6. v. 21.* Posteà vero congregatus est omnis populus, & per totam noctem intra Ecclesiam oraverunt petentes auxilium à DEO Israel. quod etiam consecutos esse affirmat sacra historia. Sic planè Rex Josaphat. *2. Paralip. c. 20.* ubi prædicavit jejunium, & unà cum populo suo supplex ad DEum confugit, obtinuit ut Ammonitæ, Moabitæ, & Syri inter se concurrerent, seque ipsos mutuis armis contrucidarent. Annon communi comprecatione præmissâ Judas cum pauco milite congressus est cum Nicanore, eùmque cum toto exercitu suo interemit. Et verò fortissimus ille Dux Machabæus ultimam spem suam in oratione communi posuit. *1. Mach. 3. v. 44.* Et congregatus est conventus, ut essent parati in prælium, & ut orarent, & peterent misericordiam, & miserationes. Sed quid obsecro orationi cum prælio? Pulchrè S. Chrysostomus *l. 3. de incomprehensibil. naturæ divinæ.* Expende illud, ut essent parati in prælium, & ut orarent. Res quippe maximè disjunctæ prælium & oratio. Sed equidem oratio multorum convenientium firmissima, est debellatrix misericordiarum divinarum. Et ideò quia sæpe preces publicæ indicuntur propter communem aliquam necessitatem, par est ut communis etiam fiat comploratio, & comprecatio. Quod DEO placitum esse affirmat David, *ps. 49.* Qui ubi dixisset *v. 3.* Ignis in conspectu ejus exardescet, statim remedium salutare apposuit. *v. 5.* Congregate illi sanctos ejus, qui ordinant testamentum ejus. Quod probè observans *Joël. c. 2. v. 2.* qui dum dixit veniet dies Domini, dies tenebrarum & caliginis, dies nubis & turbinis. & *v. 11.* Magnus enim dies Domini & terribilis valde, & quis sustinebit eum? *v. 15.* subdit modum optimum placandi DEum: vocate cætum, congregate populum, sanctificate Ecclesiam coadunate senes, congregate parvulos, & sugentes ubera. Bene namque inquit *Cypr. Ep. 1.* Quidquid simul à cunctis petitur, DEus pacis pacificus exhibet. Et S. Thomas gravissimè confirmat. Impossibile est preces multorum non exaudiri. Quarè bene Tertull. *in Apol. c. 39.* Coimus in cœtus, & congregationes, ut DEum quasi manu factâ ambiamus, precationibus orantes. Quis pater castigaturus filium non exarmatur, si mater, si liberi, si famuli intercessores interpellant? Sic *Jonæ 3.* ob communem precantium consensum servata est Ninive, ut intelligas, inquit Chrysostomus *hom. 79. ad pop.* plurimùm eam orationem

Oratio communis est efficax.

tionem pollere, quæ cum consensu agitur & jugi concordiâ plurium hominum. Vultis scire causam cur Abraham pro Sodomitis orans auditus non fuerit? Solus erat. Unde si vel decem habuisset in oratione socios, veniam impetrâsset. Intellexit hoc probè S. Gregorius, variique successores Pontifices, Reges & Principes, qui quoties publica incubuit necessitas, publicas etiam eduxerunt processiones.

Non tantum oratione sed etiam meritis participant fideles.

Sed non tantum orationibus, verum etiam meritorum mutuâ communicatione in Ecclesiâ militante participant fideles, cum unus alteri apud DEum de congruo mereri possit aliquas gratias, quibus adjutus vel animæ suæ salutem, vel corporis etiam utilitatem consequatur. Sic enim videmus tot homines sanctorum aliorum precibus valetudinem & sanitatem consecutos esse, alios in moribus vitæque emendatione plurimum profecisse, sine quibus vivorum auxiliis æternum perituri fuissent. Videtur hoc nobis indicare scriptura in personâ Gedeonis. *Judic. 6. v. 12.* cum enim Is purgaret frumenta in torculari, apparet ei Angelus Domini & ait: Dominus tecum, vir fortissimè: Reponit Gedeon: Si Dominus nobiscum est, cur apprehenderunt nos hæc omnia? Non poterat Gedeon meliùs loqui, non gratiosius respondere Angelo. Loquitur Angelus Gedeoni in singulari, Gedeon verò respondet Angelo in plurali, & ratio est, quia si DEus verè fuit cum Gedeone, quod dixit Angelus, debuit Gedeon necessariò esse charitativus erga proximum suum. Est hæc opinio & doctrina doctissimi P. Serarii *q. 8. in hunc locum* scripturæ, qui sic loquitur. Licèt dixisset Angelus, Dominus tecum, sic tamen accipit Gedeon quasi Angelus dixisset Dominus vobiscum, quia ipse pars populi erat, suamque ab illo secretam felicitatem, hactenus nullus sciebat, aut etiam deinceps cupiebat. Profectò magna hæc fuit charitas Gedeonis, qui se felicem non existimabat, cum oppressum proximum suum videret. Et hoc inquit ille, mirabile est, quod cum Gedeon juvenis esset, nec spectaret ad illum cura populi, nihilominus tam solicitus pro populo angelum alloquitur. Hæc charitas DEO tam grata fuit, ut DEus illum elegerit in Ducem populi Israelitici, qui eundem ab hostibus suis liberaret. Est scilicet hæc charitas mirè operativa & efficax in salute proximi impetrandâ. Occurrit hic, quod habet Stengelius *de judiciis divinis* de pari conjugum, sed moribus & vitâ planè dispari, maritus enim impius, uxor

pia

pia fuit, quæ simplici, candidoque animo DEum, singulariter verò Beatissimam Virginem his pene verbis est allocuta. Si tu ô magna DEI mater, mei loco esses, & ego tui, quod pro te rogares, & marito impio, hoc rogo mihi præsta. Sic precata incidit illi, ut Religiosos aliquos ad prandium cum consensu mariti invitaret, annuit ille, cum conditione, ne ulla de DEO, aut divinis fieret mentio. Positâ mensâ dum suo & sociorum nomine unus gratias agit, hoc breve addidit documentum. Omnia quæcunque vis, ut faciant tibi homines, & tu facias illis. Altè hoc documentum imbibit maritus, & cùm alterâ die vidisset molitorem, cui in molâ rota emota ingentem in reponendo fecit difficultatem, reflectens se quid sibi in statu pari fieri vellet, repente ab equo desiliüt, famulosque convocavit, quorum auxilio molitori rotam in locum suum restituit, atque domum reversus est. Movit hoc documentum hominem ad malè parta restituenda, multaque misericordiæ opera cum magno animæ suæ fructu exercenda. Inter hæc in mendicum incidit, cujus desiderium ubi suo commensuravit, eidem liberalem stipem dedit, imò domum duxit, mensæ adhibuit, in proprium cubile imposuit, infirmo astitit, & de nocte haustum aquæ petenti, ad fontem pro aquâ ferendâ cucurrit, ast dum festinanter aquam trahit, incautè attractus est ipse, & aquis præfocatus. Manè à conjuge solicitâ neque mendicus infirmus in lecto, neque maritus in domo repertus est; fuit tamen qui dixit, se de nocte strepitum apud fontem audivisse; accedunt ergo, & herum in fonte aquis innatare inveniunt, quare statim extrahere conantur, & in extracti collo torquem aureum cum hac inscriptione reperiunt. Priusquam hoc corpus in aquâ frigidum factum est, ab angelo anima illius in cœlum portata est. Spiritualis charitatis, & meritorum suorum communicationis rarum exemplum dedit Catharina Rivia Ordinis S. Dominici, quæ ubi audivit quendam Italiæ dynastam hominem flagitiosum & prostitutæ vitæ cum morte luctari, nec resipiscentiæ spem superesse, interposuit se apud DEum, ut iram omnem, quam in perditum hominem decreverat, in se transferret. Voti rea mox decubuit, & quadraginta diebus gravissimo morbo divexata est, ægro interim sanior mens, & animæ corporisque salus reddita. Docuit hoc ipsum sponsa *Cant. 1. v. 3.* ubi dicit: Introduxit me Rex in cellaria sua.

Religiosi utiliter mensis adhibentur.

Opera charitatis apud Deum pretiosa.

Catharina Rivia ut hominem desperatū convertat, iram DEI in se recipit.

 Quæ

Quæ verba expendens. S. Bernardus suos alloquitur. Putate & vos pariter introductos. Sola inquit, introducta videor, sed soli non proderit, vestrum omnium est meus profectus. Ubi hoc audierunt sponsæ sociæ, gaudio plenæ exclamaverunt. Exultabimus & lætabimur in te memores uberum tuorum. Causam dat S. Bernard. scientes te plenis ad nos reversuram uberibus. Sic, sic quælibet anima plena charitate DEI, semper debet eandem charitatem communicare proximo suo, ipsum adjuvando, sublevando, consolando. Neque tantum communicat suas cum proximo gratias, sed ipsas in se suscipit satisfactiones, quibus pro alio iram divinam placare contendit. Annon S. Ignatius, ut impurum juvenem à libidine deterreret, in illius conspectu in glaciatas aquas se immersit collotenus, immoratusque est illis, usque dum ardorem turpissimæ libidinis in juvene extinxit. Hæc eadem ingeniosa charitas effecit, ut S. Ignatius, quod habetur in illius vita *l. 5. c. 10.* Sacerdoti parum morato cum maximâ doloris significatione confiteretur, ut ad suorum peccatorum detestationem confessarium suum induceret. Ut verò hominem desperatum revocaret, alium gratiosè induxit, ut se desperatum fingeret, quem tantis argumentis in præsentia alterius fregit, ut verè desperatus ad salutis anchoram veram peccatorum suorum contritionem anhelaret. Usus est simili stratagemate S. Xaverius, qui ut militem sceleratum converteret, Commorinum cum eodem abiit, ubi in navi non sine admiratione navigantium se primum in familiaritatem illius insinuavit, deinde familiari colloquio induxit, ut sponte suâ miles ediceret, se jam ab annis viginti & uno, à confessione abstinuisse, idque non culpâ suâ sed Vicarii Generalis, qui eum sine absolutione rejecisset. Egit hic omni studio Xaverius, & militem ad confessionem animavit, usque dum ad littus pervenit, ubi exscensione factâ militem velut aliud agens ad sylvam deduxit, atque ad seriam confessionem disposuit, deinde ad truncum arboris considens confitentem militem audivit nec aliud nisi unicum Pater & ave pro pœnitentiâ suorû peccatorum imposuit, in reliquo ipse utique pro pœnitente satisfacturus. Quare dimisso à se milite ipse in sylvam interiorem recessit, ibique detractâ sibi veste crucifixum tenens, dextrâ verò catenâ ferreâ crudeliter se cæcidit. Miles verò plagarû strepitû secutus pro se hoc fieri credens arreptâ ex manibus illius catenâ, & flagro acriter in se sæviit, militibus sociis pie illachryman

S. Ignatius ut libidinosum emendet juvenem glaciei se immergit.

Ignatius dolorosè confitetur, ut confessarium emendet.

Xaverius Commorinum abit, ut militem revocet.

man

mantibus, qui ex occulto hæc omnia observarunt. Militem deinde amicissimè complexum optimis instruxit monitis, & Commorino, quo solum illius causa iverat, Goam reversus est. O quàm meritò dicam de S. Xaverio, quod S. Greg. Naz. *orat. 23. de S. Athanasio*, quem vocat sanctissimum orbis oculum, qui pro Ecclesia DEI, & membris ejus tam solicitus fuit. Pulchrè S. Aug. *tom. 58. homiliarum hom. 15.* super illa verba: alia pro aliis solicita sunt membra, oculum velut Ducem corporis commendat. Ecce inquit spinam calcat pes, quid tam longè ab oculis, quàm pes? quid remotius à sanctitate capitis, qui est Christus, quàm peccatores? Et tamen Christus *Mat. 9. v. 13.* disertè. Non enim veni vocare justos, sed peccatores. Quos Novatores nostri hæretici non tantùm ex Ecclesia DEI, sed ipso cœlo proscribunt, cum tamen DEus *Ezech. 18. v. 32.* dicat, quia nolo mortem morientis. Dixit enim superius *v. 21.* Si autem impius egerit pœnitentiam, ab omnibus peccatis suis, quæ operatus est, & custodierit omnia præcepta mea, & fecerit judicium & justitiam, vitâ vivet, & non morietur.

Unde licet in Ecclesiâ DEI omnes qui in peccato mortali sunt, quamdiu in illo hærent, & non confessi pœnitentiam agunt de communione sanctorum non participent, possunt tamen precibus sanctorum hominum adjuvari, ut gratiæ priori restituantur, & velut membra mortua reviviscant. Hinc tam solicitè suadetur frequens confessio, ut à peccato liberati membra viva Ecclesiæ sanctæ esse possimus. Major est difficultas de Excommunicatis, qui quamdiu in Excommunicatione perseverant, non amplius velut membra mortua, sed quasi jam à corpore recisa censentur, privanturque non solùm meritorum, sed etiam sacramentorum participatione. Rident hanc Excommunicationis censuram, & fulmen hæretici, & in malo obstinati peccatores. Sed fulmen esse sciant. Quis ignem illæsus tractaverit? Refert P. Georgius Stengelius S. J. *judiciorum divin. p. 4. c. 24. §. 7.* Quod S. Laurentio Dublinensi Archiepiscopo quondam in itinere se associaverit miles, cui se etiam adjunxit scriba cum uxore, & parvulo. Ubi vero ad sylvam venerunt, inciderunt in latrones, qui simulantes se velle parcere S. Archiepiscopo & sociis, solam fæminam petierunt, ut suæ traderetur voluntati, quod cum nullo modo permitteret Archiepiscopus, illi in socios itineris irruentes scribam occiderunt, militem lanceâ confodere volentes, equum

Peccatores precibus SS. juvari possunt, ut participent de meritis Ecclesiæ.

Excommunicati qua tales non participant.

Excommunicatio periculosè ridetur.

Archiepiscopi confecerunt. Interim Præsul variis licèt affectus injuriis, cum uxore occisi scribæ, & filio illius, atque milite ægrè evasit. Archiepiscopus deinde domum reversus relictam viduam totâ vitâ sua sustentavit, filium autem litteris imbutum, Clero adscripsit, & latrones per internuncios excommunicatione fulminavit. Ast cùm Præsulem riderent dicentes, etiam nos excommunicemus Archiepiscopum, atque illusoriè formulam consuetam ululando imitarentur, omnes intra spatium unius anni miserrimè expirârunt. Breviore compendio contemptæ excommunicationis censuram sensit miles quidam, qui ob mendacium ab Hugone Episcopo Lincolniensi reprehensus, cum contumax emendare se nollet, ab illo fuit excommunicatus. Cùm verò is excommunicationem rideret, illi dæmon nocte insequente miseram extorsit animam. Neque laureata, aut regia coronata capita ab hoc fulmine immunia sunt. Robertus Rex Galliæ propinquam sibi cognatam in uxorem copulavit, ex quâ suscepit filium, qui anserinum per omnia caput, & collum referebat, Regem & Reginam excommunicaverunt Episcopi Galliæ, cujus excommunicationis tanta fuit vis, ut illi nullus amplius vellet cohabitare, præter duos servos, qui & ipsi tandem tædio affecti regem fastidire cœperunt. Unde coactus consanguineam repudiavit, & legitimum thorum iniit, simulque ab Excommunicatione absolutus liberos legitimos & formosos generavit. Neque tantum in vivos, verum etiam mortuos excommunicatos hoc fulmen desævit, sic ut per Ecclesiæ Canones neque ipsa cadavera prius terræ sanctæ inhumari possint, nisi prius ab excommunicatione absolvantur. Fuit quidam hoc fulmine ictus, quem occisum in duello consangvinei & amici magnis precibus instantes apud Episcopum in loco sacro sepultum volebant, sed negavit Episcopus, & constanter contradixit Parochus. Adsunt tamen de nocte milites & inscio Episcopo, atque Parocho, excommunicati cadaver in cœmiterio sepeliunt. Manè verò facto, corpus defuncti procul extrà cœmiterium projectum nudum super faciem terræ incumbere visum est. Obstinati milites rursus cadaver de nocte tumulo suo intulerunt, in quo cum præter vestes nihil invenissent corpus supra vestes imposuerunt, & gravi terræ lapidumque pondere obruerunt, die verò alterâ rursus ejectum reperiunt. Quintâ ergo vice sepeliunt, sed & divina vi toties rejectum, ostendit, quam

Excommunicatio contempta graviter punita.

Excommunicationem spretam dæmon vindicat.

Excommunicatio in Roberto monstra, absolutio formosas proles dedit.

Excommunicatio defuncti Cadaver sepeliri non patitur.

DEO sint odibiles, qui se ab Ecclesiæ communione turpissimè separant. Cujus vim & efficaciam etiam inanimatæ Creaturæ senserunt. Refert Ferdinandus à Castella vir Religiosus S. Gundisalium Amarantium Religiosum ex familia S. Dominici ut rudi populo, ad quem concionem habebat, quod corbem candido pane plenum, quem mulier casu transiens gestaverat, excommunicaverit, subitoque panis ille candidissimus in nigerrimum penè carbonem degeneraverit; quem deindè revocato maledicto ubi benedixit, pristinum candorem recepit, & manifestè vim excommunicationis ostendit. Ut hinc discamus Christianè & pie vivere, ne unquam peccatorum nostrorum fœditate denigrati, à communione Sanctorum in Ecclesiâ militante excludi & excommunicari mereamur.

Excommunicatio panes albos nigros facit.



DIS-

DISCVRS. XXXVII.

Eſt in Eccleſia militante, cum triumphante in cœlis Meritorum communio.

NOn modica eſt in hoc articulo nobis cum Lutheranis, aliisque ſectariis controverſia, qui ſtatim nobis occinunt vulgarem illam cantilenam, nimirum nihil nobis commercii eſſe cum ſanctis, neque ipſos ſcire noſtras miſerias. Nituntur autem verbis illis *Luc. c. 16. v. 26.* Et in his omnibus inter nos & vos chaos magnum firmatum eſt. Quare ex ſcripturâ ſibi oſtendi petunt hanc, quam de fide ſymbolum Apoſtolicum aſſerit ſanctorum communionem. Quod oſtendere difficile non eſt: cùm vel ex eo maximè patet, quia S. Paulus dicit, Eccleſiam Chriſti militantem, utique & triumphantem eſſe unum corpus myſticum, cujus membra inter ſe communionem neceſſariam habere debent. Ut tamen eorum deſiderio ſatisfaciam, accipio ex *Apoc. c. 5. v. 8.* verba illa Joannis. Et viginti quatuor ſeniores ceciderunt coram agno habentes ſinguli cytharas, & phialas aureas plenas odoramentorum, quæ ſunt orationes Sanctorum, Pari planè verborum ſenſu loquitur *Apoc. 8. v. 3.* Et alius angelus venit & ſtetit ante altare habens thuribulum aureum, & data ſunt illi incenſa multa, ut daret de orationibus Sanctorum omnium, ſuper altare aureum, quod eſt ante thronum DEI. Quem locum S. Irenæus qui circa annum Chriſti 165. floruit, *l. 4. c. 34. circa finem* ſic explicat. Eſt igitur altare in cœlis, illuc enim preces noſtræ, & oblationes diriguntur. Ubi vides quod ad phialas aureas Sanctorum noſtræ preces deferantur, quæ coram DEO velut incenſa à Sanctis ponuntur. Explicat & declarat opinionem noſtram S. Th. qui *2. 2. q. 103. art. 3.* oratio inquit porrigitur alicui uno modo quaſi per ipſum implenda, alio modo ſicut per ipſum impetranda. Primo quidem modo ſoli orationem porrigimus, ſed ſecundario modo porrigimus angelis & hominibus,

non

non ut per eos DEus orationes nostras cognoscat, sed ut eorum precibus, & meritis orationes nostræ sortiantur effectum. Et ideo dicitur *Apoc. 8. v. 4.* quod ascendit fumus incensorum de orationibus Sanctorum de manu angeli coram DEO. Et idem S. Th. *art. 11. ad 1.* de sanctis inquit. Orant pro nobis, quibus deest beatitudinis ultima perfectio, & eorum orationes habent efficaciam impetrandi ex præcedentibus eorum meritis, & ex divinâ acceptione. Quòd probè cognoscens S. Anselmus *l. de Excel. B.V. c. 6.* ait. Invocato autem nomine Matris, etsi merita invocantis non merentur, ut exaudiatur, merita tamen Matris intercedunt, ut exaudiatur. Quare pleno affectu S. Bern. *serm. 2. de adventu*, ad Mariam se convertit dicens: Domina nostra, mediatrix nostra, advocata nostra, tuo filio nos reconcilia, tuo filio nos commenda, tuo filio nos repræsenta. Fac ô benedicta per gratiam quam meruisti, per misericordiam, quam peperisti, ut qui te mediante fieri dignatus est particeps infirmitatis, & miseriæ nostræ, te quoque intercedente participes faciat nos gloriæ beatitudinis suæ JEsus Christus filius tuus Dominus noster. Quod non minori affectu de sanctis in cœlo pro nobis interpellantibus dicit Petrus Dam. *in serm. de festo omnium Sanct.* Isti sunt advocati, quos apud Judicem habemus, pro quo isti intercesserint, sententiam non timeat capitalem. Confugiamus ergo ad probata suffragia, nec nos deterreat enormitas peccatorum. Consiliarii sunt Regis nostri, & ipsius iræ sæpe resistunt, nec nos deserunt in tempore malo. Suspiremus igitur ad illorum memoriam, & protegant nos sub umbrâ alarum suarum, donec transeat iniquitas, & perducant nos ad sponsam Ecclesiæ, qui est DEus. *Polyenus l. 7.* refert Cambysem Regem cum Ægyptiorum exercitui impar esset, eumque pugnâ lacessere non auderet, exercitui suo præposuisse Ægyptiorum DEOS, id est varia animalia, quæ Ægyptii pro Diis colebant. Quæ cum Ægyptii impetere non auderent, cohibebantur, ne Cambysis militi nocerent. Si nos divini furoris exercitus premit, opponamus iræ divinæ Cygnos SS. Patriarchas, agnos castissimas virgines, leones fortissimos Martyres, columbas sanctos confessores. Et sicut magna fuit Cambysis prudentia, quia non unum aliquod genus animalium delegit, ita non unum solum sanctorum sed omnes simul DEO irato opponamus. Nisi fortè velimus dicere, sanctos clypeos esse, sub quorum protectione vivimus. Sic enim

Sanctorum pro nobis intercessio potens.

Cambyses Ægyptiis opponit in acie illorũ Deos.

Ps. 90. v. 5. dixit David, Scuto circumdabit te veritas ejus, non timebis à timore nocturno, quia angelis suis mandavit de te, ut custodiant te in omnibus viis tuis. Pulchre autem dicuntur Sancti scuta, quia dum vixerunt in hoc mundo juxta S. Paulum *ad Eph. 6. v. 16.* assumpserunt scutum fidei. Refert Pierius Valerius *l. 5. hieroglyph.* gentiles veteres in more habuisse, quod dum mitterent Tyrones ad bellum iisdem dederint scuta alba, ut hi videntes veteranorum inscriptos heroicis factis clypeos, ad paris laudis accenderentur æmulationem. Sanctorum ergo clypei, qui per baptismum erant dealbati, heroicis deinde illorum factis, & passione fuerunt illustrati, ut posteri legerent secuturæ imitationis argumenta. Sic Petrus Andreas & Philippus Apostoli crucem, quam ascenderunt, Paulus gladium, sub quo cecidit, Laurentius craticulam, in qua fuit assus, Catharina rotam, cui erat imponenda; Barbara turrim cui fuit inclusa, clypeis suis inscripserunt. Hæc scuta nobis Sancti obtendunt, in præclaræ imitationis exemplum, ut unde ad virtutem excitemur, vel quo à furore iræ divinæ defendamur, habeamus. Tale scutum habuit Judas Machabæus pugnaturus contra Nicanorem qui *2. Machab. 15. versu 12.* vidit Oniam, qui fuerat summus sacerdos manus protendentem, orare pro omni populo Judæorum. Post hæc apparuisse & alium virum; respondentem vero Oniam dixisse. Hic est fratrum amator, & populi Israël, hic est qui multum orat pro populo, & universa sancta Civitate Jeremias Propheta DEI. Sed opponunt hæretici, & dicunt, hoc solum somnium fuisse. Hoc verò somnium illud est, de quo *Joëlis 2. v. 28.* dicitur. Effundam Spiritum meum super omnem carnem, & prophetabunt filii vestri, & filiæ vestræ, senes vestri somnia somniabunt, & juvenes vestri visiones videbunt. Observo deinde, quod ipsa scriptura anteoccupet hanc objectionem dicens: singulos autem eorum armavit sermonibus optimis & exhortationibus, exposito fide digno somnio. Ubi vides quod scriptura dicat fuisse sermones optimos, & fide dignum somnium. Quare hic hærent hæretici, & cum respondere nesciant cum *Calvino l. 3. c. 5. §. 8.* negant libros Machabæorum esse Canonicos. Sed cur obsecro non bene memor verborum suorum Calvinus *instit. suarum l. 3. c. 10. §. 22.* nobis Catholicis objicit tertium Concilium Carthaginense, in quo Machabæorum libri pro Canonicis habentur. Si verò impudenter id negent, probabit hoc S. Aug. qui

Sanctorum vita clypeus præclara eorum virtute inscriptus.

Libri Machabæorum sunt Canonici.

qui illi Concilio interfuit. Hic *l. 2. de Doctr. Christia. c. 8.* quod repetit *l. 18. de Civ. DEI c. 36.* disertè dicit: Machabæorum libri, quos non Judæi, sed Ecclesia pro Canonicis habet. Et verò ipsi Genuenses Ministri in admonitione suâ ad Lectorem, quam libris Machabæorum præmittunt, omnes illos libros confitentur sanctos, & veras prophetias, velataque Sacramenta continere, atque à Spiritu sancto promanâsse, & sanæ radicis existere. Non miror ego jam S. Ambr. *in precatione. 2. præpar. ad missam* dicentem: obsecrandi sunt sancti Angeli pro nobis qui nobis ad præsidium dati sunt. Martyres obsecrandi, quorum videmur nobis quodam corporis pignore, patrocinium vendicare. Possunt pro peccatis rogare nostris, qui proprio sanguine etiam, si quæ habuerunt peccata, luerunt. Isti enim sunt DEI Martyres, nostri Præsules, speculatores vitæ, actuumque nostrorum. Causam efficacis illorum intercessionis amplificat S. Chrysostomus *hom. 40. ad pop. de solennit. SS. MM. Juventini, & Maximi.* Etenim sicut milites vulnera, quæ in præliis sibi inflicta monstrantes fidenter loquuntur, ita & illi in manibus abscecta capita gestantes, & in medium afferentes quodcunque voluerint apud Regem cœlorum impetrare possunt. Ideoque ad fiduciam singularem erga B. Virginem, ejusque invocationem nos animans exclamat idem S. Chrysostomus *apud Metaphrastem.* visne cognoscere, quantò virgo hæc præstantior sit cœlestibus potentiis? Illæ cum timore & tremore assistunt faciem suam velantes, hæc humanum illi genus offert, nempe quem genuit. Merito proinde Andreas Cretensis Mariam alloquitur *in salut. Angel.* Placa Dominum pro communi figmento. Nam quamdiu quidem versabaris in terra, te habuit parva terræ portio; ex quo autem translata es ex terrâ, te universus mundus continet commune propitiatorium. Eleganter observat Cajetanus, quòd, dum Scriptura refert Samuelis mortem. *1. Reg. 28. v. 2.* statim *versu 4.* dicatur. Congregati sunt Phylistim. Commemoratur, inquit, prius mors Samuelis, ad manifestandum, tempore quo Saul desertus fuit à DEO, destitutum etiam fuisse ope Samuelis, utpote mortui, ut ostenderent, quantum possint apud DEum justi, qui pro nobis intercedentes, detinent iram DEI. Quarè pulchrè Oleaster *in c. 22. Exod.* ligatum habent sancti DEum, ubi verò præsidio hoc nudantur peccatores, tunc relinquitur DEO locus, ut justitiam suam adversus peccatores exerat. Hujus rei quid-

Sancti pro nobis possunt intercedere.

Gentiles agnoverunt SS. intercessionem.

piam assecuti sunt gentiles, & Ethnici antiqui, ipseque Plato *in l. 11. legum* agnovit, uti testatur Theodoretus Episcopus Syriæ. Solebant autem Gentiles laurum appingere iis, quos Diis charos esse credebant. Causam dat Ricciardus Brixianus *Symbol. tom. 1. verbo Laurus.* Quia loca ubi lauri consitæ sunt vel affixæ, incolumitatem habere credebantur, & quod ibi, ubi lauri sunt, fulmina non feriant. Prudenter ergo ab antiquis per laurum designantur Sancti, apud quos paratum semper invenire possis patrocinium. Simoniæ vitio laboravit Giezi & Simon Magus. *4.Reg. 5. v. 27.* Giezi leprosus factus est, dicente scripturâ: Egressus est leprosus quasi nix. Simon celebris ille Magus à DEO punitus non legitur. Cur hoc? Abulensis *in 4. Reg. q. 47.* Non fuit aliquis, qui orabat pro Giezi, ideo punivit illum tanquam non habentem auxiliatorem. Simon autem Magus oravit Apostolos, uti habetur. *Act. 8. v. 24.* ut deprecarentur pro eo. Concludit citatus Abulensis: Tantum est habere bonos apud DEum deprecatores. Non miror ego jam illud *Jerem. 15. v. 1.* Si steterint Moyses & Samuel coram me, non est anima mea ad populum istum. Si autem DEus utpote æterna veritas verè locutus est, & tunc jam pridem ante mortui fuerunt Moyses & Samuel, annon fateri debemus, Sanctos jam vitâ functos posse, & verò solitos esse orare pro viventibus. Confirmari hoc potest ex illo *Luc. 16. v. 27.* ubi dives Epulo in inferno rogat pro fratribus suis. Rogo ergo te Pater, ut mittas eum in domum Patris mei, habeo enim quinque fratres, ut testetur illis, ne & ipsi veniant in hunc locum tormentorum. Ex quo bene inferes: Si Epulo in gehennâ orat pro fratribus, ergo multò magis Sancti in cœlo. Quis non videt, hanc bonam esse Consequentiam? Sed oblatrant hæretici, qui dicunt, hoc tantùm esse parabolam. At verò bene docet Barradius *tom. 5. Concord. Evang. l. 4. c. 5.* hanc esse doctrinam multorum SS. PP. & in specie S. Irenæi, Tertulliani, Origenis, Ambrosii, Augustini, Gregorii Magni, quod non sit parabola, sed historia vera de divite Epulone. Quod magis clarescit ex ipsius Calvini verbis, qui *in c. 16. Luc.* ait: Quamquam autem quibusdam videatur simplex esse parabola. Quia tamen Lazari nomen exprimitur, potius rem gestam narrari arbitror.

Quid quod graviter omnino infert Bellarminus *ex illo Apoc. 6. v. 9.* Vidi subtus altare animas interfectorum propter verbum DEI, & cla-

& clamabant voce magna dicentes. Usquequo Domine non judicas, & vindicas sanguinem de iis, qui habitant in terrâ. Sancti, inquit clamant vindictam de interfectoribus suis, ergo multò magis misericordiam, pro nobis ipsos implorantibus. Quia non est conceptibile, quod SS. Martyres in cœlo majorem vim ac propensionem habeant ad exposcendam à DEO ultionem, quam pro nobis fratribus suis deprecandi misericordiam. Hinc Origenes *hom. 26. in Num.* tanquam indubitatum asserit, Quod sancti quique Patrum, & orationibus nos juvent, & gestorum suorum confirment, atque hortentur exemplis. Quare plenus fiduciâ exclamat S. Ephrem. Syrus *l. 1. de compunct. cordis. c. ult.* Grex tuus electus, Monachorum quoque conventus, & omnium Sanctorum, qui placuerunt ante te, qui nunc in paradyso exultant; jam deprecantur pro me, & obsecrant te solum amatorem hominum, exaudias quoque eos, & salvabis me obsecrationibus eorum. Si enim *Exod. 23. v. 5.* mandavit DEus Israeli, ut inimici sui jumentum sub onere concidens sublevaret, credamus nos à cœli civibus non sublevandos, qui in spe cœlestis gloriæ adhuc in terris peregrinamur. Mirabilem Cœlitum favorem refert Ludovicus Richeome *in suo peregrino Lauretano*, qui circa annum 1386. sub Carolo VI. Galliarum Rege visus est. Tunc enim maxima nobilitas Gallica confluxerat in Ungariam contra Turcas pugnatura, sed infelici conflictu præliantes Christiani, plerique vel occubuerunt, vel in captivitatem miserrimam pertracti sunt. Inter captivos fuit comes de Bacqueville, qui omni studio pro litro ad uxorem litteras, sed frustra expedire conatus est, adeoq; integro septennio miserè captivus vitam transegit. Interim barbarus Dominus de litro sperato desperans Comiti necem decreverat, & inter domesticos mors certa spargebatur. Ubi ergo humana spes omnis defecit, comes ad cœlum se convertit, & S. Juliano, cui semper devotus vixit, votum fecit de sacello honori suo ædificando, si ejus precibus & ope à carcere, & captivitate liberaretur. Voto jam facto obdormivit, paulo post tamen evigilat Comes, seque solutum vinculis neque amplius in carcere, sed in mediâ sylvâ se reperit. Credebat hic se somniare, nec ipse sibi credidit, usq; dum Turcicè homines obvios alloquitur, quos sibi audivit Gallicè respondere. Et tunc & ipse Gallicè quærit, quæ & qualis illa sylva esset? reponunt interrogati Comitis de Bacqueville.

Sancti clamant vindictam contra Tyrannos, ergo multò magis misericordiam pro nobis.

S. Julianus ex captivitate Turcicâ Comitem Gallicum restituit suis.

Quare se recolligens ubi parum progressus est vicinam arcem recognovit, ad quam ubi contendit, obviam sibi nobilitatem vidit, & ex Janitore intelligit, nuptias hoc die constitutas. Colloquium cum Comitissâ arcis Dominâ, petit, sed non impetravit, liberali tamen stipe donatus abire jussus est. Ast non contentus peregrinus personam ipsius Dominæ & alloquium instanter postulavit, cui secreta, quæ panderet, haberet. Tunc enim verò venienti Dominæ dixit, se recenter ex Turcicâ captivitate venire, próque captivo Comite de Bacqueville litrum solicitare. Quærit tamen Dominam, an jam à septennio literas nullas, vel nuncium de litro petito accepisset? Sed nec litteras, nec nuncium ullum à se visum inter lachrymas illa contestatur, & multis conjugalem suum amorem ostendens, se ipsam in litrum mariti paratam offert, litri proinde pretium petit. At peregrinus dimidium annuli, cujus alteram partem in Turciam abiens illi reliquerat, in fidei maritalis tesseram, protulit, quod illa agnoscens in amplexus mariti ruit, & penè exanimis in deliquio collabitur. Accurrunt aulæ ministri, & dum Dominum suum agnoscunt, non amplius nuptias, sed festivum Domini sui reditum cum plausu celebrârunt. Comes verò voti reus pulcherrimum sacellum S. Juliano exædificavit, & uti, inquit author, barbam promissam cum intonso capillitio in anathema suspendit. Quis obsecro hic neget manifestum S. Juliani patrocinium? Sed frustra cum hæreticis agitur, novo rursus effugio argumenti vim eludunt. Dicunt enim Sanctos generatim quidem pro nobis intercedere, sed nihil scire, vel orare speciatim de nobis. His si opponas illud *Tobiæ. 12. v. 12.* Quando orabas cum lachrymis, & sepeliebas mortuos, ego obtuli orationem tuam Domino. Vel illud *Zach. 1. v. 12.* Et respondit Angelus Domini, & dixit: Domine exercituum usquequo non misereberis Jerusalem & Urbium Juda, quibus iratus es? iste jam septuagesimus annus est, Vel illud *Luc. 15. v. 10.* Gaudium erit coram Angelis super uno peccatore pœnitentiam agente. Atque adeo si argumenteris à pari, & dicas cum Bellarmino sancti angeli pro nobis orant non generatim, sed etiam speciatim, ergo etiam sancti, & beati in cœlis, negabit consequentiam Calvinus, qui *l. 3. c. 20. §. 23.* dixit, quod angelis ex ordine speciali mandetur cura nostri, non verò spiritibus, seu animabus Sanctorum.

Advertendum autem est Christum sanctos in cœlis, sæpius cum an-

angelis comparavisse. Ita enim habemus *Matt. 22. v. 30.* Erunt sicut Angeli DEI. Quod ipsum dicit *Lucas c. 20. v. 36.* Æquales enim Angelis sunt. Cùm verò sancti sint membra Ecclesiæ nobis magis conjuncta, quam angeli, quia sunt homines sicut nos, quis dubitet, aut diffidat, eosdem non minus solicitos esse pro nobis, quam sint Angeli, qui alterius sunt ordinis, & meri spiritus. Ut verò insistamus argumento contra Calvinum, & beatos in cœlo pares Angelis ostendamus, aptè planè ad nostrum propositum inquit S. Ambr. *l 8. in Luc. super illa verba Luc. 19. v. 17.* Eris potestatem habens super decem Civitates, sicut Angeli præsunt ita etiam hi, qui vitam meruerunt Angelorum. Quod *Matt. 24. v. 46.* Confirmatur verbis Christi. Beatus ille servus, quem cum venerit Dominus ejus, invenerit sic facientem. Amen dico vobis super omnia bona sua constituet eum. Quod adhuc evidentius *Apoc. 2. v. 26.* ostenditur, qui vicerit & custodierit usque in finem opera mea, dabo illi potestatem super Gentes, & reget eos in virgâ ferreâ. Ut propterea S. Leo *serm. 3. de anniverſ. suæ assumpt.* dixerit: Nunc Petrus mandatum Domini pius Pastor exequitur, confirmans nos cohortationibus suis, & pro nobis orare non cessans, ut nulla tentatione superemur. Quod Pelagius 2. in Ecclesiæ consuetas præfationes retulit dicendo: Te suppliciter exoramus, ut gregem tuum Pastor æterne non deseras, sed per beatos Apostolos tuos continuâ protectione custodias, quos operi tui vicarios eidem contulisti præesse Pastores. Quod disertè convenit cum promissione ipsius S. Petri, qui cum *2. Petri 1. v. 15.* dixisset, se brevi moriturum, statim subdidit. Dabo autem operam, & frequenter habere vos post obitum meum, ut horum memoriam faciatis. Ideoque rectè. S. Leo *serm. 2. de Assumpt. suæ anniversar.* inquit. Petrus nunc plenius & potentius quæ commissa sunt, peragit, & omnes partes officiorum, atque curarum, in ipso per quem est glorificatus exequitur. Ex quibus concludere non tantum possumus, sed & debemus, tam Angelos, quàm ipsos etiam beatos homines posse, à nobis invocari. Annon enim invocata S. Agatha uti testatur *Breviar. Rom. 13. Decembris* ad preces S. Luciæ, quæ tunc in terris adhuc degebat, Eutychiæ Matri suæ, quæ sanguinis fluxum patiebatur, sanitatem contulit? Ubi bene notandum est, quod Ecclesia in Antiphona ultimâ ad Laudes in personâ S. Agathæ sic alloquatur S. Luciam. Soror mea Lucia Virgo DEO devota, quid à me petis, quod ipsa poteris præstare, continuo

Sancti in cœlo non solum generatim, sed & speciatim sciunt nostra.

Sancti à DEO nobis præponuntur sicut Angeli.

matri

matri tuæ, scilicet quando mecum fueris, in pari gloriâ in cœlo. Ubi nimirum post modicum tempus martyrium subiveris. Ostendit hoc S. Potamiæna, de quâ S. Eusebius Cæsar. *l. 6. histor. Eccles.* quod cum militum aliquis illam ex libidinosorum juvenum eripuisset manibus, illa defensori suæ pudicitiæ promiserit, se illi impetraturam apud DEum gratiam, & amplissimam hujus meriti mercedem. Tertia namque die post martyrium illi adfuit, & coronam capiti illius imposuit, eúmque de cœlesti gloriâ securum fecit. Longus nimis essem, si has sanctorum gratias pro jure hujus argumenti vellem pertractare. Unde cum Bellarmino hoc formo argumentum. In utroque testamento tam veteri, quàm novo sæpè viventes à viventibus fuerunt invocati. Et hoc clarè ostendo ex verbis illis *Job. 42. v. 8.* Job autem servus orabit pro vobis, faciem ejus suscipiam, ut non imputetur vobis stultitia. Neque enim locuti estis ad me rectà, sicut servus meus Job. Annon clarissimus est textus ille. *1. Reg. 7. v. 8.* Ubi Israel ad Samuelem clamat. Ne cesses pro nobis clamare ad Dominum DEum nostrum. In novo verò Testamento S. Paulus ipse orationes à suis Ephesiis expetiit. *ad Eph. c. 6. v. 17.* Per omnem orationem, & obsecrationem orantes omni tempore in spiritu, & in ipso vigilantés in omni instantiâ & obsecratione pro omnibus sanctis & pro me, ut detur mihi sermo in apertione oris mei cum fiduciâ. Ergo licebit etiam nunc invocare eosdem Sanctos DEI. dum jam cum Christo regnant, & cœlesti gloriâ potiuntur. Quod si verò id modò dum jam cælo inserti sunt, fieri non posset, esset id vel ex eo, quod nostras ignorent necessitates, nostrasque preces non audiant. Et hoc statim lascivè suo modo, & scurriliter tenet Calvinus qui *l. 3. c. 20. §. 24. suarum instit*: dicit: quis eousque illis longas aures esse revelavit, oculos etiam tam perspicaces, qui necessitatibus nostris advigilent? Sed audiendus S. Athanasius, qui *in quæst. quadam ad Antiochum* sic loquitur De animabus verò sanctorum, non est dubitandum, nam & post mortem, & in judicii die cognoscent omnia. Pari pene sensu loquitur: S. Greg. Nyss. *in oratione de obitu Meletii.* Non amplius per speculum atque per transennam, atque ænigma, sed ipsâ facie cum facie collatâ intercedit. Intercedit autem pro nobis & populi erratis. Quapropter S. Sulpitius Severus *Ep. 2. ad Aurelium de S. Martino.* Non deerit nobis inquit ille, mihi crede non deerit. Intererit de se sermocinantibus, adstabit orantibus, quodque jam hodie præstare dignatus

S. Potamiæna militi se in pudicitia conservanti promittit & præstat gratiam.

Sancti in vita potuerunt aliis impetrare gratias, ergo etiam jam in cœlo.

Sancti sciunt nostras necessitates & preces audiunt.

gnatus est, videndum se in gloriâ suâ præbebit, & assiduâ, sicut ante paululum fecit benedictione, nos proteget. Causam hujus dat S. Greg. Mag. *l. 4. Dial. c. 33. in fine*: Quia enim illic omnes communi claritate DEum conspiciunt, quid est, quod ibi nesciant, ubi scientem omnia sciunt. Modus autem quo sancti lachrymas nostras & preces audiunt, & vident, consistit in visione beatificâ, in cujus lumine sancti omnia vident. Licèt enim anima, quamdiu est in corpore organis corporeis egeat, ut oculis videat, & auribus audiat; tamen, ubi corpore exuitur, DEO & angelis simillimo intelligendi modo utitur, quia anima est imago DEI, & ad illius similitudinem est condita. Et quia juxta illud *Joan. 4. v. 24.* DEus spiritus est, illa similitudo cum DEO, non secundum corpus, sed animam desumi debet. Hinc illud Davidis *ps. 35. versu 10.* In lumine tuo videbimus lumen comuniter à Theologis de visione beatifica intelligitur. Quia verò *Jac. 1. v. 17.* DEus Pater luminum dicitur. Et *Joan. 1. versu 9.* Christus ipse lux vera nominatur. Ipse etiam Spiritus sanctus in hymno Ecclesiæ de Patris ergo lumine decorus ignis nuncupatur, ideo DEus beatos in cœlo supernaturali lumine gloriæ illuminat, quo illustrati, apertè divinam essentiam videre possunt. Cùm ergo DEus sit summum rerum omnium principium, sequitur, quod Sancti in DEO si non res omnes, saltem eas videant, quæ vel ad eorum oblectationem, dignitatem, charitatem, ac beatitudinem aliquo modo spectant. Unde pulchrè venerabilis Beda *in c. 16. Lucæ* inquit, qui Creatoris sui claritatem vident, nihil in creaturâ agitur, quod videre non possint. Cui consonat Alcuinus *c. de celeb. missæ & exstat in tom. 6. Biblioth. SS. PP.* Nec dubitandum est fidelium petitiones à spiritibus justorum sciri, quia qui intus claritatem DEI vident, non est credendum, quod sit aliquid foris, quod ignorant. Bene itaque inferunt Catholici Theologi ex illo *Luc. 15. v. 10.* Gaudium erit coram angelis DEI super uno peccatore pœnitentiam agente. Si Angeli DEI vident, & sciunt in cœlo pœnitentiam peccatoris, quam is in terris agit, etiam hanc pœnitentiam peccatoris vident, & sciunt beati in cœlis, quia sancti quod diximus similes sunt angelis. Sciunt ergo sancti miserias nostras, nobisque compatiuntur, & ideo pro nobis apud DEum intercedunt. Quod probè sciens Richardus de S. Victore *c. 23. in Expos. Cant.* ad Mariam affectuosissimè se convertit dicens: Ad te ergo Matrem misericordiæ matrem miserorum

Modus quo Sancti omnia vident.

Sancti in DEO vident plurima sibi grata.

clamant exules filii Evæ, clamant ipsæ miseriæ. Habet enim miseria clamorem, adeo ut si ipsi miseri non clamant, istæ auribus tuis insonent. Non possunt hæ ante te silere, nec auditum tuum latere, eo quod aures audiendi miserias habeas, & te has scire, sit audire.

Sancti volunt nos juvare. Transeo ad alteram partem argumenti, & dico si non liceret invocare Sanctos, esset id vel ex eo, quod sanctis nulla insit voluntas nobis ferendi auxilium. Sed quis hoc de beatis illis mentibus credat, in quibus charitas erga nos non extinguitur sed augetur. Certè S. Bern. *serm. in festo SS. Apost.* vocat illos viros misericordiæ, tum quia misericordiam singularem sunt consecuti, tum quia misericordiâ pleni sunt. Scimus autem sanctos Apostolos nec sibi vixisse, nec sibi mortuos esse, sed nobis omnibus. Annon ergo plurimum de eorum misericordia confidamus? Si enim *1. Reg. 12. v. 23.* dixit Samuel ad populum. Absit enim à me hoc peccatum in Dominum, ut cessem orare pro vobis, annon ego legitimè hinc inferam illud Cypr. *serm. 4. qui est de mortalitate hac circa finem.* Sanctorum copiosam turbam, jam de suâ immortalitate securam, esse adhuc de nostra salute solicitam. Cum S. Paulus *1. ad Cor. 13. v. 8.* clarè asserat. Charitas nunquam excidit. Unde Origenes *hom. 3. in Cant. ante medium* dicit, sed & omnes sancti, qui de hac vitâ decesserunt, habentes adhuc charitatem erga eos, qui in hoc mundo sunt. Si dicantur curam gerere salutis eorum, & juvare eos precibus suis, atque interventu suo apud DEum, non erit inconveniens, scriptum namque est in Machabæorum libris ita: Hic est Jeremias Propheta DEI, qui multum orat pro populo. Undè etiam S. Cypr. *in Ep. 57. ad Cornelium Papam* scribens, dicit: si quis hinc nostrûm prior divinâ dignationis celeritate præcesserit, perseveret apud DEum nostra dilectio pro fratribus, & sororibus nostris, apud misericordiam Patris non cesset oratio. Pulchrè proinde argumentatur S. Bern. *serm. in Vigil. SS. Petri & Pauli.* Si dum hic viveret sanctus, misertus est peccatoribus, & oravit pro eis, nunc tanto ampliùs, quanto verius agnoscit miserias nostras, orat pro nobis Patrem, quia beata illa patria charitatem illius non immutavit, sed augmentavit, neque enim quia impassibilis omnino, ideo & incompassibilis factus est. Sed nunc potius induit sibi viscera misericordiæ, cum ante fontem misericordiæ existit. S. verò Theodoretus *l. 5. de martyr.* dicit: Hi sunt verè hominum Duces, Principes, propugnatores, custodes,

Sancti non ideo quia impassibiles sunt etiam incompassibiles.

des, per quos à nobis infortunia avertuntur, proculque arceantur, quæ à dæmonibus inferuntur mala. Ideoque S. Leo Papa *serm. 1. de SS. Petro & Paulo*: sicut autē & nos experti sumus, & nostri probavêre majores, credimus, atque confidimus inter omnes labores istius vitæ ad obtinendam misericordiam DEI, semper nos specialium patronorum orationibus adjuvandos, ut quantum propriis peccatis deprimimur, tantis eorum meritis erigamur. Meritò itaque Cassiodorus *l. 1. de instit. divin. Lect. c. 13.* postquam laudâsset in defuncto Dionysio Monacho cum sapientiâ magna simplicitatem, cum doctrinâ humilitatem, cum facundiâ loquendi parcitatem illum sic invocat. Interveniat pro nobis, qui nobiscum orare consueverat, & cujus hic oratione sumus suffulti, ejus possimus nunc meritis adjuvari. Quod Generale Concilium Calcedonense sub Leone I. anno Christi 451. celebratum, estque unū ex quatuor Conciliis Generalibus, de quibus ipse *Calvinus l. 4. c. 9. §. 8.* ait: se libenter amplecti, revererique ut sacrosancta, quantū attinet ad fidei dogmata, quæ ait nihil continere, quam puram & nativam scripturæ interpretationem. Hoc Concilium *in Act. 11. de S. Flaviano M.* sic habet. Omnes hæc ipsa dicimus. Flaviano æterna memoria! Ecce ultio! Ecce veritas! Flavianus post mortem vivit, Martyr pro nobis orat.

Tertia argumenti pars est, si non liceret invocare sanctos, esset illud ex eo, quod sancti nullum nobis auxilium ferre possint. Refutavit hunc errorem pridem S. Hier. *contra Vigilant. c. 3.* Dicis inquit in libello tuo, quod dum vivimus mutuo pro nobis orare possumus. postquam autem mortui fuerimus, nullius sit pro alio exaudienda oratio. Præsertim cum Martyres ultionem sui sanguinis obsecrantes, impetrare non quiverint. Si Apostoli & Martyres adhuc in corpore constituti possunt orare pro cæteris, quando pro se adhuc debent esse soliciti, quantò magis pōst coronas, victorias, & triumphos. Unus homo Moyses sexcentis millibus armatorum impetrat à DEO veniam, & Stephanus imitator Domini sui, & primus Martyr in Christo pro persecutoribus veniam deprecatur. Et postquam cum Christo esse cæperint, minus valebunt? Paulus Apostolus ducentos septuaginta sex in navi animas dicit sibi condonatas, & postquam cum Christo esse cæperit, tunc ora clausurus est, & pro iis, qui toto orbe ad suum Evangelicum crediderunt, mutire non poterit? meliorque erit Vigilantius canis vivens, quàm ille Leo mortuus?

Sancti possunt nos juvare.

tuus? Rectè hoc de Ecclesiaste proponerem, si Paulum in spiritu mortuum confiterer. Denique sancti non appellantur mortui, sed dormientes. Unde bene urget citatus Bellarminus dicens: verisimile non esse, quod modo non possint nos juvare in cœlis, quod tamen potuerunt, cùm viverent in terris. Quos etiam David *ps. 44. versu 16.* orbis Principes nominat dum dicit: Constitues eos Principes super omnem terram. Et Sancti, qui quasi gregarii in terrâ milites poterant opitulari, modo in cœlo Tribuni, & Duces id non poterunt? Præclarè omnino S. Aug. *serm. 29. de Sanctis*, si tunc opem ferre poterat umbra corporis, quantò magis nunc plenitudo virtutis? Si tunc supplicantibus proderat aura quædam pertranseuntis, quantò magis nunc gratia permanentis! Et paulo post: si ad præsidia supplicantium tam potens fuit ante martyrium, quantò magis efficax post triumphum. Confirmat hoc exemplo de Concive suo *l. 22. de Civit. DEI c. 8.* dicens: Erat quidam Senex Florentius Hipponensis noster homo religiosus, & pauper, qui sartoris se arte pascebat, casulam perdiderat, & unde sibi emeret non habebat. Ad viginti Martyres quorum apud nos memoria est celeberrima, clarâ voce ut vestiretur, oravit. Audiverunt eum adolescentes, qui fortè aderant irrisores, eumque discedentes exagitabant, quasi à Martyribus quinquagenos folles unde vestimentum emeret, petivisset. At ille tacitus ambulans ejectum grandem piscem palpitantem in littore videt, eùmque illis faventibus, atque adjuvantibus, apprehendit, & cuidam coquo Carchoso nomine bene Christiano ad coquinam conditoriam, indicans, quid gestum sit, trecentis follibus vendidit, Lanam inde comparare disponens, ut uxor ejus quomodo posset ei, quo indueretur, efficeret. Sed coquus piscem discindens annulum aureum in ventriculo ejus invenit, moxque miseratione flexus, & religione perterritus, homini eum reddidit, dicens: Ecce quomodo viginti Martyres te vestiverunt. Negent nunc irrisores hæretici Catholicos, quòd devotè colant sanctos, quando vident imploratos sanctos Martyres, etiam pauperes vestire. Meritò proinde exclamat S. Sulpitius Severus, quem refert Trithemius *Ep. 3. ad Bassulam*, Martinus hic pauper & modicus cœlum dives ingreditur illinc nos ut spero custodiens, me hæc scribentem respicit, te legentem. Et verò possunt Sancti nos juvare, quia valent tantum apud DEum, quantum valuit Joseph apud Pharaonem,

Sartori apud 20. SS. MM. vestem exoranti, Vestis datur.

raonem, qui Parenti & fratribus obtinuit pingues & bonas possessiones. Concludit S. Aug. Quiescamus ergo sub umbraculo sanctorum DEI. *Jonæ 4. v. 5.* Fecit sibi Propheta umbraculum, & sedebat subter illud, & lætatus est Jonas super hederâ lætitiâ magna. Sed heu brevis lætitia! paravit DEus vermem ascensu diluculi in crastinum, & percussit hederam & exaruit. Quot Jonæ, qui lætantur in suis umbraculis? Et ecce vermis! uriturque Jonas talis fortè æstu libidinis, utinam non æternum. Hedera inquit Cornelius noster symbolum est vanitatis mundi, & omnis rei ac spei mundanæ, quæ juxta versionem hebraicam vocatur filia noctis, vel somnium. Quoties enim grandem nacti arborem, nimirum favorem Principis, multi tutos se existimant. Sed brevi auditur illud *Dan. 4.* succidite arborem & præcidite ramos ejus. Non ergo est spes tutior, quam in cœlo. Audite S. Greg. Naz. *orat. 20. in laudem S. Basilii.* Tu verò sacrum & divinum caput, è cœlo nos, quæso, inspice, carnisque stimulum à DEO nobis ad disciplinam datum, aut precibus tuis siste, aut certè ut eum forti animo perferamus, persuade, atque omnem nostram vitam ad id quod maximè conducibile est, dirige. Ut propterea Origenes initio sui lamenti dixerit: Incipiam me genibus prosternere, & deprecari universos sanctos, ut mihi non audenti petere DEum, propter nimietatem mei peccati mihi succurrant. O Sancti DEI vos lachrymis, & fletu pleno dolore deprecor, ut Supplices fiatis misericordiis ejus pro me misero. Et bene omnino! quia pulchrè S. Bern. *in vigilia SS. Ap. Petri & Pauli*, Si in terrâ adhuc positi omnia poterant, non quidem in se, sed in Christo, quid ni poterunt hodie viventes in æternâ felicitate cum ipso. His cœli Principibus eleganter planè accommodat S. Hier. verba illa Job, sub quo curvantur, qui portant orbem. Portantes inquit orbem Sancti rectè intelliguntur, qui gloria suorum meritorum magni & potentes sunt apud DEum. Hi ergo cordis humilitate ad interveniendum pro peccatoribus in conspectu ejus sunt incurvati. Ita Sancti portant mundum, ut dum ne ruat, ac pereat, orationum fortitudine sustinent.

Christo per invocationem Sanctorum non irrogatur injuria.

Occasione horum verborum sancti Hieronymi, devolvor ad quartam partem argumenti, & dico, si non essent invocandi Sancti, esset denique ex eo, quod irrogetur hoc ipso injuria quædam Christo mediatori nostro, dum alius quispiam invocatur. Quod dici non

 potest,

poteſt, ſi enim non irrogatur injuria DEO vel Chriſto ex eo, quod dicitur *Exodi 14. v. 31.* Crediderunt Domino & Moyſi ſervo ejus, cur obſecro irrogatur injuria DEO vel Chriſto, cùm ſanctos invocemus non quaſi authores, ſed velut interceſſores apud DEum. Placet hic erudita doctrina Durandi *in 4. Sentent. diſtinct. 45. q. 4. art. 1.* Conveniens eſt, quod dirigamus orationes noſtras ad ſanctos, ratio eſt, quia ſecundum Dionyſium lex divinitatis eſt, infima per media ad ſuprema reducere. Sed quantum ad dona gratiæ beati ſunt medii inter DEUM & viatores, ergo eis mediantibus viatores debent reduci in DEum. Cum ad hoc argumentum reſpondere neſciant Sectarii, uno ore inclamant illud S. Pauli, *1. ad Tim. 2. v. 5.* ubi dicunt, quod S. Paulus aſſerat, unus ſolus mediator DEI & hominum homo Chriſtus JESUS. Ex quo arguunt irrogari injuriam Chriſto, ſi aliuin ex Sanctis patronum aſſumamus, apud DEum. Sed heus novi Evangeliſtæ, ubi vos in verſione genuina ex græco legiſtis illam particulam *ſolus?* Hoc verbum *ſolus* vos corruptores, non Doctores legis Evangelicæ, in editione Geneuenſi primò anno Chriſti. 1601, editâ quo jure addidiſtis? Textus enim genuinus, legitimus & antiquus habet, Unus enim DEUS, unus & mediator DEI & hominum, homo Chriſtus JESUS. Dato tamen, non autem conceſſo hoc, ſi dicamus S. Paulum non de quacunque mediatione, ſed de mediatione redemptionis locutum eſſe, verum eſt Chriſtum ſolum eſſe mediatorem talem. Et hoc ſenſu omnino locutus videtur Apoſtolus, quia ibidem, *v. 6.* dicit. Qui dedit redemptionem ſemetipſum pro omnibus. Quare quando de mediatione Sanctorum agimus, mediatam & ſubalternam intelligimus quæ ſcilicet ab infinitis Chriſti meritis pendet. Et in hoc ſenſu etiam locutus eſt Paulus *ad Gal. 3. v. 19.* quando ipſum Moyſem nominavit mediatorem dicens: quid igitur lex propter transgreſſiones poſita eſt, donec veniret ſemen cui promiſerat, ordinata, per angelos in manu mediatoris (id eſt Moyſis) quem ipſe Beza hoc loco intelligit, non tamen mediatorem ſed internuncium vocat. Licèt idem Beza in editione ſuâ gallicâ, quam anno 1570. edidit expreſsè utatur voce mediatoris. Solebant olim Ethnici ſacrificiis adhibere Philoſophos, credebant enim, quod cum DEus ſit ſumma ſapientia, non poſſe DEO de arcanis ſuis melius aliquem loqui, quam Philoſophos, utpote qui converſationi cum DEO aſſueviſſent. Certè ſi gentiles tantùm tribuebant Phi-

Lutherani corrumpunt ſcripturam.

Chriſtus eſt mediator redemptione & talis eſt ſolus

Sancti mediatores ſunt mediatione ſubalternâ.

Moyſis fuit mediator uti fatentur hæretici.

Philoſophi ſacrificiis olim adhibiti, quia amici Deorum.

Philosophis; Quid nos Sanctis? Qui verè sunt amici DEI. Nec obstat illud Pauli quod diximus, unus mediator DEI & hominum, quia Christus se solo est talis, sancti autem tales non sunt nisi per Christum. Et verò pulchrum hujus rei argumentum habemus *Apoc. 8. v. 2.* ubi S. Joannes vidit Angelum, qui stetit juxta altare aureum, & data sunt ei incensa multa, ut adoleret de Orationibus Sanctorum super altare aureum, quod est ante thronum DEI. Hic angelus ex mente S. Thomæ est Christus Redemptor noster, altare verò aureum est sacratissima crux Christi, quæ licèt lignea, auro tamen charitatis Christi tota est inaurata. In manibus Christi redemptoris fuerunt positæ omnes, quæ in mundo factæ, & faciendæ sunt orationes, quas ipse æterno Patri suo obtulit, & ita ibi omnes acceperunt, suam efficaciam. Quantò verò justiores sunt orantes, tanto etiam magis orationes illorum de sacratissimo Christi sanguine participant, cùm ergo nullum dubium sit, sanctos, qui in cælis sunt, esse justissimos, sequitur, non obstante officio Christi mediatoris sanctorum orationes esse maximi valoris. Nec obstat, quod Christus dicat: Si quid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis. Sciendum enim est, quod nos non invocemus Sanctos, ut illi ex suâ virtute nobis succurrant, sicut nos adjuvat DEus, sed rogamus, ut illi à DEO suâ intercessione nobis impetrent, quod petimus. Hinc etiam Ecclesia dum per intercessionem sanctorum aliquid petit, orationem suam sic concludit: Per Dominum nostrum JEsum Christum filium tuum, id est, per ejus merita, sine quibus nec intercessio Sanctorum aliquid valeret. Falsum proinde est, quod Lutherus objicit, quod Christi velut mediatoris persona, ejusque merita inhonerentur per Sanctorum interpositionem. Quia si hoc verum esset, etiam S. Petrus inhonorâsset merita Christi, dum variorum in Ecclesiâ interventionem, & preces ad DEum postulavit. Quare bene notandum est, quod Christus mediator noster sit apud Patrem seipso, Sancti verò in cœlo sint mediatores per Christum, & ejus merita, quod in gloriam Christi Salvatoris redundat.

Sancti in cœlo sunt mediatores per Christum.

Christus mediator noster est apud Patrem seipso.

Restat adhuc unum Sectariorum argumentum, quod solvere debemus dum dicunt: Nullum extat in scriptura mandatum, ergo sancti non sunt invocandi. Ego cum S. Eusebio Alexandr. *hom. de Vener. Sanct.* quem refert Jodocus Coccius *l. 5. de Sanct. art. 12.* nego non esse præceptum aliquod saltem minus rigorosum. Dicit enim ille ob hanc causam præcepit nobis DEus memorias sanctorum cele-

Est aliquod præceptum in scriptura de invocandis Sanctis.

celebrare, ut acceptis hymnis, & auditis laudibus benignum DEum exorent, ut preces nostras caducas admittat. Interim quid obsecro respondebunt hæretici ad verba illa *Job. c. 5. v. 1.* Voca ergo si est qui tibi respondeat, & ad aliquem Sanctorum convertere. Dices fortè hoc non Jobum sed Eliphaz dixisse. Dicam Ego S. Augustinum *in suis annot. in Job* ex his ipsis verbis deducere, quod tunc jam mos fuerit invocare sanctos Angelos. Si tamen divinum præceptum habere volumus, audite DEum ad amicos *Job. c. ult. v. 8.* Ite ad servum meum Job. Ecce hic habes mandatum. Job autem servus meus orabit pro vobis, faciem ejus suscipiam, ut non imputetur vobis stultitia. Annon meritò hic utar verbis ipsius Lutheri, qui *in Epist. sua ad Erfordienses tom. 7.* ita scribit. Nec tamen putârim eos respuendos, aut condemnandos esse, qui sanctos adhuc colunt nullâ præsumptâ fiduciâ. Quidquid enim sanctis faciunt, Christo faciunt; nec fieri potest, quin honoris beatis divis habiti etiam Christus sit particeps. Meliori sensu loquitur S. Joan. Damasc. *l. 4. de fide orthodoxa c. 16.* Honorare decet sanctos & amicos Christi, ut filios, ut hæredes DEI, quemadmodum loquitur Deiloquens Joannes Evangelista. Quicunque autem receperunt eum, dedit eis potestatem filios DEI fieri. Quare non amplius sunt servi, sed filii. Si autem filii, & hæredes quidem DEI, cohæredes autem Christi. Et paulo post. Quomodo igitur non honorandi sunt, qui cultores, & amici, & filii DEI existunt. Nam honor erga gratos & benignos conservos, benevolentiæ erga communem Dominum indicium est. Cæterùm ut Sanctos licitè & utiliter possimus invocare, necesse non est, ut habeamus præceptum rigorosum aut promissionem specialem in sacrâ scripturâ expressam, sed sufficit universalis Ecclesiæ praxis. Licèt autem Calvinus æque ac Lutherus dicant, quòd hanc Sanctorum invocationem jam in quarto sæculo tenuerint Athanasius, Basilius, Nazianzenus, & deinde Chrysostomus, Hieronymus, Augustinus, dicunt tamen, eos in hoc puncto cum Papistis errâsse. O impudentia! Tu mi Christiane lector, dic mihi obsecro, an non velis potius cum his SS. PP. per calumniam impiorum hominum errare, quàm cum discolis istis Thrasonibus & impudentissimâ sorte Sectariorum contra omnem rationē & æquitatem stolidè sapere. Imò verò hic consensus tot SS. PP. ostendit non tantùm Apostolicam Traditionem, sed praxim etiam fuisse in Ecclesiâ

Non est necessarium præceptum de invocatione SS, sufficit praxis Ecclesiæ.

clesiá continuam, Sanctos DEI invocare. Est enim vera & certa planè doctrina S. Aug. *l. de Bapt. cont. Donat. c. 7.* Quod Ecclesia universalis suo tempore observat, nec est per Concilia Generalia institutum, credi debet, esse ex Apostolicâ traditione. Et hinc statim in Liturgiâ S. Petri & S. Jacobi majoris commemoratio Sanctorum fuit habita. Pacato verò Ecclesiæ statu S. Sergius constituit, ut in annunciatione Domini, in festivitate quæ dicitur Hypapante Domini, in nativitate & assumptione Mariæ exeant Lytaniæ. Et Venerabilis Beda *in serm. de majore Lyt.* Et nos precemur, inquit, omnes Sanctos ut pro nobis intercedant ad DEum, ut dignetur nobis dare remissionem peccatorum. S. Genadius verò Presbyter Massiliensis *in lib. de Ecclesiast. dogmat.* ne quidem Christianum putat, qui Sanctos non piè colit. Basilicas inquit Martyrum nominibus appellatas, velut loca sancta, divino cultui mancipata, affectu piissimo, & devotione fidelissimâ adeundas credimus. Si quis contra hanc sententiam venerit, non Christianus, sed Eunomyamus, & Vigilantianus est. Concilium verò Gangrense, quod Onuphrius in Chronicis anno 361. celebratum asserit, & habetur *in tom. 1. Concil.* ait: Si quis conventus, qui per loca & Basilicas sanctorum fiunt, accusaverit, vel etiam oblationes quæ ibidem celebrantur, spernendas esse crediderit, memoriasque Sanctorum contemnendas putaverit, anathema sit.

Sergius Pontifex constituit Lytanias.

Scandalizantur ad hæc hæretici, & dicunt: Genua flecti, luminaria succendi, templa erigi, sacra celebrari, jejunia & festa fieri, hæc omnia cum DEO fiant, & illis, æqualem sapiunt illis fieri venerationem. Ad quod si respondeam, Quod signa aliqua externi cultus possint esse DEO & Sanctis æqualia; quid rogo inconvenientiæ opponent? interim tamen in his omnibus intentio est dispar. Hæc autem quia ad præcepta Decalogi spectant, ibidem DEO volente, pluribus agemus. Hoc certum est, quod DEus velit Sanctos suos honorari. Sophronius *in prato Spir. c. 87.* inquit. Aspiciebamus non pauci per noctem, & in vertice montis lucem quasi magnam vidimus, cumque hoc pluribus diebus factum fuisset, ascendimus die quadam, sed neque lucem, neque ignem, nec ignis vestigium invenimus. Cúm verò tribus mensibus hunc splendorem observâssemus, sub vesperum tandem ascendimus, cum hominibus armatis propter frequentes feras, ut ex vicino lucem illam observaremus.

Signa aliqua externi cultûs possunt DEO & Sanctis esse æqualia.

DEus per lucem fulgidam ostendit Sanctum quem voluit honorari.

remus. Hunc ubi ex vicino observavimus, & locum notavimus, manè facto invenimus speluncam modicam, quam ingressi invenimus Anachoretam defunctum, qui erat indutus cilicio & pallio, tenebatque in manibus crucem argenteam. Penes quem erat charta inscripta his verbis. Defunctus sum Ego Joannes humilis indictione decimâ quintâ. Computatis ergo annis invenerunt illum ante annos septem defunctum fuisse. Ita verò erat integer, ac si eadem die obiisset. Ubi ergo solenniter honorifico tumulo in Ecclesiam fuit illatus, splendor ille non amplius apparuit. Annon hoc verum est, quod DEus Sanctos suos velit honorari. Et hinc multi Sancti, qui modo sunt in cœlo, dum adhuc agerent in terris, Patronis suis Sanctis singulariter devoti fuerunt. Sic S. Joannes Chrysostomus S. Paulo singulariter fuit devotus, cujus Epistolas ita studiosè legit, ut iis legendis videretur satiari non posse. Huic scribenti & concionanti, uti Brevi. Rom. 23. Jan. testatur adstitisse sæpius visus est S. Paulus. S. Ignatius, uti testatur Ribadeneira *in illius vita l. 1. c. 1.* sui Patroni S. Petri auxilium luculenter expertus est: nam cum ex vulnere in bello accepto lethaliter decumberet, S. Apostoli illius ope vitam & sanitatem recuperavit. S. Theresia magno studio coluit S. Josephum, de quo ipsa *in vitâ suâ c. 6.* In Patronum & Dominum selegi Virum S. Josephum, ejusque patrocinio me unicè commendavi. Liquidè dein perspexi, Sanctum hunc Patrem & Dominum meum, ab hac me necessitate, aliisque majoribus, in quibus de animæ meæ & honore & perditione agebatur, liberâsse. S. Henricus Imperator singulariter erat devotus S. Wolfgango, ad cujus sepulchrum, dum adhuc Dux Bavariæ oraret, eidem adfuit S. Episcopus, & intento in parietem digito jussit legere scriptum; Post sex. Credebat ille sibi mortem intimari his verbis, adeoque bene paratus expectavit sex dies, menses, annos, & Rex Romanorum salutatus est. Idem Imperator rarâ & singulari pietate coluit S. Laurentium, S. Adrianum, S. Georgium, ideoque quod asserit P. Jacobus Gretserus S. Adriani gladio accinctus intrepidus hostiles acies ingressus est, & his cœlestibus Ducibus præeuntibus Imperii Romani hostes facilè superavit. Similes favores cœlestes expertus est S. Eduardus Rex Angliæ, qui præcipuo honore coluit S. Joannem Evangelistam, sic ut nulli in illius honorem aliquid petenti negaret. Accessit aliquando peregrinus ad Regem, & non sine importunitate

Sancti Sanctis devoti fuerunt, & velut patronos coluerunt.

S. Henricus post 6. non moritur, sed Cæsar eligitur.

stipem

stipem in nomine S. Joannis Evangelistæ petiit. Cùm verò Rex aliud in promptu non haberet, annulum de manu suâ detraxit, & peregrino dedit. Hunc annulum S. Joannes Regi per Britannos peregrinos transmisit cum dicto, hunc esse annulum illum, quem aliquando importuno peregrino dedisset. Superesse sex menses vitæ, quibus se ad felicem mortem disponat. *S. Joannes Ev. Regi annulum sibi datum in paupere restituit.*

Quid quod ipsi Dæmones sanctos colendos esse sint confessi. In Italiâ fuit à dæmone obsessa mulier, quæ cum nullas unquam didicisset litteras, bene tamen loquebatur latinè. Hæc cum à diabolo aliquando graviter agitata fuisset, & simul multos recitâsset Virgilii versus, ab Exorcistâ interrogata fuit, quis versus Virgilii esset pulcherrimus dixit? *Dæmones fatentur sanctos esse colendos.*

Discite Justitiam moniti, & non temnere Divos. Annon miremur mirabilia hæc? dæmones fatentur sanctos esse honorandos, Lutherus & Calvinus negant. Et verò ridiculum videri potest, quod hæretici majorem gratiam concedant dæmonibus, quam Sanctis DEI. Hi enim ab hominibus invocati, sæpius illos audiunt, Cur ergo hoc sanctis in cœlo negent? Quis dæmonibus tam longas aures dedit, ut inter horrendos illos inferni ejulatus & clamores nos audiant? Quod verò dæmones nostra sciant, & audiant, testantur historiæ plurimæ. Joannes Nollus homo rusticus, uti habet Delrio in disquis. magicis & novissime P. Pexenfelder *p. 1. hist. 40. §. 7.* ubi ebrius domum rediit, ab uxore cibum & potum postulavit, uxor illi cum filiis omnia affatim subministravit. Urget ille, ubi sibi assideant, sed cùm uxor & liberi id detractassent, tot ille convivas dæmones invitavit, quot cum uxore liberi adesse recusâssent. Adsunt repente septem, qui mensam flammivomis circumstant oculis. Hic dum uxor & liberi fugam capiunt, solus relictus maritus, cum hospitibus quid agat? Ubi tamen se recollegit, quærit ex invitatis his hospitibus, quid sibi velint? respondent illi cœnare tecum, tu enim nos invitâsti. Bene, inquit, sed prius manus sordidas lavate. Lavant illi, & ad mensam advolant. Quibus ille indignabundus dixit. Quæ verò ista est vestra impudentia? necdum bonum JEsum consuetá benedictione invocâstis, & sic mensæ accumbitis? Ad JEsu nomen territi hospites fugam capessunt. Unus tamen cæteris fugâ dilapsis, locum post fornacem occupat, & inde abire morabatur, indignatus proinde maritus, colum uxoris vicinam apprehen- *Virgilii versus pulcherrimus. Dæmones nos audiunt, cur non Sancti. Dæmones invitati ad cœnam hospites comparent. JEsu nomen fugat dæmones.*

 dit,

dit, quâ dæmonem morantem verberavit, ast quot ictus dæmoni intentavit, totidem sensibiliter se ipsum læsit, & egregiè contudit, ut sic imprecationis petulantis culpam expiaret. Vides Christiane Lector, quod dæmones audiant invitationem ad prandium, sancti in cœlo surdi ab hæreticis finguntur. Ad cœnam accedamus, cui gratiarum actionem datam etiam audivit dæmon, & adfuit. In Flandria tres erant Ganeones, quorum cuique sua erat appendix, dum simul hii in seram noctem helluantur & scortantur, unus fortè dixit: Sat Baccho, Venerique datum est, DEO saltem jam gratias agamus. Subinfert alter, egò verò dæmoni gratias agam, & agendas censeo, cui tam operosè servimus. His dictis cum risu mensa solvitur, & in cubilia singuli cum scortis ruunt. Vix decubuerunt, & ecce adest magnus & nigerrimus Venator, cum duobus parvulis in speciem lixis, qui horrendâ voce dixit: ubi est, qui mihi gratias egit? adsum! referam. Simulque lurconem ex lecto extraxit à latere scorti, atque à pueris veru ad id parato infigi fecit, luculentoque in igne assari mandavit. Paruerunt promptè lixæ, assatur infelix, & nidore assi corporis cubiculum, imò & domus tota redolebat, denique miserrima orci victima emoritur. Venator deinde ad alios conversus pari supplicio illos dignos dixit, sed modo jussu divino abstinere, nisi tamen resipuerint, majora illos manere supplicia. Ut verò visio inanis non crederetur à posteris, duo reliqui mane facto socium in pavimento assum, & mortuum reperiunt. Quàm bene in heterodoxos Sanctorum osores convenit illud, quod Christus *Joan. 5. v. 45.* dixit: Nolite putare, quia Ego accusaturus sim vos apud Patrem, est qui accusat vos Moyses. Cur non obsecro pro fidelibus apud Patrem intercedat mater Christi, cur non omnes Sancti, & Sanctæ DEI, valeant pro nobis patrocinari, si Judæos potest accusare Moyses? Annon meritò cum S. Ephrem Syro *in lamentat. Genitricis semper Virginis ad crucem stantis* exclamem: Precibus DEI Genitricis semper Virginis, & exercitus cælestium, ac cœtus angelorum, Cherubim, Seraphim, Prophetarum, Martyrum, Sanctorumque omnium intercessionibus, & omnium beatorum supplicationibus miserere tuæ Creaturæ DEus clementissime. Cur non convertamus nos ad cœlites, quemadmodum id fecit S. Greg. Nyss. *in orat. de S. Theodoro M.* Nos enim etiam qui incolumes, & integri conservati sumus tibi beneficium acceptum referimus. Petimus autem

Quidam finitâ cœnâ gratias agit dæmoni, & ab illo exsolvitur.

Periculosè dæmoni aguntur gratiæ.

tem

tem etiam futuri temporis præsidium, atque securitatem. Pulchrum est quod sequitur: Quod si majori etiam opus fuerit advocatione, ac deprecatione fratrum tuorum Martyrum, coge chorum & cum omnibus una deprecare. Multorum justorum preces, multitudinum ac populorum peccata luent. Admone Petrum, excita Paulum, Joannem item Theologum, ac discipulum electum, ut pro Ecclesiis, quas constituerunt, soliciti sint. Idque ideo maximè cum S. Dionysius Areopag. *in cœl. hier. c. 7. p. 3.* asserat: Dico enim oracula id est scripturam sacram secutus, utique planè utiles esse in hac vita Sanctorum preces hoc modo, si quis ad eorum participationem piè affectus, tanquam propriæ conscius exiguitatis adiens quempiam Sanctorum, roget ipsum sibi fieri adjutorem, & comprecatorem. Utilitatem omnino ex eo consequetur omni utilitate superiorem. Concludo itaque hunc discursum cum verbis Prophetæ *Baruch. c. 3. v. 4.* Domine omnipotens DEus Israël, audi nunc orationem mortuorum Israël. Ubi ego quæro ex omnibus sectariis, an mihi non liceat pariter dicere nomine totius militantis Ecclesiæ: Domine Omnipotens audi nunc orationem mortuorum Ecclesiæ tuæ, nimirum SS. Apostolorum, Martyrum, Confessorum, Virginum, Sanctorum denique omnium. Quia ut bene S. Isidorus Hispalensis *in l. de morte & vita SS. c. 34.* Festivitates antiqui Patres in venerationis mysterio celebrari sanxerunt, vel ad excitandam imitationem, vel ut meritis eorum consociemur, atque orationibus adjuvemur.



DIS-

DISCVRS. XXXVIII.

Militantis in terris, & triumphantis in cœlis cum animabus in Purgatorio Communio.

DEpendet materia præsens à discursu utroque priore, ubi ostendimus communionem Sanctorum intercedere non solum inter vivos cum vivis, sed etiam inter vivos in militante Ecclesiâ cum Sanctis & electis DEI in triumphante jam existentium. Modo expendemus, quæ intercedat communio Sanctorum in cœlo regnantium, vel etiam vivorum adhuc in terris, cum animabus purgatorii. Pro quo sciendum est, quod indulgentiæ pro vivis differant ab indulgentiis pro mortuis in hoc, quod indulgentiæ pro mortuis non possint dari per modum absolutionis, sed solum per modum suffragii sive solutionis. Deinde indulgentia pro vivis conceditur immediatè ipsis vivis, at defunctis non potest conferri nisi mediante operâ alicujus vivi. Cùm enim absolutio sit actus jurisdictionis, jurisdictionem verò in animas defunctorum non habeat Pontifex, ideo per modum suffragii, non verò absolutionis illis indulgentiæ & satisfactiones sanctorum possunt communicari. Vivorum ergo indulgentiæ absolutivæ vocantur, sic ut hominem reum pœnæ à DEO imponendæ, penitus eliberent. Pro defunctis verò solutivæ dicuntur, quasi DEO solvant pretium contractum ab animabus illis, quæ pœnam in alterâ vitâ patiuntur. Pulchrâ & clarâ similitudine hoc explicatur: exempli causâ, si homini ob centum florenos in carcere posito succurras, & illius nomine Creditori centũ florenos deponas, si Creditor debitoris nomine illos acceptet, incarceratũ dimittet. Ita DEus opera nostra in censum solutionis illius accipit, quem animæ eidẽ præstare deberent. Quæ quia non sunt amplius in statu merendi nos illis succurrimus, & loco illarũ infinitum pretium sanguinis Christi & reliquorũ sanctorum persolvimus. Et hunc modũ expli-

Indulgentiæ vivorum & mortuorum differunt.

Indulgentiæ pro defunctis quomodo solutivæ dicantur.

explicandi videtur supponere S. Th. *in 4. dist. 45. q. 2. art. 3.* dum negat animas defunctorum posse per indulgentias aliter juvari, quàm indirectè & secundariò. Explicat hoc clarius Toletus *l. 6. c. 26.* quod nimirū indulgentia per modum suffragii concessa alicui, censeatur esse ipsi concessa immediatè, & directè, sed mediante actione alterius alicuius vivi, sic ut is, per cujus actionem applicatur defuncto indulgentia, donet defuncto illi indulgentiam, quam posset sibi ipsi applicare, si vellet. quod utique bene exemplo centum florenorum ostensum est, quos sibi reservare posset is, qui incarceratum liberat. Hoc enimverò clarè habetur in Brevi pro Communione Generali, in quo fit expresse potestas, vel lucrandi sibi indulgentiam plenariam, vel eam applicandi defunctis per modum suffragii. Quare si modò anima Patris tui, aut matris; si anima fratris aut sororis clamet, miseremini mei saltem vos amici mei, profectò tu impius eris, si illis Communionis Generalis indulgentiam negaveris. Certè visæ sunt plurimæ animæ per has indulgentias à pœnis purgatorii eliberatæ.

Breve pro Communione Generali.

Quia verò fundamentum hujus quæstionis est, an detur purgatorium, te ego amice Lector ad articulum quintum, seu discursum 25. remitto, ubi fusius ostendi, dari purgatorium, in quo animæ torquentur, detinentúrque, quousque pro pœnis DEO debitis satisfaciant. Dari ergo purgatorium est de fide. Clarè enim *2. Machab. 12. v. 43.* dicitur, & facta collatione duodecim millium drachmas argenti, misit Jerosolymam offerri pro peccatis mortuorum sacrificium, bene & religiosè de resurrectione cogitans, nisi enim eos, qui ceciderant, resurrecturos speraret, superfluum videretur & vacuum orare pro mortuis. Concludit deinde *v. 46.* sancta ergo & salubris est cogitatio pro defunctis exorare, ut à peccatis solvantur. In quem locum *S. Aug. l. de cura pro mortuis c. 2.* Etsi nunquam in scripturis veteribus legeretur, non parva est universæ Ecclesiæ, quæ in hac consuetudine claret authoritas, ubi in precibus sacerdotis, quæ Domino DEO ad ejus altare funduntur, locum suum habet etiam commendatio mortuorum. Unde *Tob. 4. v. 18.* parens filio præcepit. Panem tuum & vinum super sepulturam justi constitue. Ubi nota panem & vinum designare sacrificium, justi verò sepulturam significare animas fidelium, quæ utique per purgatorium justificantur. De quorum pœnis multum disputare necesse non est, cum ex opinione multorum Doctorum ignis purgatorii ab infernali non differat, nisi duratione.

Dari purgatorium est de fide.

Ita

Ita enim S. Greg. *l. 4. dial. c. 8.* Eodem igne crematur damnatus, & purgatur electus, quod repetit. *c. 35.* Ignis purgatorii idem est cum igne inferni, hoc duntaxat excepto, quod unus æternus est, alter verò sit temporalis. Quare quidam super illud *ps. 6.* Domine ne in furore tuo arguas me, neque in irâ tuâ corripias me, per furorem purgatorii pœnam, per iram pœnam inferni explicat, quæ duæ pœnæ differunt per hunc authorem, sicut torrens & flumen. Torrens enim repentè intumescit, domos & turres evertit; flumen pacato alveo labitur, & verò exsiccato torrente adhuc fluit. Scilicet differunt hæc duo tempore, sed differunt etiam furore, & intensione; Quam Innocentius. *3. in ps. 37.* explicaturus inquit. Ne punias me purgatorii igne, in quo erit tanta incendii vehementia, quod quasi furere videberis etiã in electos. Breviter ergo bene dixerimus, si purgatoriũ dicamus esse brevem infernum, infernũ autem dicamus esse æternum. Inhærendo allegoriæ placet S. Bernardin. sen. *Tom. 3. serm. 3. de nomine Mariæ. c. 3. art. 2.* Qui purgatorii pœnas undas maris appellat. Et certè undis maris hæ pœnæ comparari possunt, quia instabiles & varietate suâ adeo sunt mirabiles, & vehementes, ut miseras animas quovis quasi momento inundent. Sunt autem etiam maris, qui amaræ & dolorosæ. Convenerunt aliquando duo Clerici quemadmodum refert Vincentius *histor. l. 25. c. 89.* ut qui prior diem obiret, alterum de suo statu admoneret, uno horum defuncto, is qui superstes fuit, per quietem vidit defunctum scintillam ignis sibi in frontem destillare, incredibilem sensit dolorem, adeoque doloris vehementia totum corpus pervasit, ut longo tempore dolorem senserit. Nec mirum quia S. Aug. *l. de cura pro mort.* dicit. Dico verum, gravius est esse in purgatorio, quamdiu posset quis oculos claudere & aperire, quam illa pœna, quam S. Laurentius sustinuit in Craticulâ. Intendit hanc pœnam S. Cyrillus Alexandr. *l. 10. in Joan. c. 14.* dicens. Mallet quilibet viventium usque ad finem mundi omnibus simul excruciari tormentis, quæ omnes homines ab Adam usque tulerunt, quam uno die in purgatorio manere. Pari sensu loquitur venerabilis Beda *in ps. 37.* Pœna purgatorii gravior est, quàm quidquid unquam passi sunt latrones, vel sancti Martyres, vel quidquid gravius posset homo excogitare. S. Bernardinus super ipsas pœnas, quas Christus pertulit, extendit, sic enim *tom. 4. serm. 15. de purgat.* inquit. Tanta est pœna sensitiva, & purgativa, & dolor, & sensus omnis generis

Clerici duo de experimento ignis purgatorii conveniunt.

Ignis purgatorii est gravis.

neris tormentorum, quod in hoc mundo excogitari non potest. Quia omnes pœnæ, quæ possunt excogitari in hoc mundo, etiam pœnæ ipsius Christi, & omnium aliorum Martyrum, cæterarumque personarum, & Creaturarum, nihil sunt respectu pœnæ purgatorii. Nam vel ex eo etiam intendi credo animabus pœnas, quia ut loquitur Dionysius Carthus. *in ps. 29.* animæ in purgatorio existentes sciunt, se liberandas & vehementissimè liberari desiderant. Imò dilatio gloriæ est illis ita pœnalis, ut nulla pœna sensibilis hujus mundi æquari possit pœnæ, quam habent propter gloriæ dilationem. Et ideò S. Aug. *l. de cura pro mortuis c. 8.* inquit. Etsi æternus non sit ignis ille, miro tamen modo gravis est, exceditque omnes pœnas, quas aliquis in hac vitâ passus est. Meritoque super illa verba; Domine ne in furore tuo arguas me, ad DEum orat: ità Domine in hac vitâ purges me, ut talem me reddas, cui emendatorio, & purgatorio igne opus non sit. Nescit enim inquit *l. de cura pro mort.* nescit inquit, quid petat, qui purgatorium petit. Hinc non malè dicuntur animæ laborare ex gravi oculorum dolore, quis autem nescit, hunc sensum doloris esse gravissimum, adeoque stillantibus oculis nobis inclamant: Misereminì mei! Et verò quam gravis hic sensus sit, vel ipsa quæ patitur anima, & rationalis potentia ostendit, dolent enim ex oculis, quia torquentur pœna damni, & visione beatificâ privantur. Obsecro dixit Absalon à parente rejectus, ut videam faciem Regis; & Job aliud non queritur, quàm in amaritudinibus moratur oculus meus. Non curat bona deperdita, non luget amissos filios, de oculis queritur, quia in amaritudine morantur. Medela oculis salutaris est viror, spes scilicet æternæ salutis, quæ licèt nos viventes in terris relevet inter hujus vitæ miserias, animas tamen acrius torquet, propter propinquam spei consecutionem, quam tamen vicinæ licèt, non consequuntur. Ita enim S. Chrysostomus dicit: Lazarum nunquam magis sensisse famem, quam quando ad divitis Epulonis portam jacuit. Nec Israëlitæ magis sitim passi sunt, quàm quando ad Maran aquas amaras bibere non potuerunt. Animæ purgatorii cœlo proximæ ipsius jacturam ferunt acrius.

Intenditur pœna ex dilatione gloriæ.

Lazarus nunquam magis sensit famem, quam ad portam Epulonis.

Postquam Daniel Sacerdotes, & Sacrificulos Bel confudit, invidiâ nimiâ & irâ stimulati satrapæ Babylonii effecerunt, ut Daniel mitteretur in lacum leonum. Versabatur inter hos Daniel, quasi

inter perpetuos pavores, & quovis momento crudeles eorum rictus formidabat, usque dum per comam capitis adductus Habacuc prandium tulit Danieli. Manent usque hodie inter Leones infernales minimè dilacerandæ animæ purgatorii, quibus nos felicissimi Habacuc cibum deferimus in solatium. Cibus iste alius non est, quàm omne genus suffragiorum, quod animabus impendimus, quæ S. Greg. *in Ep. ad Bonif.* ad quatuor capita revocat, nempe sacrificium, orationes, eleemosynam, jejunia. S. Bernardinus Sen. *Tom. 2. serm. 63.* addit suffragia communia Ecclesiæ, pœnitentias, peregrinationes, restitutiones alienorum. Ex his pulmentum conficimus animabus, Hi sunt panes, quos Habacuc intrivit in alveolum. Clamant animæ in lacu isto: Quanti mercenarii abundant panibus! Clamant cum Epulone, si sit, qui digitum intingat. Sic enim S. Aug. famem & sitim pœnas purgatorii nominat. Frange ergo esurienti panem, fer prandium in lacu constitutis. Cave ne tibi væ illud occinatur *Amos 6. v. 6.* Bibentes vinum in phialis, & optimo unguento delibuti & nihil patiuntur super contritione Joseph. Quo loco utique fratres illius, aut pincerna obliviosus intelliguntur, qui dum Joseph in cisternâ tenebatur, illius non meminerunt, aut dum in carcere clauderetur, illius recordati non sunt, neque ab obliviosо pincernâ fuit adjutus. Acturus causam pauperum se interpellantium apud Auditores S. Aug. *serm. 5. de verb. Dom.* sic exorsus est. Non occultabo charitati vestræ, quare hunc sermonem necesse habui promere, pauperes interpellant nos, ut dicamus aliquid vobis; ut aliquid accipiant à vobis, ipsorum enim ad vos legati sumus. Quid aptius ego dicam? Pauperes interpellant me; Verè Pauperes, quæ cum Lazaro *Luc. 16.* micas de mensis divitum cadentes inclamant. Legatus sum horum pauperum, ut dicam vobis; ut aliquid accipiant à vobis. Causa eorum videtur fere talis, qualis à Cicerone in oratione pro Sextio fuit proposita. In hac causâ inquiebat ille, querelæ potiùs, quàm eloquentiæ, doloris, quàm ingenii partes susceptas esse. Status & conditio illarum illa est, ut vel nudè proposita commiserationem moveat. In pœnis sunt, quas Theologi in pœnam damni & in pœnam sensus dividunt. De pœnâ damni dicit S. Bernardin: quod sit carentia boni proportionati, quia scilicet retardantur à visione divina, quæ retardatio maximus est ex omnibus cruciatus. Quantò enim inquit inquit S. Bernardin. aliquid magis desi-

Suffragia quot varia sunt.

S. August. pro pauperibus perorat.

Animæ verè pauperes sunt.

desideratur, tantò ejus absentia cruciat amplius. In animabus autem summum est desiderium, quia affectus non retardatur corporis mole, & terminus fruendi advenit. Ex quo infert, licèt in inferno pœna damni sit acerbissima, major tamen est in purgatorio. Probat pulchrè exemplo filii regii, & rusticani, quorum uterque eodem carcere detinetur, sine dubio inquit plus dolebit filius regis privationem regni, quam alter casæ suæ rusticanæ. Quid quod anima gravissimè torqueatur ex suorum retardatione desideriorum, dum adhuc captivatur in corpore? Quoties enim flagra non sentiet, vulnera non curabit, qui vel ardet libidine, aut vindictæ flagrat cupiditate. Accedit pœna sensus. Est enim Catholica sententia uti diximus, animas pati per verum realem & materialem ignem, ex illo Pauli *1. ad Cor. 3. v. 13.* Uniuscujusque opus quale sit, ignis probabit. Quòd licèt videatur difficile, pulchrè tamen S. Bernardin. probat ex naturalibus effectibus. Quis credat inquit ignem ardere in aquis? Et tamen Aristoteles de hoc librum scripsit, & modum conficiendi tradidit. Si ignis est, qui oleo extinguitur, & aquâ accenditur, quæ humana excogitavit industria, nos id negabimus omnipotentiæ divinæ? Nimirum si corporalia agunt in spirituale, uti de facto carnales voluptates corporeæ, animam inflammant in earum desideria. Quo posito audiamus S. August. *in ps. 37.* Est hic ignis durior, quàm quidquid in hoc sæculo potest pœnarum videri, aut cogitari, aut sentiri. Unde S. Bernardin. inquit. Tantum differt ignis purgatorii à nostro, quantum ignis verus differt à picto. Membra nostra sunt, quis ferat pedem suũ aut manum uri? Nec petunt ut te pro illis vadem ponas. Alia non est illarum petitio, quàm illa Josephi ad pincernam. *Gen. 40. v. 14.* Tantum memento mei, cùm bene tibi fuerit, & facias mecum misericordiam, ut suggeras Pharaoni, ut educat me de carcere isto. Absit ut cum ingrato Pincernâ amantissimi obliviscamur Josephi, id est animæ patris vel matris, Conjugis, fratrum, liberorum. Leonem Innocentem Basilius Imperator carceri inclusit, cum aulæ totius & maximè matris gravissimo luctu, & quia complunies inter suspiria & gemitus nomen Leonis repetebant aulici, effecerunt, ut inter toties repetita suspiria etiam psittacus nomen Leonis caperet. Unde factum est, ut cum Basilius Imperator mensæ assideret psittacus clarâ voce ingemuerit. O Leo! Leo! statimque

Animæ verè torquentur ab igne materiali.

Animæ purgatorii sunt membra nostra.

Psittacus Leonem ex carcere liberat.

Imperator Leonem ex carcere educi jussit, & sui Imperii successorem nominavit. Non jam psittacus, sed quotidianus campanarum pulsus, atrata altaria, cereorum funeralis apparatus, quid aliud occinunt, quam triste miserere, vel memento animarum? In eleemosynis nostris egentiores aliis præferimus; nulli sunt egentiores, utpote quæ se ipsas amplius juvare non possunt. Certè *Joan. 5.* paralyticus ille triginta octo annis apud piscinam probaticam hærens nihil aliud queritur, quam negatam sibi charitatem. Nihil ille de morbo dicit, hoc solum lamentatur, hominem non habeo. Idem ad te clamant animæ purgatorii, hominem non habeo. Communicas, oras, sacrum audis, eleemosynam porrigis, jejunas &c. clamant illæ, memento mei. Refert Surius in vita S. Ephrem fuisse quemdam carceri mancipatum ob factum falsò sibi imputatum. Jam penè caput resti erat implicandum, cum Ephremo suam exposuit innocentiam; sed latebat occultum aliud crimen. Viderat is aliquando hominem in flumen delapsum, cui si solùm manum protendisset, potuisset ipsum morti eripere, sed quia opem suam negavit, ille aquis mersus periit, & modo inquit Ephrem, capitis reus de hoc nocens attineris. Quot nos scelerum rei vivimus? qui animas, quas eripere possemus, patimur flammis immersas torqueri? Quoties unicum solum Requiem æternam dona eis Domine sufficeret? *4. Reg. 5. v. 11.* Naaman Syrus jubetur ab Elisæo septies se in Jordane lavare, sed indignatus Naamam inquit: Numquid meliores sunt fluvii Damasci? & abire parabat. Cum ecce servi illius eidem dicunt, si rem grandem dixisset Propheta, facere debueras, quantò magis quia nunc dixit tibi, Lavare, & mundaberis. Si rem grandem juberet DEus pro animabus, facere deberemus, quantò magis cum rem facilem præcipiat. Quid facilius quam *Num. 16. v. 46.* ubi cum ignis jam consumpsisset quatuordecim millia, & septingentos murmurantes, modico labore furorem Domini stitit Aaron, cui Moyses: tolle thuribulum, & hausto igne de altari mitte incensum desuper pergens citò ad populum, ut ores pro eis, jam enim egressa est ira à Domino, & plaga desævit. Quod cum fecisset Aaron, & cucurrisset ad mediam multitudinem, quam jam vastabat incendium, obtulit thymiama, & stans inter mortuos ac viventes, pro populo deprecatus est, & plaga cessavit. Quid facilius? Non jubetur Aaaron insilire cum Curtio in terram hiantem, sed sume thuribulum. O quoties & quam

Quidam carceri innocens mancipatur, quia submerso manum non porrexit.

Modicò sæpe juvantur animæ, cur negemus?

quam parvo sæpe opus est, ut ignem purgatorii animabus extinguas, unica Communio Generalis, modica oratio, eleemosyna exigua, vastantem ignem sistit, & iram DEI infringit. Quam meritò exclamat S. Aug. *serm. 44. ad fratres in eremo.* Ora pro defunctis, ut cùm fuerint in æternâ vitâ, pro te orare non negligant, exspectant enim nos, ut juventur per nos, tempus enim operandi profugit ab eis. Clamant igitur quotidiè qui jacent in tormentis, clamant, & pauci sunt, qui respondeant; ululant, & non est, qui consoletur eos. O quam grandis crudelitas fratres mei! O quam grandis inhumanitas! Clamant ad nos quotidiè, qui dum vixerunt multa mala pro nobis sustinere voluerunt, nec eis sub venire curamus. Paulo infra: ô vere magna inhumanitas! Ecce enim infirmus consolatur: Cadit asinus, & omnes eum sublevare festinant, sed clamat fidelis in tormentis, & non est, qui respondeat. Ecce vestra inhumanitas fratres! Eja ergo non sic! sed mementote fratres, quam sancta & salubris, pia & suavis DEO & angelis est cogitatio, pro defunctis exorare, ut à pœnis, quas pro peccatis patiuntur, exsolvantur. Bene S. Chrysostomus *hom. 41. in c. 1. Ep. ad Cor.* Juvetur mortuus non lachrymis sed precibus, supplicationibus & eleemosynis. quia bene S. Bonav. *serm. 3. de morte super illa verba ps. 72.* Animas pauperum tuorum ne obliviscaris in finem. His verbis inquit Ecclesia cum multo gemitu orat pro pauperibus animabus in purgatorio, quarum pœnæ intolerabiles tam durabiles sunt, quasi DEus oblivioni eas tradiderit. Si DEus quasi obliviscitur earum, & nos non recordemur, quis earum memoriam recolet? *Matt. 25.* Inter misericordiæ opera numeratur visitare infirmos, & incarceratos. Quid prodest infirmo aut captivo nostra visitatio? Et tamen si chari aut amici non invisant, querimur, & affligimur, est enim solatio vel ipsa visitatio. Si enim tua sola præsentia podagricum aut febricitantem liberaret à morbi doloribus, & tu hanc infirmo negares, atque cum pueris in foro luderes, aut domunculas in arenâ strueres, aut certè muscas stylo aureo venerareris næ tu homini infirmo dolorem creares inexplicabilem? Hora quam sacro audiendo, aut etiam sacrificando impenderes, animam purgatorii liberaret à pænis tantis, & negas? Annon justè queratur pater tuus, qui tibi omnem substantiam corrasit; mater quæ ipsas papillas suas ori tuo inseruit, solicito digito pultes ori ingessit, tam anxiè enutrivit,

Animæ captivæ sunt, visitentur in carcere.

illa modo clamat, oblivioni datus sum. Queritur jure meritissimò Propheta *Thren. 4. v. 4.* Parvuli petierunt panem, & non erat, qui frangeret eis. Non clamat, quia non est panis, sed quia non est qui frangeret. Si non esset, qui seminaret, excusaret fortè paupertas; si non esset, qui araret, obstaret fortè virium imbecillitas; sed queruntur, quia qui frangat non adest, hoc enim mœroris justi est argumentum. Clamant animæ in purgatorio, clamat solicita mater Ecclesia: frange esurienti panem tuum. *Isa. 58. v. 7.* Sed heu! non est qui frangat. Quid vos hic Sacerdotes incurii, qui sacrum ob quamvis alterationem levissimam omittitis, & animas suo defunctorum memento tam facilè fraudatis? Quid vos Christiani? qui sacram Communionem per modum suffragii applicare possetis, nec tamen facitis? quid, inquam, respondebitis? annon jure defraudatæ exclament animæ, non est qui frangat. Christus ipse qui vel in horto ex opinione S. Augustini pro animabus oravit, nos ad misericordiam animabus impendendam animat, quid moramur?

Sacerdotes sacrum non facilè omittant.

Joan. 11. cum Christus suscitare vellet Lazarum dixit ad vicinos adstantes: Tollite lapidem, quo sublato Christus magnâ voce inclamavit, & Lazarum suscitavit. Cur obsecro lapidem tolli mandavit? annon qui potuit suscitare mortuum, non poterit etiam tollere lapidem? Noluit hoc propter alios fieri, ut innuat, quod defunctorum levamen debeant homines vivi procurare. Affirmat hoc S. Damasc. *orat. de defunctis.* Nam hoc misericors ille vult, gratùmque habet, ut nos omnes tum in vitâ, tum post confectum vitæ curriculum mutuo alii ab aliis juvemur. Et certè si Christus caput hujus corporis mystici profuit vivus vivis, mortuus mortuis, vivens mortuis, & mortuus viventibus, quid ni par est, ut nos etiam membra capitis hujus parem vim & gratiam nobis communicatam habeamus, & credamus? Profuit autem Christus vivus vivis, quo ad animam, quia dimisit peccata Magdalenæ, paralytico, Zachæo, Petro, latroni. Quo ad corpus sanavit omnes morbos, pavit in deserto turbam famelicam, verbo uno bene fecit omnia. Profuit etiam mortuus mortuis, quoniam descendit ad inferos, & Patres ex limbo eduxit, sepulchra mortuorum aperuit, eosque suscitavit. Profuit rursus vivus mortuis, quia puellam in domo, adolescentem in viâ ad sepulchrum, Lazarum ex ipso tumulo ad vitam mortuos revocavit. Denique mortuus nobis vivis prodest, quia morte suâ nos redemit, & modo pro nobis interpellat

Deus animas juvari vult per vivos.

Christus vivus vivis prodest.

Christus mortuus profuit mortuis.

Christus profuit vivus mortuis quos suscitavit.

pellat apud Patrem. Sic ergo etiam nos membra debemus nobis mutuo prodesse. Quod fit ab Ecclesiæ principio usque huc, pascendo oves Christi verbo & Sacramentis, & orando juxta illud *Jac. 5. v 16*, Orate pro invicem, ut salvemini. Prosunt etiam mortui mortujs uti in veteri testamento *4. Reg. 13.* Elisæus mortuus alium mortuum suscitavit; & *Luc. 16.* Abraham mortuus Lazarum mortuum excepit in sinum suum. Quot infantes ætate nostra altari Beatæ Virginis, vel etiam Sancti Xaverii licèt mortui impositi vivi rursus revixerunt? Prosunt etiam mortua membra vivis, quod ostendimus toto discursu priore, & usque hodie, tot anathemata sanctorum aris affixa fatentur, quorum intercessione & animæ & corporis beneficia plurima obtinemus. Unde tandem certum & indubitatum esse debet, quod sicut Christus vivus profuit mortuis velut caput nostrum, ita & nos vivi mortuis prodesse possimus. O quam verum est illud Christi. Venit hora & nunc est, quando mortui audient vocem filii DEI, & qui audierint, vivent. Cicero inter vitæ civilis præcepta etiam illud dedit. Primus pietatis gradus est, eorum, qui ante nos vixerunt, meminisse. Triplex est horum apud nos Catholicos status, & condicio: nimirum damnati in inferno, quorum meminisse possumus, ut detestemur & horreamus. Beati, quorum meminisse debemus, ut nos adjuvent, atque suâ intercessione solentur, & animent. Animæ denique purgatorii, ut eas suffragiis nostris juvemus, utpote quæ nobis commembris suis illud Jobi inclamant: Miseremini mei saltem vos amici mei. Et quia *2. Macchab. 12. v. 46.* Sancta & salubris est cogitatio pro defunctis exorare, ut à peccatis solvantur. Hæc sancta omnino cogitatio, ab Ecclesiâ, quæ Chisti assistentiam habet, & à spiritu Sancto regitur, & gubernatur, nobis præcipitur, Quam meritò ego conferam sanctam matrem Ecclesiam cum pia matre Respha uxore Saulis, cujus septem filii cum capti fuisseut à Gabaonitis, & in crucem acti, inquit textus. *2. Reg. 21. v. 1.* Tollens autem Respha filia Aja Cilicium substravit sibi supra petram ab initio messis, donec stillaret aqua super illos. Quid obsecro ista fæmina tanto tempore hæsit apud cadavera, usque dum illorum corpora aquis abluerentur. Bacchiarius inquit, quod aqua refrigerare soleat, refrigerium autem est contra ardorem ignis. Unde Respha illa quæ tamdiu stetit sub cruce denotat Ecclesiam, ejusque suffragia, quæ dum pro animabus facimus, ipsis impetramus de cœlo rorem misericordiæ divinæ, quo

Christus mortuus nobis vivis prodest.

Ciceronis de defunctis Christiana opinio.

vel

vel refrigerantur, vel ex toto ab illis flammis eliberantur. Et hinc S. Aug. tam seriò nos monet: festinate orare pro defunctis Ecclesiæ, ut illi festinent procurare, ut ipsis in gloria conjungamur. Christianè planè Cicero pro Milone dixit, orandum esse potius pro mortuis, quam pro vivis, quia mortui non habent, quomodo se defendant. Perorandum ergo est pro animabus apud DEum, quia se defendere nequeunt contra iram divinam, & hoc eas maxime cruciat, quod nos, qui eas defendere possumus, simus negligentes, cum tamen tam facilè esset, eas inde eripere. Quantæ animæ cum Davide dicere possunt id, quod *ps. 30. v. 13.* dixit. Oblivioni datus sum, tanquam mortuus à corde, factus sum tanquam vas perditum. Sunt ii quidem, vasa perdita quo ad corpus confractum, sed superest anima, quæ clamat, misereminì mei! Quod ut nobis clarius ostendat Ecclesia, in officio defunctorum solas vesperas cum matutino assignat. Vesper in quo Christus obiit, planctum significat juxta illud *ps. 29. v. 6.* ad vesperum demorabitur fletus. Matutinum cum Nocturnis tenebrarum & dolorum sunt argumenta, in quibus animæ purgatorii tenentur. Completorium non dicitur, neque enim completa est pœna, quam animæ illæ sustinent. Omittuntur etiam horæ diurnæ, quæ significant operandi tempus quibus ipse Pater familias ad operandum conducturus vinitores exivit. Verùm quia hæ operari non possunt, à die Solis exclusæ, In tenebris ab Ecclesiâ repræsentantur. Ut vel hinc discamus auxilio nostro illis subvenire, quæ omni auxilio destitutæ, non habent, quod sperent nisi in nobis.

Animæ plurimum juvantur sacrificio & Communione.

Quia verò superius ex S. Bernardino ostendimus media, quibus illis subvenire possumus, esse præcipuum SS. sacrificium missæ, & sacram Communionem, quam illis applicare per modum suffragii possumus, occurrit hic illud *Apoc. 7. v. 9.* ubi turba magna amicti stolis albis cum palmis visi sunt, de quibus cum Angelus petiisset; Qui sunt, & unde venerunt, nescienti Joanni ipse Angelus respondet: Hi sunt qui venerunt de tribulatione magnâ & laverunt stolas suas in sanguine agni. Pineda ex purgatorio eas venisse putat, quæ beneficio missæ, in quo agnus immolatur, depuratæ ad cœlum devenerunt. Isti sunt, inquit ille, qui venerunt ex magnâ tibulatione, & laverunt stolas suas in sangvine agni, qui percipitur in altari. Altare verò lavacrum Eucharistiæ dicitur, quid mirum proinde, si sint dealbatæ.

Leo clamante catulo prædam dimittit.

Occurrit hic quod Naturalistæ de leone referunt, cui famelico nulla

vis

vis hominum prædam eripere potest, si tamen catulum reclusum ad minimum clamorem, vel ejulatum excitaveris, relictâ ille prædâ catulo subventurus accurrit. Annon Ego Justitiam DEI leonem dixero, quæ animam velut prædam in purgatorii pœnis seu unguibus tenet. Non enim frustra David dixit, ne quando rapiat ut Leo animam meam. At ubi divinitatis Catulus Christus, cuius minister sacerdos est, vocem miserit (si enim sanguis Abel ad cœlum clamavit, quid ni clamat sanguis filii DEI?) relictâ prædâ suâ, seu animâ, Justitia divina accurrit, & misericordiâ movetur, atque prædam dimittit. Hinc S. Hier. *in missâ pro def.* asserit, animæ quæ in purgatorio torquentur, pro quibus solet sacerdos in missâ orare, interim nullum tormentum sustinent dum missa celebratur. Quam malè proindè agunt sacerdotes in missâ præcipites, qui pausam quietis illis dare possent, si tardius in missâ progrederentur. Neque frustra Ecclesia in sacrificio missæ memento defunctorum annectit, ut scilicet hic catulus vocem suam animabus salutarem emittat. Solatio plenum est quod legitur in vita B. Susonis ex Ordine Prædicatorum. Promiserat is uni ex fratribus post obitum illius, se duo pro ipso sacra facturum. Mortuo fratre, B. Suso promissi obliviscitur, & dum preces alias pro anima illius offert, sacra promissa tamen non legit. Adest ergo anima, & non servari promissum queritur, cui B. Suso respondit, se quotidiè pro illo preces obtulisse. Cui reposuit anima, ô frater! Sanguine est opus, qui extinguat ignem, quem patior. Oratio tua bona est, sed non sufficit, nisi accedat sanguis JEsu Christi, qui offertur in missâ. Quo audito magnâ cum devotione promissas legit missas, & anima rursus non ut ante tristis, sed gloriosa apparuit, & gratias egit. Est enim sanguis Christi, quemadmodum S. Vincentius docet, singulariter deputatus in litrum animarum. Unde S. Aug. *l. 50. Homil. homil. 16.* inquit: Unum ex sanctioribus exercitiis, & una ex magis piis curis, quibus se homo exercere potest in hac vitâ, est offerre sacrificia & eleemosynas, & orare pro defunctis, qui sunt in purgatorio, quorum fratres sumus. Et S. Greg. Papa *l. 4. dial. c. 55.* Multum solet etiam animas post mortem sacra oblatio hostiæ salutaris adjuvare, ita ut hanc sæpius ipsæ defunctorum animæ expetere visæ sint. Sic refert Joannes Trithemius *in Chronicis suis de monasterio Hirschauiensi* anno Christi 1008. Non procul Wormatiâ, inquit, multis diebus & noctibus armatas copias equestres & pede-

Animæ purgatorii tempore missæ non torquentur.

Promissum sacrum anima à B. Susone postulat.

Sanguis Christi est singulariter deputatus in litrum animarum.

ſtres viſas, quaſi ad bellum progredi, ſub horam vero noctis nonam, ad vicinum montem unde prodibant regredi. Cordatior aliquis à Limburgenſi monaſterio, aſſumptis aliquot ex monaſterio ſociis, eò progreſſus, exeuntes de monte allocutus eſt, & qui eſſent, in virtute SS. Trinitatis, ut edicerent, adjuravit. Cui unus ex turma reſpondit, ſe milites fuiſſe, & non multos ante annos in hoc ipſo loco interfectos. Cùm verò peteret Monachus an juvari poſſint? Reſpondit jejuniis & orationibus, maximè verò ſacrificiis ſe adjuvari poſſe, & hoc ipſum omnes rogare, ſimulque tota multitudo exclamavit. Orate pro nobis. Quo dicto omnes in ignem reſolvi viſi ſunt, & mons, quaſi arderet, conſpiciebatur. Unde bene S. Joan. Chryſoſtomus *ſerm. 3. in Ep. ad Philipp.* Non fruſtra inquit ab Apoſtolis ſancitum eſt, ut in ſacris myſteriis memoria fiat eorum, qui hinc diſceſſerunt. Noverunt quippe, hinc illis multum emolumenti fieri, multum utilitatis. Ita ut S. Hier. citatus in miſſa S. Gregorii pro defunctis dicat, pro qualibet miſſa devotè celebrata plures animas exire de purgatorio. Vidit hoc S. Joannes de Alverno, qui tanto pietatis affectu pro animabus ſacrum dixit, ut totus in lachrymas ſolveretur. Hic dum in miſsâ ſacroſanctam hoſtiam elevaret impensè pro animarum ſalute Chriſtum eſt deprecatus, & vidit innumeras animas velut ſcintillas ex fornace exilientes in cœlum abire. Ita S. Antonin. *p. 3. tit. 24. c. 8.* Quare Euſebius Emiſſ. *hom. 5. de Paſcha* inquit: Memento in oblatione ſanctiſſimæ Euchariſtiæ parentum ac fratrum, qui jam de vitâ deceſſerunt, hoc ſi feceris, magnam eis requiem præbes. Adeoque tam ſolicitè inſtitêre vel ipſæ animæ, ut etiam die Dominicâ ad Requiem dicendam S. Nicolaum Tolentinatem compulerint. Legitur enim in vitâ S. Nicolai Tolentinatis, quod is Sacerdotio initiatus ad Eremum miſſus, manè quotidie celebraverit. Cùm verò à Superiore juſſus eſſet die Dominico ſolenne ſacrum facere, & ideo ſuper lectulum paululum indormiſceret, anima quædam lugubri voce eum interpellavit. Frater Nicolae vir DEI reſpice in me. Verùm cum ille reſpiciens non agnoſceret, quis eſſet, qui ipſum vocâſſet, dixit: Ego ſum anima peregrini Auxinienſis, rogo te ut miſſam pro defunctis celebres, ut eripias me ex his flammis. Excuſavit ſe S. Nicolaus dicens, ſe pro ſacro cantando deputatum eſſe: Sed anima duxit illum ad alteram partem eremi, & planitiem oſtendit, ubi ingens fuit multitudo animarum, quæ

Armatæ copiæ ſuffragia & miſſas expetunt.

Miſsâ unâ plures animæ ex purgatorio liberantur.

Animæ S. Nicolaum Tolent. ad requiem die dominico impellunt.

quæ omnes Nicolaum inclamârunt, & pro auxilio missarum deprecatæ sunt. Vir sanctus manè Priorem accessit, & animarum preces exposuit, obtinuitque ut etiam illâ die, & totâ hebdomadâ pro animabus requiem diceret, plurimasque animas ex purgatorio suis sacrificiis eriperet, quemadmodum anima, quæ illi apparuit, hoc ipsum revelavit. Merito proinde S. Bern. *serm. 56. in Cant.* exclamat: Surgam ergo in adjutorium illis, interpellabo gemitibus, implorabo suspiriis, orationibus intercedam; Satisfaciam Sacrificio singulariter, si fortè videat Dominus, & judicet, ut laborem convertat in requiem, miseriam in gloriam, verbera in coronam. His enim & hujusmodi officiis potest eorũ pœnitentia resecari, finiri labor, & destrui pœna. Et hinc tam solicitè S. Aug. *l. 9. Confess. c. 13.* pro Matre suâ Monicâ instítit dicens: Namque illâ imminente die resolutionis suæ, non cogitavit corpus suum sumptuosè contegi aut condiri aromatibus, aut monumentum electum concupivit, aut curavit sepulchrum patrium. Non ista mandavit nobis, sed tantummodo memoriam sui ad altare tuum fieri desideravit, cui nullius prætermissione servierat, undè sciret dispensari victimam sanctam, qua deletum est chirographum, quod erat contrarium nobis &c. ad cujus pretii nostri sacramentum ligavit ancilla tua animam suam vinculo fidei. *Et infra.* Et inspira Domine DEus meus, inspira servis tuis fratribus meis, filiis tuis, dominis meis, quibus voce, & corde, & litteris servio, ut quotquot hæc legerint meminerint ad altare tuum Monicæ famulæ tuæ cum Patritio quondam ejus Conjuge, per quorum carnem introduxisti me in hanc vitam, quemadmodum? nescio. Meminerint cum affectu pio meorum parentum in hac luce transitoriâ, & fratrum meorum sub te Patre in Matre Catholicâ & civium meorum in æternâ Jerusalem, cui spirat peregrinatio populi tui ab exitu usque ad reditum, ut quod à me illa poposcit extremum, uberius ei præstetur in multorum orationibus, tam per confessiones, quam orationes meas. Causam hujus dat *serm. 32. de verbis Ap.* Orationibus inquit Sanctæ Ecclesiæ, & sacrificio salutari, & eleemosynis, quæ pro eorum spiritibus erogantur, non est dubitandum, mortuos adjuvari, ut cum eis misericordius agatur à Domino, quam eorum peccata meruerunt. Hoc enim à Patribus traditum universa observat Ecclesia, ut pro eis, qui in corporis & sanguinis Christi communione defuncti sunt, cum ad ipsum sacrificium loco suo com-

Aug. pro defunctis parentibus suis suffragia implorat.

memorantur, oretur, ac pro illis quoque illud offerri commemoretur. Occurrit hic in tam solicitâ curâ S. Augustini ergà parentes suos, illud *Exodi 12. v. 24.* Sin autem minor est numerus, ut sufficere possit ad vescendum agnum, assumet vicinum suum, qui junctus est domui suæ. Quis enimverò ad paschalem agnum seu panem cœlestem sufficiat? Cujus meritorum infinitus valor excedit quidvis creatum. Vicini porro nostri sunt animæ purgatorii, quæ de agno paschali participare debent. Vicini omnino nostri parentes & consanguinei sunt, qui in purgatorio hærent. Pro quibus Alexandrinus Eusebius à Turriano de Eucharistiâ agens perorat. Memento inquit in oblatione Sanctissimæ Eucharistiæ fratrum & parentum, qui è vitâ decesserunt, hoc si feceris, magnam eis requiem præbes, comples preces tuas. Comples dicit, quasi preces nostræ incompletæ sint, si non ad purgatorii animas extendantur. Quid quod parentes tui aut fratres, tui causâ hæc sæpè patiantur, qui ut tibi corraderent pinguem hæreditatem, pauperes neglexerunt, divina omiserunt; plus opibus quam suæ saluti studuerunt. Non obliviscaris modo eorum, iisque esurientibus panem frange, quem illi tam copiosum tibi reliquerunt. Da illis cum Habacuc prandium tuum, id est, impende illis sanctissimam Eucharistiam, quam devotè sumis, aut missam, aut Communionem illis transcribendo. Quis enim neget Eucharistiam esse prandium, quæ in amoris meridie à Christo est instituta. Est illa prandium paratum messoribus & peregrinis in viâ, sed divina dispensatione in Babylonem & lacum leonum transfertur. Sed audio lamentabiles parentum, fratrumque voces ex *Eccles. 14. v. 10.* Non satiabitur pane, sed indigens & in tristitiâ erit super mensam suam. Scilicet volantem cum Alveolo Habacuc invadunt Harpyæ, infestant corvi rapaces. Hos S. Bernardin. Sen. *Dom. in Octav. Resur. serm. 63. c. 1.* perstringit, quod sint detentores alienorum bonorum, falsificatores testamentorum, impedientes causas pias. O quot animabus hodiè subsidium ferre nequeunt boni Habacuc, nempe Sacerdotes sacrificiis suis parati, quia Harpyæ istæ ne aliquid decedat hæreditati, nostra suffragia non patiuntur ad illas animas accedere. Et dum parentum animæ vident alias penes se flammis eripi, se suorum filiorum vel uxorum culpâ cernunt, in purgatorio detineri, quia hæredes vel aliena non restituunt, vel causas pias & legata non explent. Annon hoc

Animæ purgatorii vicini nostri assumendi ad esum agni.

Eucharistia est prandium animarum.

Filii pias causas negligentes, torquent parentes in purgatorio.

hoc verum est, quod proverbio Germanico dicitur: Das Brodt vor dem Maul abschneiden / & panem, quem ori proximum habes, eripere, eosque privare pane cœlesti, quo pasti ad æternam felicitatem pertigissent. Quam meritò hic queratur verbis *Job. c. 22. v. 7.* Esurienti subtraxisti panem; adeoque benè S. Bernardinus tales fures, sacrilegos, infideles, egentium necatores & latrones nominat, & tandem ultimò non absolvendos dicit. Furantur enim cœlo gaudium, & angelis lætitiam, ex anima, quæ cælo potitur, & beatorum consortio adjungitur, Sacrilegi sunt, qui sponsas DEI detinent, infideles sunt, & injurii iis, quorum opibus fruuntur, latrones sunt, qui animas longo carcere detinent, qui diuturnus in jure morti compar, censetur. Denique non absolvendi utpote qui indispositi videntur ad pœnitentiæ Sacramentum. Æneas Anchisen ex Trojæ incendio flammis eripuit, vos filii parentes vestros purgatorii incendio subducite. Orpheus Euridycen ab inferis evocavit, Vos Conjuges & liberos vestros reducite. Amphinomus & Anapius fratres cum Ætnæ incendio omnis penè conflagraret Sicilia, quæ Ætnæ vicina erat, parentes humeris suis exceptos periculo subduxerunt, medios inter ignium fluctus illæsi illi processerunt recedentibus, aut subsistentibus undis flammeis, quà illi incesserunt. Cedet flamma non Ætnæ aut Vesuvii sed purgatorii, si cum pane Eucharistico ad parentes vel cognatos accesseritis. Sed quoties ingratis filiis occinere cogimur illud *ps. 128. v. 8.* Et non dixerunt, qui præteribant: Benedictio Domini super vos: quoties sepulchra parentum vestrorum calcatis, nec ullam parentum in benedictione facitis memoriam. Quot usque hodie reperiuntur ingratissimi filii, qui parentibus pia legata in testamento suo constituentibus maledicunt, quia suæ illud subtractum credunt cupiditati. Audite Concilium 4. Carthaginense *Can. 95.* Qui oblationes defunctorum aut negant Ecclesiis, aut difficulter reddunt, tanquam egentium necatores excommunicentur. Pari severitate verborum utitur Concilium Valense *Can. 4.* Qui oblationes defunctorum retinent, & Ecclesiis tradere demorantur, ut infideles sunt ab Ecclesiis abjiciendi, quia usque ad inanitionem fidei pervenire certum est hanc divinæ pietatis exacerbationem, quia & fideles de corpore recedentes votorum plenitudine, & pauperes consolatu alimoniæ, & necessaria sustentatione fraudantur. Hi enim tales quasi egentium necatores, nec credentes

Æneas Anchisen, filii parentum animas his flammis eripiunt.

Ætnæ flamma cessit filiis in parentes piis.

judicium DEI habendi sunt. O si audire liceret animas miserorum parentum; annon audiremus illud *Apoc. 6. v. 10.* usquequo non vindicas sanguinem nostrum de iis, qui habitant in terrâ. Quid enim aliud sunt tanto sudore sæpe etiam sanguine parta bona, quæ prolibus relinquuntur, quam sanguis parentum? Annon etiam audiremus illud *Job. 19. v. 22.* Quare persequimini me, & carnibus meis saturamini? Quod explicat Gulielmus Parisiensis, & clarè dicit: Bonis meis vobis derelictis. Sed periit memoria eorum cum sonitu *ps. 9. v. 8.* id est, cessant campanæ, quibus elato ad tumulum cadaveri compulsatur, & nulla mortuorum parentum superest memoria. Disputantur testamenta, evertuntur legata, negatur hæreditatis substantia, iniquè parta detinentur. Tremendum est, quod non procul Bruxellis cum eleganti & divite Castello accidit. Erat hoc à spectris horridè infestum, adeoque his jam lassus loci Dominus se ad Collegium Societatis ibidem confert ibi sacerdotem invenit, qui se itineris socium obtulit, & ad arcem infestam cum socio suo egreditur. Ingressus arcem locum sibi delegit in cubiculo infestissimo; quod sub noctem obserat, & plures benedictas candelas accendit, atque orationi cum socio incumbit. Sub medium noctis tumultuosa auditur circumcursitatio, quâ finitâ, validâ ternâ pulsatione clausa porta feritur illius cubiculi. Tacente Patre cum socio post tertium validum ictum ingreditur horrendum spectrum, quo nihil territus Pater interrogat, quis sit? & unde veniat? cur locum istum infestet. Spectrum sellam è regione positam occupat, & inquit; quod ex me quæris, ex proxime hic ad futuro intelliges. Quadrante post simile spectrum ingreditur, Sessum eodem modo capit, & similiter à secuturo responsum dandum dixit. Pari temporis intervallo adest spectrum tertium, & ad quartum se remisit. Quartus ergo habitu paululum à prioribus diverso, & lætiore vultu comparens interrogatus, quæ sit sui adventus causa? Respondit animam se esse parentis dynastæ Castellani. Tres verò assidentes avum esse, abavum, atque atavum. Hoc Castellum iniquè attractum est ab atavo, qui illud in abavum iniquæ possessionis conscium transtulit. Hunc rursus malâ fide detulisse arcem in manus avo, de quo tamen nunquam me monuit, & ideo illi tres æternum damnati sunt. Ego verò quia bona fide successi, sed non diligenter satis de titulo possessionis inquisivi, purgatorii flammis detineor, usque dum ad legitimum

Animæ parentis & avorum in purgatorio detentæ propter dilatam restitutionem arcis.

mum possessorem arx redeat. Verus autem arcis possessor & Dominus est Joannes servus filii mei, qui quidem genere nobilis est, sed iniquitate meorum antecessorum dejectus, modo in horreo triturat. Quibus dictis sacra aliquot, & celerem arcis restitutionem rogavit, & sic cum aliis disparuit. Reliquum noctis cum Socio Pater quietè transegit. Primo diluculo Toparcha adfuit, atque ubi à Patre omnia intellexit, statim Joannem famulum in præsentiâ Patris vocavit, illumque arcis Dominum salutavit, dicens paratum se esse ad cedendum, vel si malit, quocunque modo id placeat, secum veli pacisci. Hæsit attonitus famulus, sed Patris relatione confirmatus, dixit se id unum petere, ut sibi suâ sorte frui liceat, se ultro omni juri ad dynastiam cedere, modo præsens Dominus, & successores sibi, uxori, ac liberis pro tenuitate fortunæ suæ prospiciat. Itum igitur in pacta, quæ à Domino Sanctè servata, statim castrum quietum fecerunt. Testis hujus est Theophilus Raynaudus *tom. 27. in prato Spirit. hist. 87.* Meritò proinde inter pœnas purgatorii S. Antoninus *1. p. tit. 5. c. 3. §. 1.* numerat consanguineorum negligentiam, dum dicit: Alio modo affliguntur considerantes negligentiam cognatorum suorum & amicorum circa ea, quæ illis commendârunt defuncti. Unde tam instanter clamant cum *Job. c. 19. v. 21.* miseremini mei! miseremini mei saltem vos amici mei. pulchrâ id instantiâ explicat dictus S. Pater: Si quis inquit in magnis periculis constitutus, non valens per se ipsum evadere, videret amicum aut filium, uxorem vel liberos, vel quemlibet ex cognatis, posse se facilè ex tanto periculo liberare, si tantum vellet, & tamen per negligentiam omitteret, quanto quæso cruciaretur dolore? Sic ergo animæ in purgatorio detentæ, videntes suorum circa se negligentiam, plurimum cruciantur.

Sed dicunt aliqui; curavi celebrari in altari privilegiato, indulgentiam applicui plenariam, & Communionem generalem, non opus est ergo ulteriori suffragio. Laudo pietatem; sed memineris velim dixisse me superius, Pontifici directè in animas Purgatorii jus nullum esse, undè etiam in missâ defunctorum non datur à Sacerdote benedictio, quod sufficienter intelligitur ex verbis Christi *Matt. 16. v. 9.* quando dixit Petro. Quodcunque solveris super terram: per modum tamen suffragii animas liberari, & DEum ut plurimum suffragium animæ applicatum acceptare. Quia tamen defectus aliquis esse potest

Suffragia nostra pro animabus reiteranda.

potest

potest in applicante missam, vel offerente indulgentias, non satisfaciendo conditionibus præscriptis, vel etiam in animâ ipsâ defuncti, utpote, tali, fieri potest ut uno non juvetur sacrificio, proindè debere suffragia nostra utiliter reiterari. Refert enim Gonzaga *de Orig. Seraph. Relig. p 4.* Religiosum quemdam, ordinis Novitio pro se oranti post mortem apparuisse, atque fassum fuisse, ideò potissimum se ignibus purgatorii detineri, quod pro defunctis orare in vitâ neglexisset. Quid si vero anima jam sit in cœlo, vel verò sit inferno, ubi nullibi eget nostro suffragio, annè tunc irritum & infructuosum nostrum erit suffragium? Thomas Wendinus semper effectum suum sortiri dicit, & explicat per columbam illam Noë, quam Patriarcha emisit ex arcâ. Suffragium nostrum, inquit, est columba, quæ ex arcâ id est, Ecclesiâ DEI egreditur, si animam in purgatorio reperit, ibi sistit, si illam in cœlo invenit, ramum olivæ refert gloriæ alicujus accidentalis illi animæ collata. Si verò anima sit in inferno, pro quâ suffragium destinasti, tunc fructus suffragii, vel in tuum servitium, vel cum plurimis Doctoribus putem in aliarum animarum utilitatem impenditur. Et hinc tot extant visiones, quæ animas aliquorum religiosorum in comitivâ plurimarum animarum viderunt cœlum ingredi, quas utiq; suffragia, quibus non egebant, eliberarunt, & secũ in cœlum induxerunt. Quo enim suffragia tot sacrorum terminarentur, pro animâ cujusvis Religiosi, qui fortè non nisi uno, vel altero indigebat, pro quo tamen omnes in Provinciâ Sacerdotes quamprimum suffragia accipiunt, sua sacra legunt pro anima illius defuncti. Ut jam non mirer cœlum fœcundum fieri ab animabus, quæ ex purgatorio nostrorum suffragiorum subsidio eliberantur. *1. Reg. 1.* Elcana Phenenam habebat, & Annam uxores, hanc sterilem, illam verò fœcundam, quæ tantoperè sterilem lacessivit, ut dicat scriptura, porro illa flebat, & non capiebat cibum. Punivit autem DEus Elcanam morte filiorum, & sterilis facta est Phenena. Annam verò DEus fertilitate donavit, fecitque fœcundam. In his duabus mulieribus repræsentatur mihi limbus Patrum, & præsens purgatorium. Ante mortem Christi limbus fertilis erat, & hic, quia dictus fuit sinus Abrahæ, non malè cum fœcunditate correspondet. Cœlum verò sterile velut Anna nullos filios, nullasque animas habebat, moritur DEI filius, & hic limbum ingressus, limbo velut fertili Phenenæ omnes filios eripuit, & cœlo donavit. Anna modo à morte Christi

Negligenter orantes pro defunctis post mortem non juvantur suffragiis.

Suffragia nostra pro animabus nunquam sunt irrita.

Cœlum fit fœcundum beatis per sacra.

Christi fœcunda facta est, id est, ab initio nascentis Ecclesiæ, animæ in purgatorio detinentur. Ut verò hæ liberentur, eritne necessarium, ut rursus DEI filius moriatur? Respondet Momingo *fer. 6. post Dom. 4. Quadrag.* Omnino, ut liberentur hæ animæ rursus moriendum est Christo, non morte illa cruentâ, sed repræsentativâ in sacrificio missæ, in quo recolitur memoria passionis ejus. Hinc S. Th. *opusc. 58. c. 1.* dicit: Caro & sanguis Christi pro animabus defunctorum rectè offeruntur, ut à pœnâ purgatorii, quâ pro residuo pœnitentiæ ligati sunt, absolvantur. Quare dum in Sacrificio per modum suffragii offertur Christus, & ad purgatorium mittitur, quasi rursus pro animabus moritur, cum sit ejusdem cruentæ mortis repræsentatio. Ad quas dum Christus mittitur, uti superius ex S. Hieronymo diximus, animæ interim nullum quasi tormentum sentiunt. Videtur hoc DEus ostendisse in illo captivo, de quo Beda *Anglic. hist. l. 4. c. 22.* refert is, quod commisso prælio inter Egsridum & Edelredum reges, quidam miles graviter vulneratus inter reliqua cadavera jacuerit. Verùm ubi resumpto spiritu se erexit ab hostibus captivus abductus est. Hic dum captivus tenetur, ferreis vinculis constrictus fuit. Frustra tamen illi imponebantur vincula, sponte namque solvebantur. Res hæc consternavit hostes, sed & ipsum terruit captivum, usque dum rescitum fuit, quod frater ipsius Abbas pro ipso quasi defuncto, continuo sacrum faceret. Atque adeo sacrificia, quæ pro putatitio mortuo offerebantur, vincula solverunt viventis. Ex quo patet, quòd missæ, diu differendæ non sint, sed statim dici debeant, quo citiùs à pœnis solvantur. Obiit aliquando Parisiis Religiosus Angelus dictus, cum tantâ æstimatione sanctitatis, ut quidam ex fratribus omitteret legere tria sacra, ad quæ vi legum tenebatur. Post aliquot dies apparuit permittente DEO fratri suo cum hac lachrymabili voce. Ah, frater miserere mei! Cum alter quæreret, quid verò peteret? Respondit tria sacra, quæ debes. Jam dudum essem in cœlo, si illa pro me obtulisses.

Sacrum pro captivo factum solvit compedes, & vincula.

Sacrificia pro mortuis debita sunt statim persolvenda.

Fusius ostendi quantum sacrificio missæ & sacrâ Communione animabus prodesse possimus. S. Hier. *in c. 11. Prov. uti & S. Antonin.* putant etiam aliis precibus & eleemosynis nos illis veniam & gratiam posse obtinere. Etsi impiis inquit S. Hier. spes veniæ non est, sunt tamen qui de levioribus peccatis cum quibus obligati defuncti sunt, post mortem possunt absolvi, vel pœnis videlicet castigati, vel suo-

Etiam alia pia opera pro animabus offerenda.

suorum precibus, & eleemosynis missarumque celebrationibus. Unde non malè quispiam suffragia nostra cum navi illâ comparavit, quam olim Christiani quotannis mittebant in Turciam, ut eò litrum pro Christianis eliberandis deportaret. In eâ navi patronus catalogum habebat accepti pro certis captivis litri, quem publicè recitavit, litróque barbaris persoluto eosdem navibus suis impositos, in patriam libertati restitutos reduxit. O quanta navis hujus fuit expectatio! Quod gaudium liberatorum ex Societate captivorum? Quis dolor illis, qui ulteriori detenti captivitate à suis amicis & consanguineis nihil acceperunt? Navarchus qui litrum fert orationes scilicet vivorum, jejunia nostra, mortificationes, eleemosynas, aliaque pietatis opera, angeli sunt, qui quotidie purgatorium ingrediuntur. Quæ hic animarum est expectatio? Quis jubilus liberatarum? Quis dolor neglectarum, maximè si parentum sint, aut eorum, qui tibi tanta bona fecerunt; aut certè quibus tu ipse scandalo fuisti, aut causa, ut modo pœnis purgatorii attineantur. *2. Reg. 9. v. 7.* dixit David ad Miphiboseth: Comedes panem in mensâ meâ semper. Cur obsecro Miphiboseth debilis & claudus pedibus, semper mensæ regiæ assidere debebat? Cur nutritur dapibus regiis? Causam dicunt fuisse interpretes; Ingressus est David urbem cum numeroso & valido exercitu; Nutrix quinquennem Miphiboseth ex terrore ulnis suis excidere passa est, eúmque fractis pedibus claudicare fecit. David suâ causâ id factum sciens, eum suæ mensæ accumbere jubet. Quot nostrâ causâ lapsæ sunt animæ; omnes hæ claudæ sunt, imò manibus & pedibus captæ, quas proindè meritò cum Davide non mensæ regiæ, sed divinæ adhibere debemus, eásque suffragiis missarum, aut sacræ Communionis adjuvare. Animæ purgatorii in Camino sunt, non secus ac illi tres pueri, qui missi sunt in Caminum ignis fornacis babylonicæ. *Dan. 3. v. 5.* Nabuchodonosor Rex statuam suam adorari præcepit sub pœnâ combustionis in fornace ignis ardentis. Non paruerunt huic edicto tres adolescentes hebræi, adeoque jussu regio in fornacem injecti sunt. Et ecce dicit scriptura, *v. 49.* Angelus autem Domini descendit in fornacem, & excussit flammam ignis de fornace, & non tetigit eos omnino ignis, neque contristavit, neque quidquam molestiæ intulit. Fornax hæc purgatorium est, ad quod descendunt angeli sancti, & consolantur animas, atque flammas nostris suffragiis dissipant, & orationibus atque bonis operibus mitigant ac mode-

Suffragia nostra sunt navis in Turciam cum litro missa.

Orandum pro animabus, quas scandalizavimus.

moderantur. Hæ flammæ stagnum illud sunt, quod vidit Joannes *Apoc. 19. v. 20.* Vivi missi sunt in stagnum ignis ardentis sulphure. Defunctæ matri ad tumulum innocens quotidiè parentavit parvulus, & flexis genibus super sepulchrum oravit ter pater & ave, ut matri suæ bene precaretur, ut requiem obtineret æternam. Vidit hunc puerum Episcopus, & observavit, quod hamum aureum in tumulum demitteret, quo scilicet animam matris suæ piscabatur. Tantum est pro mortuis DEum exorare. Placuit Episcopo hæc pueri devota erga matrem pietas, & matrem deinde peracto sacrificio ex stagno ardenti cœlo intulit. Sunt illæ gratæ & memores accepti beneficii; Grande est beneficium, quod illæ nobis rependunt. Suffragium tu mittis, sed duplex beneficium tu accipis. Occurrit hic rei istius symbolum *2. Machab. 15. v. 16.* Machabæo pugnaturo contra Nicanorem adfuerunt animæ Oniæ Sacerdotis, & Jeremiæ Prophetæ offerentes ei ensem dicendo. Accipe sanctum gladium munus à DEO, in quo dejicies adversarios populi mei Israël. Quid obsecro hæ duæ animæ nisi beneficium duplex, tutela nimirum corporis & animæ, quam historiæ penè infinitæ confirmant. Miles erat, inquit Pexenfelder *p. 1. hist. 12.* qui sub loricâ animum gestabat religiosum, inprimis autem devotus erat animabus, hic quoties transibat cœmiterium, toties substitit, & orationem Dominicam pro illis dixit: Habuit ille inimicos vitæ suæ insidiantes, qui cum eum in cœmiterium compulissent, ubi celeri fugâ elabi potuisset, sed moris sui, & piæ consuetudinis recordatus, anxius hæsit, an consuetum Pater noster diceret? an fugeret? Vicit pietas, & dum orat, eum assequuntur hostes jam jam trucidaturi, nisi repentè ex tumulis exivissent mortui, qui Clientem in medium sui recipiunt, & orationem imperturbatè absolvere jubent, hostes verò in fugam converterunt, atque ad pacem ineundã compulerunt. Vides hic corporis tutelam. Animæ singulare præsidiũ habes in illo, qui omniũ scelerum genere infamis animabus tamen purgatorii mirè addictus fuit, his enim sæpius sacra curavit, & variis obsequiis earum liberationem apud DEum procurabat. Fuerunt huic inimicitiæ cum popularibus suis, uti narrat Pexenf. *p. 1. hist. 12.* à quibus ad certam necẽ designabatur. Hic cum sub crepusculũ æstûs vitandi causâ urbe exiret, incidit in quercum, à qua latronis in quatuor partes secti membra pendebant, quæ ipso spectante cœperunt inter se conjungi, atque in unum corpus coire, atque

Puerulus pro matre orans piscari ab Episcopo visus est.

Animæ gratæ sunt nobis.

Miles animabus devotus contra hostes ab animabus defenditur.

Animæ consulunt vivorum saluti quo ad animam.

Latro in 4. dissectus partes pium erga animas Clientem defendit.

que ab arbore descendere. Ubi terram attigit torpentis pene præ timore spectatoris equum arripit, eumque ex equo descendere, & inibi expectare, usque dum rediret, jubet. Vix equum inscendit, & ad sexaginta forte passus abinde progressus fuerat, cum ecce invaditur à quatuor positis in insidiis, qui displosis suis bombardis venientem ex equo dejiciunt. Hostibus fuga dilapsis equum rursus conscendit, & ad spectatorem tragœdiæ redux dixit: Hæc te mala sors manebat, nisi tui misertus in eam me conjecissem. Datum hoc est eximiæ tuæ in defunctos pietati. Perge in hoc studio, mores autem tuos & vitam sceleratam emenda, atque ad legis divinæ rationes compone. Quibus dictis cadaver rursus in quatuor partes distractum, ut antea, pependit. Tantum potuit diligens pro animabus oratio. Potest etiam plurimum liberalis in pauperes eleemosyna, quæ intuitu animarum purgatorii impenditur & erogatur in pauperes. Annon enim Judas Machabæus sibi assistentiam obtinuit Oniæ & Jeremiæ, quia liberalis fuit? Audi sacrum Codicem *Machab. 2. c. 12. v. 43.* duodecim millia drachmas argenti misit Jerosolymam. Non otiosum est consilium Sapientis *Ecclesiastis 11. v. 2.* Da partem septem, nec non octo, quasi diceret bonorum tuorum partem septimam tribue vivis, sed nec octavæ obliviscaris, id est animarum. Cùm enim præsens status vitæ nostræ per septimanam denotetur, octavus videtur designare statum animarum. Fundatur hæc opinio in judicio Medicorum, de quo *Reies quæst. 90.* Cur octimestris partus communiter sit fatalis; inquit; varii varias attulerunt causas. Aliqui in Saturnum hoc referre volunt quasi fatalem infantibus, sub cujus tutelâ tunc est infans in utero matris. Peramatus verò refert in feminum naturam & differentiam dum dicit, aliud esse septimestre, aliud novimestre. Unde infantes, qui nascuntur octavo mense, præter feminis exigentiã & naturam nascuntur, & vitales non sunt. Confirmatur hoc ex Hipocrate de alimento, ubi motionis & perfectionis tempora declarans, nullum octavo mense ad perfectionem devenire docet. Quia inquit si calidior sit partus & citius moveatur, formatur triginta quinque diebus, in septuagesimo movetur, & in ducentesimo decimo, id est in fine septimi mensis nascitur. Si quadraginta diebus formatur, octuagesimo movetur, & in ducentesimo quadragesimo principio mensis noni nascitur. Si vero quadraginta

Eleemosynâ animæ purgatorii multum juvantur.

Octimestris partus est fatalis.

ginta quinque diebus formatur, quod fit communiter, tunc in nonagesimo movetur, & ducentesimo septuagesimo id est initio mensis decimi prodit. Unde patet ex naturali motu ipsius naturæ, nullius maturitatem in mensem octavum incidere, adeoque hunc mensem à naturâ velut infestum, partum morti deputare. Ex quo inferas octavam partem fatalem esse, & mortuorum, quasi diceret, da partes septem, id est, vivis misericordem te exhibe, sed adverte ne octo, nimirum mortuorum obliviscaris. Bene namque S. Bernardinus dicit, Eleemosyna extinguit ignem purgatorii. Expertus est hoc Eusebius Sardiniæ Dominus, qui unius integræ civitatis proventus annuos in subsidium spirituale animabus purgatorii impendit. Ostorgus, qui Siciliæ imperavit, hanc urbem Eusebio eripuit, quam cum Eusebius Ostorgo viribus impar recuperare vellet, ipse collectis quibus potuit copiis, contra Ostorgum processit. Altero abinde die imminebat Eusebio exercitus albus, quem conspicati excubitores nunciant statim Eusebio, qui mox quatuor ex suis delegit, qui qualis exercitus esset, explorarent. Hjs procurrentibus occurrunt etiam quatuor equites albi, qui Eusebianos bono animo esse jubent, esse se auxiliares ex altero orbe copias, velleque se pluribus cum Eusebio agere. Adfuit statim Eusebius, & ab albi exercitûs Ductore humaniter salutatur, deinde jussus est exercitum suum jungere huic candidæ militiæ, & confidenter in hostem ire. Videbatur hic exercitus referre copiam quadraginta millium, qui ubi in conspectum Ostorgi venit, non parum illum exterruit, maximè ubi per Legatos missos cognovit, has esse copias à DEO missas, ad urbem animarum recuperandam, non sine gravibus minis, si urbem violenter detineret. Ostorgus statim urbem Eusebio restituit, & pro damnis illatis satisfactionem promisit. Quibus promissis Ductor Exercitûs Candidi ad Eusebium gratias agentem sic locutus est. Totus iste, quem vides, exercitus tuus est, mi Eusebi, quia totus piis tuis suffragiis purgatorii pœnis exsolutus, jam in cœlo beatus agit. Si pergis plures liberare, plures habebis apud DEum deprecatores & Patronos. His dictis totus exercitus disparuit, & Eusebium, omnesque alios consolatione plenos reliquit. Ita Lucas Pinellus *l. 1. de altera vita c. 28.* O quam verum est S. Bernardini dictum Eleemosyna extinguit ignem purgatorii. Quod si velis cum


Urbs animarum ab iisdem recuperatur.

 S. Do-

S. Dominicus quotidiè se pro animabus flagellavit. S. Dominico, aut S. Christina afflictiones & mortificationes corporis adhibere, tuæ, quas sponte assumis, pœnæ, animarum pœnam incident penitus, & infringent. S. Dominicus ter quotidie se flagellavit, & tertio pro animabus purgatorii copiosum sanguinem fudit. *S. Christina ut juvaret, animas ad vitam rediit.* S. Christina statim ab obitu suo, ubi vidit in pœnis purgatorii animas, à Christo interrogata fuit, an mallet intrare cœlum, vel redire ad corpus & castigationibus corporis implere ea, quæ desunt passionum animabus purgatorii? Et ecce sancta virgo ad corpus rediit, perque quadraginta duos annos miranda planè toleravit in suffragium animarum.

Maria Purgatorii Regina. Ego vobis, O afflictissimæ animæ pro coronide sermonis mei, Mariam purgatorii Reginam, & Dominam constituo, huc ergo, huc mecum omnes oculos vestros convertite, & Mariam velut cynosuram salutis vestræ respicite. Est illa Domina & Regina vestra, huc oculos vestros & suspiria reflectite, atque spem omnem & fiduciam convertite. Neque enim frustra huic Reginæ dictum est *Cant. 4. v. 8.* veni de Libano, veni! coronaberis. De capite Amana, quod verbum ex S. Hieronymi interpretatione *in c. 3. Esther.* Et Glossa Ordin. *in c 4. Cant.* significat angustiam, afflictionem, vel pœnam. Quid verò aliud est purgatorium, quàm locus angustiarum, dolorum & pœnarum inexplicabilium. Si verò verissimum est, quod *Prov. 17. v. 17.* dicitur omni tempore diligit, qui amicus est; & frater in angustiis comprobatur. Quam ego merito dicam de Maria, quod omni tempore diligat sibi devotas animas, adeoque fidele earum suscipiat patrocinium. Ut propterea S. Bonav. ad illam conversus dicat. Oramus te piissima Virgo Maria, & Angelorum Domina, ut eis, quos in purgatorio examinat ignis, impetres refrigerium. Quomodo enim possibile esset, ut pia aliqua mater in clibano accensissimo ardenti non succurreret pro viribus filio. Sic impossibile est, ut piissimæ matris non intimè moveantur viscera, quando videt animas sponsas dilecti filii sui ardere in ignibus purgatorii, & ibi flammis illis dirissimè excruciari. Certè hic verificatur illud Aug. *l. 9. confess.* Non enim amas & deseris. Unde ad Mariam respiciunt, inquit Hugo Cardinal. *super Cant.* qui degunt in purgatorio, ut liberentur. Et S. Bernardin. postquam flammas purgatorii undis

dis maris comparavit, illud *Eccl. 24. v. 8.* adducit, & in personâ B. virginis loquitur. In fluctibus maris ambulavi, scilicet visitans & subveniens necessitatibus & tormentis devotorum meorum. Causam dat idem S. Bernardin. Sen. *serm. 3. de nomine Mariæ art. 2. c. 3.* Quia filii ejus sunt, quia sunt filii gratiæ, & in gratia confirmati, atque de gloriâ certificati. Cui assentitur Hugo citatus. Ad Mariam respiciunt, & qui habitant in cœlis, & qui degunt in purgatorio, & qui habitant in mundo. Primi ut resarciantur. Secundi ut eripiantur, tertii ut liberentur. Tu ergo ô piissima Mater filiorum tuorum patrocinium suscipe, & quod nos suffragiis nostris sufficienter in illarum subsidium præstare non possumus, tu maternâ tuâ pietate supple, & animas defunctorum validissimâ intercessione tuâ sævissimis tormentis eripe, atque æternæ felicitati transcribe.



DIS-



DISCVRS. XXXIX.

De Communione Sanctorum quæ est in Ecclesia per Indulgentias.

Hesaurus Ecclesiæ etsi præcipuè constet ex meritis Christi, & illius infinitis satisfactionibus; Conflatur tamen etiam ex meritis & satisfactionibus Beatissimæ Deiparæ, aliorumque præcipuorum Sanctorum, utpote quorum sanctæ actiones, & rigorosæ mortificationes potuerunt longè plus pœnæ expiare, quam eorum peccata vel nævi fuerint demerita. Quare thesaurus Ecclesiæ nil aliud est, quam ingens quidam, & inexhaustus cumulus meritorum & satisfactionum, quæ Christo Domino, sanctissimæ Matri illius, ejusque vivis membris superfuerunt, & hucusque in acceptatione memoriaque divina servantur, atque in utilitatem indigentium membrorum Ecclesiæ erogari possunt. Quod *Job. c. 6. v. 2.* sensisse videtur, quando dixit: utinam appenderentur peccata mea & calamitas, quam patior in staterâ, quasi arena maris, hæc (scilicet calamitas.) gravior appareret, ex quo manifeste ostenditur, quod B. Virgo, quæ nunquam peccavit, S. Joannes Baptista, Sancti Martyres inter innumera & crudelissima tormenta longè plus passi sunt, quàm peccatis suis pœnæ contraxissent. Ex quo manifestum fit, sanctos qui modo sunt in cœlo, dum adhuc nobiscum vixerunt superfluas habuisse satisfactiones, quæ ut dicamus, quod nullum penitus effectum habuerint, divinæ hoc bonitati nullo modo videtur congruere. Cum enim ille excessus satisfactionum & meritorum effectum suum habere non possit in ipsis sanctis, habebit saltem in nobis, si nobis debitè applicentur. Si enim satisfactiones viventium prosunt aliis viventibus, dum ipsis per alios applicantur, cur non prodesse queant, si applicentur sanctorum in cœlo satisfactiones, etiam nobis per eum qui potestatem habet. Quod autem viventibus prosint, si illis per alios viventes applicentur, testatur S. Paulus

Thesaurus Ecclesiæ sunt merita & satisfactiones Christi & omnium SS.

Sunt in Ecclesia superfluæ SS. satisfactiones.

satisfactiones viventium prosunt aliis viventibus.

ad Col.

ad Coloss. 1. v. 21. Gaudeo in passionibus pro vobis, & adimpleo ea, quæ desunt passionum in carne mea pro corpore ejus. Ubi bene advertenda sunt verba S. Pauli pro corpore ejus, quasi diceret: Sancti quorum sunt satisfactiones vel hic in terris, vel etiam jam in cœlis, sunt ejusdem corporis membra nobiscum, membra autem se mutuo juvant. Quare sicut satisfactiones Christi sunt omnibus communes, quia sumus omnes membra Christi, ita etiam satisfactiones & merita Sanctorum sunt omnibus membris, totique corpori communia, ut de illis omnes participemus. Et licèt DEus opera bona sanctis in cœlo copiosè omnino remuneratus sit, quod Paulus dixit *2. ad Cor. 4. v. 17.* Id enim quod in præsenti est momentaneum & leve tribulationis nostræ, æternum gloriæ pondus operatur in nobis; nihilominus tamen sciendum est, quod opera satisfactoria duplicem habeant effectum, unum scilicet meriti, vel præmii, quatenus nimirum sunt bona & DEO placita, atque ex gratia producta, alterum habent effectum satisfactionis, quatenus sunt carni molesta, & afflictiva, atque sic pro pœnis temporalibus nostrorum peccatorum satisfaciunt. Primum effectum prœmii & gloriæ habent beati in cœlis, secundum non habent in se ipsis, quia nullam, vel certè non tantam pœnam sunt commeriti, atque adeo ut suum sortiantur effectum, habebunt illum in nobis, si nobis applicentur.

Opera satisfactoria duplicem habent effectum. Meriti & satisfactionis.

Ex quo oritur quæstio quis nobis hæc merita Sanctorum, & satisfactiones applicare possit. Et est communis doctrina Ecclesiæ Catholicæ, quod hæc potestas sit in summo Pontifice velut Christi Vicario, cui *Joan. 21. v. 17.* à Christo dictum est, pasce oves meas. Clemens tamen Sextus *in Extravag.* insinuat ejus promissionem factam fuisse Petro per verba illa *Matth. 16. v. 19.* Tibi dabo claves Regni cœlorum. adeo ut P. Gobat *Tract. 4. de Indulg. p. 1. c. 6.* dicat hanc potestatem in summo Pontificè esse ordinariam ita quidem, ut illi competat etiam ante actualem consecrationem, quia est potestas jurisdictionis, non verò ordinis. Et hinc potestas concedendi indulgentias centum dierum data Cardinalibus, Quadraginta verò dierum concessa communiter Legatis Apostolicis, Archi-Episcopis, Episcopis, Suffraganeis, vel etiam Prælatis, qui sunt Episcopo inferiores, licèt à quibusdam dicatur illis concessa jure ordinario, à multis tamen delegata tantum docetur. Neque est, quod moderni Novatores & Sectarii dicant, quòd res sit nova, & recens, dare

Potestas nobis applicandi merita & satisfactiones SS. est in Pontifice.

in Ecclesia Indulgentias, cùm constet ex Bullario Cherubini Urbanum secundum anno Christi 1092. dedisse pœnitentibus & confessis Ecclesiam congregationis S. Justinæ Ordinis S. Benedicti visitantibus indulgentiam septem annorum & totidem quarantenarum. Sic Paschalis secundus anno Christi 1116. uti testatur Bellarminus *de Indulg. l. 2. c. 17.* dedit indulgentiam quadraginta dierum iis, qui limina Apostolorum visitarent. Eugenius Tertius S. Bernardi discipulus anno Christi 1150. dedit Indulgentias ituris ad expeditionem sacram contra Saracenos, & S. Bernardo easdem promulgandi mandatum dedit, in vita verò ejusdem S. Bernardi legimus, quod cùm is concionatus fuisset de indulgentiis ab Eugenio concessis, fidem suis dictis adjecerit complurium miraculorum patratione factâ post concionem. Alexandder III. deinde anno Christi 1159. plura de Indulgentiis meminit, quod postea in corpus Juris Canonici est relatum. Atque adeo novum non est, quod vel ab ipsis Apostolis, vel eorum successoribus laudabiliter & sanctè factum vidimus. Quomodo enim aliter intelligi debet S. Paulus *2. ad Cor. 2. v. 10.* quando Incestuoso illi, quem Sathanæ tradidit, id est, excommunicavit, propter pœnitentiam tamen quam egit, ad instantiam ipsorum Corinthiorum indulgentiam contulit, & debitum pœnæ remisit, cùm dixit: Cui aliquid donâstis, & Ego, quod donavi propter vos in persona Christi. Unde quando nobis à summo Pontifice indulgentiæ ex justa & rationabili causa, potestate à Christo sibi traditâ, conferuntur, & pœnæ temporales in foro DEI debitæ sub condicione implendi certi operis condonantur, tunc enimverò ille, quæ desunt passionum nostrarum supplet ex thesauro Ecclesiæ, exhibendo Justitiæ divinæ vice nostrarum satisfactionum, superfluas satisfactiones Christi & Sanctorum. Neque enim frustra in Pater noster nos DEO debitores esse fatemur, dum quotidie dicimus. Dimitte nobis debita nostra, quia enim solvendo non sumus, ex communi Ecclesiæ ærario misericordissimè adjuvari debemus. De debitoribus refert Cœlius Rhodiginus *l. 12. c. 20.* consuevisse Romanos eos, qui æs alienum fecissent, adduci à Creditore non solùm in servitutem, sed sæpe etiam in ergastulum & carnificinam. Neque hic solùm stetit Creditorum severitas, etiam filios & nepotes in eandem sortem secum involverunt infelices debitores. Miremur nos expilari Provincias, expugnari urbes, fame interire exercitus, in captivitatem Tur-

Indulgentias S. Bernardus promulgans miraculo confirmat.

Romanorum in debitores severitas.

Turcicam abduci uxores, & liberos. Creditores! Dicam ego justus Creditor, & longanimis DEus exigit à nobis debita, & quia debitas DEO satisfactiones non damus, in carnificinam cruenti gladii Turcici, & nos & filii nostri, nostrique nepotes tradimur. Mitiores fuerunt Spartiatæ de quibus *Herodotus l. 6.* qui in more habuerunt, ut is qui defuncto Regi succederet, omnes ære alieno detentos liberaret. Felices subditi! qui funere regio ab omni ære alieno sunt exsoluti. Ter felix genus humanum, quod non solùm morte Christi ab æterna captivitate est emancipatum, sed tanto ærario meritorum Christi est præmunitum, ut unde dissolvat omne apud Patrem æternum debitum, semper habeat. Quia namque teste Davide *ps. 129. v. 7.* apud DEum misericordia, & copiosa apud eum redemptio. Alexander ab Alexandris *l. 3. c. 16.* Quinque viros apud Romanos dicit exhibuisse in publico foro mensas auro & argento graves, & in illis Creditores fuisse exsolutos. qui longo carcere detinuerunt debitores illos, qui solvendo amplius non erant. Per indulgentias, quas Sedes Apostolica concedit, mensa ditissima ponitur ex qua per merita Christi suorumque Sanctorum dissolvitur æs illud grande, quod apud DEum contraximus. Ut verò nobis non accidat, quod refert Dubravius *l. 19. hist. Bohem.* fecisse Wenceslaum V. Bohemorum Regem, Ecclesia velut pia mater contra justissimam indignationem irati DEI nobis providet, atque præmunit. Rex hic cum plurimos haberet debitores ærarii sui regii, utpote qui possidebant terras regias, nec tamen pensiones debitas solverunt, complures ollas vacuas afferri, & in ordinem certum disponi jussit, quas deinde Rex cum his verbis allocutus fuisset. Redde Regi quod debes, alioquin caput tuum in hunc modum tibi confringetur, ollas valido baculi ictu confregit. Nec minus fecit, quàm dixit, quando severissimè exegit rationes suorum debitorum, & multos qui non erant solvendo in ære, in pelle luere coëgit, atque capitis damnavit. Quoties ira DEI testas fragiles & mortales nos, tristi voce compellat, redde, quod debes! at quia vacui sumus à meritis, & operibus satisfactoriis, justam DEI manum meritò timere debemus. Atque adeo ne confringamur, qui nostris meritis sumus vacui, alienis, ex amplissimo Ecclesiæ thesauro replemur.

Spartani in debitores mitiores fuêre.

Wenceslaus V. Rex Bohemiæ debitores ad solvenda debita compellit.

Est enim indulgentia per Cardinalem Toletum *l. 6. c. 21.* & Valentiam *tom. 4. disp. 7. q. 20.* relaxatio pœnæ temporalis debitæ pro

peccatis actualibus jam dimissis concessa à Prælato Ecclesiæ per applicationem thesauri Ecclesiastici. Ubi adverte dici pro peccatis actualibus, quia pœna pro originali debitâ, uti docet Gobat *tract. 4. p. 1. c. 2. q. 7. n. 4.* remittitur per baptismum, non verò per indulgentiam. Dicitur deinde esse remissio pœnæ temporalis, quæ vel ex sententia DEI in purgatorio, vel ex præcepto confessarii in hac vita luenda esset. Dicitur rursus remissio vel relaxatio pœnæ temporalis, quia ut loquitur Pontifex *in Extravag. lit. D.* pœna æterna remittitur per illum ipsum actum, per quem culpa mortalis dimittitur, nimirum per absolutionem Sacramentalem. Pro quo melius intelligendo notandum est, duo semper intercedere in quovis peccato, nimirum quod peccator incurrat pœnam damni, & pœnam sensûs, id est, quod homo vi peccati mortalis mereatur excludi ex cœlo, & simul præcipitari in infernum ad ignem æternum. Quando verò peccator confitetur, tunc sacerdos reconciliat illum DEO, eumque facit amicum DEI, atque rursus cœli hæredem constituit. Pœnam verò æternam inferni, commutat in temporalem. Et quia fuit primitivæ Ecclesiæ praxis ut pro uno peccato mortali imponeretur pœna septem annorum, propterea quod hæc sancta apud omnes fuerit opinio, quod etiam animæ licet in hac vita peccatum mortale confessæ ab eoque absolutæ fuissent, septem tamen annis in purgatorio propter unum peccatum mortale detineantur. Hinc quia remissa culpa seu aliquo peccato mortali per absolutionem Sacramentalem semper sequitur remissio pœnæ damni, ut nimirum homo rursus cœli capax fiat, non sequitur tamen semper remissio pœnæ, quam DEus in alteram vitam seu purgatorium reservavit, nisi illa per indulgentias aut alia pietatis ac misericordiæ vel etiam mortificationis opera expiemus. Quod verò DEus hoc faciat, & in gratiam recipiat, pœnam tamen reservet; ostendit nobis hoc DEus in Adamo *Sap. 10. v. 2.* ubi scriptura clarè dicit: & eduxit eum DEus à delicto suo, id est, remisit illi debitum pœnæ damni, reservavit illi tamen debitum pœnæ in hac vita, quam usque ad mortem ferre coactus fuit. Nempe illam quam *Gen. 3. v. 17.* imposuit, quia audisti vocem uxoris & comedisti de ligno, ex quo præceperam tibi ne comederes, maledicta terra in opere tuo, in laboribus comedes ex ea cunctis diebus vitæ tuæ. *Et v. 19.* in sudore vultûs tui vesceris pane tuo, donec revertaris in terram, de quâ sumptus es. Ubi non tantum

Indulgentia quid?

Septennii pœnitentia p[ro] opeccato mortali in Ecclesia recepta.

tum laboriosè vita, sed ipsa etiam mors peccati licèt dimissi pœna fuit. Quod idem in eodem loco *v.16.* dixit Evæ; multiplicabo ærumnas tuas. In dolore paries filios, & sub viri potestate eris. Quod DEus fecit cum primis nostris parentibus, idem planè præstitit populo Israëlitico *Exod. 32. v. 34.* ubi DEus ad instantiam Moysis condonavit peccatum commissæ idololatriæ, sed tamen pœnam suo tempore se sumpturum minatur, Ego autem in die ultionis inquit, visitabo & hoc peccatum eorum. Hinc *v. 31.* dicitur percussit ergo Dominus populum pro reatu vituli, quem fecerat. Sic plane Sorori Moysis *Num. 12. v. 10.* licèt orante Moyse DEus sorori veniam dederit, in pœnam tamen murmurationis leprâ percussit. Et ecce Maria apparuit candens leprâ quasi nix. Accedamus ad *librum 2. Reg. c. 12. v. 13.* & videbimus Davidem adulterii veniam habentem, quando ad exprobrationem à se commissi peccati exclamavit. Peccavi Domino. Tunc enim Nathan ad David conversus dixit: Dominus quoque transtulit peccatum tuum. Non morieris. Verumtamen quoniam blasphemare fecisti inimicos Domini, propter verbum hoc, filius qui natus est tibi, morte morietur. Quæ omnia licèt manifestè ostendant remissâ culpa reservari pœnam temporalem, tamen ab hæreticis malè detorquentur, dum dicunt: hæc solùm facta esse ideo, ut præmoneremur, ne similibus peccatis DEum offendamus, non verò facta esse in vindictam peccati præteriti. Quod tamen manifestè in peccato Adami, populi Israëlitici, & Davidis refellitur, quibus ratio pœnæ clarè à DEO apponitur. Ut tamen manifestiùs procedamus, videamus *Num. 14. v. 20.* Quid DEus dicat Israëli in deserto murmuranti. Dixitque Dominus dimisi juxta verbum tuum, at statim subjungit *v. 21.* attamen omnes homines, qui viderunt majestatem meam & signa quæ feci in Ægypto & solitudine, & tentaverunt me jam per decem vices, nec obediunt voci meæ, non videbunt terram, pro qua juravi Patribus eorum adeoque subdit: dic ergo eis; vivo Ego ait Dominus, sicut locuti estis, audiente me, sic faciam vobis. In solitudine hac jacebunt cadavera vestra, omnes qui numerati estis à viginti annis & supra, & murmurâstis contra me. Non intrabitis terram, super quam levavi manum meam, ut habitare vos facerem præter Chaleb filium Jephonæ, & Josuæ filium Nun. Parvulos autem vestros, de quibus dixistis, quod præda hostium forent, introducam in terram, quæ displicuit

Remissa culpa reservatur pœna temporalis.

vobis. Quod ut adhuc clarius appareat *v. 34.* ponit modum quo DEus in modo computationis utitur, Juxta numerum quadraginta dierum, quibus considerastis terram, annus pro die imputabitur. Fecit hoc ipsum DEus apud *Ezech. c. 4. v. 6.* assumis iniquitatem domus Juda quadraginta diebus diem pro anno, diem inquam pro anno dedi tibi. Factum hoc ipsum est cum Aaron *Num. 20. v. 24.* Pergat Aaron ad populos suos, non enim intrabit in terram, quam dedi filiis Israël, eo quod incredulus fuerit ori meo ad aquas contradictionis. Tolle Aaron & filium ejus cum eo, & duces eos in montem Hor, cumque nudaveris Patrem veste suâ, induces eâ Eleazarum filium ejus, Aaron colligetur, & morietur ibi. Nota verba illa eò quod incredulus fuerit ori meo. Quando nimirum in deserto fuit jussus percutere petram & tunc dubitavit an fieri possit, ut de durissimo saxo educeretur aqua. Fecit hoc ipsum DEus pariter Moysi *Deuter. 32. v. 49.* Ascende in montem istum Abarim, id est transituum in montem Nebo, qui est in terra Moab contra Jericho, & vide terram Chanaam, quam Ego tradam filiis Israël obtinendam, & morere in monte. Causam subdit *v. 51.* quia prævaricati estis contra me in medio filiorum Israel ad aquas contradictionis in Cades deserti Sin. & non sanctificastis me inter filios Israël. Sic Davidi numeranti populum. *2. Reg. 24. versu 13.* à Gad Propheta jussu DEI denunciatur hujus peccati pœna, cumque venisset Gad ad David nunciavit ei dicens, aut septem annis veniet tibi fames in terra tuâ, aut tribus mensibus fugies adversarios tuos, & illi te persequentur, aut certè tribus diebus erit pestilentia in terrâ tuâ. Ex quibus deducitur in ipso Sacramento pœnitentiæ nomine satisfactionis intelligi opus aliquod pœnosum, quod à sacerdote ante absolutionem, in cautelam peccatorum in futurum & vindictam præteritorum confesso & pœnitenti imponitur. Unde S. Greg. *in 6. Comment. suorum lib. in 1. Reg. c. 2.* inquit: Quid prodest confiteri flagitia, si confessionis vocem non sequitur afflictio pœnitentiæ. Tria quippe in unoquoque veraciter pœnitente consideranda sunt, videlicet conversio mentis, Confessio oris, & vindicta peccati. Nam qui corde non convertitur, quid prodest ei, si peccata confiteatur? peccatum quod diligitur, confitendo minimè deletur. Nonnulli quidem sunt, qui peccata confitendo aperiunt, sed non convertendo nequaquam detestantur. Hi profectò confitendo nihil agunt, quia

Satisfactionis nomine intelligitur pœnitentia à confessario imposita.

Tria in vero pœnitente requisita.

quia quod loquendo ejiciunt, amando introducunt. Unde etiam salubriter confitentibus scriptura insinuat dicens: corde creditur ad Justitiam: ore autem confessio fit ad salutem. Quid est corde creditur ad Justitiam, nisi voluntatem dirigere ad fidem per dilectionem operantem. Cùm ergo quis cordis intentionem ad Justitiam per amorem dirigit, per initium bonæ voluntatis fructum habet bonæ conversionis. Hic certè jam ad salutem confitetur, quia plus loquendo de vulnere ejicit, quam conversione compunxit. Tertia ergo species, id est, vindicta quasi medicina necessaria est, ut apostema reatus, quod conversione compungitur, confitendo purgetur, afflictionísque medicinâ sanetur. Tunc namque bene peccatorem conversum cernimus, cùm dignâ afflictionis austeritate delere nititur quod loquendo confitetur. Modum verò satisfactionis S. Aug. ostendit *hom. 50. ex l 50. homil.* Non enim sufficit mores in melius commutare, & à factis malis recedere, nisi etiam de his, quæ facta sunt, satisfiat DEO per pœnitentiæ dolorem, per humilitatis gemitum, per contriti cordis sacrificium, cooperantibus eleemosynis. *Matt. 5. v. 7.* quoniam ipsorum miserebitur DEus. Quoniam non tantum dictum est, ut abstineatis à peccatis, sed etiam de præteritis inquit *Ecclesi. c. 21. v. 1.* Deprecare Dominum, ut tibi dimittantur. Quia non in sola mutatione & resipiscentia vitæ, sed in operibus quoque pœnalibus pœnitentia vera versatur. Hinc tam in lege naturæ, quàm in scripta, quàm etiam gratiæ pœnitentiæ opera à DEO probantur. *Job. 42. v. 6.* Idcirco ipse me reprehendo, & ago pœnitentiam in favilla & cinere. *Jonæ 3. v 6.* dicitur. Pervenit verbum ad Regem Ninive, & surrexit de solio suo, & abjecit vestimentum suum à se, & indutus est sacco & sedit in cinere. Ut propterea nos *Joel. c. 2. v. 12.* tam instanter commoneat. Convertimini ad me in toto corde vestro, in jejunio, & in fletu, & in planctu; Quod quia fecit Achab Rex. *3. Reg. c. 21. v. 27.* Itaque cum audisset Achab sermones istos, scidit vestimenta sua, & operuit cilicio carnem suam, jejunavitque, & dormivit in sacco, & ambulavit demisso capite. Gloriatus est DEus in hac Regis pœnitentiâ. Et factus est sermo Domini ad Eliam Thesbytem dicens: non vidisti humiliatum Achab coram me? Quia igitur humiliatus est mei causâ, non inducam malum in diebus ejus. Adeoque hæc ipsa velut laudabilia Christus commendavit. *Matt. 11. v. 21.* væ tibi Corozaim, væ tibi Bethsaida quia si in Tyro & Sidone

factæ

factæ essent virtutes, quæ factâ sunt in vobis, olim in cilicio & in cinere pœnitentiam egissent.

Cùm ergo satis clarè ostenderim dimissâ culpâ remanere pœnam, quam uti diximus ab æternâ, quam peccator commeritus fuisset, Sacerdos temporalem fecit; Certum est, quod hanc ipsam multum alleviet, confessus per dolorosam confessionem, & per affectuosam impletionem injunctæ sibi pœnitentiæ. Servient tamen ad hæc expianda alia pia opera, nimirum oratio, jejunium & eleemosyna, uti & alia opera mortificationis, quibus DEO hîc satisfacimus, ne in purgatorio pro illis satispati cogamur. Quod autem hæc opera iram DEI mitigent, gratiam & veniam nobis impetrent, testem habemus scripturam 2. *Esdræ. 9. v. 1.* Convenerunt filii Israel in jejunio & in saccis, & humus super eos. Quibus actibus ostenderunt pœnitentiam super eo, quod commiscuerint se alienigenis populis, & à DEO recesserint. Reversi verò ad Dominum his actibus pœnitentiæ restaurarunt rursus Jerusalem, & à DEO in gratiam recepti sunt. Exemplum hujus pœnitentiæ habemus in Davide, qui peccati sui licet à DEO per Prophetam sibi dimissi perpetuam recoluit memoriam, & variis pœnitentiæ operibus DEO pro illo satisfecit. Audiamus illum *ps. 68. v. 11.* & operui in jejunio animam meam, & factum est in opprobrium mihi & posui vestimentum meum cilicium, & factus sum illis in parabolam. Rursus *ps. 101. v. 10.* quia cinerem tanquam panem manducabam & potum meum cum fletu miscebam. Sic *Judith. 4. v. 8.* Et clamavit omnis populus ad Dominum instantiâ magnâ, & humiliaverunt animas suas in jejuniis, & orationibus ipsi & mulieres eorum, & induerunt se sacerdotes ciliciis, & infantes prostraverunt contra faciem templi, & altare Domini operuerunt cilicio. Quibus placatus Dominus excitavit Juditham heroinam, quâ auxiliante ab Holofernis castris liberati sunt. Jonæ caput tertium continet mirabilem pœnitentiam Regis, populi & ipsorum animalium, quâ usque adeo divinæ misericordiæ viscera commota sunt ut ab interitu servata fuerit civitas. Ubi expresse ostendit scriptura, DEO hæc opera eorum, quia conversi sunt de viâ suâ malâ, & misertus est DEus super malitiam quam locutus fuerat, ut faciat eis, & non fecit. Annon Petrus lachrymis veniam obtinuit? *Matt. 26. v. 71.* recordatus est Petrus verbi JESU, quod dixerat, priusquam gallus cantet, ter me negabis, & egressus foras flevit amarè. Sic Magdalena *Luc. 7. v. 37.* ad pe-

Varia pia opera sunt satisfactoria.

ad pedes Christi veniam obtinuit. Et ecce mulier, quæ erat in civitate peccatrix, ut agnovit, quod accubuisset in domo Pharisæi, attulit alabastrum unguenti, & stans retrò secus pedes ejus, lachrymis cœpit rigare pedes ejus & capillis capitis sui tergebat, & osculabatur pedes ejus, & unguento ungebat. Audi jam beneplacitum divinum; Remittuntur ei peccata multa, quia dilexit multum. Rursus *Luc. 18. versu 13.* publicanus à longè stans, nolebat nec oculos ad cœlum levare, sed percutiebat pectus suum dicens: DEus propitius esto mihi peccatori. Vide complacentiam DEI! Dico vobis, descendit hic justificatus in domum suam. Iterum *Luc. 19. v. 8.* Zachæus restituens iniquè possessa, & sua in pauperes erogans, in gratiam recipitur. Stans autem Zachæus dixit ad Dominum: ecce dimidium bonorum meorum Domine, do pauperibus. Et si quid aliquem defraudavi, reddo quadruplum. Ait JEsus ad eum: Quia hodiè salus huic domui facta est, eo quod & ipse sit filius Abrahæ. Undè benè consideranda sunt verba illa *2. Paralip. c. 34. v. 27.* Hæc dicit Dominus DEus Israël, quia audisti verba voluminis atque emollitum est cor tuum, & humiliatus es in conspectu DEI, super his, quæ dicta sunt contra locum hunc, & habitatores Jerusalem, reveritusque faciem meam scidisti vestimenta tua, & flevisti coram me dicit Dominus, ego quoque exaudivi te. Quid quod DEus ipse sæpius moderetur pœnitentiam in rigidè nimis pœnitentibus. Nota est Serrati montis historia, ubi Joannes Guarinus magna cum sanctitate vitam agebat solitariam sicut dæmon, qui filiam Comitis loci illius Domini obsederat, dixerit, se non exiturum nisi à Guarino exire jubeatur. Quæritur, & inter rupes invenitur. Adest Comes cum filiâ, & rogat ut ab eâ dæmonem pellat. Negat is, se habere illa merita, ut in dæmones exerceat imperium, orare se velle pro puellâ ut ab hospite tam malo liberetur. Orat, & dæmon puellam humi affligens disparet. In exitu tamen minatus est se rediturum, nisi diebus novem puellam apud Guarinum relinquant. Unde instantissimè rogârunt parentes, ut contubernium filiæ concedat. Ubi omnes abeunt, & Eremita solus cum puella mansit, exarsit in illius concupiscentiam, atque vim & vitium puellæ intulit. Ut autem scelus non proderetur, puellam occidit, occisam in fossâ lapidibus obruit. Interim redeunt parentes, & filiam repetunt, ille à se recessisse puellam asserit, fortè à feris absumptam, vel in aliquod præcipitium

DEus ipse rigidam pœnitentiam moderatur.

Montis Serrati celebris origo.

Nnnn tium

tium delapsam esse. Credunt homini communi opinione Sancto, & tristes recedunt. At Guarinus ubi ad se rediit, penè desperavit, nisi à B. Virgine, cui devotus fuit, ad pœnitentiam agendam fuisset animatus. Pergit ergo Romam ad Adrianum Pontificem, cui confessus jubetur ad locum commissi sceleris redire, & severam agere pœnitentiam. Regressus ergo ad montem Serratum quadrupedis instar repebat, nec cœlum unquam intuitus est, Post trium aut quatuor annorum spatium miraculosè inventa est imago montis Serrati, quam ubi Episcopus ex monte transferre voluit, & in oppidum monti subjectum deportare, ubi ad locum venerunt, ubi tumulata jacebat filia, imago ulterius moveri non potuit. Unde tumultuario ex frondibus ibi erecto sacello imaginem deponunt. Sub idem tempus Comes in illâ viciniâ venatus per Canes Guarinum pilosum & monstrosum reperit; qui dum feræ instar hospitibus in mensâ ridendus exhibetur, trimestris in ulnis nutricis filiolus clarâ voce Guarinum alloquitur. Erige te Frater Guarine, nam DEus remisit tibi peccatum tuum. Erexit ergo se Guarinus, & abjectus ad pedes Comitis peccatum suum confitetur, eique ad omnem pœnam se offert. Non potuit Comes velle punire illum, quem DEus absolvit. Unum hoc postulavit ut filiæ ossa ostenderet meliori loco tumulanda. Adeunt ergo simul fossam, lapides removent, & filiam vivam reperiunt. Puella cum à loco illo recedere non vellet, extructo ibidem virginum cœnobio DEO & B. Virgini vitam suam sacravit; Guarinus verò ibidem non multò pòst pœnitentiâ, & meritis celebris mortuus est. Refert P. Joannes Baptista Cancellotus *in annal. suis marian.* Quod in Geldriæ oppido apud religiosum & pium Sacerdotem fuerit Maria neptis illius, hanc misit in urbem ad res necessarias coëmendas cum mandato, ut apud amitam per noctem maneret, si commodè ante noctem redire non posset. Accessit amitam, quæ ferociens puellam domo expulit, inter noctis tenebras ad sepes se recepit puella; Ubi non Superos sed omnes dæmones invocavit. Adest invocatus sub specie circumforanei, pollicetur auxilium, si se Mariæ nomine abdicet. Negat illa, multis tamen tandem inducitur, ut saltem Eme se vocari patiatur. Quo facto in consortium illius, imò & thorum admittitur. Annos aliquot in libidine transegit turpissimè, sed tædio tandem capitur, & ubi ab illo impetravit, ut Neomagum ad festa sibi liceret abire, in spectaculum ibi incidit, in quo

Guarino pœnitenti DEus peccatum remisit.

Mariæ nomen dæmoni infensum.

quo exhibebatur matris DEI in peccatores misericordia, quæ res mirè animum puellæ commovit. Avertere illam rursus conatus est dæmon, at renuentem, in aërem abreptam ingenti rursus vi in terram collisit, ab accurrentibus tamen hominibus ipsoque avunculo sacerdote agnita, ad seriam peccatorum pœnitentiam est inducta, atque Romam missa ibidem ipsi Pontifici confessa pœnitentiam accepit, ut collum & brachium annulo ferreo constringeret, nec nisi attritu, aut alia divinâ vi solvi patiatur. Illa in Patriam reversa quatuordecim integris annis ferreos illos annulos tulit, usque dum sibi noctu illos ab angelo solvi vidit, & altero abinde anno feliciter exspiravit. Et negemus DEO placere pœnitentiam, quam tantis prodigiis ostendit sibi fuisse acceptam. Objiciunt tamen Calvinus & Beza homines mollissimi, & dicunt sufficere mutationem vitæ, & resipiscentiam, illam tam rigidam austeritatem non esse necessariam. Audiamus obsecro S. Aug. *hom. 50. ex 50.* Et cum protulerit severissimæ medicinæ sententiam, veniet ad Antistites, per quos illi in Ecclesiâ, claves ministrentur, & tanquam bonus jam incipiens esse filius, maternorum membrorum ordine custodito à Præpositis sacrorum accipiat satisfactionis suæ modum. Circa finem deinde concludit. Non enim sufficit mores in melius mutare, & à factis malis recedere, nisi etiam de his, quæ facta sunt, satisfiat DEO. Non enim dictum est, ut tantum abstineatis à peccatis, sed etiam de præteritis inquit, *Ecclef. c. 2. v. 1.* deprecare Dominum, ut tibi dimittantur. Ubi duo habes nempe ex consilio Sapientis, ut de præteritis depreceris Dominum, ut tibi illa indulgeat, & misericordiam in pauperes, ut per illa facias tibi DEum propitium. Quod verò eleemosyna veniam impetret, audiamus illud *Tob. 4. v. 11.* Eleemosyna ab omni peccato, & à morte liberat, & non patietur animam ire in tenebras, fiducia magna erit coram summo DEO eleemosyna, omnibus facientibus eam. Et *Prov. 16. v. 6.* Misericordiâ & veritate redimitur iniquitas. Non enim frustra dixit *Ecclef. 3. v. 33.* Ignem ardentem extinguet aqua, & in eleemosynis impetrabit veniam peccati. Quare DEus nos ad similia opera pietatis, & satisfactionis hortatur *Joël. 2. v. 12.* Convertimini ad me in toto corde vestro in jejunio & fletu, & in planctu. Certè commovere nos deberet cohortatio *Isa. 1. v. 16.* Lavamini, mundi estote, auferte malum cogitationum vestrarum ab oculis meis, quiescite agere perversè, discite benefacere, quærite judi-

DEus per angelum pœnitenti puellæ modum statuit.

Eleemosyna veniam peccatorum impetrat.

judicium, subvenite oppresso, judicate pupillo, defendite viduam, si fuerint peccata vestra ut coccinum, quasi nix dealbabuntur. S. Joannes in eremo, profectò non nudam tantùm voluit resipiscentiam; quando ad opera pænitentiæ Judæos à se baptizatos est cohortatus. Facite ergo inquit *Luc. 3. v. 8.* fructus dignos pœnitentiæ. Causam hujus dat S. Paulus *1. ad Cor. 11. v. 31.* Quod si nosmetipsos judicaremus, non utique judicaremur. Certè enim si judices æqui foremus, tunc æquam de peccatis vindictam sumeremus, ut sic læsæ justitiæ divinæ satisfieret; dicente S. Paulo *2. ad Cor. 7. v. 10.* Quæ enim secundùm DEum est tristitia, pœnitentiam in salutem stabilem operatur. Expertus est suavitatem hanc pœnitentiæ Eremita Jacobus, qui post multos annos in eremo exactos, ad illam sanctitatis famam venit, ut plurimos ad Christum vel sui nominis æstimatione adduceret. Invidit hos progressus Sathan, & per Samaritanum aliquem auro corrupit prostitutam fœminam, quæ se in sylvâ errantem simulavit, ut hospitium impetraret, & ad flagitium induceret. Quare ad Sancti viri tugurium nocte pervenit, pulsat, admitti rogat, ne bestiis in prædam cedat. Ægrè illam admisit, & pane, atque aquâ recreavit, sed illa infirmam se simulans oleo sibi pectus inungi rogat, quod ille sic caute præstitit, ut dextrâ quidem ungeret, lævam interim ad ardentes prunas ustularet, ne turpibus amoribus arderet. Attonita mulier fassa suum scelus, melioribus instructa monitis discessit. Quare alia fraus erat tentanda dæmoni. Insedit ille nobilem puellam, & clarè edixit, se inde non exiturum, nisi à Jacobo Eremita expelleretur. Inquiritur à mœstis parentibus eremicola; eique reperto puellam sistunt, ut precibus suis malum hospitem expellat, orat Jacobus & dæmon cedit. Parentes ergo DEO & Eremicolæ prolixas gratias agunt. Ne tamen dirus hospes redeat, rogant, ut triduo saltem puellam secum detineat. Vix digressis parentibus ardere libidine cœpit Eremicola, & denique exardescens, vitium infert innocenti puellæ. Ne verò crimen prodatur, puellam occidit, & in vicinum flumen abjicit. Eò progressus est, ut eremum desereret, & voluptates carnis in mundo sequi decreverit. Incidit tamen in virum bonum, cui vulnus animæ detegit, quod in DEI misericordiâ bene animatus ut feliciter curaret, invenit. Dum ergo ad Eremum pristinam redire parat, ad specum mortuorum ossibus horridum pervenit, huc ille progressus sepulchrum vivus subiit,

Jacobus Eremita ignes ignibus extinguit in tentatione.

subiit, & in decimum usque annum pœnitentiam extendit, neque unquam oculos in cœlum erexit. Ut verò pœnitentiæ pretium ostenderet DEus, siccitatem grandem toti regioni immisit, simulque Episcopo revelavit, hanc non nisi Jacobi pœnitentis precibus removendam. Adest cum Clero & populo Episcopus, rogat, ut oret, & pluviam à cœlo petat. Et ecce dum ille oculos in cœlum elevat, repentè cœlo effusus imber viri sanctitatem docuit: Mortuus est, uti testatur Petrus Ribadeneira in floribus Sanct. 28. Januarii anno ætatis septuagesimo quinto eoque loco templum est ædificatum. O quam verum est illud Paulinum. Quæ secundùm DEum tristitia est, pœnitentiam in salutem stabilem operatur. Experti sunt illi qui ad pœnitentiam seriam inducti, vel ipsa peccata sua atrâ sepiâ notata deleverunt. Fuit Sacerdos pius, qui sub missâ vidit dæmonem in pergamenâ amplissimâ intentissimè scribere, cumque membrana deficeret, vidit, quòd ipsis dentibus illam extraxerit, & sutorum more extenderit. Ad hunc peracto sacro conversus sacerdos in virtute JEsu Christi præcepit, ut coram omni populo ediceret, quid scripsisset? Respondit, scripsisse se omnia mendacia, detractiones, aspectus lascivos, impudica desideria, omnia denique peccata populi, quæ sub sacro commissa fuerunt, Sacerdos acceptâ membranâ peccata populi legit, & omnes ad seriam confessionem est hortatus, quâ peractâ membrana illa candida planè visa est, & dæmon confusus recessit. Ne tamen pœnis nos ipsos conficiamus, facilem nobis viam ostendit Christus *Luc. 11. v. 41.* Verumtamen, quod superest, date eleemosynam, & omnia munda sunt vobis. *Prov.* namque *15. v. 27.* dicitur per misericordiam & fidem purgantur peccata. Cujus evidentiam confirmat *Matth. c. 25. v. 34.* Venite benedicti Patris mei, possidete vobis paratum regnum. Caussam audite, esurivi enim, & dedistis mihi manducare. Ne verò pauper queratur salutis sibi medium subtractum; habet etiam is eleemosynam spiritualem, quam semper paratam domi suæ inveniet *Luc 6. versu 37.* clarè dicitur: Dimittite, & dimittemini. Quod graviter planè confirmat *S. Matth. c. 6. v. 14.* si dimiseritis hominibus peccata eorum, dimittet, vobis & Pater vester delicta vestra. Quis non abundat hac satisfactionis materiâ. Quia verò de hac alibi fusius tractabimus, ad illa me in sequenti Pater noster remitto.

Pœnitentia Jacobi Eremitæ divinitus gloriosa fit.

Peccata à dæmone in pelle scripta per confessionem factam delentur.

Effectus indulgentiarum est remissio pœnæ in foro sacramentali, & in foro DEI.

Effectus ergo indulgentiarum est remissio pœnæ temporalis, quæ quia duplex est, una quæ spectat ad forum DEI luenda in purgatorio, altera in foro sacramentali ex præcepto & arbitrio Confessarii imponenda, sciendum est, quod ex sententia S. Th. *in 4. distinct. 20. q. 1. art. 3.* per indulgentiam remittatur illa in foro sacramentali à Sacerdote injuncta, & altera in foro DEI. Quia ex usu indulgentiarum habemus, quod ideo sit introductus, ut suppleant ingentes pœnitentias, quas juxta sacros Canones olim confessarii imponebant. Pro foro autem DEI militat ratio, quia si non remitterentur pœnæ in foro DEI, pœnitens alleviaretur levioribus pœnitentiis ipsius confessarii, & remitteretur ad graviores ipsius purgatorii. Cum enim hac ætate in foro sacramentali exiguæ imponantur pœnitentiæ, exiguus foret fructus indulgentiarum, si illæ tantum remitterentur. Cùm tamen *Concil. Trid. sess. 25. c. 21. in decret. de indulgentiis.* definiat, illarum usum esse populo Christiano maximè salutarem. Ex quo deduces, quod ad omnes indulgentias consequendas necessaria sit confessio & status gratiæ.

Status peccatoris est status leprosi.

Non male SS. Patres statum hominis peccatoris cum leproso compararunt, qui ex lege Moysis duplex malum passus est, nempe lepram ipsam, & exilium ab urbe, neque enim leprosos intra urbem admiserunt. Duo habet mala peccator, culpam nimirum & pœnam, culpam tollit Sacerdos per Sacramentalem absolutionem. Dum corde contrito confiteris peccata tua, ad cœlestem tamen civitatem non admitteris, nisi etiam indulgentiam & remissionem à pœna commerita obtineas.

Ecclesia navis cujus sentina per indulgentias evacuatur.

Nemo ignorat Ecclesiam cum navi comparari, quæ quantis jactetur procellis, quisque nostrum videt. Huic Navarchus à DEO datus est summus Pontifex, qui velut artis nauticæ bene peritus evacuari vult sentinam, ne navis Ecclesiæ tot peccatorum sordibus onerata subsidat. Tremendum est, quod de muliere parricida narrat Sophronius *in prato spirituali c. 76.* quæ in navim admissa, illam sic stitit, ut propitiis licèt ventis ex portu solvere non posset, licèt reliqua navigia omnia

Mulier parricida filiorum suorum navim sistit.

felicissimè ex portu solvissent. Hæsit ergo navis quindecim integris diebus in portu cum omnium admiratione, ideoque omnes conversi ad DEum rogarunt, ut impedimentum aperiret. Cum ecce audivit vocem Navarchus, quæ dixit, ut mulier Maria nomine ex navi ejiciatur. Quærebatur hæc mulier, quam inventam interrogavit Navarchus, quomodo DEum offenderit, fassa est, se peremisse

misse duos filios suos, ut sibi ad secundas nuptias faciliorem viam aperiret, quas tamen assecuta non est, quia vel ipse procus facinus crudele fuit detestatus. Ubi hoc cognovit Gubernator, mandavit, ut scapha pararetur, quæ mulierem ex navigio egressam in littus reduceret. Ad scapham ubi mulier descendit, & navicula ab oneraria soluta fuit, in conspectu omnium se scapha quinquies in gyrum vertit, & cum muliere in profundum demersa periit, salvis tamen nautis, qui ad onerariam adnatarunt. Navis deinde oneraria tam pernici cursu iter suum peregit, ut triduo illud iter fecerit, quod quindecim diebus vix potuisset confecisse. Meritò inclamat nobis solicitus Pontifex per Prædicatores, & Confessarios ut sentinam expurgemus, id est peccata nostra confiteamur. Debemus enim ex mandato S. Pauli *1. ad Tim. 2. versu 8.* puras ad DEum levare manus, ne forte nobis objiciatur illud *Isa. 1. versu 15.* Cùm extenderitis manus vestras, avertam oculos meos à vobis. Ut ergo manus nostras mundemus, balneum ordinat sacram confessionem. Olim Synagoga tria habebat lavacra, primum extra templum piscinam probaticam de quâ *Joann. 5.* habetur, quod primus qui ad motum angeli descendit in eam, fuerit sanatus. Secundum fuit intra templum, & erat marè æneum, in quo lavabantur victimæ. Tertium in interiore adhuc templi parte fuit, de quo *Exodi 38. versu 8.* fecitque labrum æneum cum basi sua de speculis mulierum, quæ excubabant in ostio tabernaculi. Etiam Ecclesia habet tria lavacra nimirum baptismum, qui potest comparari cum piscina probaticâ. Alterum lavacrum est pœnitentia, quæ assimilari potest mari æneo jam intra Ecclesiam, de quo Osorius *ex l. 2. Reg. c. 8.* refert, quod fuerit confectum ex idolis Syrorum, & spoliis expugnatarum urbium, & gentium. Tertium denique ex speculis, mulierum; ubi glossa per mulieres intelligit animas sanctas, specula vero putat esse illarum superfluas satisfactiones, quibus expiamur per indulgentias, sic ut à culpâ & à pœna omnino mundi fiamus. Institit aliquando apud S. Catharinam Senensem confessarius ipsius S. Raymundus, ut sibi orationibus suis apud DEum plenariam indulgentiam impetraret. Dum is minimè cogitat, repente illum in Musæo suo obruit lachrymarum imber, quo perfusus, intimè se DEO conjunxit, & intellexit sibi precibus S. Catharinæ Senensis hoc in signum plenariæ indulgentiæ concessum fuisse. En felix planè lavacrum,

Ecclesia habet tria lavacra.

S. Raymundus precibus S. Catharinæ Senensis obtinet plenariam indulgentiam.

crum, quo ablutus Raymundus cœpit esse nova quasi Creatura. Peccata nubes sunt dicente *Isaia c. 59. v. 2.* Iniquitates vestræ diviserunt inter vos, & DEum vestrum. Ubi peccata seu nubes hæ resolvuntur in lachrymas pœnitentiæ suavissima cœlestis gratiæ stillicidia depluunt. Unde tam sollicitè apud Christum summum Ecclesiæ caput institit S. Franciscus, ut indulgentiâ plenariam obtineret, cujus admiranda gratia cum singulares cœli favores contineat, ego fusius ex Chronica S. Francisci. *l. 2. c. 1.* referam. Accidit Anno Christi. 1223. non procul Asissio in templo B. Virginis Porticellâ, aut Portiunculâ dictâ, ut Seraphico ardore æstuaret Franciscus animarum salutem, & pro his inter lachrymas precaretur DEum. Adfuit oranti angelus, qui ad templum eundem evocavit, ubi eum JEsus & Maria expectaverunt. Abit properanter, & in summo altari in Regio throno Christum, à dextris autem illius, B. Virginem considentes reperit. Lateral stipabant Angelorum chori. In terram supplex procidit Franciscus, statimque audit hanc vocem à Christo, quod exaudita sit ejus oratio pro salute animarum; licere sibi nunc petere, quod judicaret aptissimum. Recollegit se Franciscus, & Christum allocutus petiit, ut omnes Christiani ritè confessi, templum illud visitaturi plenariam consequantur indulgentiam. Conversus deinde ad B. Virginem rogavit, ut nostra dignaretur esse patrona. Quam filius clementissimè S. Francisco concessit, sic tamen ut ad suum Vicarium accedat, suóque nomine eandem indulgentiam petat. Quo facto visio evanuit. Plenus gaudio Franciscus F. Maseum vocat, & cum eo Perusium, ubi tunc erat Pontifex, abit. Erat is Honorius, à quo nomine Christi & Mariæ pro animarum salute plenariam indulgentiam pro templo Porticellâ postulat. Pontifex re collata cum Cardinalibus eidem indulgentiam pro uno die in anno concedit, idque in perpetuum. Abitum parabat Franciscus, adeóque Pontifici gratias agit, sed à Pontifice revocatus interrogatur, cur bullam non recipiat? Respondit se bullâ non indigere, cum obtentæ gratiæ sit testis B. Virgo, tantique Angelorum chori, ipséque Christus sit Notarius, quod quidem ipse Christus confirmavit, cum enim in reditu in nosocomium divertisset, ei Christus apparuit, & dixit: Indulgentias has in cœleste bullarium jam esse relatas. Ubi advertis amice Lector quod Christus minimè S. Franciscum ad Pontificem amandâsset, si Ho-

S. Franciscus Indulgentiam pro Portiuncula obtinet.

si Honorius tunc Romanus Pontifex clavim ad merita Christi non habuisset.

Est ergo in Ecclesiâ Apostolico Romanâ potestas conferendi indulgentias. Hanc conclusionē P. Gobat hoc syllogismo demonstrat: si tam Christo quàm plurimis aliis sanctis supersunt plurimæ, imò infinitæ satisfactiones, quæ possint applicari vivis membris Christi in relaxationem pœnæ peccatis illorum debitæ, tunc est in Ecclesiâ potestas largiendi indulgentias: Atqui tam Christo, quàm plurimis sanctis supersunt plurimæ, imò infinitæ satisfactiones, quæ possunt applicari ab Ecclesia vivis illius membris in relaxationem pœnæ peccatis debitæ, ergo est in Ecclesia vera potestas largiendi indulgentias. Majorem ipsi hæretici concedunt, quia per potestatem dandi indulgentias aliud non intelligimus. Minor etsi ex dictis hactenus sufficienter probata censeri possit, tamen breviter sic confirmatur, quo ad primam partem, quòd nempe Christo & sanctis supersint satisfactiones. Quia Christus *1. Joan. 2. v. 2.* est propitiatio pro peccatis nostris, non pro nostris tantum, sed pro totius mundi, id est, etiam pro illis qui hactenus sunt damnati. Cum ergo illæ satisfactiones illis velut incapacibus re ipsa applicatæ non sint, sed remanserint, supersunt ergo. Quod ipsum de satisfactionibus B. Virginis & plurimorum SS. Martyrum, Eremitarum, Anachoretarum, sanctorum confessorum, & virginum, credendum est, quos DEus scit exercuisse plurima opera, per quæ potuisset satisfieri pro plurimis peccatis, quod tamen de facto re ipsa factum non est. Quod autem hæ plurimæ sint, imò infinitæ, manifestum est hoc de meritis Christi, ex cujus personæ infinitate infinita laudabilitas, & vis satisfaciendi in opera illius refunditur. Supersunt ergo Christo, B. Virgini & Sanctis DEI plurimæ & infinitæ satisfactiones. Quod autem illæ nobis applicari possint in satisfactionem pœnarum pro peccatis nobis debitarum ostenditur, quia nulla repugnantia vel physica vel moralis ostendi potest ab hæreticis, cur id fieri non possit? Et in symbolo fidei nomine Communionis sanctorum aliud non intelligimus, quam talem membrorum Christi inter se & cum suo capite conjunctionem. Ut sicut viva membra corporis, sibi mutuam ferunt opem, ita etiam mystica membra corporis mystici sibi invicem valeant bona sua Communicare. Porro hanc applicationem posse fieri ab Ecclesia ostendimus ex verbis Christi *Joan. 21. v. 18.* Pasce oves meas.

Est in Ecclesia potestas conferendi indulgentias.

Per quæ verba uti communiter docent scholæ, intelligitur omnis actus jurisdictionis ad claudendum, vel aperiendum cœlum, qualis actus jurisdictionis revera est indulgentiarum concessio. Quarè meritò à S. Thoma reprobatur opinio illa paucorum, qui putârunt, indulgentiæ largitionem esse piam quamdam fraudem Ecclesiæ, ut illarum spe allecti homines faciant opera pia, quibus iram divinam mitigent.

Indulgentia est duplex, plenaria & non plenaria.

Est autem communiter indulgentia duplex, plenaria nimirum, & non plenaria, seu partialis. Et licet aliqui faciant inter plenariam plenam, & plenariam plenissimam distinctionem, ego tamen puto, vix aliquam faciendam, cum per indulgentiam plenariam simpliciter intelligatur dari relaxatio omnium pœnarum, quas quis in purgatorio luere deberet. Sic, ut si tunc aliquem mori contingeret, absque ulla mora sine purgatorio cœlum intraret. Quod in prima illa indulgentia plenariâ ad Porticellam accidit. Cum enim in secundam Augusti mirabilis hæc indulgentia publicata fuisset, centum viginti Sclavi etiam ad illud templum convenerunt, inter quos fuit mulier, quæ ibidem peractâ confessione & Communione ac persolutis debitis precibus in gravem infirmitatem incidit atque è vivis decessit, sociis verò dum mare trajicerent redituri in patriam, in ipso mari navigantibus apparuit, eosque de suâ salute certificavit: dicens se obtentâ plenariâ indulgentiâ mortuam, cœlum sine omni purgatorio ingressam esse. Quo dicto disparuit grandi consolatione relictâ apud itineris socios. Non otiosè tamen quæri potest, quomodo intelligi debeat, si in bullâ, qua conceditur indulgentia plenaria, addantur aliquando partiales? Negat Soarez, & cum illo Palao, se similem bullam vidisse. Gobat respondet, quod illi dies vel anni per modum suffragii aliis possint applicari. Partialis verò indulgentia, vel non plenaria verbi gratiâ unius anni juxta communem Theologorum opinionem est remissio tantarum pœnarum purgatorii, quantæ delerentur per pœnitentiam unius anni secundum antiquos Canones. Sic si propter centum peccata mortalia confessa, & absolutione donata, deberetur pœna in purgatorio septingentorum annorum, per indulgentiam partialem centum annorum obtentam, non remaneret pœna nisi sexcentorum annorum, quæ per opus simile adhuc sexies repetitum tandem penitus extingueretur. Hoc loco breviter agendum censui de Jubilæo, quod optimè describit Lezana in

Indulgentiam plenariam omnes pœnas extinguere docet indulgentia Portiunculæ.

in summa quæst. regul. tom. 3. verb. Jubil. Jubilæum inquit est indulgentia plenaria à summo Pontifice concessa visitantibus certas Ecclesias ac certa pia opera facientibus, cum facultatibus circa absolutionem à Casibus reservatis, censuris & commutationem in votis. Quod licet Polydorus Virgilius, & alii putent incepisse primum sub Bonifacio VIII. anno Christi 1300. cum tanto concursu, ut omnes plateæ Romæ peregrinis plenæ essent, tamen negari non debet, quin etiam ante illa tempora fuerit, cum probati authores referant principium Jubilæi ad tempora SS. Apostolorum Petri & Pauli uti supra ex illo Corinthio à Paulo excommunicato ostendimus. Atque adeo quando Bonifacius octavus primum Anno Christi 1300. instituisse dicitur, intelligi debet, quod is suorum Prædecessorum exemplum secutus primus editâ bullâ statuerit, ut singulis sæculis, id est, quovis centesimo anno, Jubilæus annus Romæ celebraretur. Quia verò pauci homines illum centesimũ attingunt annum, propter vitæ humanæ brevitatem, & infiniti interim homines extinguuntur, Clemens Sextus anno Christi 1350. ad quinquagesimum annum revocavit, & dicto illo anno prima vice jubilæum quinquaginta annis fuit anticipatus. Quia verò magnus fructus anni Jubilæi in Ecclesia apparuit, Paulus Secundus anno Christi 1470. statuit, ut quovis vigesimo quinto anno imposterum Jubilæum celebraretur, adeoque Sixtus quartus illud anno Christi 1475. Alexander Sextus anno Christi 1500. Clemens septimus pro anno Christi 1525. Julius Tertius pro anno 1550. Gregorius Decimus tertius pro anno Christi 1575. Clemens Octavus pro anno Christi 1600. Urbanus Octavus pro anno Christi 1625. Innocentius Decimus pro anno Christi 1650. Demum Innocentius Undecimus pro anno Christi 1675. indixère.

Jubilæum quid?

Jubilæi antiquissima in Ecclesia consuetudo.

Jubilæum reducitur ad pauciores annos.

Quæ verò dispositio requiratur ad obtinendum indulgentias, vel Jubilæum, communis est sensus omnium Doctorum, quod debeat esse status gratiæ, sic ut nemo lucrari possit indulgentiam, si in peccato mortali existat, & ratio est, quia non dimittitur pœna, nisi post dimissam culpam. Hinc enimverò est, uti supra diximus, quod in Jubilæis & Indulgentiis plenariis semper dicatur, qui ritè peccata sua confessi, & communione sacra refecti fuerint. Cum enim hæc remissio sit gratiosa, & filiis bonis debita, eam neutiquam merentur inimici Christi, quales sunt omnes peccatores, qui in statu peccati mortalis actu persistunt. Notandum deinde est, quod præter confessionem &

Dispositio quæ requiratur ad obtinendas indulgentias.

communionem præcipiatur oratio cum certâ intentione nempe pro concordia Principum Christianorum, extirpatione hæresum, sanctæ matris Ecclesiæ exaltatione, vel etiam pro aliis necessitatibus occurrentibus, quod sic intelligitur, ut oratio fiat in Ecclesia, vel loco, ubi indulgentia conceditur & sunt ut minimum quinque Pater & Ave. Uti docet P. Gobat: Quod ex eo patet, quia in bulla Jubilæi, vel Indulgentiæ plenariæ communiter dicitur, qui Ecclesiam visitaverit, quod est locale.

Differentia inter Jubilæum & Indulgentiam plenariam.

Ex quo ulterius patet, quod differentia inter Jubilæum, & Indulgentiam, extra Romam, alia non sit, quam quod in Jubilæo sit amplior licentia absolvendi à casibus reservatis, & dispensandi vel commutandi in votis, juxta concessionem bullæ Pontificiæ. Unde bene advertendum, quæ in bulla præcipiantur, ut si fortè gravibus casibus intricati simus, vel votis simus involuti, cum plenariâ indulgentiâ liberiorem statum animæ in Jubilæo consequamur. Et hæc est praxis Ecclesiæ continuata ad nostra usque tempora, vel ab ipso primo Concilio Nicæno, quod ipsi hæretici in suæ confessionis Augustanæ initio pro sancto & intemerato habent. Hoc ergo Concilium *Can. 11. v. 12.* expressè habet, ut pro animi ardore, quo quis injunctam cœpit agere pœnitentiam, illi Episcopus possit præstare Indulgentiam. Quod non potest intelligi de solâ remissione peccati quoad culpam, quia impium esset, hoc peccatori pœnitenti negare, sed quo ad pœnam, ut sic homines ad pœnitentiam in vita promptius agendam animentur. Quæ omnia imperturbatè in Ecclesia DEI steterunt, usque dum indulgentiæ bullæ Cruciatæ fuerunt promulgatæ, ubi propter pericula maxima Christianitatis, ob potentiam nimiam Turcarum, non tantum preces, & pia opera, sed etiam subsidium pecuniarum contra tam formidandum hostem fuit petitum. Et quia harum indulgentiarum publicatio fuit concessa PP. Dominicanis, non verò à Pontifice delata, vel demandata fuit PP. Augustinianis, Lutherus tunc Augustinianus eloquens & celebris, sed tumidus concionator, cùm is arroganter sibi hoc deberi crederet, & indignè ferret, aliis hoc munus delatum esse, acrius contra Indulgentias has à Sede Apostolicâ concessas debacchatus est; Cumque merito metueret, ne ad commeritam suæ impudentiæ traheretur pœnam, desperatâ veniâ, turpissimè ab Ecclesia penitus defecit.

Indulgentiæ bullæ Cruciatæ occasio apostasiæ Lutheri.

DIS-

ARTICULUS X.

Remiſſionem peccatorum.

DISCURSUS XL.

In Eccleſia Chriſti eſt vera remiſſio peccatorum; nullumq́ peccatum eſt, quod non remitti poſſit.

Eccleſia in ſymbolo ſuo fuſiore dum verbis illis utitur: Confiteor unum baptiſma in remiſſionem peccatorum præter Sacramentum Pœnitentiæ & Contritionem, quæ in adultis, qui in peccatum lapſi ſunt, requiritur, oſtendit etiam ipſum baptiſmum à Chriſto inſtitutum, ut per hunc in infantibus peccatum originale, in adultis verò nondum baptizatis & originale, & actualia omnia extinguantur. Sicut ergo peccatum duplex eſt, Originale, & actuale, ita etiam eſt duplex remiſſionis remedium, nempe pro infantibus in originali peccato natis baptiſmus, pro adultis verò poſt baptiſmum lapſis Sacramentum Pœnitentiæ, & confeſſio. Negavit quidem Lutherus per baptiſmum tolli peccatum Originale, ſed falſum & erroneum hoc eſſe docet univerſalis Eccleſia. Si enim in vetere lege parvulos juvit circumciſio *Geneſ. 17. v. 14.* Maſculus cujus præputii caro circumciſa non fuerit, delebitur anima illa de populo ſuo, quia pactum meum irritum fecit. Quidni in lege gratiæ parvulos juvet baptiſmus? cum alioquin minus efficax eſſet gratia Chriſti, quàm ſit peccatum Adami, quod manifeſtè repugnat S. Paulo *ad Rom. 5. v. 15.* Si enim unius delicto multi mortui ſunt, multo magis gratia DEI & donum in gratia unius hominis JEſu Chriſti in plures abundavit. Adeoque verba quæ Chriſtus apud *S. Joan. c. 3. v. 5.* dixit:

Originale peccatum tollitur per baptiſmum.

dixit: Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu sancto non potest introire in regnum DEI. S. August. *l. 1. de peccat. & merit. c. 30.* non vult esse præceptum, sed medium ad salutem consequendam. Quod deducitur ex ratione, quam Christus ipse *v. 6.* assignat dicens: quod natum est ex carne caro est, & quod natum est ex Spiritu, Spiritus est. Non mireris quia dixi tibi, oportet vos nasci denuo. Quasi diceret nos homines nascimur carnales, & peccatores, atque adeo servi peccati; necessarium est proinde contra hoc tam grave malum remedium, quod statuo baptismum. Neque enim frustra Christus ibidem *v. 14.* dedit instantiam ænei serpentis. Sicut Moyses exaltavit serpentem in deserto, ita exaltari oportet filium hominis, ut omnis, qui credit in ipsum non pereat, sed habeat vitam æternam. Quod idem est ac dicere: Sicut serpens ille visus & aspectus, erat unicum contra ignitorum serpentum morsum antidotum; ita baptismus erit in Ecclesia unicum contra mortem æternam remedium. Hinc S. Aug. *Ep. 20. ad Hier.* tam graviter affirmat. Quisquis asserit, quod in Christo vivificabuntur etiam parvuli, qui sine sacramenti hujus participatione de vita exeunt, hic profectò & contra Apostolicam prædicationem venit, & totam condemnat Ecclesiam. Ubi propterea cum baptizandis parvulis festinatur & curritur, quia sine dubio creditur, aliter eos in Christo omnino vivificari non posse. Vidit hoc portentosè planè S. Maria Oegniacensis, cum enim in præsentiâ illius puerulus quidam baptizaretur, ubi in consuetis cæremoniis, per exorcismos actum est, dæmon visibiliter fugatus disparuit; ad affusam verò aquam, seu actualem baptismum manifestè in forma columbæ spiritûs S. puero visus est insidere. Merito proinde S. Aug. *l. 3. de orig. anim. c. 9.* inquit, Noli credere, noli dicere, infantes antequam baptizarentur morte præventos pervenire posse ad originalium indulgentiam peccatorum, si vis esse Catholicus. Verùm quia hæc materia fusius tractanda est in Sacramento baptismi, eo me propitio DEO remitto.

Maria Oegniacensis videt in baptismo pelli dæmonem & Spiritum sanctum dari.

Agendum ergo hoc loco est de remissione peccatorum, quatenus est secunda post naufragium Tabula, seu homini post baptismum lapso unicum salutis remedium. Adverto autem quod *Luc. 3. v. 3.* dicatur de S. Joanne Baptista. Et venit in omnem regionem Jordanis prædicans baptismum pœnitentiæ in remissionem peccatorum. Ubi

Ubi non sine mysterio Pœnitentia baptismus dicitur. Licèt enim realiter duo Sacramenta sint, & differant, quo ad materiam & formam; & baptismus sit prima tabula, Pœnitentia vero dicatur secunda post naufragium tabula, sunt tamen quo ad rationem hujus effectus nempe remissionis peccatorum omnino similia. Ut proindè Origenes dixerit: Agite pœnitentiam, ut in remissionem peccatorum baptisma quoque consequamini. Quod prævidens *Isaias c. 1. v. 18.* omnino nos ad pœnitentiam hortatur, nósque de effectu illius securos facit, dicens: Si fuerint peccata vestra ut coccinum, quasi nix dealbabuntur, & si fuerint rubra quasi vermiculus, velut lana alba erunt. Impossibile putavit hoc Jeremias. *c. 13. v. 23.* dicens: si mutare potest æthiops pellem suam, aut Pardus varietates suas? Sed impossibile non esse docet Thadæus Perusinus *in Isa. c. 1.* dum inquit, in Jordane Christus lavit nostra crimina. Quod ut intelligatur, dicit, non solum sensum quem verba faciunt, sed juxta sensum, quem verba faciunt, accipi debere. Anima enim est, quæ lavatur. Sic enim *Apoc. 1. v. 6.* Lavit nos à peccatis nostris in sanguine suo. Quod *c. 7. v. 14.* repetit, dicens: Laverunt stolas suas, & dealbaverunt eas in sanguine agni. Pergit citatus Perusinus, & illud *Is. 1. v. 18.* sic legit: si fuerint peccata vestra ut coccinum, animæ vestræ dealbabuntur ut nix, adeoque concludit. Nemo eorum qui in profundum iniquitatum devenerunt, de seipso desperet, quandoquidem pœnitentiâ ductus, si habitum vitiorum contraxeris, vel restrinxeris, non solùm salvaberis, sed sicut lana candida dealbaberis. Et hoc est, quod sponsa *Cant. 1. v. 4.* dicit. Nigra sum sed formosa. Nigra dicit S. Hieron. *hom. 2. in Cant.* pro eo quod non descendo de stirpe clarorum virorum, habeo tamen pulchritudinem meam mecum. Ego sum illa æthiopissa, ego sum nigra quidem pro ignobilitate generis, formosa verò propter pœnitentiam, & fidem. Ut proindè exclamet Origenes *hom. 1. in Cant. 1.* Pœnitentiam egit à peccatis. Speciem ei largita est Confessio, & ideo speciosa cantatur. Chaldaica Paraphrasis per sponsam nigram, sed formosam intelligit Synagogam. Quando enim fecit Domus Israël vitulum, inquit, denigratæ sunt facies eorum, sicut filiorum æthiopissæ, qui commorantur in tabernaculis Cedar, & quando egerunt pœnitentiam, dimissum est eis peccatum, & multiplicatus fuit splendor vultûs eorum, sicut vultus angelorum. Pulchrè con-

Pœnitentia est baptismus seu remissio peccatorum.

Nemo de remissione peccatorum desperet.

Pœnitentia immutat hominem. concludit Philo Carpatius *in c. 1. Cant.* Nigra propter delicta, formosa ob pœnitentiam. Quod si dicam, quod pœnitentia planè immutet hominem, tuebitur me S. Lucas *c. 7. v. 39.* dum Magdalenam pœnitentem exhibet. Fuit illa occasio scandali Pharisæo qui Christum invitavit, quod infamis mulier a Christo tanto Prophetâ rejecta non fuerit, quia peccatrix est. Erras Pharisæe! Magdalena peccatrix non est, sed fuit. Sic enim verba illa Christi vides hanc mulierem, accipit Dionysius Carthus. Id est, inquit, aspicere & considerare debes hanc personam, cujus gesta sunt mirabilia. Vides oculos ejus? fuerunt lascivi, vagabundi, jam per pœnitentiam facti sunt fontes lachrymarum. Vides comas illius? fuerunt funiculi vanitatis; pœnitentia illos mutavit in catenas castissimi amoris. Vides os & labia? fuerunt hæc cloaca omnis immunditiæ & libidinis, modo pœnitens lambit pedes Salvatoris. Muta itaque Simon mentem tuam; Magdalena non est amplius peccatrix, sed mulier omni laude digna. Confirmat hoc S. Ambr. *l. de Pœnit. c. 9.* Qui refert, adolescentem seriò confessum, adeo firmiter resipuisse ab illicitis, quos prius sectabatur amoribus, ut amasiam suam transiens, illam se nec videre simularet. At verò cùm illa procaciter juvenem per pallium traxisset, & se illam suam charissimam esse insusurrâsset, ille cordatissimè respondit. Si tu es illa, ego non sum ille. Præclarè Benedictus Fernandius *in Gen.* Tam purus ab omni labe per confessionem fidelis existit, ut non tam prioribus mundatum sordibus, quàm de novo creatum cor habere videatur. Exclamare cogor cum Zenone. Ep. *serm. 3. ad Neoph.* Ipse est, & tamen ipse non est; vetus quidem videtur domicilium, sed novus est inquilinus. Quia ut ait S. Greg. *hom. 32. in Ev.* Ipse quidem est per naturam, sed non ipse est per malitiam. Ipsius dæmonis hoc comprobo testimonio. Fuit Romæ Matrona nobilissima, quæ defuncto marito filium Patri suo simillimum adeo deperibat, ut nunquam à latere suo tenerũ filiolum dimitteret. Quia verò hic tener adeo cum filio amor adolevit, ut illa neq; adolescentem à se dimitteret, tamdiu excrevit amor, usq; dum incestuosis filii amoribus imprægnata, & suæ & filii saluti consulere coacta fuerit. Quare filium in Provincias transmisit, illa vero se in arcem suam inclusit, ibique hydropicis affectionibus laborans, ne aliis fastidio esset, exclusis etiam familiaribus, solitudinem tamdiu affectavit, usque dum effuso in secessum partu, cum partu omnia parturitionis vestigia eodem in loco

Juvenis confessus meretrici dicit, se non esse illam.

Matrona cum filio incestuosa confessa non est illa teste dæmone.

loco tumulavit. Nemo hic domesticorum Suspicatus est scelus, omnes detumescentis hydropis tumores gratulati sunt. Ubi confirmatâ jam valetudine metum omnis suspicionis evasit, urbem ipsam repetiit. Non diu hic stetit opinata securitas, dum enim illa minimè metuit, ab ignoto quodam Nobile apud urbis Prætorem de incestu & parricidio nominetenus defertur,& delatori dies statuitur, quâ in foro competenti causam producat. Interim delatæ matronæ non sine condolentiâ gravi à Prætore dies dicitur, ut se de incestu, & infanticidio purget. Hæret illa, & se in jus vocari miratur, utique cum sciret neminem hominum commissi à se sceleris conscium. Accurrit ergo ad templum, atque Confessarium evocat, eique in tantâ perturbatione rerum, statum animæ suæ aperit, & consilium auxiliumque implorat. Suadet Pater, ut cum DEO se per confessionem componat, sacraque communione muniat, videri enim hæc omnia, permittente DEO, à Dæmone agi, quæ tamen omnia propitiato Numine in salutem animæ & corporis illius à DEO possunt dirigi. Redit ergo domum, & spe divinæ opis plena se ad dolorosam confessionem parat, reliquum verò diem & noctem totam in detestatione suorum peccatorum, & contritione transegit. Primo mane ad templum accurrit, & Confessario multis cum lachrymis peccata sua confitetur, deinde absolutione Sacramentali donata, bene animata devotè ad sacram Synaxin accedit, atque peractis gratiis confidenter Tribunal Prætoris adiit. Adest eadem horâ delator, atque actionem inchoare jussus, non ut ante insolens causam suam jactavit, sed perturbatus dixit, non esse hanc à se delatam incestuosam & parricidam, sed aliam. Miratur hanc actoris variationem Prætor, & quærit ipsam delatam de nomine, fatetur illa nomen suum. Ita inquit larvatus dæmon, nomen est, sed res amplius non est. Hæc enim antea inquit dæmon, quod verum est, incestuosa, & parricida fuit, sed modo confessa, filia DEI est. Dixit & disparuit. Attonito toto prætorio res ad sacrum tribunal delata est, in quo omnes Matronam ream, à divinâ misericordiâ absolutam, suo judicio non voluerunt condemnare. Quàm verum hic est; Ipsa quidem est per naturam, sed ipsa non est per malitiam. Hoc est, quod *Act. 13. v. 22.* dicitur: Inveni David filium Jesse virum secundùm cor meum, qui faciat omnes voluntates meas. Quid hoc? David committit adulterium cum Bethsabea, Uriam proditoriè occidit!

Quærit meritò S. Justinus M. Si DEus Davidem virum secundum cor DEI affirmavit, Quomodo postea idem Propheta & adulterium, & latrocinium commisit? Respondet ipse. At enim per pœnitentiam David Delicta sua correxit, ac proinde uti vir secundum cor DEI inventus est. Quod S. Petrus Dam. confirmat *serm. 56.* Grandia vulnera sic restrinxit, ut non solum vulneris, sed nec cicatricis vestigia remanerent. Medicus aut chirurgus sanabit fateor vulnus, non verò cicatricem. Pœnitentia ipsam cicatricem extinguit teste S. Chrysostomo *in suo proëm. in Isa.* Quamvis Medicus adnitatur delere cicatricem, eamque de medio tollere, tamen non poterit. DEus autem, quando per pœnitentiam peccata tua abolet, nullam relinquit cicatricem, nullum sinit manere vestigium, sed una cum sanctitate eximium confert formæ decus. Ostenditur hoc testimonio *Eccles. 49. v. 5.* Præter David & Ezechiam, & Josiam omnes peccatum commiserunt. Quid ais? Annon Josias sacrilegus qui deprædatus est thesaurum templi DEI? Annon injurius DEO Ezechias: qui sibi victoriam contra Senacherib arrogavit, ut in pœnam hujus arrogantiæ Isaias *c. 38. v. 1.* diceret: Dispone domui tuæ, quia morieris, & non vives. Annon, quod diximus, notissimus peccator David? Defendit Ecclesiasticum Jansenius apud Franciscum Labatam dicens: Dicuntur peccatum non commisisse, quia condignâ pœnitentiâ peractâ in eum statum repositi sunt & restituti, ac si nunquam peccâssent. Hoc enim est insigne privilegium pœnitentiæ. Audite S. Joannem in sua *Apoc. c. 14. v. 4.* qui omnes animas in cœlo contemplatus exclamat: Hi sunt, qui cum mulieribus non sunt coinquinati, Virgines enim sunt. Pulchrè D. Ambr. *in c. 14. Apoc.* Oritur namque quæstio, nam si in illa beatitudine diversi ordines sunt, ut Apostoli, Martyres, Confessores, Virgines, quomodo omnes sanctæ animæ Virgines dicuntur? & in tantum quidem virgines, ut dicantur cum mulieribus non coinquinati? Respondet sibi ipsi. Fuerunt multi qui multa scelera commiserunt, sed cum per pœnitentiam & lachrymas mala, quæ gesserunt, delere studuerunt, Domino veniente Virgines reperti sunt. Et tandem concludit. Istorum igitur animæ rectè virgines vocantur, quia si quas sordes ex fœminarum conjunctione, contraxerunt, pœnitentiâ deletum est. Rem tremendam narrat Cantipratanus *l. 2. apum. c. 30.* de adultero, cujus facies in pœnam commissi sceleris mutata fuit in monstrosam faciem

David pœnitens vir secundum cor DEI.

Pœnitentia ipsam cicatricem vulneris sanat.

dæmo-

dæmonis. Cum enim adulter hic de latere conjugis contemptuosissimè surrexisset, & completo cum aliena adulterio, ad Lunæ radios ad uxorem propriam rediret, uxor faciem redeuntis contemplata horrendè exclamavit. Accurrunt famuli, & ancillæ, atque Dominum suum pariter exhorrescunt. Ubi hoc advertit maritus, delituit ille nocte reliquâ, & facti pœnitens confessionem meditatus est: mane verò facto, ad templum properat. In via dum illi grex animalium, & pabulandæ pecudes cum pastoribus obviant, hæ pariter cum ingenti horrore dissiliunt, ipsique pastores exterriti fugerunt. Et verò fugit ipse Sacerdos, qui accedentem ad templum exhorruit, & fores templi occlusit. Ubi tamen pœnitentem audivit, & Absolutionem Sacramentalem dedit, continuo confusio illa infernalis detersa est, & propriam suam faciem recepit. Annon Nabuchodonosor Rex ejectus ex regia sua septem annis cum bestiis vixit. Ast ubi post septennium levavit oculos in cœlum, & egit pœnitentiam, tunc ait Daniel *c. 4. v. 33.* in ipso tempore sensus meus reversus est ad me, & ad honorem, decoremque regni mei perveni. Eleganter S. Cyrillus Hierosol. *Catech. 2.* Cùm devenit ad eorum, quæ patraverat, pœnitentiam, ac infirmitatem suam agnovit, tunc restituit illi DEus regni honorem. Hoc est, quod S. Bonav. *3. p. stimul. div. amor. c. 17.* dicit: Ego fœdissimus fimus, & abominabilis latrina, valeo esse ex immensâ DEI clementiâ tabernaculum ejus, & qui sum plenus sanie & fœtore, ero sanctum DEI templum, sapientiæ sedes, & habitaculum Spiritus sancti? *Jerem. 18. v. 1.* Mittitur Propheta ad domum figuli: Surge, & descende in domum figuli, & ibi audies verba mea. Sequitur. Et ipse faciebat opus super rotam, & dissipatum est vas, conversusque faciebat illud vas alterum. Hoc est singulare DEI artificium, fracta reparare, ut nulla fracturæ maneant vestigia. Nihil verentur fracturas suas Sancti reparari. Gaudet Petrus prædicari suam negationem; Magdalena non reformidat audire peccatrix; Matthæus libenter audit suas recenseri usuras. Rationem hujus dat Orosius, dum enim DEI gloria sanctorum peccatis illustratur, gratissimum est cuique Sancto, qui DEum glorificari summè cupiunt, ea in Ecclesia decantari. Nec Sanctis hoc dedecori est; *Num. 16. v. 37.* Core Dathan, & Abiron rebelles DEO puniuntur, & terra eos absorbuit, mandat tamen DEus Eleazaro, ut tollat thuribula malè usurpata; & affigat altari. Sic Ecclesia negatio-

Adulter facie deformatus monstrum homines & pecora terret.

DEus fracta reparat sine vestigio.

nem Petri, infidelitatem Thomæ, Magdalenæ voluptates proponit, ut discamus, quod lapsus in arenâ pugil animosior surgat. Neque enim inglorium est, aliquando captivum fuisse, sed gloriosum est, captivitatem heroicè excussisse. Repetuntur toties in Ecclesiâ casus Adam protoparentis nostri, Noë ebrietas, Loth incestus, proditio filiorum Jacob, Aaronis idololatria, Davidis adulterium, Petri perjurium, Pauli persecutio, Matthæi telonium. Thomæ infidelitas, non ut in similia peccata labamur, sed ut exemplis his utamur ad cautelam, animemur ad æmulandam resipiscentiam.

Peccata Sanctorum repetuntur in Ecclesia ut fugiamus.

Unde pœnitentia semper fuit habita velut medium necessarium ad consequendam cœlestem gloriam. Unus impius Lutherus ausus est dicere, pœnitentiam minimè esse necessariam, eo quod Christus infinitis suis meritis pro omnibus satisfecerit. Hoc impium dogma Lutheri refutat S. August. *l. de Correct. & grat.* Qui fecit te sine te, non salvabit te sine te. Causa est, quia efficacia meritorum Christi dependet à nostra cooperatione, quæ provenit à gratia DEI. Quod Paulus *ad Coloss. c.1. v.24.* insinuavit dicens: adimpleo ea, quæ desunt passionum Christi in carne mea. Quo voluit innuere, ultra merita Christi nostram requiri cooperationem; etenim mediante libero arbitrio, id quod in nobis est, operari debemus. Et in hoc consistit complementum, quod S. Paulus vult conjungi cum infinito valore sanguinis Christi. Hinc tam serio S. Joannes Baptista *Luc.3.v.8.* monet: facite ergo fructus dignos pœnitentiæ. Et Christus ipse *Luc.13.v.3.* clarè dixit, Nisi pœnitentiam habueritis, omnes similiter peribitis. De hac enim S. Hier. *Ep.8. ad Demetriadem.* Pœnitentia est quasi secunda post naufragium miseris tabula. Quam proinde S. Greg. *hom.34. in Evang.* pulchrè sic definit: Pœnitentia est perpetrata peccata plangere, & plangenda non committere. Ad quam *S. Cypr. Ep.52. ad Antonianum* nos hortatur. Considerans enim verba illa *Sap. 1.* DEus mortem non fecit, nec lætatur in perditione vivorum; utique inquit, qui neminem vult perire, cupit peccatores pœnitentiam agere, & per pœnitentiam denuò ad vitam redire. Meritò itaque S. Chrysostomus eandem extollens exclamat *hom.22. de pœnit.* O pœnitentia, quæ peccatum DEO miserante remittis, & paradysum reseras! per te David post flagitium felix iterum recepit Spiritum Sanctum. Scandalizabantur olim Judæi *Mat.9.v.2.* quando Christus dixit Paralytico: Confide fili, remittuntur

Pœnitentiam non esse necessariam dicit Lutherus.

Cooperatio nostra necessaria est.

tur tibi peccata tua. Et ecce quidam de scribis dixerunt intra se; hic blasphemat. Et cum vidisset JEsus cogitationes eorum, dixit: ut quid cogitatis mala in cordibus vestris? Quid est facilius dicere? remittuntur tibi peccata tua; an dicere, surge & ambula? ut autem sciatis, quia filius hominis habet potestatem in terrâ dimittendi peccata, tunc ait paralytico: surge, tolle lectum tuum, & vade in domum tuam. Et surrexit, & abiit in domum suam. Videntes autem turbæ timuerunt, & glorificaverunt DEum, qui dedit potestatem talem hominibus. Agnoverunt ergo ex hoc miraculo turbæ datam esse talem potestatem hominibus, quam tamen heterodoxi cum Judæis soli DEO volunt reservatam. Egregiè hos perstringit S. Ambros. *l. 1. de pœn.* Sed ajunt se Domino deferre reverentiam, cui soli remittendorum criminum reservent potestatem. Imò nulli majorem injuriam faciunt, quam qui ejus volunt mandata rescindere, commissum munus refundere. Nam cum ipse in Evangelio suo dixerit Dominus JEsus: accipite Spiritum sanctum, quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, & quorum retinueritis, retenta erunt. Quis est ergo qui magis honorat, utrum qui mandatis obtemperat? an qui resistit? Hæresis in altero immitis, in altero inobediens, vult ligare quod non resolvit, non vult solvere, quod ligavit. Et paucis interpositis: Jus enim hoc solis permissum est Sacerdotibus. Rectè igitur Ecclesia vindicat, quæ veros Sacerdotes habet. Hæresis vindicare non potest, quæ Sacerdotes DEI non habet. Et rursus; munus Spiritus sancti est officium Sacerdotis, jus autem Spiritûs sancti est in solvendis, ligandisque criminibus. Quomodo igitur munus ejus vindicant, de cujus diffidunt jure & potestate. Deinde concludit. Cur baptizatis? Si per hominem peccata dimitti non licet? In baptismo utique remissio peccatorum omnium est. Quid interest, utrum per pœnitentiam, an per lavacrum hoc jus sibi datum Sacerdotes vindicent? Unum in utroque ministerium est. Pari penè sensu loquitur S. Chrysostomus *l. 2. de sacerdotio* ante medium. Etenim qui terram incolunt, atque in eâ versantur, iis commissum est, ut ea, quæ in cœlis sunt, dispensent; iis datum est, ut potestatem habeant, quam DEus optimus neque angelis, neque Archangelis, datam esse voluit. Neque enim ad illos dictum est. Quæcunque alligaveris in terrâ, erunt alligata & in cœlo; & quæcunque solveris in terrâ, erunt soluta & in cœlo. Habent quidem & terrestres Principes vinculi potestatem, verùm corporum

Agnoverunt Judæi datam esse hominibus potestatem remittendi peccata.

Si in Ecclesia non est remissio peccatorum, fit Christo injuria.

Si non est remissio, neque erit baptismus.

Principes solu corpus, sacerdotes animam ligare possunt.

solùm: Id autem quod dico Sacerdotum vinculum, ipsam etiam animam contingit, atque ad cœlos usque pervadit. Usque adeo, ut quæcunque Sacerdotes infernè confecerint, illa eadem superne DEus rata habeat, ac servorum sententiam Dominus confirmet. Et paulo pòst rursus. Corporis lepram purgare, seu, ut verius dicam, haud purgare quidē, sed purgatos probare, Judæorū Sacerdotibus solis licebat. Neque nescis, quanta cum ambitione, quanto cum studio, ac concertatione Sacerdotalis dignitas id temporis acquireretur. At verò nostris Sacerdotibus non corporis lepram, verùm animæ sordes non dicam probatas purgare, sed purgare prorsus concessum est. Quare judicio quidem meo, qui istos despiciunt, contemnuntque, multo sceleratiores ac majori supplicio digni fuerint, quam fuerit Dathan unà cum suis omnibus. Et ideo S. Aug. *l. 2. de visit. infirm. c. 5.* monet, Astantem coram te Sacerdotem Angelum DEI existima. Labia quidem Sacerdotis, ait *Malachias c. 2. v. 7.* custodiunt scientiam, & legem requirent ex ore ejus. Angelus enim Domini exercituum est. Et cum quà, & DEum, & angelum ejus decet reverentià DEI ministrum affare. Aperi ei penetralium tuorum abditissima latibula, conscientiarum verecundarum penitiora revela repagula. Non te pudeat coram uno dicere, quod te non puduit, forsan coram multis facere. Nam humanum est peccare, Christianum est à peccato desistere, diabolicum est perseverare. Causam Reverentiæ istius dat. S. Greg. Magnus *hom. 26. in Evang. super illud Joan. 20. v. 33.* Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis. Libet intueri inquit; illi discipuli ad tanta onera humilitatis vocati, ad quantum culmen gloriæ sunt perducti. Ecce non solum de semetipsis securi fiunt, sed etiam alienæ obligationis potestatem relaxationis accipiunt, principatúmque superni judicii sortiuntur, ut vice DEI quibusdam peccata retineant, quibusdam relaxent. Sic, sic eos decebat, à DEO erigi, qui tantum pro DEO consenserant humiliari. Ecce qui districtum DEI judicium metuunt, animarum Judices fiunt, & alios damnant, vel liberant, qui semetipsos damnari metuebant. Horum profectò nunc in Ecclesia Episcopi locum tenent. Ligandi atque solvendi authoritatem suscipiunt, qui gradum regiminis sortiuntur. Et paulo post. Causæ ergo pensandæ sunt, & tunc ligandi atque solvendi potestas exercenda. Videndum est quæ culpa præcessit, aut quæ sit pœnitentia secuta post culpam, ut quos omnipotens DEus per compunctionis

Sacerdotes novæ legis antiquis longè præstant.

Sacerdotes magna cum reverentiâ colendi.

punctionis gratiam visitat, illos pastoris sententia absolvat. Tunc enim vera est absolutio præsidentis, cum æterni arbitrium sequitur judicis. Quod bene quatriduani illius mortui resuscitatio significat, quæ videlicet demonstrat, quia prius mortuum Dominus vocavit, & vivificavit dicens: Lazare, veni foras, & postmodum is, qui vivens egressus fuerat, à discipulis est solutus. Omnis quippe peccator dum culpam suam intra conscientiam abscondit, introrsum latet, in suis penetralibus occultatur. Sed mortuus venit foras, ac si apertè cuilibet mortuo in culpâ diceretur. Cur reatum tuum intra conscientiam abscondis? foras jam per confessionem egredere, quia apud te interius per negationem lates. Veniat itaque mortuus foras, id est, culpam confiteatur peccator. Venientem verò foras solvant discipuli, ut Pastores Ecclesiæ ei debeant pœnam amovere, quam meruit, qui non erubuit confiteri, quod fecit. Eadem hac Lazari similitudine utitur S. Aug. *Conc. 2. in ps. 101.* Quid enim prodesset inquit Lazaro, quia processit de monumento, nisi diceretur, solvite eum, & sinite abire? Ipse quidem voce de sepulchro suscitavit, ipse clamando animam reddidit ipse terrenam molem, terreno sepulchro impositam vicit, & processit inde vinctus. Non ergo pedibus propriis, sed virtute producentis fit hoc in corde pœnitentis. Cum audis hominem pænitere peccatorum suorum, jam revixit; cum audis hominem confitendo proferre conscientiam, jam sepulchro eductus est, sed nondum solutus est. Quando solvitur? à quibus solvitur? Quæ solveritis, inquit, in terrâ, erunt soluta & in cœlo. Merito per Ecclesiam dari solutio peccatorum potest, suscitari autem ipse mortuus non nisi intus clamante Domino potest. Unde Lactantius Firmianus *in l. 4. divin. instit. c. 30.* Confessionem & pœnitentiam veram Ecclesiæ notam ostendit. Sed tamen, inquit, quia singuli quique cœtus hæreticorum, se potissimum Christianos, & suam esse Ecclesiam Catholicam putant, sciendum est, illam esse veram, in qua est confessio & pœnitentia, quæ peccata & vulnera, quibus subjecta est imbecillitas carnis, salubriter curat. Hanc enim potestatem quam Christus habuit, dimittendi peccata, eandem Apostolis suis, & eorum successoribus communicavit. *Joan. 20. v. 21.* Sicut misit me Pater, & ego mitto vos. Hæc cum dixisset, insufflavit & dixit eis: Accipite Spiritum sanctum, quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, & quorum retinueritis, retenta sunt. Quarè bene Beatus Laurentius Justinianus

Remissio peccatorum cum Lazaro resuscitato comparatur.

Confessio & pœnitentia est vera Ecclesiæ nota.

L. de

l. de obed. c. 15. Hujus Sacramenti minister est homo, sed indulgentiæ largitor est DEus. Corporis auditum præbet Sacerdos, Dominus autem scrutator est mentium. Juxta doloris mensuram præstatur & donum. Illam planè solvit Sacerdos, quam prævenit gratia, confessio manifestat. Causam pulchrè dat Ludolphus Carthus. *c. 25.* Sed postquam DEus homo factus est, requirit ab homine, quod confessio sibi tanquam homini fiat; Et quia ipse in formâ humanâ nobiscum ubique præsens esse non potest (intelligendo de potestate ordinariâ) vicarios suos constituit homines, quorum primus fuit Petrus & cœteri Apostoli & consequenter Sacerdotes, quibus ipse dixit: Quæcunque alligaveritis super terram. &c. Per hoc enim, quod ministris Sacramentorum dedit potestatem ligandi, & solvendi, insinuavit, confessionem eis tanquam Judicibus debere fieri. Sic ergo Christus confessionem instituit tacitè, sui Apostoli eam promulgaverunt expressè. Hinc tam sollicitè ad pœnitentiam nos hortatur Tertullianus *l. de pœn. c. 12.* Igitur cum suas adversus gehennam post prima illa intinctionis Dominicæ monimenta, esse adhuc in Exomologesi secunda subsidia; cur Salutem tuam deseris? Cur cessas aggredi, quod scis mederi tibi? Multæ quidem animæ & irrationales medicinas sibi divinitus attributas in tempore agnoscunt. Cervus sagitta transfixus, ut ferrum & irrevocabiles moras ejus de vulnere expellat, scit sibi dictamno medendum. Hirundo si excœcaverit pullos, novit illos rursus oculare suâ chelidoniâ. Peccator restituendo sibi institutam à Domino Exomologesim sciens, præteribit illam, quæ Babylonium Regem in regna restituit?

In confessione excipienda Sacerdotes sunt Christi Vicarii.

Animalia sibi medentur, cur non & homo.

Ex dictis hactenus quæstio non levis inter Catholicos & Lutheranos oritur, dum Catholici asserunt, DEum verè remittere peccata confessa, Lutherani verò dicunt, quod DEus illa tantum tegat, & peccatori non imputet. Memini ego me vidisse schema hujus tegumenti, quod reperi in libro hæretico, ubi peccator genuflexus sistebatur æterno Patri, quem ut Pater in gratiam reciperet, pluviale induit, cui in dorso per totum crucifixus Christus erat extensus cum lemmate: Beati quorum remissæ sunt iniquitates, & quorum tecta sunt peccata. Efficacius fortè contra æterni Patris justam indignationem texissent peccatorem, si eum cum Pilato Christi tunicâ induissent. De hac Didacus Vega *in ps. 3. pœnit.* ait opinionē constantem esse, à Tiberio Romam evocatum fuisse Pilatum, qui se sub tunicâ inconsutili

In confessione non teguntur sed verè remittuntur peccata.

Remissionis Lutheranæ Schema.

consutili Christi Tiberio Romæ stitit. Venienti Pilato assurrexit Tiberius & omni furore posito immeritum licèt magno honore est prosecutus. Quam primum extra oculos fuit Tiberii recruduit in Imperatore furor. Vocatur ergo rursus Pilatus, & rursus, ut ante mansuefecit Tiberium. Mirantur ergo rem hanc adstantes, & intelligunt Pilatum Christi tunicâ vestitum esse. Quare jussu Cæsaris exuitur illâ Pilatus, subitoque capitalem excepit sententiam. Sic tecti veste meritorum Christi dicunt Lutherani, quod damnari non possimus. Alii volunt, remissionem peccatorum esse puram non imputationem, adeoque beatus dicitur ille, cui juxta Davidem *ps. 31.v.2.* non imputavit Dominus peccatum. Sed veræ Ecclesiæ doctrina est, non tantum tegi, vel non imputari nobis peccata in remissione, sed verè DEus ritè pœnitentibus remittit peccata nostra. Accipio testimonium ex ipso Joanne *c 1. v.29.* ubi Christum digito monstrans Joannes Baptista inquit: ecce agnus DEI, ecce qui tollit peccatum mundi. Hinc non frustra S. Petrus commonuit Israëlem *Act. 3. v.19.* Pœnitemini igitur & convertimini, ut deleantur peccata vestra. Quod probè agnoscens David *ps. 102. v.12.* dixit: Quantum distat ortus ab occidente, longè fecit à nobis iniquitates nostras. Et ideo scriptura ablutionis nomine utitur, quia sicut per lotionem sordes tolluntur, ita ut non remaneant; sic per absolutionem Sacramentalem verè abluuntur & tolluntur peccata, ut re verâ non amplius sint; & propterea Paulus *1. ad Cor. 6. v.11.* dicit: Et hæc quidam fuistis, sed abluti estis. Et David de peccatis remissis dicit *ps. 50. v.9.* Lavabis me & super nivem dealbabor. Ut propterea *Micheas c. 7. v. 19.* dixerit. Deponet iniquitates nostras, & projiciet in profundum maris omnia peccata nostra. Verè enim pœnitentia nostra sententiam damnationis rescindit, & penitus abolet. Tanta fuit iniquitas Ninivitarum, ut intra quadraginta dies urbis excidium statueretur. Quia verò toto corde pœnitentiam egerunt, resciderunt, damnationis suæ sententiam. Et ut S. Ephrem *serm. de pœnit. Niniv.* dicit: ut quantum pœnitentia valeret demonstraretur; nam sententiam DEI ista immutavit, atque dissolvit. Stat autem firma illa DEI promissio *Ezech. 8. v. 21.* si impius egerit pœnitentiam, ab omnibus peccatis suis, vita vivet, & non morietur. Omnium iniquitatum ejus, quas operatus est, non recordabor. Quæris quomodo DEus oblivisci possit? Audi Hugonis Cardinalis glossam in verba citata: Non recordabitur

Tunica Christi indutus Pilatus à Tiberio non potuit damnari.

DEus non tantùm non imputat, sed verè remittit.

DEus obliviscitur peccatorum ad puniendum.

cordabitur scilicet ad puniendum, quia pœnitens peccator meminit ad dolendum, confitendum, satisfaciendum. Quia cum homo punit, DEus parcit; cum homo meminit, DEus oblivioni tradit. Aurea est sententia S. Chrysostomi: Ninivitæ confitentur & vivunt; Sodomitæ obdurantur, & pereunt; illos impendens supplicium provocat confiteri, hos vicinus interitus non confitendo fecit aboleri. Sunt hæc cœlestis Grammaticæ Synonima, confiteri & vivere, non confiteri & mori. Pulchrè Origenes *super verba Isa. c. 43. v. 26.* Narra si quid habes, ut justificeris. Septuaginta legunt: Dic tu iniquitates tuas prius, ut justificeris. In *Levit. hom. 3.* sic inquit. ut ostendat quia, prævenire illum debeas, qui paratus est ad accusandum. Tu ergo dic prior, ne te ille præveniat. Pronunciare peccatum, remissionem peccati meretur, præventus enim diabolus in accusatione, accusare nos non poterit; & si ipsi nostri fuerimus accusatores, proficit nobis ad salutem. Si verò expectemus, ut à diabolo accusemur, accusatio illa nobis cedit ad pœnam. In hoc differunt DEI tribunal, & mundi, quod mundanis, forensibusque judiciis post accusationem, & criminum confessionem restat mors, apud Dominum & divinum tribunal post accusationem & confessionem criminum detur corona. Dicente Hesichio uti & Chrysostomo *hom. 5. in illud Isa. 47.* Dic tu prior peccata tua, ut justificeris. Benè proinde Isidorus Pelusiota dicit, quod pii & electi quia misericordiam hic amarunt, DEI sunt Beniamini, id est filii dexteræ. Unde si dicas, videri tibi difficilem esse confessionem, nobis coronam obtendit. Et S. Aug. *l. 50. hom. 12.* monet: vult diabolus, ut magis defendere, quàm accusare peccata velimus. E contrario autem DEus noster, quia pius est, & misericors; vult ut ea confiteamur in hoc sæculo, ne pro illis postmodum confundamur in futuro. Si enim nos confitemur, ille parcit; si nos agnoscimus, ille ignoscit. Pulchrè itaque S. Pater August. *in lib. sentent.* Peccata sive parva, sive magna impunita esse non possunt, quia aut ab homine pœnitente, aut in judicio à DEO judicante puniuntur. Cessat autem vindicta divina, si conversio præcurrat humana. Amat enim DEus confitentibus parcere, & eos, qui semetipsos judicant, non judicare. Quomodo sanabit Medicus, si æger non dicat, aut explicet vulnus. Quod ipse Ecclesiasticus *c. 10. v. 11.* insinuat: Si mordeat serpens in silentio? Si tacuerit inquit S. Hier. qui percussus est & non egerit pœnitentiam, vel vulnus suum fratri vel magistro noluerit confiteri.

Prævenire debemus accusatorem dæmonem.

Differentia judicii divini & forensis

DEus reum confessum absolvit, mundus perdit.

Magi-

Magister qui habet linguam ad curandum eum, facilè ei prodesse non poterit. Si enim rubescat ægrotus vulnus Medico confiteri, quod ignorat medicina, non curat. *Mat.22.v.12.* Quæritur ex nuptiali conviva, Amice! quomodo huc intrasti, non habens vestem nuptialem? hæc tamen amica interrogatio repentè transivit in severam sententiam, jubeturq; ligatis manibus & pedibus abjicii in tenebras exteriores. Scilicet cùm illi DEus amicè proposuit, quod esset reus, & quòd peccasset, voluit ut culpam fateretur. Galfridus ait, fuit amabilis signatio, quæ ante judicium illum provocavit ad Pœnitentiam; misericorditer illum convenit, quem reum invenit. Sed quia invenit taciturnum, & nolentem loqui: at ille obmutuit. Tunc dixit Rex ministris, ligatis manibus & pedibus mittite eum in tenebras exteriores. Ubi velim ut observetur particula Tunc. Quæri enim potest, quando nam Rex illum condemnavit? an quando intravit nuptialem locum? an quando mensæ incepit accumbere? an quando incepit comedere, & bibere? Minimè! Sed tunc ait Galfridus, postquam admonitus siluit, interrogatus obmutuit, & noluit confiteri. Quare nolite inquit moniti obmutescere, cogitate enim in quem carcerem conjectus sit elinguis iste servus, ne pari judicio & pœnâ taciturni & confiteri nolentes pereatis. Si dicas Paulum *ad Rom.7.* toto illo capite satis clarè dicere quod in nobis maneat concupiscentia; hæc autem cum peccatum sit, signum est peccatum non tolli, sed tantum non imputari. Concesserim lubens concupiscentiam in nobis remanere, falsum tamen est, hanc esse formaliter peccatum, sed tantùm causaliter. Quia tamen *Gen.4.v.7.* DEus in Caino dixit nobis omnibus, sub te erit appetitus tuus, & tu dominaberis illius, concupiscentia quæ est in homine, tanta non est, ut illa adjuvante divina gratia vinci, & studio solidæ mortificationis non possit reprimi. Nonne S. Paulus queritur, se à Sathanâ colaphizatum, & à stimulo carnis, seu concupiscentiâ tentatum. *2. ad Corinth. 12. versu 7.* Datus est mihi stimulus carnis meæ, qui me colaphizet. Sed audite quomodo reprimat concupiscentiam. Propter quod ter Dominum rogavi, ut discederet à me. Ecce oratio! qua impetravit divinæ gratiæ assistentiam; & dixit mihi, sufficit tibi gratia mea, qua adjutus concupiscentiam repressit. Sed dices clara sunt verba Davidis *ps.31.v.1.* ubi Propheta dicit: *Beati quorum remissæ sunt iniquitates*, & quorum tecta sunt peccata, ubi clarè habemus, quod peccata nostra tecta sint; quod autem tegi-

Concupiscentia non est peccatum formaliter sed causaliter.

Concupiscentia oratione reprimitur.

DEus tegit peccata, sed sanat.

tegitur non tollitur, cum aliàs neque tegi posset, si supponeretur sublatum. Dico enim quædam ita tegi, ut etiam tollantur. Sic chirurgus tegit vulnus emplastro, ut illud etiam tollat, & hoc sensu hic loquitur Propheta, atque beatum illum dicit, qui sic apud DEum peccata tecta habet. Et quia in eodem hoc psalmo *v. 2.* dicitur, Beatus vir, cui non imputavit Dominus peccatum. Dico dupliciter aliquid posse non imputari. Primo enim DEus non imputat homini peccatum, quia non est amplius, & hoc fit per actualem remissionem, qua peccatum hominis in anima sic tollitur, ut amplius non existat. Deinde dicimus aliquid imputari, quia est, & non habetur pro eo, quod est, sic possumus homines alicui non imputare aliquid pro delicto, quod tamen in se est peccatum; & hoc in DEO est impossibile, quia DEus non potest non habere pro culpa, quod culpa est. Quia *ad Rom. 2. v. 2.* Judicium DEI est secundùm veritatem. Ex quo concludi debet, quod DEus in remissione peccatorum sic nobis non imputet peccatum, quia sic tollitur, ut amplius non existat. Et hoc est illud mirabile, quod S. Augustinus inter mirabilia opera DEI deprædicat, nimirum conversio peccatoris. Considerans enim illa verba Christi *Joan. 14. v. 12.* Qui credit in me, opera quæ ego facio, & ipse faciet, & majora horum faciet. Quod primâ fronte dicit, esse captu difficile. Licet enim umbra Petri, & semicinctia Pauli, prodigiosa opera Christi excessisse videantur, tamen hoc paucorum planè fuit Sanctorum, cum tamen allegata verba Christi ad omnes fideles extendi videantur. Quare S. Aug. revocat hanc patrationem mirabilium ad justificationem nostram, adeoque dicit. Si hominem te fecit DEus, & tu facis te ipsum justum, melius aliquid facis, quam fecit DEUS. Quia quod DEus non potest per te, salvâ tuâ libertate, hoc facit homo DEI gratiâ adjutus. O pretiosa pœnitentia! In Cujus consideratione S. Chrysostomus. & Hier. cum Pagnino *illud ps. 8.* Minorasti eum paulo minus ab angelis sic legunt. Minuisti eum, id est, angelum paulo minus ab homine scilicet peccatore, sed pœnitente. Benedictus Mendez *fer. 6. post diem Cinerum.* Legit, Minuisti eum paulo minus à quo? à DEO. Quod confirmat de peccatore pœnitente B. Bruno *in ps. 8.* Minuisti eum paulo minus à DEO. Libet proinde peccatores verbis Prophetæ invitare. *ps. 45. v. 9.* venite & videte opera Domini, quæ posuit prodigia super terram. Multa DEus signa & prodigia fecit in Ægypto, sed majus audite prodigium, quod Cassianus

DEus non imputat peccatori peccatum quia illud tollit.

Justificatio nostra est maximum miraculum.

Pœnitentia peccatorem quasi super angelos extollit.

nus *Collat. 2. c. 12.* affert. Quod majus poteſt eſſe prodigium, quam ſub momento breviſſimo ex rapaciſſimis Publicanis, apoſtolos fieri, ex perſecutoribus truculentis prædicatores Evangelii patientiſſimos reddi, ita ut eandem, quam perſequebantur fidem, etiam effuſione ſui ſanguinis propagarint. Tale prodigium extollit Petrus Bleſenſis *tract. de converſ. S. Pauli,* qui cum eſſet vas blaſphemiæ, contumeliæ, & iræ, factus eſt vas honoris, electionis, & gratiæ, vas admirabile, & opus excelſi, quod adeo ſublime exiſtimavit S. Greg. *l. 3. dial. c. 27.* ut ſuſcitationi Lazari præferret. Chryſoſtomus vero proponit celſiſſimis quibusque Chriſti operibus. Sic enim in illa verba Chriſti. Quid facilius eſt dicere, dimittuntur tibi peccata tua, an dicere ſurge & ambula, manifeſtum eſt, quod dimittendo peccata, majus aliquid operemur. Evidentius enim inquit. S. Th. propriam declarat poteſtatem Chriſtus; quando dixit. Ut autem ſciatis. &c. quaſi diceret, conſolidare corpus facilius eſt, quia quanto anima nobilior eſt corpore, tanto excellentior eſt abſolutio criminum & remiſſio peccatorum. Hæc miracula quotidiana ſunt, & à confeſſariis quotidie fiunt. Licet autem cum S. Th. in hunc locum Phariſæi verè dicant. Quia peccatum nemo dimittere poteſt niſi ſolus DEus, is tamen quidvis dimittendi tribuit hominibus poteſtatem. Adeoque ſubjungit: ſortiti ſumus & nos Sacerdotes, ab eo tam mirabilem gratiam. Et adeo quidem admirabilem, ut longe excellentior ſit abſolutio criminum, quàm gratia ſanitatum. Ut propterea bene S. Chryſoſtomus *in c. 14. Joan.* Præſtantius eſt animæ mederi peccatis mortuæ, quàm iterum revocare ad vitam mortua corpora iterum moritura. Illuſtre dictum eſt S. Franciſci Saleſii *in cujus vita p. 4. c. 5.* hæc habentur. Conſtituti eſtis à DEO fratres mei dilectiſſimi ad judicia exercenda in animas, & tanta quidem authoritate, ut quæ in terris juſtè & legitimè ſtatueritis, rata, fixaque in cœlo ſint. Præclara in hoc eluxit Pipini Regis pietas, & religio, qui S. Vironi non tantum nudo capite, ſed nudis etiam pedibus ſcilicet diſcalceatus confitebatur, uti Baronius commemorat. Noverat piiſſimus rex illud *Judith. 8. v. 21.* vos eſtis presbyteri in populo DEI, qui ut Lyra & Hugo Cardinalis in hunc locum, redditis rationem pro ovibus, & ex vobis pendet anima illorum, id eſt ſalus æterna dependet. Mirabile erit illud, quando in ictu oculi univerſa humana natura reſurget. Sed pulchrè advertit Euſebius Gallicanus *ſerm. 2. in Epiph.* mirabilius quid eſſe, quando tot peccato-

Remiſſio peccatorum major eſt quocunque Chriſti miraculo.

Sacerdotis magna eſt authoritas.

Pipinus Rex confeſſarium honorat.

res repente de pessimis optimi, de persecutoribus etiam prædicatores fidei exsurgunt. Videamus, inquit, quanto plus est, quod præstat gratia! Ecce vera miracula! Ecce prædicanda miracula! Et stupendas immutationes, quas quotidie in nobis operatur Redemptor noster, quando de pessimis bonos facit, castos de luxuriosis, humiles de superbis, de sectatoribus sæculi, amicos DEI. Quæ potest majora exercere miracula, quàm quando hominem de substantia pulveris in Angeli statum provehit. Bene S. Laur. Just. *serm. de S. Mat.* Quemadmodum crudelitas est extincta in Paulo, ita avaritiæ cupiditas occisa est in Matthæo. Occurrit hic mira illa & portentosa conversio in Neaniâ, quem Deus pari pene fato cum Paulo ex persecutore Martyrem, & fidei Christianæ fidissimum testem fecit, hic teste Pexens. *hist. 101. §. 6. p. 3.* Patrem Martyrem, matrem gentilem habuit Theodoram nomine, quæ ad mariti clarissimi Martyris fusum pro Christo sanguinem tam parum erubuit: ut filium suum Neaniam, Diocletiano in aulâ suâ & superstitione enutriendum tradiderit. Qui quia formâ erat liberali & acri ingenio, Præfectus militum factus à Diocletiano Alexandriam missus est, ut Christianos ibidem penitus extirparet. Jam prope Apameam in Syriam pervenerat, cum derepente terra tremere, cœlum tonare & fulgurare, simulque vox de cœlo audita est, Quo Neania? Verum cum exterritus interrogâsset, quis esset? Vidit Christum crucifixum, & vocem omni fulmine graviorem audivit: Ego sum Christus, quem tu persequeris! Vas electionis tu mihi eris. Et hem! Neanias statim sibi curavit crucifixum confici aureum, colloque appendit, & sic in hostes movit. Vix signum crucis Agarenis intulit, gloriosam de hostibus victoriam reportavit. At verò laureato reduci cruentum propria mater bellum indixit, quæ ubi inaudivit, quod ad Christi castra transivisset filius, eundem apud Diocletianum maternæ pietatis oblita detulit, effecitque ut in carcerem detruderetur laureatus filius, virgisque cæderetur. Apparuit illi in carcere Christus, eumque ibi baptizavit: ac Procopii nomine insignivit. Ducebatur paulo post ad supplicium Procopius, & cruento spectaculo sui impotens adesse voluit mater, quæ cum in turba Christum confitentem audivit filium; mira animi conversione immutavit animum, ut verè dici potuerit, quod moriturus jamjam filius, matrem suam Christo pepererit. Hæc enim efferatam suam rabiem detestata, mirâ con-

Pœnitentia est major resurrectione mortuorum.

Neanias velut alter Paulus conversus.

constantiâ, & plusquam virili magnanimitate Christum confessa, cum filio victima veritatis Christianæ cecidit. O quam verè S. Cypr. *serm. de cæco* inquit: Sic tu Domine armentarios statim facis Prophetas, opiliones Reges, telonarios Apostolos, piscatores Doctores. Eleganter deinde concludit. Neque ab his quos sanas lentè languor abscedit, sed illico quem restituis ex integro convalescit. Est hæc miranda pœnitentiæ vis & potentia. est hæc divinæ gratiæ operatio. Fuit teste Pexenfelder *p. 1. hist. 44.* Latronum Princeps, qui sub Mauritio anno Christi 583. cædibus & latrociniis adeo infamis vixit, sicq; vias publicas infestavit, ut nemo securus de vita iter ageret. Ubi de hoc audivit Mauritius, & Constantinopoli milites misit, qui eundem opprimerent. Sed omnem militum elusit operam; ad alia proinde consilia Imperatorem coëgit. Rebus ergo desperatis misit illi Imperator sanctorum insignes Reliquias aureæ capsæ inclusas, cum insinuatione gratiæ Cæsareæ, si rediret. Movit hoc latronis animum sic, ut munus reverenter acciperet, reliquias collo appenderet, Constantinopolim pergeret, & se ad pedes Mauritii abjiceret. Brevi deinde infirmatus ad hospitale Samsonis deportatur, ubi à DEO veniam suorum peccatorum rogavit. Tantis autem manavit lachrymis, ut strophiolum totum maduerit. Mortuus cum hoc strophiolo oculis imposito à Medico Cæsaris inventus est. Hic vidit latronem in judicio divino graviter accusari à dæmonibus, ab angelis verò operosè defendi, qui cum aliud non haberent, quod opponerent, strophiolum hoc à lachrymis pœnitentiæ madidum lanci imposuerunt, quo lanx animæ elevata, & cœlo illata est. Quare magna cum reverentia medicus strophiolum ad Mauritium detulit, qui DEI misericordiam mirè deprædicavit. Annon ego de hoc latrone dicam, quod Arnoldus Carnotensis de latrone in cruce celebravit, qui dum latronis in cruce metamorphosim fuit admiratus, exclamavit; Domine DEus noster, quam admirabile est nomen tuum in universâ terrâ, qui ex impiorum ore perficis laudem. Latronem hunc in cruce multis latrociniis infamem dixit S. Chrysostom. S. Elogius etiam fratricidii reum asserit. Hunc tamen spirantem cædes, & funera, æquâsse magnos Apostolos testatur S. Cyprian. *serm. de cœna Domini* dicens: Quid tu Domine amplius contulisti Stephano? quid amplius obtinuit ille tuus dilectus discipulus, qui supra pectus tuum in cœna recubuit? quid ampli⁹ Pauli meruere sudores? quid labores tanti sanctorum? quid tot anno-rum

Reliquiæ latronem mirè convertunt.

Lachrymæ pœnitentis latronis in judicio divino graves.

Latro in cruce magnis exæquatur sanctis.

rum tormenta? quid Martyrum plagæ? Unâ horâ collatum est huic præmium, ad quod illi per tot discrimina pervenerunt.

Nullum peccatum est irremissibile.

Et quomodo dicere audent impudentissimi sectarii, dari aliquod peccatum tam enorme, quod DEus non velit remittere. Licèt ergo Novatiani putaverint apostasiam à fide esse irremissibilem, falsum tamen hoc esse ostendimus superius in sancto Marcellino Pontifice & Martyre, qui licèt territus tormentis thus Diis sacrificaverit, facti tamen pœnitens & fidem novo ardore confessus, & suo sanguine constantissimè est contestatus. Numquid etiam Petrus Christum negavit? quem tamen Christus respexit, & Apostolorum Principem fecit. Longè rationabilius de misericordia divina sensit David *Ps. 144. versu 9.* miserationes ejus super omnia opera ejus. Et ideo *Ezech. 18. v. 23.* in persona DEI Propheta loquitur. Numquid voluntatis meæ est mors impii? Et non ut convertatur à viis suis & vivat. Hanc DEI misericordiam miratus Sapiens *Sap. 11. v. 18.* Qui ubi dixisset: Non enim impossibilis erat omnipotens manus tua, quæ creavit orbem terrarum ex massâ invisâ, immittere illis multitudinem ursorum, aut audaces leones, aut novi generis irâ plenas ignotas bestias, aut vaporem igneum spirantes, aut fumi odorem proferentes, aut horrendas ab oculis scintillas emittentes, quorum non solum læsura poterat illos exterminare, sed & aspectus per timorem occidere. Virtuti enim brachii tui quis resistet? Statim subjungit *v. 24.* Sed misereris omnium, quia omnia potes, & dissimulas peccata hominum propter pœnitentiam. Statim deinde *c. 12. v. 17.* addit: Et ob hoc quod omnium Dominus es, omnibus te parcere facis, virtutem enim ostendis tu. Ubi velim observari particulam *Tu.* Quasi diceret Sapiens. Homines putant se fortes esse, si se vindicant, si injurias cruento ferro ulciscantur; DEus verò ostendit potentiam suam, quod hostium suorum misereatur. Ita enim Paulus ad *Rom. 9. versu 22.* Quod si volens DEus notam facere potentiam suam, sustinuit in multâ patientiâ vasa iræ apta in interitum. Quasi diceret ex hoc quod Pater cœlestis nobis remittit injurias, colligimus illum esse omnipotentem & bonum. Divinum hoc utique opus est. Quod proinde in Christo, quem purum hominem credebant Judæi, non volebant admittere. Hinc cum *Luc. 7. v. 48.* Magdalenæ dixisset: remittuntur tibi peccata tua; cœperunt, qui simul accumbebant, dicere intra se. Quis est hic, qui etiam peccata dimittit. Hanc divinitatis tesseram obser-

Dimittere divinum est, hinc Judæi non volebant hoc Christo concedere.

obſervat Oleaſter in verbis illis Davidis *2. Reg. 9. v. 3.* Numquid ſupereſt aliquis de domo Saul, ut faciam cum eo miſericordiam DEI? Quomodo quærit Oleaſter *in c. 18. Gen.* miſericordiam DEI? Et ſibi reſpondet. Expende quare vocet miſericordiam DEI, quam erga domum Saulis volebat exercere. Noſtra enim in hoc à divinâ diſtare videtur, quod noſtra ad noſtros tantum ſe extendit, diligentes ſolum eos, qui nos diligunt amicos; non vero inimicos. Miſericordia vero Domini præcipuè eſt ad inimicos, id eſt, peccatores. Solatii plenum eſt, quod S. Thomas à villa nova *in Dom. 1. Adv.* dicit: Quid times peccator? quid trepidas? quid diffidis? Convertere ad Dominum quia pius eſt, & benignus, & præſtabilis ſuper malitiâ, non vult mortem peccatoris, ſed ut convertatur & vivat. Ecce propter hoc crucifixus eſt, propter hoc pendet in cruce, propter hoc inter ſceleratos moritur. Quomodo te damnabit pœnitentem? Qui propter hoc moritur, ne damneris? Quomodo te abjiciet redeuntem, qui de cœlo venit, quærere te? Audi S. Ambr. *in Ep. ad Rom.* Si DEus peccatoribus non indulgeret, quid eſſet de Adam & Eva? Quid de Aaron, & Davide? Quid de Petro & Paulo? Quid de Matthæo & Magdalena? aliiſque innumerabilibus? nullus illorum cœlum intraſſet. Bene Theophylactus *de crucis adoratione:* Quis de ſe ſpem abjiciat, cum latronem videt ſalutem adeptum, & in paradyſum cum eo, qui vocaverat, quaſi vi ingreſſum eſſe. Refert Jacobus de Vitriaco de puella, quæ teneris adhuc annis formæ venuſtate nimium lenocinante cum parente ſuo laſcivè vixit, ubi verò adolevit paternis blanditiis etiam ad inceſtum inducta fuit, advertit crimen mater, & puellam, ut par erat, ſeverius increpuit, filia monitionis impatiens matrem abſente patre veneno extinxit. Ubi pater redivit, & matris fatum intellexit, rurſus puellam acriter correxit, & ſe puellæ indignari ac iraſci oſtendit. At illa parentis iram ferre non valens, noctu in lecto ſuo dormientem ſecuri trucidat. Inde cum optima ſupellectile à DEO & domo paterna profuga, in omne ſcelus proruit: caſu in Concionatorem de DEI miſericordia diſſerentem incidit, à quo ſolutâ concione dictorum veritatem inquirit, pœnitet, & confitetur, confeſſarius pro pœnitentia impoſuit, ut altera die ad concionem redeat, in qua præ contritionis magnitudine emortua eſt. Orante autem pro illa populo, vox de cœlo delapſa eſt; non eſt opus ut oretis pro ipſâ, illa potius orabit pro vobis. Magnum dictū eſt S. Cypr.

DEus vult ut pœniteamus ut is poſſit remittere.

Puella inceſta patris & matris parricida ſalutariter pœnitet.

serm. de cœna Dom. In eodem articulo temporis cum jam anima festinat ad exitum, & egrediens ad labia expirantis emerserit, pœnitentiam clementissima DEI benignitas non aspernatur, nec serum est, quod verum, nec irremissibile, quod voluntarium. Et quæcunque necessitas cogat ad pœnitudinem, nec quantitas criminis, nec brevitas temporis, nec vitæ enormitas, nec horæ extremitas (si vera contritio, si pura fuerit voluptatum mutatio) excludit à veniâ. Expertus hoc est Juvenis ille Brabantinus à pueritiâ in omne scelus propensus, de quo Pexenfelder *p. 1. hist. 35.* qui cùm parentum & familiæ judicio, putaretur aliquando futurus probrum domus paternæ, ad judicem ab ipsis parentibus & amicis est adductus, quem rogârunt, ut filium clam propter multa morte luenda facinora è vivis tollat. Judex jubet ligatum in saccum mitti, & sic in aquis suffocari. Juvenis sacco includendus obstinatissimè Judici, parentibus & consanguineis veniam negans sacco includitur, & desperabundus cum grandi lapide alligato non tam in aquas, quam in æternas inferni flammas immergitur. Dum noctu judex miserandi juvenis obitum secum recogitat, adstat in formâ visibili juvenis ille, seque incredibiles pœnas pati dixit, solatio tamen sibi esse, quòd de salute suâ sit certus, eo quod inclusus sacco cum jam aquæ subirent, à gratiâ DEI præventus fuerit, & sertam planè de peccatis suis contritionem habuerit, quâ durante aquis præfocatus decessit. Pulchrè S. Chrysostomus *hom. 6. de pœnit.* Propterea Christus peregrinatus est in terrâ, maxima peccata remisit, latronem in paradysum reduxit, Publicanum fecit Evangelistam, Paulum blasphemum Apostolum orbis, ut tu peccator non desperes, sed peccatum fatendo deleas, & salubrem ingrediaris viam. Instat proinde *hom. 2. in ps. 50.* Peccasti? pœnitere. Vulneratus es? adhibe tibi curam dum spiras, etiam in ipso lecto positus, etiam, si dici potest, animam efflans, etiam si ex hoc mundo exeas. Non impeditur temporis angustiâ misericordia DEI. Quid est enim peccatum ad misericordiam DEI? tela est aranearum, quæ vento flante non comparet. Audite S. Bern. *serm. de bono latr.* Cuncta peccata ab origine mundi commissa divinæ misericordiæ comparata, sunt quasi una gutta ad totius maris pelagus. Solatii plena est illa S. Aug. sententia: DEus omnia potest, non autem potest non misereri gemitibus peccatorum, qui ad se convertuntur. Verissimum namque est illud S. Pauli *1. ad Tim. 4.* vult omnes salvos fieri.

Filius refractarius in culeo salvatur pœnitens.

fieri. Undè licèt gravissima sint hominum peccata, nullum tamen ejus misericordiam transcendit. Cantipratanus refert de quopiam qui propriæ filiæ stuprum intulit, & peccato commisso de misericordia DEI pene desperavit, ubi tamen veniæ locum superesse didicit, maximo cum dolore Senonensium Episcopo est confessus, qui contritionem cordis videns, septennii pœnitentiam confesso imposuit, & ubi contritio magis, magisque sese prodidit, septennium pœnitentiæ ad triduanum jejunium reduxit, ac tandem ad unicam orationem Dominicam restrinxit. Ast homo hic pœnitens præ contritione nimiâ contabuit, interque singultus & suspiria ac lachrymas expiravit, atque ab eodem Episcopo cœlo inferri visus est. Pulchrè S. Ambr. *de obitu Theodosii super illa verba ps. 114. v. 5.* Misericors Dominus & justus & DEus noster miseretur. Bis inquit, misericordiam posuit, semel justitiam, in medio justitia est gemino inclusa septo misericordiæ. Superabundant ego fateor peccata, sed superabundat & gratia & misericordia. Unde S. Hier. ad Rusticum. Nihil sic offendit DEum sicut cor impœnitens. Solum desperationis crimen est, quod veniam consequi non potest. Audiendus est proinde S. Ambr. *l. 6. in hexam. c. ult. super illa verba Gen. 2.* Et requievit ab universo opere, quod patraverat. Fecit cœlum, non lego quod requieverit; fecit solem, lunam, & stellas, nec ibi lego quod requieverit; sed lego quod fecerit hominem, & tunc requievit, habens cui peccata dimitteret. Similem misericordiæ occasionem desumit idem S. Ambr. *ex illo Gen. 9.* Arcum meum ponam in nube. *Lib. itaque de Noë & arcâ cap. 73.* dicit, Arcum meum ponam in nube, non sagittam. Arcus enim instrumentum est jaculandæ sagittæ. Itaque non ipse arcus vulnerat, sed sagitta. Et ideo Dominus in nubibus arcum magis, quam sagittam ponit, id est, non illud, quod vulnerat, sed quod habet terroris indicium, vulneris effectum habere non solet. Bene enim observat S. Bern. *serm. 5. de nativ. Dom. super illud 2. ad Cor. 1.* Pater misericordiarum, & DEus totius consolationis. Dicitur inquit Pater misericordiarum, non dicitur Pater judiciorum, quia misericordia ex se sumit materiam miserendi, nam quod judicet & condemnet nos eum quodammodo cogimus; miserendi causam & originem sumit ex propria; judicandi, vel ulciscendi magis ex nostro. Sic enim Salvianus *l. 4. de provid.* Exacerbamus DEum impietatibus nostris, & ad puniendum nos trahimus invitum, cumque ejus naturæ sit, ut

Nullum peccatum DEI misericordiam transcendit.

Pœnitentia salutariter Peccatorem extinguit.

Semper superabundat misericordia.

nulla iracundiæ passione moveatur, tanta tamen in nobis est exacerbatio, ut per nos cogatur irasci. Unde Cæsarii Arelatensis consilium audiamus *hom.6. in biblioth. SS. PP. tom.7.* Nec debet aliquis, quia DEus justus desperare, nec quia misericors est, debet nimia securitate confidere. Sed sic timeat Justitiam, ut quærat misericordiam, sic de misericordia confidat, ut tamen justitiam contremiscat. Quia quanto nos diutius DEus expectat, tanto gravius judicat, si de conversione tardius cogitemus. Neque dicas obstare claros textus scripturæ, qui vel contrarium docent, vel certè explicari dilucidè debent. Sic enim *Mat.12.v.31.* dicitur. Omne peccatum & blasphemia remittetur hominibus, spiritus autem blasphemiæ non remittetur. Et quicunque dixerit verbum contra filium hominis remittetur ei, qui autem dixerit contra Spiritum sanctum non remittetur ei, neque in hoc sæculo, neque in futuro. Sensus est de non simpliciter non remittendo, sed quod difficulter hoc sit futurum, quia talis homo obicem ponit Spiritui sancto, per quem veluti Sanctificatorem nostrum, gratia in cor hominis profluit. Quia vero talis se à Spiritu sancto avertit, ægrè ad gratiam pœnitentiæ deveniet, & sic in peccatis suis morietur. Sic namque *2. Machab.9.v.13.* de Antiocho dicitur: Orabat autem hic scelestus Dominum, à quo non esset misericordiam consecuturus. Patet enim non verè orasse Antiochum, non enim oravit ex motivo offensæ divinæ, sed ex dolorum gravitate, & morbi molestia, adeoque nec merebatur exaudiri à DEO. Ita plane intelligi debet illud S. Pauli *ad Hebr.12. v.17.* Non enim invenit pœnitentiæ locum, quamquam cum lachrymis inquisisset eam. Dicendum enim est: Esau pœnituisse quidem cum lachrymis, sed non habuisse propositum serium emendationis. Quod manifestè patet ex illis verbis *Gen.27.v.41.* Venient dies luctus Patris mei, & occidam Jacob. Quod ipsum fecisset Antiochus, si ex infirmitate sua convaluisset. Unde etiam illa difficultas, quam scriptura insinuat. *Act.8. v.22.* & à S. Petro dicta est Simoni Mago. Pœnitentiam itaque age ab hac nequitiâ tuâ, & roga DEum, si fortè remittatur tibi hæc cogitatio cordis tui, elucidatur. Respexit enim Petrus ad pœnitentiam minimè seriam Simonis Magi, sed fictam tantum, quam indicavit expressis verbis illis: In felle enim amaritudinis & obligatione iniquitatis video te esse. Ex quibus verbis habes, quòd obligatus iniquitate, se ad seriam pœnitentiam non accommodaverit. Neque dicas, quod

Aliud est non remittendum, aliud quasi non, id est, difficulter.

quod S. Joannes non velit, ut pro aliquo peccatore oretur, eo quod spes veniæ non sit. Sic enim dicitur *1. Joan. 5. v. 16.* Qui scit fratrem suum peccare peccatum, non ad mortem, petat, & dabitur ei vita peccanti non ad mortem. Est peccatum ad mortem, non pro illo dico ut roget quis. Sed hunc textum explicat S. Aug. *l. 1. retract. c. 19. de impœnitentiâ finali.* Si enim quis impœnitens moriatur, & desperabundus, cum talis damnationis suæ manifesta det indicia, pro tali supervacaneas preces dicit esse S. Joannes. frustra enim oratur pro damnatis, cum in inferno nulla sit redemptio. Quod verò DEus etiam relapsis remittat peccata, id modo indagabimus

Quando DEus pœnitentibus gratiam promisit, nullam penitus fecit exceptionem de relapsis, sed absolutè Petro ejusque successoribus dedit claves & potestatem remittendi. Quare licèt Montanistæ, qui in secundo Ecclesiæ sæculo eruperunt, præter alia multa absurda docuerint nullam relapsis esse veniam. Contra hos tamen suo tempore acerrimè decertavit S. Hieronymus, qui pœnitentiam esse secundam post naufragium omnibus communem tabulam ostendit. Pulchrè proinde S. Chrysostomus *in præfat. commentar. suorum in Isa.* monet, quotidie peccas, quotidianam age pœnitentiam. Id quod in singulis quibusque ædibus & ipsi facimus. Mox enim ut verriculo collectæ sunt quisquiliæ, eas domo efferimus. Novas instauramus & superaddimus, nec sic interquiescimus, ab assiduâ hac diligentiâ converrendi domum. Hodienè in peccatis consenuisti? fac ut te renoves per pœnitentiam. Novatiani Hæretici, qui tertio sæculo invaluerunt, veniam dederunt relapsis, sed non nisi semel. Unde si quis post primum relapsum, veniam & absolutionem petiit, eandem pœnitentibus negarunt. Repugnat autem hoc Bonitati divinæ, quia misericordissimus DEus non minus est misericors, quàm ille nos velit esse misericordes, cùm velit, ut non semel, sed sæpius offensam condonemus. Sic enim *Mat. 18. v. 21.* Petro interroganti; Quoties peccabit in me frater meus, & dimittam ei? usque septies? Respondit illi JEsus, non dico tibi usque septies, sed usque septuagies septies. Certè si Christus voluit, ut nos condonaremus proximo nostro etiam septuagies septies, non est credendum, quod nos in hac mansuetudine simus superaturi DEum, cum nos in hac voluerit Patri æterno esse simillimos filios. Sic enim similitudinem hanc explicat maximè per condonationem injuriarum, uti videre est. *Matt. 5. v. 43.* quando dixit:

Quotidie sordes facis, quotidie verris, sic si quotidie peccas, etiam quotidie confitere.

Christus nos jubet sæpius remittere, cur non & ille?

dixit: Audistis, quia dictum est antiquis &c. Et concludit Estote ergo vos perfecti, sicut & Pater vester cœlestis perfectus est. Ex quo principio pulchre S. Chrysostomus citatus. Peccasti, inquit, pœnitere. Millies peccasti ? millies pœnitere. Quod confirmatur ex eo quia scriptura, cum largiter promittat pœnitentibus misericordiam, nullam unquam facit exceptionem temporis vel relapsus. Mirabile videri posset illud *Josue 7.* Cum enim Achan in deprædatione Jericho comisisset furtum, eundem ad confessionẽ urgens Josue dixit: fili mi da gloriam Domino DEO Israël, & confitere. Quam gloriam obsecro sacrilegus fur dabit? Cajetanus in hunc locũ dicit: Si Achan confessus fuisset peccatũ suum à DEO obtinuisset veniam, Deoq; dedisset gloriam. Hinc *Exodi c. 14. v. 17.* locutus DEus inquit Glorificabor in Pharaone, & in omni exercitu, & in curribus, & in Equitibus illius. Forsitan tunc quando omnes in mari submersi sunt? non negaverim! Tamen hoc verius dici potest, quando pœnitentes & contriti dixerunt Ægyptii, fugiamus Israëlem, Dominus enim pugnat pro eis contra nos. Ex quo bene explicatur illud, quod quotidie in missa dicitur: gratias agimus tibi propter magnam gloriam tuam. Quis obsecro gratias agat Principi propter magnam gloriam, & majestatem, quam habet? Et tamen Sancta mater Ecclesia vult, ut DEO gratias agamus de sua infinita misericordia, quam peccatoribus exhibet in eo, quod peccatoribus misericorditer indulgeat veniam, quod ipse DEus sibi summæ gloriæ ducit. Et ideo David *ps. 144. v. 9.* inquit, Miserationes ejus super omnia opera ejus, quod S. Thomas explicat dicens, quod nulli rei melius DEus possit operam suam impendere, quam justificationi peccatoris, in cujus rei testimonium adducit verba Ecclesiæ: DEus qui omnipotentiam tuam parcendo maximè & miserando manifestas. Et S. Aug. *tract. 72. in Joann.* dicit: Quod enim ex impio justus fiat, majus hoc dixerim, quam creare cœlum & terram. Causam hujus dat. S. Th. ex fine utriusque actionis, quia creatio habet pro fine bonum naturæ mutabilis, justificatio autem bonum æternum divinæ participationis unde S. Greg. *hom. de centum ovibus* dicit, majorem gloriam resultasse in DEUM ex conversione Magdalenæ, quam ex resuscitatione Lazari, quia in resuscitatione Lazari nullam divina omnipotentia reperit difficultatem ex parte subjecti, sicut in justificatione Magdalenæ ratione liberi arbitrii, quo

Confessio nostra est DEO gloriosa.

DEO in missa gratias agimus propter magnum gloriam suam.

Conversio peccatoris major Creatione.

se impius opponere potest divinæ voluntati. Et hinc ipsum Concil. Trident. *sess. 6. c. 7.* dicit Justificationis causa finalis est gloria DEI & Christi. Moriturus Jacob convocat filios suos, & incipiens à Ruben benedixit illis *Gen. 49. v. 3.* Ruben primogenitus meus effusus es sicut aqua. Non crescas quia ascendisti cubile Patris tui, & maculasti stratum ejus. Quid hoc? Certè hæc maledictio potius, quàm benedictio censeri debet. Videte tamen, quid DEus egerit; facit DEus ut Moyses moriens benediceret omnibus tribubus Israël, incipit etiam Moyses à Ruben & dicit, vivat Ruben! non moriatur. Jacob voluit extinguere Ruben ut non crescat, & moriatur. Moyses maledictionem Patris tollit, & benedicit. Theodorus in catena aurea causam dicit benedictionis fuisse, quod Ruben pœnituerit, & quod Josephum fratrem suum conatus fuerit, liberare à morte, quam fratres reliqui eidem inferre volebant. Quare non bene inferunt hæretici quidam dicentes, nimiam indulgentiam facere peccandi licentiam. Quia desperatio veniæ majorem facit apud DEum offensam. Et ideo Deus etiam gravius punit eos, qui desperant de venia, quam qui in idem peccatum relapsi pœnitentiam tandem seriò faciunt. Sic Petrum licèt ter negaverit se nôsse Christum, respexit & pœnitentem in gratiam recepit. Quam negationem deinde gratiosè voluit expiari triplici confessione, quando Christus eundem requisivit: Quem dicunt homines esse filium hominis? Et Petrus postquam flevit; illum Christus trinæ negationis oblitus, Ecclesiæ suæ præfecit. Pasce oves meas. Tanquam negationis oblivisceretur exclamat. S. Chrysostomus *homil. in Joan.* fratrum curam illi committit, neque negationis meminit, neque exprobrat; tantum dicit: si amas me. Ecce præsentem statum! Si amas me, fratrum curam suscipias. Sic Paulum *Actor. 9.* divina voce fulminat Christus, & Paulus clamat: Domine, quid me vis facere? Interim DEus Ananiæ mandat, ut Paulum invisat: surge & vade in vicum qui vocatur Rectus, & quære in domo Judæ Saulum nomine Tarsensem. Replicat Ananias, Domine audivi à multis de viro hoc quanta mala fecerit sanctis tuis in Jerusalem. Erras Anania inquit Christus. Tu præterita loqueris. Ego de præsenti ago. Ecce enim orat. Quæ verba Hugo Cardinalis expendens dicit; Mitem eum feci, jam nulli timendum, sed amplectendus est ut frater, quia mala, quæ sanctis intulit, paratus est sustinere cum sanctis. Hinc Ecclesiasticum dicentem præter Davidem, Ezechiam, & Josiam omnes

Misericordia divina in remissione non facit licentiam peccandi.

mnes peccatum commiserunt: Explicat Rabanus Morus ArchiEpiscopus Moguntinus. Hi tres non dicuntur non peccâsse simpliciter, sed comparatione aliorum, quia quod peccaverunt, condigna pœnitentiâ eluerunt, & devotionis, ac pietatis officio DEO placuerunt. Hi tres igitur sancti Canonizati juxta vitam præsentem, quam servarunt post pœnitentiam, & non sunt damnati ratione præteritorum.

Fructus pœnitentiæ. Concludit: Et hic est fructus pœnitentiæ. Hæc enim inquirenti Christo, ovem perditam monstrat, drachmam amissam offert, dissipatorem filium ad Patrem reducit, vulneratum à latronibus, exspoliatúmque custodiendum & curandum tradit. In hac omne bonum invenitur & conservatur. Quantum ad effectum, ista fugat tenebras, inducit lucem. Confirmat hoc exemplis S. Aug. *tom.10.* Dominus post tam grave peccatum David indulsit. Achab sacrilego Regi pepercit, Manassem post innumerabilia peccata pœnitentiam agentem inter amicos suos reputavit, & meretrici quæ lachrymis pedes rigaverat, & capillis terserat, totum indulsit. Qui ergo istis tantis ac talibus peccatoribus veniam dedit, paratus est & nobis non solum peccata dimittere, sed & æternam beatitudinem dare. Quare *tom. 4.* idem S. Aug. nos hortatur; Sperate de venia, etsi maxima sit iniquitas, quia ubi abundavit delictum, superabundavit & gratia. Hinc bene Arnoldus *tract. 7. de verbis. Dom.* sit, qui pœniteat, non deerit, qui indulgeat. Cui consonat S. Chrysostomus *hom. 2. in ps. 10.* si lapsus es, poteris surgere; periisti, sed poteris salvari; fornicatus es, sed poteris continere; mœchatus es, sed poteris liberari. Tantum vel parva incipiat esse conversio, paululum pœnitere, etiam animam efflans, si sic dici potest pœnitere; non enim impeditur à temporis angustiâ misericordia DEI. Certissimum est effatum S. Thomæ de villa nova *Conc. 1. de judicio.* Peccavimus fratres! aut pœnitendum, aut certe ardendum.

Baptismus iterari non potest, potest vero pœnitentia. Sed dices forte cum S. Paulo *ad Hebr. 6. v. 4.* Impossibile est enim eos, qui semel sunt illuminati, gustaverunt etiam donum cœleste & participes facti sunt spiritus sancti, gustaverunt nihilominus bonum verbi DEI, virtutésque sæculi venturi, & prolapsi sunt, rursus renovari ad pœnitentiam. Dicam ego S. Paulum vel loqui de renovatione ad pœnitentia baptismi, & hæc est impossibilis illuminato vel baptizato; quia baptismus non potest reiterari. Causa autem negatæ hujus iterationis est, quia baptismus est signum mortis Christi, qui cum

non

non sit nisi semel mortuus, baptismus etiam repeti non debet. Et sic explicant hunc locum Pauli, Theodoretus, Ambrosius, Chrysostomus. Vel certè dicendum est, cum S. Anselmo, & Lyrano, quod S. Paulus locutus sit de renovatione ordinaria ad pœnitentiam, quæ graviter lapsis est impossibilis, non simpliciter, sed quasi; quia in similibus peccatis gravibus habituatis est valde difficilis. Quod autem valde difficulter fit, vulgari modo loquendi dicitur impossibile. Hi enim quia non habent seriam voluntatem resipiscendi, gratiâ divinâ prævenjri non merentur. Non miror jam Nirenbergium *l. 4. de gratia* dicentem. Ah si norint homines, quantum sit, quod agunt, cum anteactam vitam dolore criminum rescindunt, serioque ad frugem redeunt. Majus profectò quidpiam & excellentius est, quam si corpus mortale immortali gloria induerent, excitarent in vitam mortuos, homines ex nihilo crearent. Pulchrè enim S. August. *serm. 15. de verb. Ap.* Si hominem te fecit DEus, & justum tu te facis, melius aliquid facis, quàm fecit DEus. Quid si Germanum possis dolendo propria scelera ex sepulchro in vitam revocare. An usque adeo sis DEO infensus, aut durus Germano tuo, ut ipsi illum dolorem salutarem neges? Quid ergo mortuam animam, te inquam ipsum æterno addictum supplicio ab eo non revocas, cum id possis tam levi ac parabili dolore. Audite S. Chrysostomum *tom. 4. hom. 4.* lethali vulnere confessam denuo instaurare animam excellentius est, quam corpus mortuum excitare. Nec immeritò quia ut inquit S. Aug. *de verbis Dom. serm. 44.* Corpus vitæ redditur iterum casuræ, anima verò vitæ nunquam desituræ. Quare non desperes, licèt catenis malæ consuetudinis ligatus tenearis à dæmone. Refert Joannes Major *in spec. Exempl. verbo contritio Exempl. 2.* Quod homo improbus sola curiositate ductus ingressus sit in templum, ut famosum concionatorem audiret; hic DEO disponente contra vitium illud acrius intonabat, in quo iste gravius laborabat. Casu inter dicendum in hunc oculos conjicit orator, & hoc ipso intuitu gravi catenâ miserum obstrictum videt. Quare vel ex hinc dictionis suæ accipit materiam, & quam gravi catena teneatur peccator ostendit. Dum hoc agit concionator, illius catenati conturbatur cor, subitoque in lachrymas solvitur. Vix autem catenam illam una lachrymarum attigit, cùm subito catena rumpi visa est, atque ille peccata sua confessus, feliciter suæ salutis restitutus est libertati. O quam verũ est, quod non impediatur illa temporis an-

Baptismus cur nequeat iterari.

Habituatis quasi est impossibilis pœnitentia.

Concionator videt peccatorem catenis obstrictum esse.

Lacrymæ pœnitentis solvunt, catenam dæmonis animam ligantis.

gustiá clementissima DEI misericordia! Andreas Naddini Civis Senensis lusor insignis ac inter ludendum horrendè blasphemus, gravi morbo obrutus à medicis depositus, à viris Religiosis frustra ad pœnitentiam stimulabatur. Audit hoc confessarius S. Catharinæ Senensis, eamq; adit, & rogat, ut desperato homini veniam exoret. Orat illa ardentissimè & ecce adest Christus, qui illam informat de homine scelerato dicens: os illius blasphemum, me ipsum si posset perderet; ille Matris meæ imaginem combussit &c. Illachrymata virgo ulterius pro misericordia instat, ut se ipsum Andreæ obdurato spectabilem sistat, & ad pœnitentiam hortetur. Fecit hoc exoratus Christus, & hominem sic immutavit, ut peccata sua dolorosissimè confessus felicissimè expiraverit. Quam verè dixit S. Ephrem *serm. de afflict.* O dulcis JEsu, priusquam peccator attingat ad januam, tu ei aperis, antequam tibi procidat, manum ei præbes, antequam lachrymas profundat, tuas super illum miserationes effundis. Charitas tua nostræ salutis cupidissima seipsa ad nos inclinat. Expertus hoc fuit pius latro, qui Christo in cruce vicinus vix dixit. Domine memento mei; audivit statim: Hodie mecum eris in paradyso. Pulchre S. Ambr. *in ps. 37.* ille adhuc rogabat, & Dominus cum nondũ venisset, tribuit illi paradysum. Quam velox misericordia! Tardius votum precantis, quam renumerantis est pretium. S. Chrysostomus verò *hom. 38. in Gen.* postquam egisset de conversione latronis. Tanta est inquit DEI misericordia erga nos. Nam ubi viderit voluntatis nostræ firmum propositum, non retardat, sed accelerat, dicens: adhuc te loquente dicam, ecce adsum.

Christi patientis dolorosus aspectus peccatorem movet orante S. Cath. Sen.

Christus prævertit pœnitentes sua misericordia.

DEus non remittit peccatum post hanc vitam.

Ex dictis tamen non sequitur, quod DEus infinitè misericors homini remittat aliquod peccatum post hanc vitam, uti malè sibi persuasit Origenes, qui putavit, animas damnatas aliquando tandem ex inferno liberandas. Repugnat enim hoc scripturæ, cujus est hæc maxima. In inferno nulla est redemptio. Et ostendit hoc Christus *Mat. 25.* in illis fatuis virginibus quæ lampadibus & oleo instructæ non fuerunt, quando sponsus venit, quæ verò paratæ erant, intraverunt cum eo ad nuptias & clausa est janua. Quare *Eccles. 9. v. 10.* dicitur: Nec opus, nec ratio est apud inferos, Quia *Apoc. 10. v. 6.* definitum est: Non erit tempus amplius. Bene S. Aug. *tract. 44. in Joan.* Hoc explicat: Quando vivebas, tunc erat tempus operandi, modo jam in nocte es, quando nemo potest operari. Ex quo bene concluditur, quod pœnitentia non sit differenda. Refert Beda *l. 5. hist. Anglic.* de aulico

aulico quodam Regis Angliæ, qui cum ab ipso Rege admonitus fuisset de confessione nec tamen confiteri vellet, quod inquam Rex viderit loco Angelorum, qui lectum circumstabant, accessisse horrenda facie dæmones, qui in ingenti volumine rationes vitæ transactæ eidem ostendebant, cùmque ingenti cum ejulatu exclamaret moriens, quod unus dæmonum ad caput, alter ad pedes sibi desperatam animam eripiat, inter inconditos ejulatus & clamores miserrimè expiravit. Hac nimirum animadversione percutitur peccator, ut in morte obliviscatur sui, qui vivus oblitus est DEI. Sicut enim gravem injuriam infert Creditori, qui cum posset Creditorem solvere, illum tamen semper differt; sic non minorem injuriam infert DEO, cum per veram contritionem, posset se reconciliare DEO, id tamen non facit. Unde tam sollicitè S. Chrysologus *serm. 167.* Currat pœnitentia, ne præcurrat sententia. Ne judicemur, judices nostri simus. Et hinc est tam seria Sancti Augustini commonitio *serm. 36. ad fratr. in Eremo.* Age pœnitentiam dum sanus es, si sic agis, dico tibi, quia securus es, quia pœnitentiam egisti eo tempore, quando peccare potuisti; Si vis agere pœnitentiam, quando jam peccare non potes, peccata te dimiserunt, non tu illa. Narrat Lobetius *Dom. 5. post Pentec. sect. 5.* fuisse senem octuagenario majorem virum opulentum, at erga pauperes durum utpote qui plurimos oppresserat. Infirmatus, monitus est, ut animæ suæ consuleret, quia jam ab annis triginta id neglexerat, sed surdo canebatur, usque dum monitionis impatiens permisit, ut confessarius Religiosus evocaretur. Curritur & quales voluerunt amici, obvii fiunt, statim ad ægrum sine arbitris admittuntur. Cùm verò hi cum infirmo de salute animæ agere creduntur adsunt alii duo veri Religiosi, qui cum se nescire de aliis quidquam assererent, perplexam fecerunt Domini sui familiam; dum ergo pertæsi longioris moræ famuli cubiculum subintrant, nec religiosos ullos, sed neque herum suum in lecto reperiunt, neque aliud vident, nisi murum lecto vicinum copioso recentique sanguine respersum & ex lecto erumpentes fœtidas flammas, quæ fidem fecerunt, quo miser impœnitens abreptus sit. Discamus tam funesto exitu Christianam consequentiam *ad Galat. 6.* à Sancto Paulo dictatam. Ergo dum tempus habemus operemur bonum. O quam meritò exclamat S. August. *de vera & falsa pœnit. c. 7.* Multos solet serotina pœnitentia decipere, quem enim morbus urget, pœna terret, ad seriam vix veniet

Anglus aulicus pœnitentiam differens à dæmonibus abripitur.

Dæmon confessarium mentitus octuagenarium impœnitentem abripit.

Pœnitentia non differenda.

veniet satisfactionem. Maximè cum uxor & filii, quos dilexit, sint præsentes, & mundus ad se vocet. Causam dat idem S. Aug. *serm. 58. de Sanctis.* Emenda igitur frater vitam tuam, dum tempus datur. Implora nunc auxilium divinum dum locus datur. fleto nunc, dum lachrymis non intercluditur via. Noli pœnitentiam differre, dum hoc in tempore vivis, in quo tantum fructus ejus est utilis. Quomodo enim, quærit S. August. *serm. 58. de temp.* Aget pœnitentiam in extremis vitæ finibus constitutus? Pœnitentia quæ à moriente petitur, vereor ne mortua sit. Et ideo dilectissimi, quicunque invenire vult misericordiam DEI sanus agat pœnitentiam in hoc sæculo, ut sanus esse valeat in futuro. Graviter S. Bern. *serm. 38. ex parvis.* Si bene memini in toto Canone scripturarum unum latronem invenies salvatum. Noli ergo huic tam periculosæ expectationi credere temetipsum. Quia ut bene inquit S. Isidorus *de summo bono c. ult.* qui vult de remissione peccatorum securus esse in hora mortis, faciat pœnitentiam dum sanus est, & tunc iniquitatem suam plangat. Sed qui malè vixit, & pœnitentiam in hora mortis agit, certum est, quod in summo versetur periculo. Quemadmodum enim ejus damnatio est incerta, ita salus illius est dubia. Monet ergo tam instanter S. Chrysostomus *hom. 22. de pœnit.* Noli expectare finem ubi pœnitentiæ remedium nihil valet. Quærite exclamat *Isaias c. 55. v. 6.* Dominum dum inveniri potest, invocate eum dum prope est. In quem locum S. Gregor. *18. mor. c. 5.* Modo non videtur & prope est, tunc videbitur & prope non erit. Nunc non videtur & invenitur, tunc videbitur & inveniri non poterit. Causam dat idem S. Greg. *l. 8. mor. c. 5.* Ejus clamorem tempore angustiæ DEus non audit, qui ipse tranquillitatis tempore clamantē Dominum non audivit, juxta illud. Qui declinat aures suas, ne audiat legem, oratio ejus erit execrabilis. Contremiscant ergo & expavescant omnes S. Augustini sententiam, qui *serm. 3. de Innocent.* dicit: Veniet tempus, quando nec eis licebit pœnitentiam agere, nec bonis operibus se ab æterna morte poterunt redimere, quia percutitur etiam hac animadversione peccator ut moriens obliviscatur sui, qui dum viveret oblitus est DEI. Neque dicas S. Theclam eliberâsse animam Falconillæ ex inferno, uti & S. Gregorium ex inferno evocâsse animam Trajani. Bellarminus enim *l. 2. de purgat. c. 8.* ostendit hoc esse fabulosum. Cæterum si dicas B. V. aliosque sanctos impetrâsse dilationem decretoriæ Senten-
tiæ

tiæ æternæ damnationis, & obtinendæ conversionis, peragendæque pœnitentiæ, non video, quid inconvenientiæ inferre possint hæretici. Maximè cum anima Lazari toto illo quatriduo, quo erat sepultus, velut ad vitam revocanda, indefinite hæserit. Si verò instes, & dicas, Christum in inferno prædicasse pœnitentiam, ut salvarentur. Dicam ego Christum non prædicâsse damnatis in inferno, sed Patribus in limbo, neque illa prædicatio fuit de pœnitentia, sed materia consolationis, qua eosdem est solatus, & illos certificavit de redemptione peractâ. Si dixeris SS. PP. Nazianzenum, Damascenum, Augustinum, dubitâsse, & pene ejusdem fuisse opinionis, quod tunc quando Christus descendit ad inferos, aliquas animas ex inferno liberaverit, respondebo ego aliud esse sentire, & aliud esse dubitare. Fieri enim potest, quod in aliquo manifesto fidei articulo dubitem, quo dubio stante non sum hæreticus, quod si tamen ita sentirem, omnino pro hæretico haberer. Quia verò de hoc fusius egi *articul. 5. disc. 25.* ad illum lectorem benevolum remitto, interim notæ Ecclesiæ parœmiæ insisto & dico, quia in inferno nulla est redemptio.

Nulla anima liberatur ex inferno.

Superest modo expendere, quomodo intelligi debeat illud Lutheri axioma, seu fidei suæ novæ documentum, hominem debere credere sibi remissa esse peccata, cum tamen passim ex Lutheri doctrina habeatur, quod prædicantes non remittant, sed solum annuncient remissionem peccatorum. Quare sciendum est, quod error hic oriatur ex confusione vocum istarum fidei & fiduciæ, quas hæretici confundunt, dum illas pro eadem sumunt. In quo apparet error & manifesta ignorantia veræ Grammaticæ. Cum enim fides sit fundamentum fiduciæ nostræ, hæc fiducia non fides, sed spes & confidentia dici debet. adeoque falsa est ista propositio: homo debet credere sibi remissa esse peccata, quia *Eccles. 9. v. 1.* dicitur: nescit homo an odio, an amore dignus sit. Item *Eccles. 5. v. 5.* de propitiato peccato, noli esse sine metu. Quid quod Paulus *1. ad Cor. 4. v. 4.* dicat: nihil mihi conscius sum, sed in hoc non sum justificatus. Unde merito Sapiens *Prov. 30. v. 9.* quærit; quis potest dicere mundum est cor meum. Aliud autem esset, si Christus alicui illud revelâsset, sicut revelavit & dixit Magdalenæ *Luc. 7. v. 48.* Remittuntur tibi peccata tua, vel sicut dixit Paralytico *Mat. 9. v. 2.* confide fili remittuntur tibi peccata tua. Aut quemadmodum contestatus est Zachæo *Luc. 19. v. 9.* Quia hodie sal' domui huic facta est, eo quod & ipse filius sit A-

Homo non tenetur credere sibi esse remissa peccata.

Fides & fiducia distinguitur.

sit Abrahæ. Proinde sperare debemus, & fiduciam habere possumus, quod solitis in Ecclesia applicatis mediis remissionem peccatorum consequamur. Si scilicet peccata nostra confessi simus. nihil volenter vel scienter celavimus, dolorem debitum & propositum habuimus; tum enim sperare possumus, peccatorum veniam nos esse consecutos, cùm DEus quod docet Concilium Milevitanum, facienti quod est in se non deneget gratiam. Quod si cum Paulo simplice videremus vincula Dæmonis in nobis rumpi; esset hoc argumentum amplioris fiduciæ. Hic enim præforibus templi considens introeuntium animas contemplabatur. In mediâ vero turba vidit aliquem, quem non Angeli sed dæmones catervatim stipabant. Altùm proinde ingemuit & lachrymis perfusus universum populum conturbavit. Solicitus ergo populus causam insoliti ploratus petiit, jussit vero ille omnes devotè sacris assistere, & DEum rogare, ipse autem in portæ limine substitit. Peractis divinis iterum egredientes observavit Paulus, & specialiter illum quem vidit prius male à dæmonibus comitatum, modo vero non amplius à dæmonibus, sed angelo comitante procedere. Unde miro gaudio exultans, omnes ad templum revocat, & omnibus, quæ vidit, exponit. Deinde verò hominem illum ex turba ad altare evocat, & quæ secum acta sint, pro DEI gloria ut manifestet, rogat. Hic se peccatorem esse asserit, nec aliud se scire, quàm cum caneretur in Ecclesia, Lavamini & mundi estote &c. Ita se accendi sensisse, ut peccata sua toto cordè detestaretur, & sic cum proposito seriæ confessionis ex templo exivisse. His dictis magna cum acclamatione DEI misericordiam collaudavit. Quod si cum Piscatore in Episcopatu Trajectensi ferrum illæsus tractarem, esset, quod de remissione peccatorum aliquomodo præsumerem. Hic enim piscator postquam diu cum quadam fœmina esset fornicatus, timeret autem ab instante Synodo citari ad pœnam, venit ad sacerdotem, cui peccata sua confessus emendationem promisit, eamque aliquamdiu cum admiratione multorum servavit, adeoque in Synodo accusatus pro sui defensione ignitum ferrum tractavit illæsa manu. Ubi verò solutâ Synodo in illicitas voluptates rursus relapsus fuit, gloriatusq; fuisset, se à ferro candente tam parum læsum fuisse, quàm ab aqua fluminis, in quo tunc navigavit, atq; aquam in manum sumeret, aqua frigida candentis ferri vicem gessit, & manum graviter adussit. Modo autẽ quia nescimus an odio an amore digni simus, agamus quod hortus

S. Paulus simplex videt peccatores per pœnitentiam solvi à catenis dæmonis.

Piscator, pœnitens ferrum illæsus tractat, relapsus ab aqua aduritur.

hortus Pastorum *tract.1.de char.Sect.2.* refert, egisse monachum. Cum enim dæmon mentitus angelum lucis seni cuidam monacho apparuisset eiq; dixisset juvenem discipulum, qui alias bene se gerebat, æternæ damnationis esse filium, adeoq; in vanum laborare & frustra se affligere. Quoties ergo senex discipulum suum aspexit, flevit. Importunitate tandem juvenis victus, eidem doloris sui causam aperuit. At juvenis nihil motus dixit: DEus quod in oculis ejus beneplacitum est, faciat; ego non servio illi propter regnum cœlorum, sed propter bonitatem suam. De Cætero si mihi cœlum dare velit, sit benedictus; si ad infernum detruserit, justum erit judicium ejus. Dominus est, quod lubet, faciat. Sequenti nocte apparuit angelus seni, & fraudem dæmonis detexit, simulque aperuit, quantum, hoc actu demissionis sibi juvenis optimus meritus fuerit. Non est proinde quod Paulum *ad Rom. 8. versu 16.* objicias dicentem: ipse Spiritus reddit testimonium Spiritui nostro, quod sumus filii DEI. Quæro enim ubi definitum sit, quod iste Spiritus, qui tibi testimonium perhibet, sit verè Spiritus DEI maximè verò, cum ipsius Lutheri testimonio habeamus, quod ipse nesciat, quo spiritu actus suas de missâ sententias dictaverit. Præterquam quod testimonium hoc, quod redditur spiritui nostro sit tantum probabile, non autem simpliciter & absolute certum. Quo tamen consolati, manemus in fiducia optimâ & spe misericordiæ divinæ, nos esse & permansuros inter filios DEI. Ut verò hanc optimam salutis nostræ fiduciam habeamus, accipiamus auream regulam ab ipso Christo dictatam *Matt. 19. v. 17.* Si vis ad vitam ingredi, serva mandata, quæ si ex fragilitate transgressi fuerimus, per pœnitentiam recurramus ad Christum. *Matth. 11. versu 28.* dicentem: Venite ad me omnes qui laboratis & onerati estis, & ego reficiam vos.

Juvenis à dæmone præscitus dictus, à bono angelo prædestinatus docetur.



ARTI-



ARTICULUS XI.

Carnis Resurrectionem.

DISCURSUS XLI.

Omnes resurgemus in ultimo die Judicii.

CArdinalis Cajetanus ubi definitivè decernit horam resurrectionis Christi fuisse in aurora, docet, quòd de fide sit resurrectionem Christi esse causam resurrectionis corporum nostrorum. Paulus namque *1. ad Cor. 15. v. 22.* dixit: Sicut in Adam omnes moriuntur, ita & in Christo omnes vivificabuntur. Adeoque resurrectio mortuorum fundatur in resurrectione Christi. Quasi diceret Paulus. Si Christus à mortuis resurrexit, ergo & nos à mortuis resurgemus. Si autem nos à mortuis non resurgemus, sequitur quod neque Christus à mortuis resurrexerit. Adeoque quintus & undecimus Articulus fidei videntur inter se ita esse connexi, ut qui credit in unum, cogatur credere in alterum. Et hoc clarè deducere possumus ex discursu S. Pauli, qui *versu 12.* sic loquitur: Si autem Christus prædicatur, quod resurrexit à mortuis, quomodo quidam dicunt in vobis quoniam resurrectio mortuorum non est. Si autem resurrectio mortuorum non est, neque Christus resurrexit. Si autem Christus non resurrexit, inanis ergo prædicatio nostra, inanis est & fides nostra. Invenimur autem & falsi testes DEI, quoniam testimonium diximus adversus DEum, quod suscitavit Christum, quem non suscitavit, si mortui non resurgunt. Nam si mortui non resurgunt, neque Christus resurrexit. Quare *ad Thessal. 1. c. 4. v. 12.* eosdem his verbis solatur: Nolumus autem vos ignorare fratres de dormientibus, ut non contristemini sicut cæteri qui spem non habent.

Si

si enim credimus, quod JEsus mortuus est & resurrexit, ita & DEus eos, qui dormierũt, per JEsum adducet cum eo. Qua formâ argumentandi utitur *ad Rom. 8. v. 11.* quod si spiritus ejus qui suscitavit JEsum Christum à mortuis habitat in vobis, qui suscitavit JEsum Christum à mortuis vivificabit & mortalia corpora vestra, propter inhabitantem spiritum ejus in vobis. Quasi diceret: in resurrectione gloriosi capitis nostri habemus omnia membra hujus mystici corporis, unde speremus, quod & nos resurgemus. Videri tamen potest difficilis hæc argumentatio Pauli: Si Christus surrexit, ergo & nos resurgemus, nam si mortui non resurgunt, neque Christus resurrexit. Legitima tamen hæc est S. Pauli illatio. Quia SS. PP. qui hunc locum Pauli explicant, supponunt Ecclesiam esse corpus mysticum & Christum illius esse caput juxta illud *ad Col. 1. v. 18.* & ipse est caput corporis Ecclesiæ. Capillos hujus capitis dicunt esse Sanctos ex illo *Matth. 10. versu 30.* Capilli capitis vestri omnes numerati sunt. Cur autem Sancti capillis potius, quàm aliis membris corporis comparentur, causa est; quia si manum vel pedem abscindas, nulla manus aut pes renascetur, capillus etsi præscindatur, renascitur & succrescit, imò sæpe pulchrior redibit. Christus est caput, capilli sunt Sancti, resurgente capite justi velut capilli resurgent, qui licèt à tyrannis sæpe recisi fuerint, gloriosiores tamen resurgunt in cœlo. Ut verò ad Cajetanum redeamus aptè ad meum propositum quærit ille, quid causæ subsit, quod Dominus appetente die, & quidem in aurora surrexerit? Respondet ipse, quod valde congruè dies æternitatis gloriosorum corporum incipiat cum aurora. Resurrectio enim Christi est initium universalis resurrectionis omnium corporum, sicut aurora est initium diei. Ubi vides quod magno cum mysterio factum sit, quod Christus tunc surrexerit, cùm aurora exoriri cœpit, ut significaret, quod velut aurora est prodromus solis & currus illius triumphalis, in quo invehitur dies, ita suam resurrectionem esse originem & principium resurrectionis nostræ. Sunt tamen aliqui, qui hunc locum Pauli explicant per locum intrinsecum & pro faciliori intelligentia, dicunt caput esse fontem vitæ, utpote quod omnibus membris vitam dat & spiritum sic enim dicitur à capiendo quia inde initium capiunt omnes sensus & nervi corporis. Et hinc *Gen. 2. versu 7.* Inspiravit DEus in faciem ejus spiraculum vitæ, & factus est homo in animam viventem. Ex capite scilicet derivavit

Christus resurrexit ergo & nos bona est consequentia.

Sancti cur capilli dicantur in resurrectione mortuorum.

Christus in aurora resurgit, quia est principium resurrectionis nostræ.

vitam in universum hominem. Unde argumentatio Pauli bene procedit Christus est caput Ecclesiæ & nos membra sumus corporis ejus, ergo per locum intrinsecum, Si Christus vivit caput Ecclesiæ, etiam fideles qui membra sunt hujus capitis, vitam habebunt. Explicat hoc eruditè Momingo *Dom. Paschat.* similitudine ducta à quodam serpente, de quo Plinius refert, quod crocodilo infestissimus inter herbas, quibus is vescitur se abscondat, & quia serpens ille coloris est viridis inopinatè se herbis commiscet, vivusque crocodili stomachum ingreditur, & ibi tamdiu stomachum illius corrodit, usque dum crocodilum penitus extinguat, quo mortuo vivus iterum prosilit. *Joan. 3. v. 14.* Se Christus Serpenti comparat sicut Moyses exaltavit serpentem, ita exaltari oportet filium hominis. Si herbæ colorem velis? audi *Isaiam c. 40. v. 6.* omnis caro fœnum, quam carnem *Joan. 1. v. 14.* assumpsit. Verbum caro factum est. Crocodilum mortem dicam, quæ tot virentes flores in ætate optimâ demessuit, insuper in ipso Calvariæ monte duos latrones cum ipso Christo devoravit, sed vix fauces mortis ingressus est, Christus morsu suo mortem ipsam interemit. Ut verificaretur illud *Oseæ c. 13. versu 14.* O mors! Ero mors tua, morsus tuus ero inferne. Accidit nimirum morti, quod apibus, quæ ubi aculeum figunt & relinquunt, pereunt. Ita ubi mors aculeum suum fixit in Christum isque hæsit, quando nimirum pro nobis mortuus est in cruce, mors mortua est, & interivit. Sed Christus rursus gloriosè ex corde terræ prodiit, seu mortualis crocodili faucibus, quando gloriosus resurrexit, & factus est primitiæ morientium *1. ad Cor. 15. v. 20.* nunc autem Christus resurrexit à mortuis primitiæ morientium, quoniam quidem per hominem mors, & per hominem resurrectio mortuorum. Quod *ad Colossenses 1. versu 18.* repetit: Et ipse est caput corporis Ecclesiæ, qui est principium, primogenitus ex mortuis, ut sit in omnibus ipse primatum tenens. Cui assentitur S. Joan. *in sua Apoc. c. 1. versu 5.* ubi nominatur testis fidelis & primogenitus mortuorum, non quod primus omnium à mortuis resurrexerit cum ipse ante mortem suam alios suscitaverit, sed quia surrexit primus non amplius moriturus. Et ideo resurrectio à Christo regeneratio dicitur *Matth. 19. versu 29.* Amen dico vobis; quod vos qui secuti estis me; in regeneratione cum sederit filius hominis in sede majestatis suæ, sedebitis & vos super sedes duodecim, judicantes duodecim tribus Israël. Quia vero intre

Serpens viridis crocodilum interimit.

Mors mortuo Christo mortua est.

inter eos, qui secundum animam & corpus ad vitam regenerati sunt, Christus omnium primus est, clarum est, quòd sit primogenitus, quia ante illum nemo sic gloriosus æternam beatitudinem assecutus est. Licèt enim ante Christum à mortuis resurrexit filius viduæ Sareptanæ *l. 3. Reg. c. 17.* resuscitatus ab Elia. Revixerit filius illius viduæ Sunamitidis *4. Reg. 4.* revocatus ab Elisæo. Redierit ad vitam homo ille, qui in sepulchrum Elisæi abjectus fuit. *4. Reg. 13.* Rursus ad vitam puella illa filia Principis per Christum *Matth. 9.* revocata sit. Repetierit mortalem vitam jussu filii DEI, filius viduæ in Nain *Luc. 7.* resuscitatus sit ab ipso Christo quatriduanus Lazarus *Joan. 11.* Hi tamen omnes solum ad vitam mortalem sunt revocati, morituri iterum, primus Christus sic resurrexit ad vitam immortalem, ut jam non moriatur amplius, nec mors illi ultra dominabitur. Et quia nullus ante ipsum sic resurrexit, est ille manetque primogenitus mortuorum, quem omnes sequemur & ad vitam æternam etiam suo tempore resurgemus. Unde argumentum otiosum non est apud nos Catholicos: in veteri lege aliqui per Prophetas Eliam & Elisæum, in novâ per Christum Salvatorem, in Ecclesia DEI per Apostolos variosque Sanctos, etiam postremis temporibus à mortuis resuscitati sunt, ergo possibile est mortuos resurgere. Quid ad hoc dicent Saducæi? Quid Marcionistæ? Quid Albigenses? Quid Manichæi? Certè S. Paulus argumentatur à solo Christo; annon ergo à Christo mortuorum primogenito, cui tot centeni conjuncti sunt, efficaciter concludam dari carnis resurrectionem in novissimo illo die, quando omnes resurgemus recepturi in corpore prout gessimus sive bonum sive malum.

Tot à mortuis surrexerunt ergo & nos.

Non minùs efficax argumentum est *ex Osea qui c. 13.* gloriosam resurrectionem Christi prævidens & in illa omnium nostrum in carne futuram anastasim victoriam Christi contra mortem prædixit. Si verò non resurgeremus à mortuis, sequeretur quod Christus verè mortem non devicisset, cum in nos adhuc imperium obtineret. Quod dici non potest, quia Christus clarè per Prophetam *Oseam c. 13. versu 14.* morti comminatus est. Ero mors tua ô mors! quem mortis interitum contestatur Paulus *1. ad Corinth. 15. versu 54.* Cum autem mortale hoc induerit immortalitatem tunc fiet sermo, qui scriptus est: absorpta est mors in victoria. Ubi est mors victoria tua?

tua? Ubi est mors stimulus tuus? Quod cum Paulo tam confidenter dicere non possemus, nisi certi essemus de resurrectione nostrâ. Et hinc puto esse, quod Christus toties mortem somnum appellaverit, eosque qui mortem oppetierunt, dormire dixerit. Sic namque *Matth. 9. versu 24.* non est mortua puella sed dormit. Et *Joan. 11. versu 11.* de Lazaro dixit Christus, Lazarus amicus noster dormit, sed vado, ut à somno excitem eum. Somnus autem vivis, non verò mortuis competit. Quare sciendum, quod mors bonorum somnus sit, sicut enim reprobi, etiamsi secundùm corpus vivant, verè tamen in anima mortui sunt: Ita qui in statu gratiæ moriuntur, non mortui, sed vivi dici debent. Quod vel ex ipsâ derivatione nominis Græci cæmiterium deducitur, quod aliud non significat, quam quoddam quasi dormitorium, ubi mortui dormientium instar aliquando resuscitandi dicuntur. Videtur hoc insinuasse *Job. c. 7. versu 21.* Ecce nunc in pulvere dormiam. Certè S. Chrysostomus *hom. 4. in Job.* dum illum nudatum rebus omnibus & ipso in corpore tam dirè laniatum considerat; at verò longa virtutis & patientiæ constantiâ probatum invenit, velut servum fidelem & sincerum à DEO variis gratiis ornatum asserit *Job. 42. versu 10.* Et addidit Dominus omnia, quæ fecerat Job duplicia. Quærit autem citatus Chrysostomus cum Job dicatur habuisse septem filios & tres filias, quomodo jumenta reddantur in duplum, in simplum verò restituantur liberi? Sibi interroganti ipsemet respondet; ut ostenderet, quoniam ipsi tametsi perempti sunt, vivant tamen; ac omnes sancto Jobo lætitiæ causa sint, eique cohæredes applaudant. Bene proinde bestias in duplum restituit, quas perdiderat, filios verò non, quia eorum occasus vera mors non erat, sed potius de domo hujus vitæ ad alteram meliorem translatio. Magnum hujus felicis somni & futuræ resurrectionis testimonium nobis exhibent septem dormientes illi, qui cum anno Christi 283. Decio imperante persecutionem declinarent, postquam eos tyrannus nobilitatis ornamentis exuit, eisque tempus ad deliberandum dedit, ipsi sponte in speluncam quandam se abdiderunt, ubi cum in somnum declinassent, Decius speluncæ os occludi, & obmurari mandavit. Accidit autem ut post ducentos annos Dominus loci illius volens aliquid in loco ædificare, lapides ex ore illius speluncæ mandaret accipi, & ecce patefacto

Mors somnus est.

Cæmiterium est dormitorium.

Septem dormientes resurrectionis argumentum.

tefacto exitu, atque somno divinitus dissipato, nocte unâ se dormivisse rati Malchum ex sociis mittunt, qui in urbe vicinâ necessaria comparet & coemat. At verò ubi hic omnia nova reperit, neque faciem priorum temporum amplius vidit, non tantum sibi, sed omni populo admirationi fuit, cum & ipsa pecunia quæ pro pane data fuit & mores atque loquela antiquitatem saperent, nulli tunc temporis notam. Res ergo ad Episcopum & urbis Proconsulem defertur, qui ubi omnia examinarunt ab inventâ insuper laminâ illuminati sunt, in quâ didicerunt, quod ducentis pene annis hi sancti juvenes in specu ibidem obdormiverint. Re igitur ad Imperatorem delatâ, ipse Theodosius junior venit Ephesum, qui ubi juvenes vidit, eosque amanter est complexus, septimo postquam evigilarunt die defunctos honorificè sepeliri fecit. Quid hic dicat Philetus hæreticus? An fortè DEI omnipotentia limitata est, ut qui post ducentos annos excitavit à somno hos juvenes, nequeat in virtute omnipotentiæ suæ, in voce tubæ angelicæ excitare omnes mortuos? Veniat is & prodeat cum Ezechiele in medium campi illius *Ezech. 37.* qui erat plenus ossibus. Et circumduxit me per ea in gyro, erant autem multa valde super faciem campi, siccaq; vehementer. Et dixit ad me, fili hominis putasne vivent ossa ista? Et dixi Domine DEus tu nosti. Et dixit ad me vaticinare de ossibus istis, & dicas eis. Ossa arida audite verbum Domini. Hæc dicit Dominus DEus ossibus his: Ecce ego intromittam in vos spiritum, & vivetis, & dabo super vos nervos, & succrescere faciam super vos carnes, & superextendam in vobis cutem, & dabo vobis spiritum & vivetis, & scietis, quia Ego Dominus. Et prophetavi sicut præceperat mihi. Factus est autem sonitus prophetante me, & ecce commotio. Et accesserunt ossa, ad ossa, unumquodque ad juncturam suam. Et vidi, & ecce super ea nervi & carnes ascenderunt, & extenta est in eis cutis desuper, & Spiritum non habebant. Et dixit ad me vaticinare ad Spiritum: vaticinare fili hominis & dices ad Spiritum: Hæc dicit Dominus DEus à quatuor ventis veni Spiritus, & insuffla super interfectos istos, & reviviscent. Et prophetavi sicut præceperat mihi, & ingressus est in ea Spiritus, & vixerunt, steteruntque super pedes suos exercitus grandis nimis valde. Annon hic vident hæretici magnum illud mysterium nostræ resurrectionis in die judicii? quando ossa arida rursus vestientur carne suâ, circumdabuntur

Campus Ezechielis plenus ossibus imago resurrectionis futuræ.

pelle nervis & venis induentur, vitaque vivent immortali. Videmus ossa arida modo jacere in cryptis & ossariis, spargi sæpe distrahique in sylvis & campis quæ nihilominus obsequio angelico uniuntur, virtute verò divina animabuntur. Non sunt ergo mortui, sed dormiunt à voce tubæ angelicæ excitandi. Epaminondas militem in excubiis dormientem offendit, accusatus de homicidio respondit se illum sicut invenit reliquisse, ratus inter mortem & somnum non esse differentiam. DEO enim tam facilè est mortuum ad vitam revocare, quam tibi aliquem dormientem à somno excitare. Sunt qui felle leporis aut anguillæ somnum inducunt, neque excitari valent nisi aceto irrorentur. Omnes longo sopore obdormiscimus, sed virtute sanguinis Christi irrorati resurgemus non amplius morituri. Quid quod ipsa nominis affinitas inter lectum & lethum, inter tumulum & thalamum nos moneat futuri somni. Utrobique vestes exuimus, & nudi comparemus. Cur ergo horremus tumulos, & thalamos amamus? Nauta quidam interrogatus, ubi parens illius, ubi avus, ubi reliqui majores ipsius obierint? cordatè respondit, omnes in mari submersos esse. Subintulit alter. Et tu nauticam exerces, neque mare times? Argutè reposuit nauta. At ubi pater tuus, ubi mater, ubi avus, proavus, & tritavus mortui sunt? cumque respondisset in lecto, subintulit nauta, cur ergo tu lectum non times, ad quem tamen singulis diebus accedis, in eoque magnam vitæ partem consumis? O quantum temporis in mortis affinitate transfigimus. Veniet tempus quando à mortuis surgemus, nunquam amplius dormituri. Prædixit hoc Christus *Joan. 5. v. 24.* Amen, amen dico vobis, quia veniet hora, & nunc est, quando mortui audient vocem filii DEI, & qui audierint vivent. Statimque *v. 28.* subjungit, nolite mirari hoc, quia venit hora, in qua omnes, qui in monumentis sunt, audient vocem filii DEI, & procedent qui bona fecerunt in resurrectionem vitæ, qui verò mala egerunt in resurrectionē judicii. Et hoc est, quod dixit David *ps. 117. v. 17.* Non moriar sed vivam, & narrabo opera Domini. Sed obsecro quomodo hoc fiet? annon dixisti? Quis est homo qui vivet, & non videbit mortē? Dissolvit hanc quæstionem S. Bruno, qui divinū psalmographum defendit, & Davidem licèt mortuus fuerit, tamen mortuum non esse eruditè ostendit. Rationem assignat, mors enim temporalis, quæ per tribulationes accidit, mors dicenda non est, sed vitæ principiū, post hanc enim mortem Sancti feli-

Epaminondas militem in viglia dormientem occidit.

Somnus longus arte inductus.

Inter lectum & lethum affinitas nominis.

citer

citer vivere incipiunt. Testor ego martyrologium Romanũ, quod obitum Sanctorum, diémq; mortis, quo martyrium passi sunt, natalem, quo in cœlis regenerati sunt, appellat. Manifestius hoc ostenditur ex illo *Matt. 22. v. 31.* De resurrectione autem mortuorum non legistis, quod dictum est à DEO dicente vobis. Ego sum DEUS Abraham, & DEus Isaac, & DEus Jacob. Non est DEUS mortuorum, sed viventium. Quod explicat Philippus Abbas *de silentio c. 80.* Ut eos non jam mortuos, sed in æternum vivere cognoscatur. Cum enim ex hac vitâ in gratiâ DEI decesserint, quæ est anima vitaque morientium, ideo non mortuorum, sed viventium DEus est. Et hinc Christus ex cœnaculo ad mortem abiens, dum ad hortum progrederetur cum discipulis hymno dicto egressus est. Ad mortem pergit, & canit inquit Paulus Palatius *in c. 26. Mat.* Canit in morte, ut ostendat canendum esse in ea morte, quæ mortis primæ est finis, & vitæ sequentis initium. Scio ego Theramenem à Ciricio Tyranno interfectum, cum venenum sibi paratum manibus teneret, poculi dimidium effudisse in terram ac dixisse propino Ciricio. Cicero ubi de hujus hominis constantiâ agit. Lusit, inquit, vir egregius extremo in spiritu, veréque ei, qui sibi venenum præbuerat, mortem est auguratus, quæ etiam in Ciricio est subsecuta. Quot invicti Sancti Martyres pro Christo morituri velut candidissimi cygni suavissimè in morte modulabantur, quia nimirum per hanc mortem temporalem, ad vitæ sequentis initium tendebant. S. Andreas Episcopus Fesulanus ætatis suæ septuaginta & unius annorum, dum in nocte nativitatis sacrum celebravit, DEI matrem habuit aspectabilem, à quâ intellexit, se sextâ Januarii moriturum. Quâ revelatione ita fuit exhileratus, ut qui prius ob victus tenuitatem fuit macilentus, manifestè videretur pinguior & vegetior. Spes nimirum immortalis felicitatis vel ipsum corpus vegetavit, ut in gloriosæ resurrectionis fiduciâ, quasi novo vigore animaretur. Hinc illi qui feliciter in Christo moriuntur, ad vitam nostram mortalem redire non curant, sed cum Christo versari gaudent. Mutius certè miræ sanctitatis Abbas, ut ad moriturum discipulum suum posset pertingere, solem ipsum in cœlo stare fecit. Ubi autem jam mortuum reperit, oratione factâ osculatus est eum, & resuscitatum interrogavit. Quid magis desiderii habes frater, abire & esse cum Christo,

Theramenes in morte jocatur.

Sancti spe resurrectionis in morte lætantur.

S. Andreas Episcopus mortis nuncio fit pinguior.

Beati malunt cum Christo manere, quam ad nos redire.

sto, an permanere nobiscum in carne. Erexit se mortuus & dixit. Quid me revocas Pater? melius est mihi, redire & esse cum Christo; permanere autem mihi in carne necessarium non est. Cui Abbas; dormi ergo fili mi in pace, & ora pro me. Qui reclinavit se in lectulo, & obdormivit. Hoc est, quod veteres volebant Christiani, qui suorum defunctorum feretris, ramos & folia lauri, hederæ atque cupressi insperserunt. Causam hujus dat Durandus *in suo rational. divin. oper. l. 7. c. 35. n. 38.* hedera vel laurus & ejusmodi quæ semper servant virorem in Sarcophago corpori substernuntur, ad significandum, quod qui moriuntur in Christo, vivere non desinant, nam licèt moriantur secundum corpus, tamen secundum animam vivunt, & reviviscunt DEO. Quod olim fecerunt Christiani parentantes suorum piis manibus, id usque hodie vel ipsæ irrationales præstant aviculæ & obsequiosum volucrum genus varium, quæ singulis annis ad sepulchrum S. Catharinæ Virginis & Martyris convolant, & illarum quælibet de fructiferâ arbore cum foliis & fructu ramum affert, ac ibi velut offertorium suum relinquit. Quia verò copiosos olivæ ramos & fructus ferunt, monachi largum inde oleum exprimunt. Taceo quod multi ex Sanctis vel ipsa capita sua, quæ tyrannus abstulit in manifestum resurrectionis testimonium circumtulerint. De S. Dionysio Areopagita testatur *martyrol. Romanum 9. Octobris.* Memoria proditum est caput suum abstulisse, & progressum ad duo millia passuum illud in manibus suis gestâsse. Severinus Boëtius à Theodorico Rege Ariano, capite truncatus fuit, qui caput resectum utraque manu sustulit, rogatúsque à quonam esset percussus? respondit ab impiis. Ubi ad vicinum templum venit imposito sibi capite flexis deinde genibus sacram Synaxim accepit & pacatissimè expiravit. Mirabile etiam illud videri potest, quod de S. Justino puero refert Surius, hic cum miro teneretur desiderio liberandi fratrem suum Justinianum, qui Ambiani in vinculis tenebatur, importunis etiam precibus extorsit à parente, ut eum comitari Ambianum possit: Ubi ad Isaram fluvium veniunt, omni nautâ destituti ab angelo & navi cœlitus missâ transportantur. Ambianum ubi perveniunt, in domo Lupi ubi Justinianus tenebatur, divertunt; in quâ statim ignotum licèt Justinianum, agnoscit Justinus frater, eúmque mirâ dulcedine & suavitate morum ab Ethnico Domino

Olim Christiani lauri & hederæ foliis insperserunt sepulchra.

Aves quotannis S. Catharinæ sepulchrū foliis arborum inspergunt.

Dionysius Areopagita caput rescissum portat.

Boëtius abscissum caput ad templum defert & communicat.

mino impetrat, quia tamen homo Ethnicus Præsidis in Christianos iram timuit, parenti cum filiis suasit intempestivum abitum. Quem ubi præses intellexit, eosdem per suos milites est persecutus. Hos ubi adverterunt fugitivi, se in foveam vicinam cum filio majori Justiniano recenter ex captivitate liberato subduxit parens. Perstitit in patulo puer Justinus qui à militibus interrogatus, quis esset, & ubi itineris socii versentur, requisitus, de sociis; nihil dixit, se verò Christianum esse respondit. Furiosi milites caput innocenti juveni demetunt, quod caput suum sancti Justini truncum corpus elevavit, illudque in manibus suis tenuit, hocque tam prodigioso miraculo milites gentiles fugavit. Dilapsis fugâ militibus egreditur cum fratre de specu parens, quos Justinus Martyr placidè sic est allocutus. Ubi sepeliveritis corpus meum, caput hoc meum in filialis observantiæ monumentum matri deferte. Caput itaque mundo linteo involvunt, eoque honorificè sepulto, matri pium pignus attulerunt, quod illa piis osculis venerata, summo honore coluit, & arcæ suæ maximâ cum veneratione inclusit. Sed lux cœlestis domui incumbens coëgit religiosam matrem publicæ venerationi sacrum pignus exponere. Quam ego meritò cum Hugone de Sancto Victore exclamem, ne mors vitam hæreditaret, in mortuis signum faciens caput manibus suis bajulavit Dionysius, Boëtius decapitatus etiam sacrâ communione est refectus; Justinus pietate suâ fraternâ publicam populi venerationem extorsit. Quare non miror S. Paulum *1. ad Cor. 15. v. 19.* afflictissimè conqueri, quod nos Christiani omnium essemus miserrimi, si resurrectionis spem non haberemus. Alioquin inquit ille, quid faciunt qui baptizantur pro mortuis, si omnino mortui non resurgunt. Ut quid & nos periclitamur omni horâ. Quotidie morior per vestram gloriam Fratres, quam habeo in Christo JEsu Domino nostro. Si (secundùm hominem) ad bestias pugnavi Ephesi, quid mihi prodest, si mortui non resurgunt? manducemus & bibamus, cras enim moriemur. Ex quo deducemus S. Paulum clarè ostendere, quod omnis vita hominis Christiani operosa licèt, otiosa esset, si mortui non resurgerent, sequeretur omnino summa dissolutio morum, si non esset resurrectionis certitudo; cum aliud non facerent homines, quàm perpetuis vacarent ebrietatibus, continuis volutarentur in libidinibus: quippè illis aliud non occineretur, quam Epicurea illa cantilena. Ede! Bibe! Lude! post mortem nulla

voluptas. At verò longè aliter loquitur Christus *Luc. 14. versu 12.* Cùm facis prandium aut cœnam, noli vocare amicos tuos, neque fratres tuos, neque cognatos, neque vicinos divites, ne fortè te & ipsi reinvitent, & fiat tibi retributio. Sed cùm facis convivium voca pauperes, debiles, claudos, & cœcos, & beatus eris, quia non habent retribuere tibi, retribuetur enim tibi in resurrectione justorum. Et hoc est, quod B. Matorium virum nobilem ac opulentum docuit Christus. Cum enim hic magnificum ac splendidum castrum exædificâsset, illius foribus inscribi & vero marmori incidi curavit hos versus:

Arx castrum & diversorium nobilitatis convertitur in hospitale pauperum.

Decretum detur, ne dormiat, aut epuletur,
Hic Gens Villana, sed Achilles, Plato, Diana.

At verò illi Christus de nocte apparuit totus indignabundus & minarum plenus dixit, non ei futuras apertas cœli portas, qui hospiti peregrino & pauperi suas clauserit. Ubi Christus disparuit, recurrit sollicitè S. Matorius ad DEI matrem, quam semper unicè colebat eamque suppliciter rogavit, ut se rursus dilecto filio suo reconciliet, atque pro se intercedat. Promisit illa suam intercessionem, & verò gratiam spospondit, si inscriptionem factam sic mutaverit:

Hospitalitas DEO est grata.

Muta decretum, sanctorum suscipe cœtum
Nudum Martinum, Lasarum, Jacobum peregrinum.

Et subito elegantissimum illud ædificium non amplius Achilles aut Dianas hospitio suo procabatur, sed pauperum diversorium factum est, ut haberet in resurrectione, unde retributionem speraret. Habes ergo Christiane Lector, quomodo in futura resurrectione tam animæ quam corpori fiat retributio operum misericordiæ. Ut verò videas non solum bonis & justis fieri retributionem bonorum operum in resurrectione mortuorum, ipse Christus *Joan. 5. v. 28.* reprobis pœnas decernit. Venit hora inquit ille in quâ omnes qui in monumentis sunt audient vocem filii DEI, & procedent, qui bona fecerunt in resurrectionem vitæ; Qui vero mala in resurrectionem judicii. Cum enim corpus cooperatum sit animæ, sequitur quod sicut anima prout bene vel malè gessit recipiet præmium vel pœnam, ita etiam corpus prout concurrit, recipiet retributionem dicente S. Paulo *2. ad Cor. 5. v. 10.* omnes enim nos manifestari oportet ante tribunal Christi, ut recipiat unusquisque propria corporis prout gessit sive bonum, sive malum,

malum. Si ergo quilibet recipiet propria corporis, necesse est ut eadem corpora in quibus operati sumus resurgant. Quod *Job c.19. versu 25.* contestatur apertis verbis: scio quod redemptor meus vivit, & in novissimo die de terrâ surrecturus sum, & rursus circumdabor pelle meâ, & in carne meâ videbo DEum salvatorem meum, quem visurus sum ego ipse & oculi mei conspecturi sunt, & & non alius. Hæc unica resurrectionis spes Jobo patientissimo dolorum viro solatii fuit materia, quando ulceribus plenus, nudus à consolatione uxoris & amicorum in sterquilinio consedit. Boves & asinos abduxerunt Sabæi, Camelos deprædati sunt Chaldæi, oves depopulatus est ignis de cœlo lapsus, liberos ruinâ suâ oppressit à ventis eversa domus, ipse denique ulcere pessimo percussus ex confractis testulis radebat saniem. Manifestum est itaque divina revelatione edoctum fuisse Jobum, quod pro toto genere humano moriturus Christus, & à mortuis resurrecturus reviviscet, & hinc dicit: Scio quod Redemptor meus vivit. In hac itaque resurrectione Christi fundavit Job suam fiduciam, & firmissimè tenuit, quod sicut Christus Redemptor vivit, ita etiam ipse sit vitam consecuturus immortalem eademque carne, pelle, ossibus & nervis sit vestiendus. Non enim frustra Christus *Joan. 15. v. 2.* dixit omnem palmitem in me non ferentem fructum, tollet eum; & omnem qui fert fructum purgabit eum, ut fructum plus afferat. Quis autem hortulano indignetur quod palmites luxuriantes cultro rescindat? Neque enim illa vulnera obsunt, sed prosunt. Sic falx Christi dum mortale rescindit, non vulnerat, sed sanat, & immortale loco mortalis implantat. Videte mirabilem hortulanum. *Dan. 4. v. 20.* ubi divino decreto dicitur: succidite arborem & dissipate illam, attamen germen radicum ejus in terra dimittite. Quod ipse Daniel sic interpretatur, quod autem præcipit, ut relinqueretur germen radicum ejus id est arboris, regnum tuum tibi manebit, postquam cognoveris potestatem esse cœlestem. Non scindit divinus agricola vitis suæ palmites, ut destruat, sed ut ablato mortali hoc, & corruptibili, immortale & incorruptibile induamus, juxta illud Pauli *1. ad Cor. 15. v. 53.* oportet autem corruptibile hoc, induere incorruptionem, & mortale hoc induere immortalitatem. Quare non alius de novo creabitur homo, quod sibi falsè persuasit Eutychius Patriarcha Constantinopolitanus,

Anima præmiatur ergo & corpus.

Idem corpus quod bonum egit præmiabitur.

sed in iisdem corporibus, quæ ante mortem habuimus, in iisdem membris & potentiis atque sexu resurgemus. Unde licèt aliqui ex illo S. Pauli *ad Ephes. 4. v. 13.* donec omnes in unitatem fidei & agnitionis filii DEI occurramus in virum perfectum, ætatis, plenitudinis Christi, voluerint inquam fœminas non surrecturas in sexu suo. Hi notent discursum Christi cum Saducæis *Matt. 22. v. 23.* In illo die accesserunt ad eum Saducæi, qui dicunt non esse resurrectionem, & interrogaverunt eum dicentes; Magister Moyses dixit si quis mortuus fuerit non habens filium, ut ducat frater ejus uxorem illius, & suscitet semen fratri suo. Erant autem apud nos septem fratres & primus uxore ducta defunctus est, & non habuit semen; reliquit uxorem fratri, similiter secundus & tertius usque ad septimum. Novissimè autem omnium & mulier defuncta est. In resurrectione ergo cujus erit de septem uxor? Omnes enim habuerunt eam. Respondens autem JEsus ait illis, erratis nescientes scripturam; neque virtutem DEI, in resurrectione enim neque nubent, neque nubentur, sed erunt sicut angeli DEI in cœlo. De resurrectione autem mortuorum non legistis, quod dictum est à DEO dicente vobis. Ego sum DEus Abraham, & DEus Isaac, & DEus Jacob; non est DEus mortuorum sed viventium. Ex qua disputatione Christi quid aliud concludamus, quam quod omnes, qui carnis resurrectionem negant cum Saducæis, neque scripturam, neque DEI virtutem intelligant. Præterea manifestum est, quod non solum viri, sed etiam fæminæ in sexu suo comparebunt. Cum enim Saducæi interrogâssent Christum, cujus ex illis septem viris uxor futura esset? Christus non negavit in cœlo futuram fœminam, quod tamen dicturus fuisset si fœminæ resurrectionem in sexu suo non sperarent. Adeoque solum respondit in cœlo non fore uxorias actiones, adeoque nos similes futuros angelis, qui ab omni carnis illecebra alieni vitam vivunt spiritualem. Quare sensus S Pauli superius allegati dum dicit nos occursuros in virum perfectum ætatis plenitudinis Christi, solum in eo est, quod voluerit indicare maximam perfectionem, quæ futura est in altera vita, & resurrectione in utroque sexu tam virorum, quàm fæminarum. Quare integri quo ad omnia membra, sensuum organa, facultatésque corporis, in ætate perfecta, in statura justa ac decora resurgemus. Et ratio est, quia si ex S. Paulo resurget, quod cecidit, ut recipiat bonum vel malum, indubitatum est hanc

Fæminæ in sexu suo resurgent.

hanc eandem carnem eademque corpora resurrectura. Quam fiduciam resurrecturæ carnis habuit S. Jacobus intercisus; hic enim cum à Rege Persarum ob fidem Christianam comprehensus fuisset, ab eodem damnatus fuit ut omnia ei membra successivè detruncarentur. Quare cum articuli digitorum prius in dextrâ, deindè in sinistrâ parte corporis præscinderentur, ipse ad singula benedicebat DEum, & Creatori suo gratias egit, quod se velut fœcundam vitem putaret, quo fœcundior in resurrectione mortuorum reflore-sceret, & fructum uberiorem germinaret. Dicebat proinde spe resurrectionis plenus, quoties vel digiti, vel manus & pedes abscinderentur. Ite membra mea! cadite modo, & amputemini, sed conveniemus, & congaudebimus in resurrectione generali mortuorum. Cum verò sublatis jam manibus & pedibus nihil amplius superesset, ad DEum affectuosissimè exclamavit. Exaudi Domine DEus, non est amplius manus, quam ad te levare possum, nec genua quæ flectam, jube animam meam ad te venire, & abscisso capite ad cœlum evolavit, sicque suam quam de resurrectione fiduciam haberet, abunde est contestatus. Hæc eadem resurrectionis spes adolescentes illos Machabæos confortavit, ut crudelissimi tyranni Antiochi sævissima tormenta & martyria imperterrito animo exantlarent. Cum enim secundo genito cutis capitis cum pelle detraheretur *2. Macbab. 7. versu 7.* interrogabant eum, si manducaret, priusquam toto corpore, per membra singula puniretur. At ille respondens voce patriâ dixit: Non faciam, Propter quod & iste sequenti loco, primi tormenta suscepit; & in ultimo spiritu constitutus sic ait. Tu quidem scelestissimè in præsenti vitâ nos perdis, sed Rex mundi defunctos nos pro suis legibus in æternæ vitæ resurrectione suscitabit. Pari fiducia ulterius procedunt invicti juvenes. *v. 10.* namque habetur. Post hunc Tertius illuditur, & linguam postulatus cito protulit, & manus constanter extendit, & cum fiduciâ ait. E cœlo ista possideo, sed propter DEI leges nunc hæc ipsa despicio, quoniam ab ipso me ea recepturum spero. Et hoc ita defuncto quartum vexabant similiter torquentes. Et cum jam esset ad mortem ait: Potius est ab hominibus morti datos, spem expectare à DEO iterum ab ipso resuscitandos, tibi enim resurrectio ad vitam non erit. Tantum nimirum fortitudinis, & constantiæ causavit in animis horum juvenum spes certa futuræ resurre-

Resurgemus in hac eadem carne nostra.

S. Jacobus intercisus spe resurrectionis in Martyrio constans.

7. Machabæi Martyres spe resurrectionis tormenta animosè sustinent.

surrectionis. Qua eadem certitudine heroina mater filium ultimum in tormentis secuta est, quando *v. 28.* Sic filium est allocuta: Peto nate, ut aspicias ad cœlum, & intelligas; quia ex Nihilo fecit illa DEus, & hominum genus. Ita fiet, ut non timeas carnificem istum, sed dignus fratribus tuis effectus particeps, suscipe mortem, ut in illa miseratione (id est in resurrectione) cum fratribus tuis te recipiam. Verum est, & negare non possum, humanæ rationi hoc videri posse impossibile, quod in cinerem & pulverem redactum corpus, caro à vermibus corrosa, & exesa rursus in vigorem pristinum restituatur. Sed idem ille omnipotens DEus, qui cœlum & terram, & omnia quæ in eis sunt, ex nihilo creavit, etiam mortale hoc corpus in cinerem & pulverem redactum, rursus potest vivificare. Et verò videmur vel à naturâ doceri resurrectionem, quæ vetustatem hyemalem detestata, juventutem amœniorem in vere meditari jubet. Dies qui occidit, serenior sæpe die altera renascitur, & idem annus, qui in hyeme consenuit, sereniore cum aurâ vernare incipit. Annon per annos singulos virentium arborum folia, pratorum, agrorumque in vernante gramine amænissimus viror, arborum florumq; pretiosa dona nascuntur & denascuntur. Tumulantur hæc quidem omnia à sævientis hyemis nivibus, & tamen vertente anno ad solis amæniores radios rursus resurgunt. Ut vel ipsa Ecclesia gloriosam Christi anastasim ad veris amœniora tempora revocaverit, quo facilius ab ipsâ naturâ hujus mysterii commoneremur. Cujus vel ipse Christus *Luc. 21. v. 29.* nos voluit meminisse. Videte inquit ficulneam & omnes arbores, cum producunt jam ex se fructum, scitis quoniam propè est æstas. Ita & vos cum videritis hæc fieri, scitote quoniam propè est regnum DEI. Ubi vides ad renascentis Christi anastasim intelligendam, nos à Christo ad naturam ipsam remitti, ut discamus ab hujus repullulantis radicibus, futuræ resurrectionis nostræ capere documentum. Et hinc forte pia promanavit fidelium consuetudo, ut defunctorum cadavera & tumbas inspergamus herbis suaveolentibus, & pretiosis floribus exornemus. Quia vel hoc ipso contestamur, quod sicut herbæ & flores in vere renascuntur, ita etiam in illo æternæ felicitatis vere corpora nostra ad immortalem vitam sint revocanda. Cur autem DEus voluerit etiam corpus mortale cœlestis gloriæ esse particeps, quod tamen ex pulvere formatum in

Natura nos docet resurrectionem mortuorum.

Resurrectio Christi in vere cum natura.

Funera floribus insperguntur.

eundem reducitur, & revocatur; causa melior dari non potest, quam bonitas divina, & misericordia, quæ corpus nostrum animæ in laboribus & molestiis individuum socium vult cum animâ præmiari. Unde sicut anima abundantissimum recipit operationum suarum præmium, ita etiam par est, ut corpus laborum socium, suam recipiat renumerationem. Quod Apostolus dixit, ut recipiat, prout unusquisque gessit in corpore suo, sive bonum, sive malum. Quod vel ex eo magis convenire videtur, quia Christus est caput nostrum, nos verò membra illius. Sicut ergo Christus cum corpore & anima cœlos ascendit, sic par est, ut nos, qui sumus membra hujus gloriosi capitis pariter cum illo quo ad corpus & animam cœlum subeamus Ex quo benè concludere licèt, quod sicut Christi corpus gloriosissimum factum est, quia plurimas sustinuit passiones, ita etiam corpus nostrum, quo plures patietur pro DEI gloriâ molestias, eo majores etiam in cœlo recipiet remunerationes. Ut proinde nos nulla debeat deterrere molestia, cum tam copioso præmio recompensetur. Porro hæc gloriosi corporis prærogativa in quatuor principaliter qualitatibus corporis gloriosi consistit, nimirum in claritate, Impassibilitate, agilitate, & subtilitate, de quibus nunc agemus.

Christus est cum corpore & anima in cœlo ergo & nos.

Ut verò claritatis aliquod capiamus argumentum eam cum claritate corporis Christi componamus. Quæ sine dubio miri fulgoris & admirandæ venustatis esse debuit, quando vel in angelis, qui ad monumentum consederunt, fuit tam gloriosa, ne dicam prodigiosa, ut dicat *Mat. c. 28. v. 3.* Erat autem aspectus ejus sicut fulgur, & vestimentum ejus sicut nix. Quæ fuit Christi in monte gloriosa facies, & vestis, quando *Matth. 17. v. 2.* coram discipulis suis inter Moysem & Eliam est transfiguratus. Et resplenduit facies ejus sicut sol, vestimenta autem ejus facta sunt alba sicut nix. Et certè si ex consortio Moysis cum DEO facies illius adeo radiare cœpit, ut eam tegere debuerit, quia filii Israël in eam intendere non poterant, quam claritatem DEus ex speciali voluntate conferet corporibus gloriosis? ut proinde meritò dicat S. Paulus *ad Philip. 3. v. 21.* Nostra autem conversatio in cœlis est. Unde etiam Salvatorem expectamus Dominum nostrum JEsum Christum, qui reformabit corpus humilitatis nostræ configuratum corpori claritatis suæ secundùm operationem,

Claritas corporis gloriosi qualitas.

tionem, qua etiam possit sibi subjicere omnia. Quam operationem intellexit S. Paulus *1. ad Cor. 15. v. 41.* dicens: alia est claritas solis, alia claritas lunæ, alia claritas stellarum, stella autem à stellâ differt in claritate, & subdit; Sic & resurrectio mortuorum. Aliam proinde habebunt claritatem Doctores Ecclesiæ, & Magistri Gentium, de quibus *Dan. 13. v. 2.* Et multi de his, qui dormiunt in pulvere terræ evigilabunt, alii in vitam æternam, alii in opprobrium ut videant semper. Qui autem docti fuerint fulgebunt, quasi splendor firmamenti, & qui ad Justitiam erudiunt multos, quasi stellæ in perpetuas æternitates. Aliam claritatem habebunt sancti Martyres, aliam Sanctæ Virgines. Experientiâ ostendit, & confirmat S. Cyrillus dari in æstate vermiculos parvulos, vel scarabæos, qui de nocte instar luminum lucent, atque instar lucentis faculæ in aëre circumferuntur. Quæ tam vilia & contemptibilia animalcula si DEus vestit tam gratioso fulgore, qua claritate ornabit, corpora nostra, quæ singulari splendore vult collucere? Scribit P. Nirenbergius in vita divina, fuisse, in Indiis Patrem Societatis JEsu singularis planè virtutis, & Zeli omnino Apostolici, & qui usque adeo æstuabat ardore & desiderio convertendarum animarum, ut ex hoc solo motivo delatum sibi Superioris officium instanter planè recusaret, cum verò aliqualiter nimium reluctaretur obedientiæ, DEus cum in anima illius nævum alium non haberet, illum non purgatorii flammis voluit expiare, sed momentaneo fulminis ictu extinxit, dum actu Zelosissimè ad populum concionaretur. Varius ex tam insolito casu in populo vagabatur rumor, & plerique sinistram de viro optimo diffundebant famam, usque dum post mensem unum, & alterum famam servi sui vindicavit DEus, & illum in corpore glorioso, in eadem, ex quâ fulminatus fuerat cathedrâ, stitit, atque causam suam ad populum agere jussit. Ubi ergo multa de divinis judiciis dixisset, quantum nimirum differant ab humanis, solis instar clarescere cœpit, & ex cathedrâ per templi fornicem, & aërem reliquum in cœlos usque se elevavit, atque omni populo inspectante cœlum conscendit. Annon hoc verum est, quod Christus dixit *Mat. 13. v. 43.* Tunc justi fulgebunt sicut sol in regno Patris eorum. Alteram gloriosi corporis prærogativam etiam ex ipsius Christi resurgentis gloriosis dotibus deducimus nempe impassibilitatem. De Christo enim S. Paulus *ad Rom.*

Pater quidam fulminatus in cathedra post mortem gloriosus concionatur.

Impassibilitas.

Rom. 6. v. 9. dicit: Christus resurgens ex mortuis jam non moritur, mors illi ultra non dominabitur. Quam impassibilitatem idem Apostolus nobis communicari ostendit *1. ad Cor. 15. v. 42.* seminatur in corruptione, sed surget in incorruptione. Seminatur in ignobilitate, surget in gloriâ. Seminatur in infirmitate, surget in virtute. Seminatur corpus animale, surget corpus spirituale. Ideoque *Apoc. 7. v. 16.* dicitur, non esurient, neque sitient amplius, neque cadet super illos sol, neque ullus æstus. Quod ipsum *Apoc. 21. v. 4.* repetitur. Et absterget DEus omnem lachrymam ab oculis eorum, & mors ultra non erit, neque luctus, neque clamor, neque dolor erit ultra, quia prima abierunt. Tertiam gloriosi corporis gratiam vocant Theologi agilitatem, quæ adeo in Christi gloriosa resurrectione enituit, ut sine omni omnino fatigio modo hic, modo ibi suis discipulis se spectabilem fecerit. Non jam amplius fatigabitur divina sapientia, uti *Joan. 4. v. 6.* dicitur. JEsus ergo fatigatus ex itinere sedebat sic supra fontem. De gloriosis enim in cœlo corporibus verificabitur illud *Sap. 3. versu 7.* fulgebunt justi & tanquam scintillæ in arundineto discurrent. Quantis nunc fatigiis moventur corpora nostra? Tunc ad imperium voluntatis movebitur corpus gloriosum. Sic quidem ut S. Bern. *serm. 4. de festo omnium Sanctorum* dicat tam agilia fore, ut ipsam voluntatis nostræ celeritatem adæquent; & velle ac esse in aliquo loco sit idem futurum. Quare S. August. *l. 12. de Civit. DEI* inquit. Talia illis inerunt corpora, ut illinc sint, ubi esse voluerint. Adeoque *Isaias c. 40. v. 31.* dixit: Qui autem sperant in Domino, mutabunt fortitudinem, assument pennas sicut aquilæ, current & non laborabunt, ambulabunt & non deficient. Quarta gloriosi corporis qualitas est subtilitas, quæ possit quævis corpora penetrare. Sic enim Christus clauso & signato atque illæso sepulchro gloriosus surrexit. Sic etiam ad discipulos clausis januis penetravit; Sic ipsos cœlos teste Job ære solidiores perrupit. Quæ licet Calvinus neget *in c. 10. Evang. S. Joan.* dicens: intereà tamen verum esse, minimè concedo Christi corpus penetrâsse per januas clausas, adeoque vel portam ultro patefactam esse, vel pulsanti patuisse, vel per rimam aut clavis ipsius foramen extenuatum penetrâsse asserunt. Sed si bene expendamus fabulosa hæc Calvini deliria, videbimus non minus mysteriosum esse per rimam talem vel foramen corpus transmittere, quam ipsum corpus penetrare. Sed otiosum est hoc disputare, cùm

Agilitas.

Subtilitas.

clarus sit textus Evangelii *Joan. 20. v. 19.* Cum ergo serò esset die illo unâ Sabbathorum & fores essent clausæ, ubi erant discipuli congregati propter metum Judæorum venit JEsus & stetit in medio. Unde omnipotentiam divinam melius expendens. S. Greg. Magnus *hom. 20. in Evang.* inquit, quid mirum si clausis januis post resurrectionem suam in æternum jam victurus intravit, qui moriturus veniens non aperto virginis utero exiit. Quare si hæc gloriosa Christi subtilitas fuit manifestata in Christi resurrectione, illa etiam in nobis suam virtutem ostendet ut verificetur illud *Pauli 1. ad Cor. 15. v. 44.* Seminatur corpus animale, surget corpus spirituale. Quod S. Damasc. *l. 4. de fide c. 14.* explicat his verbis. Hoc significat Spirituale, quale post resurrectionem corpus Domini erat, cum per januas clausas transivit. Ubi adverto cum Communi Doctorum, quod sicut Beatorum corpora sunt futura gloriosa & pretiosis suis dotibus exornata, ita vicissim damnatorum corpora sint futura fuliginosa, passibilia, gravia & horrida. Cujus rei aliquam ideam habuimus anno Christi 1222. in Saxonia, quando in horrendo quodam cataclysmo nubes densa effuso repentè nubifragio omnia aquis implevit, & incredibilem hominum stragem fecit. Ubi decreverunt aquæ & terra rursus apparuit, homines mirabiliter planè in suis cadaveribus differebant, qui enim vel in templis, vel in domibus suis aquis præfocati fuerunt, corpora habebant candidissima, cum interea qui in theatris, vel popinis aut lupanaribus inventi sunt, ipso carbone essent nigriores. Unde quomodo & quo in loco cadamus bene advertendum. Licet proinde aliqui putaverint, quod Angeli singulorum cineres delaturi sint in vallem Josaphat, & ibi omnes simus resurrecturi, probabilius tamen est, quod eo quisque loco resurget ubi vel totum corpus vel major & præcipua pars illius jacuerit. Quia *Joan. 5. v. 28.* dicitur: Omnes qui in monumentis sunt, audient vocem filii DEI. Et *Ezech. 37. v. 12.* vaticinatur in nomine DEI. Aperiam tumulos vestros. Qualis autem illa vox futura sit, indicat nobis S. Hier. *in Reg. monast. c. 30.* nempe: surgite mortui, venite ad judicium. Quam vocem per tubã sonoram proponit S. Paulus *1. ad Cor. 15. v. 52.* In momento, in ictu oculi, in novissimâ tubâ. Canet enim tubâ, & omnes resurgent incorrupti. Ubi adverto voces illas in momento, in ictu oculi omnes resurgent. Adeoque errant Anabaptistæ, aliique, qui putant justos prius excitandos, quam reprobos. Neque enim ulla est ratio hujus successionis,

Damnatorum corpora erunt fuliginosa.

Nubifragium corpora submersorum discriminat.

Resurgemus ubi cadaver vel ejus potior pars fuerit.

Omnes simul resurgemus.

nis, cum ad commune gaudium electorum spectet videre horrenda damnatorum supplicia, quæ per amantissimi DEI misericordiam evaserunt. Certe *Matth. 25. v. 32.* dum Christus Judex in suâ majestate venturus dicitur, clarè habetur. Et congregabuntur ante eum omnes gentes, & separabit eos ab invicem, sicut pastor segregat oves ab hædis, & statuet oves quidem à dextris suis, hædos autem à sinistris. Ubi vides non fore separabiles oves ab hædis, si non simul resurgerent. Omnes ergo resurgemus, quia teste S. Paulo *ad Hebr. 9. versu 27.* statutum est hominibus semel mori, post hoc autem judicium. Et idem S. Paulus *1. ad Corinth. 15. versu 37.* clarè asserit, quod resurget illud, quod cecidit. Quare cum per decretum divinum omnes in morte cadamus, etiam omnes resurgemus. Nobis ergo incumbit ut pleni fiduciâ cum Martha confiteamur *Joan. 11. v. 24.* Scio quia resurgemus in resurrectione in novissimo die. Et JEsus est resurrectio & vita, & qui credit in eum, etiamsi mortuus fuerit, vivet. Et omnis qui vivit, & credit in eum, non morietur in æternum.





ARTICULUS XII.

Et vitam æternam. Amen.

DISCURSUS XLII.

Post hanc vitam superest beata, & æterna in cœlo.

INtelligitur per vitam æternam cœlestis illa beatitudo, ad quam à DEO conditi, & creati sumus; dicente S. P. Ignatio in suo aureo exercitiorum libello: Creatus est homo, ut Dominum DEum suum laudet & revereatur, eique serviens tandem salvus fiat. Atque adeo salus, & vita æterna omnibus patet, ejusque porta nulli omnino clauditur, nisi ipse exclusus esse velit. Et hoc est quod Joannes in sua *Apoc. c. 21. v. 12.* cœlestem Jerusalem describens dixit. Et habebat murum magnum & altum, habentem portas duodecim. Ab oriente portæ tres, & ab Aquilone portæ tres, & ab occasu portæ tres, universim portæ duodecim, hæ scilicet æqualiter in quatuor mundi partes divisæ aditum patefaciunt omnibus, quod significare videbatur mare illud æneum, quod duodecim boves sustentarunt, quorum tres ubilibet in quatuor mundi partes faciem vertebant. Et explicat Beda *l. de templo Salomonis*, Artificiosum illud mare aquâ plenum baptismum prænotabat, quod verò boves ad quatuor mundi plagas respiciant, illudque sustineant, illud indicabat baptismum, quia janua est Ecclesiæ, & omnibus gentibus patere debet. Distinguitur tamen à paradyso, qui in primâ creatione mundi à DEO conditus, post lapsum primorum parentum, iisdem ab eodem ejectis clausus est, & à Cherubino custoditur. *Genes. 3. versu 24.* Collocavit ante paradysum voluptatis Cherubim & flammeum gladium atque versatilem ad custodiendam viam

Cœlum omnibus patet uti & baptismus.

viam ligni vitæ. Quem proinde locum omni deliciarum genere abundantem diluvii tempore sublimatum putat ad ipsum globum lunæ, ubi à nobis inaccessibilem mirabiliter à DEO conservari putat. Ut mirum non sit Alexandrum Magnum ab inquirendo paradyso desistere coactum, si lunæ fuit implantatus. Refert enim Thesauri novi author Alexandrum Magnum sibi voluisse subjicere paradysum, adeoque magno cum exercitu enavigâsse Nilum, ad cujus fontes ubi se pervenisse credidit, vidit ingentem sibi montem obstare, in quem milites aliquos misit exploratores, ut dispiciant, annon ab altera montis parte Nilus flueret. His montem subeuntibus obviam factus est decrepitus senex, qui viæ causam interrogans risit deliras insanasque Alexandri cogitationes, atque propositum dissuasit. Lapidem tamen raritate singulari pretiosum Alexandro misit, qui ejus naturæ fuit, ut in bilance positus quodcunque grave licet pondus superaret, cinere verò aspersus paleæ instar alleviaretur. Quo significavit, Alexandrum quidem meritis suis orbem exæquare, tamen paleæ instar annihilari, si se mortalem esse cogitaverit. Adeoque contra DEI decretum frustra laborare, cum DEO pares cogitationes assumere non debeat homo. Fictum paradysum excogitavit Tyrannus quidam Aladinus dictus, qui Muletam regionem cum violenter occupâsset, ut eam sibi conservaret, multos prædones & milites hac arte sibi adjunxit. In valle quadam amænissimâ, & præruptis montibus cinctâ, hortum omni genere deliciarum instructum adornavit; oblata deinde soporiferâ potione suos milites dormientes eo inferri curavit, ubi expergefactos omnium deliciarum ubertate recreavit. His ergo deliciis, ubi per dies aliquot fruebantur, repente rursus soporiferâ potione sepultos ex paradyso efferri curavit, spe tamen tam felicis beatitudinis lactatos ad omne facinus animavit, sibique fideles mirificè obstrinxit. Humanius longè egit hic Tyrannus, quam Propheta ille Moyses dictus de quo *Nicephorus l. 14. c. 40.* refert, qui in insula Cretâ hominibus imposuit, quod illos velit traducere in terram promissionis, & ipsum paradysum, si se constanter sequi velint. Hos ille in præruptum saxum eduxit, ut inde præcipites à subjectis aquis depurandi ad cœleste deliciarum littus enatarent. Sed multi scopulis illisi, reliqui vorticibus aquarum hausti didicerunt, se à pessimo Prophetâ delusos, non cœlorum sed inferni tristissimum portum attigisse. Commenta hæc

Alexander M. ab inquirendo paradyso desistere jubetur.

Lapis quodcunq; grave exæquans cinere aspersus fit levis.

Paradysus Turcicus.

Paradysus à Moyse impostore fit portus inferni.

& deliria sunt pessimorum hominum, qui ut simplices deludant mortales, similibus imposturis decipiunt, & à verá beatitudine, & vitâ æternâ excludunt. Vita æterna quam velut Creationis nostræ finem habemus, in cœlo est, in terrâ non invenitur. Audiamus Christum apud S. Joan. *c.14. v.2.* dicentem: In domo Patris mei mansiones multæ sunt. In quem locum Isidorus Pelusiota *l. 1. Ep. 65.* Vere inquit in cœlo mansio est, hæc autem præsens vita tentorium est. Sed à quo in Babel *Gen. 11.* confusæ sunt linguæ, nihil inquit S. Bern. ab eo tempore rectè nominamus, sic namque mundus, tentoria nostra in mundo mansiones dixit; correxit hoc Christus dicens in domo Patris mei mansiones sunt, in terris nonnisi tentoria habemus. Etsi enim DEus terram dederit filiis hominum, hæc tamen cum cœlo comparata mansio non est, sed peregrinorum tugurium. *Num. 33.* profecti sunt Israelitæ per quadraginta duas mansiones, quas tamen prius *Num. 10. v. 6.* profectiones appellat dicens: ululantibus tubis in profectionem. Ita nimirum mundus profectiones, mansiones suas nominat, quas tamen ob brevitatem incolatus vix bene tentoria auderet appellare. Quis enim viator sub arbore subsistens? quis aliquam domum pertransiens dicet se ibi habitâsse. Punctum est & momentum omnis vita nostra respectu æternitatis secuturæ. Poëtæ delirantes ventis domos & domicilia, Mathematici stellis errantibus habitationes certas, & domos in cœlo sidereo finxerunt. Civitas illa beata in quadro posita est *Apoc. 21. v. 12.* Quod est stabilitatis firmæ signum. Hinc namque dicimus vitam æternam; quia quamdiu DEus erit DEus, tamdiu etiam durabit hæc vita beata. Vaticinatus est hoc *Isaias c. 33. v. 20.* quando dixit: Respice Sion solennitatem civitatis nostræ, oculi tui videbunt Jerusalem habitationem opulentam, tabernaculum, quod nequaquam transferri poterit, nec auferentur clavi ejus in sempiternum, & omnes funiculi ejus non rumpentur, quia soluminodo ibi est magnificus noster. Unde mirum non est, quod qui cœlo nati sunt, & illius delicias animo conceperunt, fastidio rerum terrenarum premantur. Sic David *ps. 119. v. 5.* exclamat: Heu mihi quia incolatus meus prolongatus est. Et Paulus *ad Philip. 1. v. 23.* desiderium habuit dissolvi & esse cum Christo. Has enim cœli delicias addidicit tunc, quando *1. ad Cor. 2. v. 9.* raptus ad tertium cœlum dixit: quod oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit, quæ præparavit DEus iis, qui diligunt illum.

In mundo tentoria, in cœlo mansiones sunt.

Venti, & stellæ domos habere dicuntur.

Hæc

Hæc autem æternæ vitæ gaudia in duplici sunt differentia, alia enim cœlestia bona essentialia sunt, & est visio & fruitio DEI, de quâ *Joan. 17. v. 3.* dicitur. Hæc est autem vita æterna, ut cognoscant te solum verum DEum, & quem misisti JEsumChristum. Quod pridem DEus prædixit Moysi volenti videre faciem DEI *Exod. 33. v. 19.* Ego ostendam omne bonum tibi, adeoque David dixit *ps. 79. v. 8.* ostende faciem tuam & salvi erimus. Quare bene dixit S. Irenæus *l. 4. contra hæreticos c. 37.* vita æterna unicuique evenit ex eo, quod videat DEum. Sicut enim Absalon reconciliatus cum Patre, nihil reputavit omnia, si faciem Patris non videret; ita Sanctorum gloria nulla esset si DEum non viderent, in quo velut in speculo omnem divinitatis immensitatem in perpetuam æternitatem speculabuntur. Hic non parum errant Novatores Lutherus & Calvinus, qui putant sanctos primo post universale judicium DEum visuros. Qui si bene expenderent verba illa *Luc. 23. v. 43.* quibus Christus latronem in cruce secum pendentem de vitâ æternâ assecuravit, dicens: hodie mecum eris in paradyso, nunquam sic exerrarent. Neque video, quomodo tam confidenter S. Stephanus postquam vidit cœlos apertos, & filium hominis stantem à dextris DEI, Domine JEsu exclamasset suscipe spiritum meum, si usque ad extremum judicii diem cœlo excludi debuisset. Audite S. Cyprian. *l. de exhortat. MM.* Quis non omnibus viribus elaboret, ut cum Christo statim gaudeat. Sic Paulus desiderium habuit dissolvi & esse cum Christo. Quia bene S. Hier. *Ep. 25. ad Marcel.* cum Christo vivit in cœlo. Quod S. Hier. primo videtur accepisse ex illo *Eccles. c. 11. v. 28.* ubi disertè dicit, quoniam facile est coram DEO retribuere unicuique secundum vias suas. Impedimentum enim quod erat in veteri testamento, nempe cœli nondum per mortem Christi reserati, modo penitus est sublatum. Et verò si reprobi statim, atque moriuntur æternis inferorum pœnis quemadmodum in Epulone Evangelico videmus, puniuntur, quid impediet, quo minus etiam sancti si sine debito & reatu purgatorii decedant statim æternâ beatitudine perfruantur. Unde non satis mirari possum, aliquos in eam devenisse opinionem, ut crederent, beatos mille annis in hac terra victuros in omni rerum sensibilium affluentiâ & illis elapsis primùm in cœlum transferendos. Neque enim video quod hic in terris deliciis carnis se dedant illi, qui juxta clarissima verba Christi *Matt. 22. v. 29.* neque nubent, neque nubentur. Sed erunt

Essentialis beatitudo visio beatifica.

Sancti statu vident DEum & fruuntur beatitudine.

runt sicut Angeli DEI. Non enim video quomodo ex illis verbis *Apoc. 20. v. 6.* deducatur. In his secunda mors non habet potestatem, sed erunt Sacerdotes DEI & Christi, & regnabunt cum illo mille annis, quod in his mille annis perpetua convivia sint celebranda. Cùm Paulus clarè dicat *ad Rom. 14. v. 17.* non est enim regnum DEI esca & potus. Quare mille anni isti non sumuntur pro tempore certo seu determinato, sed pro incerto, & indeterminato, quo Sancti cum Christo, qui est in cœlis, regnant hic in militante Ecclesia. Beatitudo enim nostra per *S. Joan. Ep. 1. c. 3. v. 2.* consistit in eo, quia similes ei erimus, quoniam videbimus eum. Et hinc S. Aug. *l. 1. de Trin. c. ult.* inquit illa visio DEI, qua contemplabimur immutabilem & humanis oculis invisibilem substantiam, sola est summum bonum nostrum, cujus adipiscendi gratiâ, præcipimur agere, quidquid agimus. Pulchrè hanc visionis beatificæ præcellentiam S. Augustinus *soliloq. c. 22.* in Transfiguratione Christi meditatur. Cujus umbram ubi vidit Petrus statim aliorum omnium oblitus, ad hanc unam aspiravit. Hanc dulcedinem inquit S. August. ut gustavit Petrus, omnium oblitus clamavit quasi ebrius dicens: Bonum est, nos hic esse; Hic moremur, te contemplemur, quia nullo alio egemus. Sufficit nobis te videre, sufficit beatâ dulcedine satiari. Unam enim stillam dulcedinis ille gustavit & omnem aliam fastidivit dulcedinem, nam ut D. loquitur Gregorius *hom. 11. in Evang.* Qui cœlestis vitæ dulcedinem, in quantum possibilitas admittit perfectè cognoverit, ea quæ in terris amaverat, libenter cuncta relinquit; in comparatione ejus vilescunt omnia, deserit habita, congregata dispergit, deforme despicitur, quidquid in terrenæ rei placebat specie; quia solâ pretiosæ margaritæ claritate refulgebat in mente. Hinc enimvero S. Ignatius vel sola astra contemplatus exclamavit: Quam sordet mihi terra, cum cœlum aspicio. Quia bene S. Greg. *l. 8. mor. c. 16.* Sancti viri quo verius sancta cognoscunt, eo sublimi' terrena despiciunt, & idcirco præsentis vitæ dies nihil esse conspiciunt. Recte proinde dixit S. Chrysostomus *hom. in Gen.* Non est possibile, ut qui sola & immobilia bona amant, momentanea hæc, & quæ antequam apparent, marcescunt, concupiscant. Nam saucius amore divino & qui futurorum desiderio tenetur, aliis oculis videt præsentem statum, & videt, quod omnis præsens vita figura est & deceptio, & à somniis nihil differt. Meritò proindè exclamat S. Bern.

S. Ignatio viso cœlo sordescit terra.

Qui cœlestia verè cognoscit, terrena amare non potest.

S. Bern. *serm. 3. in Cant.* O beata Regio paradysi! O beata regio deliciarum! ad quam suspiro de valle lachrymarum. Suspiravit enimverò S. Aug. *l. 10. confess. c. 27.* Dum æterna contemplatus inquit: Serò te amavi pulchritudo tam antiqua, & tam nova, sero te amavi. Ecce intus eras, & ego foris, & in ista formosa quæ fecisti, deformis vivebam. Quare audiamus S. Chrysostomum *hom. 66. in Joan.* dulcis inquit, præsens vita est, & multis plena voluptatibus, non tamen omnibus, sed iis, qui illi sunt affixi. Quod si quis in cœlum suspexerit, & quæ ibi præclara sunt, contemplatus fuerit, statim hanc contemnet, & nullius pretii esse existimabit. Expertus hoc est ille monachus, qui decantato matutino versus illius meditationi inhæsit, neque penetrare potuit, quomodo intelligi possit: Mille anni ante oculos tuos, quasi hesterna dies, quæ pertransiit. Meditanti se objicit avicula, quæ elegantissimè cantans suâ dulcedine traxit illum extra Ecclesiam ad nemus monasterio vicinum. ubi suo cantu sic detinuit, recreavitque concentu suavissimo monachum, ut sine omni potu, cibo, & somno totis trecentis annis illum occupaverit. Usquedum tandem avolans eundem dimisit, & monachus credens unius diei fuisse inducias, ad monasterium reversus est, ubi cum Janitor illum admittere non vellet, ad Abbatem tandem deduxit, factaque in annalibus monasterii inquisitione invenerunt ante trecentos annos Abbatem, quem nominavit fuisse defunctum, in quo loco etiam de perdito tunc temporis fratre memorabatur. Ille verò, ubi ea, quæ sibi acciderunt, seriò expendit, die altero sumptis piè Sacramentis ad cœli delicias iisdem æternum fruiturus abivit.

Monachus ab avicula æternas cœli delicias discit.

Quid dicam de accidentali gloria nimirum de claritate gloriosorum corporum, quia corpora Sanctorum fulgebunt sicut Sol. Auro & pretiosis lapidibus pretium ponimus ob splendorem. Festivitates & natalitia magnorum Principum à collucentibus facibus æstimamus, diem à solis radiis auratam amamus. Quidni amemus illam cœli felicitatem, quam perpetuâ luce totam auream, tot sanctorum corporum collucentia luminaria illustrabunt. Quot corpora tot soles; quot artus tot faces collucebunt. Refertur *in Chron. fratrum Min. l. 1. c. 51.* quod S. Franciscus aliquando magno capitis dolore afflictus jacuerit, cui à doloribus pene fesso, allapsa est vox dicens: Quid tibi videtur, si totus orbis in aurum, si mare & omnia flumina in balsama, si rupes & saxa in adamantes verterentur, quod si hoc thesauro

Pretium rebus à fulgore ponimus.

S. Francisco ostendit Christus vitæ æternæ magnitudinem.

adhuc magis aliquid pretiosum invenires, & ille totus tibi cederet in præmium patientiæ, numquid merito exultares? Reposuit humilis Franciscus tanto thesauro se dignum non esse. Institit tamen DEus, scito hunc thesaurum vitam æternam esse, quem Ego præparavi tuæ patientiæ. Memineritis credo locum Transfigurationis montem fuisse Thaboræum paulo ante à me adductum, dicente *Matth. c. 17. v. 1.* Assumpsit JEsus Petrum & Jacobum, & Joannem fratrem ejus; & duxit illos in montem excelsum seorsum & transfiguratus est ante eos. Bene inquit S. Ambr. in arduo montis factum est, ut ostenderet cœlestem gloriam conatu & labore consecuturos. Et hinc est, quod Joannis *Apoc. c. 21. v. 16.* Cœlum dicatur civitas in quadro posita. Hoc mirum, quod cum apud Mathematicos forma circularis quadraturâ sit perfectior, cœlum tamen non circulare, sed quadratum dicatur. Quidam causam assignat dicens: Civitas in quadro posita est, quia Civitas quadrangularis per figuram crucis ex diametro dividitur. Quarè cum figura quadra per diametrum divisa crucem repræsentet, ipsum cœlum crucis instar factum esse ostenditur. Sic DEus daturus Arahamo terram promissionis, perambula inquit terram in longitudine & latitudine suâ, quia tibi daturus sum eam. Inquit ille crucis instar emetitur DEus terram promissionis, quia crux non habet nisi duas lineas transversas in longum, & in latum. Quid quod ipsa paradysi sera cruce constet? Quæ seræ cum difficulter aperiantur, non nisi clavi crucis potuit reserari. Et hinc *Isa. 22. v. 22.* Vaticinans Propheta dixit: Dabo clavem domus David super humerum ejus, & aperiet. Quod divinum oraculum suo testimonio confirmat Christus *Luc. 24. v. 26.* Nonne hæc oportuit pati Christum, & ita intrare in gloriam suam. Non dicam, quod ipse custos paradysi flammeo instructus gladio sit, in cujus capulo crux est. Pulchrè Albertus Patavinus *serm. 5.* Nullus ergo potest ingredi paradysum, nisi transeat per gladium. Sic DEus descripturus terram promissionis ab ubertatis copiâ *Exod. 3. v. 8.* Educam inquit de terrâ illâ, in terram bonam & spatiosam, in terram quæ fluit lacte & melle. Quod verò mel sine apum aculeo? Quod lac nisi prius sanguis fuerit? Unde S. Bern. *serm. 48.* Donec in carne est anima, inter spinas profecto versatur, & necesse pati inquietudinis tentationem, tribulationumque aculeos. Et verò mirabile est, quod Christus erga suos tam munificus, tamen *Matth. 20.* Matri petenti pro filiis suis non

DEus crucis instar emetitur terram promissiones, sic cœlum.

non annuerit. Dic ut ſedeant hi duo filii mei, unus ad dexteram, & unus ad ſiniſtram in regno tuo. Reſpondit enim Chriſtus: Neſcitis, quid petatis. Imo interrogat, poteſtis bibere calicem? Baſilius Seleucienſis *ferm. 24.* exclamat in perſonâ Chriſti. Si leproſus curationem quærit, virtutem exero; ſi mortuum è tumulo reſurgere neceſſarium eſt, poteſtatem exprimo; at ſi quis regiam poteſtatem petat, fuſi pro pietate ſudoris teſtes, repoſco. Ideoque Cajetanus rationem, quod neſciant quid petant, inſinuat: Quia neſciunt quid ipſis immineat poſt ſuam reſurrectionem. Ac ſi apertè diceret, ideo neſcitis quid petatis in meâ reſurrectione, quia putatis vos perventuros ad regnum meum ſic viventes, cum ego ſurgam à mortuis. Sed longè aliter eſt, quia modus perveniendi ad regnum meum eſt per paſſionem & mortem. Et propterea examinate vos, ſi poteſtis bibere calicem paſſionis & occiſionis. Ita namque *Cant. 4.* invitatur ſponſa. Veni coronaberis. Reſpondit ſponſa, vadam ad montem myrrhæ. Novit utique ſponſa tritum illud Poëtæ.

Dulcia non meruit, qui non guſtavit amara.

Per quod oſtenditur inquit Greg. Nyſſ. quod qui cum Chriſto fuerit myrrhæ particeps, omnino etiam erit particeps thuris, nam qui fuerit cum eo paſſus, ſimul etiam glorificabitur. Hinc etiam quando *Matth. 17.* in monte Thabor transfiguratus Chriſtus in gloriâ & cœleſti luce irradiavit cum exclamaſſet Petrus: Domine bonum eſt, nos hic eſſe, ſubdit Evangeliſta neſciebat, quid diceret. Omnino neſcivit Petrus illud Poëtæ.

Aſpiratur honos, ſed non onus, optat honorem
Quilibet, ingratum non amat ullus onus.

Et ideo Petro non aſſentitur Chriſtus. Quia ut S. Leo *ferm. de transfig. Dom.* Ut oſtenderet prius petendam eſſe tolerantiam, quam gloriam. Hinc fortè Chriſtus aſcendens in cœlum elevatis manibus perrexit, & vulnera cœli Janitoribus oſtendit, per quæ cœlum ſibi fuit mercatus. Et ideo *Ezech. c. 9.* cœli cives, & electos Iſrael ſigno Tau ſeu cruce ſignatos vidit. S. verò Joannes in ſua *Apoc. c. 6. v. 9.* non niſi Martyres in cœlo conſpexit. Vidi ſubter altare animas interfectorum propter verbum DEI. In quem locum Tertullianus ſic inquit Joanni in ſpiritu paradyſi regio revelatur, quæ nullas alias animas apud ſe præter Martyres oſtendit, quia nullis romphæa paradyſi Janitrix cedit, niſi qui in Chriſto deceſſerint. Audite

Clavis paradysi est patientia nostra & crux.

conclusionem. Tota paradysi clavis sanguis tuus est. Imo non solum clavis, Crux est etiam pretium ipsius cœli. Est hæc S. Augustini sententia, qui *in ps. 149.* cum dixisset quod Christus pependerit in ligno, subdit. Vide quanto emit! Vitâ emit Christus gloriam olim pecuniæ imprimebantur figuræ animalium. Fit id etiamnum hodie. Sic enim Cæsarea Aquilam. Veneta Leonem, Bernensis Ursum refert. Nec tantum animalium, sed & Cæsarum, Regum & Principum, imò etiam Sanctorum, uti & B. Virginis Mariæ, & Christi ipsius imagines nostræ referunt. Nulla tamen harum cœlo emendo est aptior, quam Veneta, & quidem Coronati, quia cruce insigniti sunt. Eximius sed faceti ingenii vir uxorem suam mirè impatientem gratiosè traduxit; Laudavit illam, & planè auream dixit, sed tamen inutilem, quia hoc auro uti non possit, neque enim ad cudendam pecuniam, neque ad fictile ullum opus valere; cum ne minimum ictum sustinere velit artificis, qui illam efformare in opus pretiosum velit. O quot hodie aurum tale sumus! Et tamen Paulus *2. ad Cor. 4. v. 17.* clamat: Leve tribulationis nostræ æternum gloriæ pondus operatur. Scilicet crux signum monetæ cœlestis, levi tribulationis malleo cuditur, sed ictum formidamus *Actor. 9. v. 10.* ostendit Christus Ananiæ monetam cœlo dignam, Coronatum Venetum S. Paulum. Surge & quære in domo Judæ Saulum Tarsensem, quoniam vas electionis est mihi iste. Ananias monetam examinare volens, monetam inspicit, & in imaginem Leonis incidit. Territus, pecuniam nihil valere dicit, adeoque exclamat: Domine audivi, à multis de viro hoc, quanta mala fecerit tuis in Jerusalem. Sed vertere jubetur monetam: Ego ostendam illi quanta eum oporteat pati pro nomine meo. Scilicet crucem ostendit. Et statim Ananias monetam approbat, laudat & exosculatur. Salve frater. Hic Coronatus aliquando levior factus est in libra divina, & *2. ad Corinth. 12.* usque ad tertium cœlum ascendit. Ut DEus huic Coronato pondus daret *v. 7.* Ne magnitudo revelationum extollat me, addit DEus Paulo crucem. Datus est mihi stimulus carnis Angelus Sathanæ, qui me colaphizet. Jam ego intelligo illud *Jobi c. 28. versu 25.* Qui facit ventis pondus, Pondus ventis facere inquit S. Greg. in hunc locum est concessam electis de virtutibus gloriam permissâ infirmitate temperare. Crux nimirum se nimium erigentibus fit in debitæ qualitatis temperamentum *Genes. 32. versu 10.* Jacob Patriarcha de se dixit:

Pecunia variis figuris signatur.

Coronatis Venetis cœlum emitur.

Uxor impatiens aurea sed inutilis.

S. Paulus Coronatus Venetus.

In

In baculo meo transivi Jordanem istum. Nobis Jordanes id est mundus est transeundus, sed non sine baculo crucis. Non enim absque mysterio *Apoc. 7. versu 13.* interrogatur Joannes. Hi qui amicti sunt stolis albis, qui sunt & unde venerunt? Sed cum S. Joannes hæsitaret, respondit Senex: Isti sunt qui venerunt ex magna tribulatione, & laverunt stolas suas in sanguine agni. Cur obsecro non respondit ad primam quæstionis partem? Qui sunt? Scitote in cœlo non curari quis sis? An Germanus, an Hispanus, an Gallus, an Italus? An Rex, an Princeps, an nobilis, an rusticus? An vir an fœmina, an juvenis an senex? Sed an cruces pro Christo sustinueris, easque patienter toleraveris. Hoc enim verò curatur. Sic enim Paulus *ad Rom. 8. versu 29.* Nam quos præscivit & prædestinavit conformes fieri imagini filii sui. S. Cyrillus & Origenes explicant sic. Quos DEus præscivit sibi amicos, & dilectos futuros per gratiam, hos etiam prædestinavit, ut patiantur, & per patientiam fiant similes filio suo, qui in hac vita tanta sustinuit. Ut proinde conformitas imaginis Christi in hac vitâ aliud nihil sit, quàm nostra patientia, Quæ quo constantior in nobis erit, erimus etiam aliquando tanto similiores, & magis conformes imagini filii in gloriâ. Unde observant aliqui SS. PP. illam consolationem S. Pauli *ad Rom. 8. versu 17.* Si autem filii & hæredes, hæredes quidem DEI, cohæredes autem Christi. Pulchrè advertit Cardin. Toletus, magnam esse differentiam inter hæreditatem bonorum hujus mundi, & hæreditatem gloriæ cœlestis. Nascitur enim Hispaniarum, aut Galliarum Regi filius primogenitus, eo ipso quod primogenitus est, est etiam hæres regni sine omni ulteriore labore, aut merito. Hæc lex civilis non habet locum in hæreditate regni cœlestis. Omnes quidem Filii DEI sumus, & cohæredes Christi, sed antequam hæreditatem adeamus, debemus prius laborare, sicut Christus laboravit. Hinc S. Paulus statim dictis suis apposuit: si compatimur, & conglorificabimur. Ubi Toletus hic: condicionē quandam apponit Apostolus, ut hæreditatis possessionem adire possimus. Si modo compatimur tribulationes, & persecutiones, sicut etiā Christus ipse passus est, cujus cohæredes sumus, ut una cum ipso etiam conglorificemur, & hæreditate DEI perfruamur. Quarè bene Rupertus Abbas *in c. 5. Apoc.* Hoc jus legale est apud cœlestem Regem, ut sicut ipse disposuit Pater regnum, ita nobis disponat præmium permanentibus cum illo in tentationibus ejus.

In cœlo non quæritur quis sis, sed unde.

Hæreditas cœli est condicionata.

Bene namque S. Chrysostomus *in ps. 5.* Non enim reliquit nobis hæreditatem purè, sed sub quadam conditione. Quænam autem illa est? Ut tollamus crucem nostram & sequamur eum. Sic enim illis, quibus regum disponit dixit. *Luc. 22. v. 28.* Vos estis qui permansistis mecum in tentationibus meis. Mirantur multi, quod latro ex cruce tam citò in paradysum venerit, quando dixit memento mei, cum veneris in regnum tuum. Cui Christus statim subjecit: Hodie mecum eris in paradyso. S. Bern. *serm. 1. in Ramis.* Latro vidit Christum euntem in cœlum, rogat, ut sit sui memor, & secutus est euntem ad cœlum. Sed vis nosse, quâ compendiosâ viâ? tam cito pervenit per crucem & tormenta, quæ sunt via compendiosa, & initium beatitudinis patriæ. Non enim latroni ut sic, sed tribulato, non supplicanti tantum, sed simul patienti paradysum donavit. Bene namque idem S. Bern. *serm. 1. de verb. Isaiæ.* Nunquam Christus socium tribulationis à communione gloriæ patietur arceri. Sicut latronem, quem habuit crucis socium, habere voluit beatitudinis consortium. O quam pauci exclamat S. Bern. bone JEsu post te ire volunt. Omnes corregnare cupiunt, sed non compati, non curant quærere, quæ tamen desiderant invenire, cupientes consequi, sed non sequi. Ludovicus Blosius in aureo suo opusculo, quod vocat consolationem timidorum. Inducit Christum sic alloquentem animam, Filia mea imprime cordi tuo bene utilissimam & necessariam hanc lectionem. Conare omnem tribulationem recipere de manu meâ, & ferre patienter. Nam tribulatio calix tribulationis est, quo sanctos meos potavi. Ego primus bibi, & deinceps nullus Sanctorum fuit, qui non externam aut internam aliquam crucem portare debuerit. Per adversa regia via est, quæ hominem ad regnum cœlorum perducit. Patientia firmat fidem, roborat spem, accendit amorem. De hoc amore ait Basilius Seleuciensis *orat. de transfig.* Affectionem erga Christum probat Societas crucis. Societatem crucis sequitur societas gloriæ. Sic S. Ignatius Martyr ubi inter bestias fuit. dixit: Nunc servus Christi esse incipio. Unde bene S. Hier. filius DEI sustinuit ignominiam crucis, & tu putas beatos, qui felicitate istius sæculi, & deliciis perfruuntur. Sine Cruce, sine patientiâ, sine operibus nunquam patebit cœlum. Non est ullum certius signum divinæ electionis ait Blosius, quam ut quis adversa humiliter, & resignato animo propter DEum toleret. Dices fortè, nullam tibi esse crucis materiam;

Latro quia in cruce cœlum statim obtinet.

Nemo sine cruce ad cœlum abit.

S. Ignatius Martyr inter bestias servus Christi esse incipit.

Nemo cruce caret.

am; Ego id credere non possum. *Luc. 23. v. 33.* crucifixerunt JEsum, & latrones unum à dextris, & alium à sinistris. Ergo declines licèt ad dextram, vel sinistram ubique crucem invenies. Christus in monte Calvariæ dum propinatum acetum felle mixtum gustavit, nobis illud propinavit. Est ea consuetudo in conviviis. ut si quis dignitatis vel honoris magni haustum propinet, eundem inferior acceptare debeat. Secus indignatio sequitur. S. Wilibrordus viro opulento contra se stomachanti, qnod equum suum ad pratum illius divitis pabulaturus, induxerit, cum in mensâ simul convenissent, propinavit. Quia verò vir ille opulentus se componere noluit, haustum propinatum à viro sancto non acceptavit. Cui S. Wilibrordus dixit, si non vis bibere, non bibes. Et ecce licèt ingenti arderet siti integro tamen anno bibere non potuit. Usque dum exacto integro anno vir sanctus cum benedictione calicem illum misit, eique propinavit, quem ubi opulentus ille vir ori suo applicuit, bibit, & unius anni longam sitim facilè extinxit. Quis obsecro majoris dignitatis est, quam Christus? Ille calicem passionis bibens nobis propinavit, nos detrectare non possumus, nec debemus. Paphnutius Abbas incidit in latronum Principem, à quo ad mensam invitatus, coactus est ingens poculum in sanitatem illius ebibere. Quia vero vino assuetus non fuit Abbas, recusavit poculum. Ubi tamen stricto gladio latro institit, bonus senex calicem impiger ebibit. Profuit haustus latroni, qui miratus viri integerrimi resolutionem, veniam suæ petulantiæ rogavit, & latrociniis unà cum sociis renuncians Abbatem sanctum in Eremum secutus est. Quod si tamen crux delicatulis nimis gravis est, Laminez *in Conc. omnium SS.* octo gradus proponit ex illo *Ezech. 40. v. 34.* In octo gradibus ascensus ejus. Magna diversitas graduum in laudatissimis ædificiis passim in scriptura exhibetur. Annon celebre ædificium fuit regius ille Thronus Salomonis de quo. *3. Reg. 10.* Non est factum tale opus in universis regnis. Et hic thronus sex gradus habuit. Quid magis magnificum, quam structura illa elegantissima templi Salomonis, cujus templi atrium interius septem gradus, exterius vero octo habuisse legitur. Ut verò hujus differentiæ mysterium intelligamus, sciendum est ex Scripturâ per Sex dies laborem denotari, per septem vero cessationem à labore, per octo autem indicari octo virtutum gradus, per quos ad requiem cœlestem pervenitur, cum dicat S. Ambr. *l. 5. in c. 6. Matt.* Sicut spei no-

Propinanti digniori respondere debemus.

Nolens propinanti S. Wilibrordo respondere integro anno sitit.

Latroni propinanti largiter respondens Paphnutius eundem convertit.

Cœlum aditur per octo gradus.

ſtræ octava perfectio eſt, ita octava ſumma virtutum eſt. In throno ergo Salomonis mundani homines intelliguntur, qui inter labores & ſudores eluctantur ad cœleſtem gloriam. In atrio templi interiore ſeptem ſunt gradus, quia in cœleſti Jeruſalem vera eſt quies. Quia verò ad interius atrium non pervenitur ſine exteriore, in exteriori atrio octo ſunt gradus, quia ad illam cœleſtis atrii requiem, per illos octo gradus aſcendere oportet. Et ideo Eccleſia non ſine cauſa in Sanctorum omnium Solennitate Evangelium poſuit octo beatitudinum, per quas velut gradus omnes Sancti & ipſe Sanctorum omnium Princeps, cœlum eſt ingreſſus. Legamus enim veſtigia & ecce teſte S. Paulo Chriſtus primum gradum beatitudinum conſcendit *2. ad Cor. 8. v. 9.* Quoniam propter vos egenus factus eſt, cum eſſet dives, ut ilius inopiâ vos divites eſſetis. Nec alieno eget divina Sapientia teſtimonio, quæ de ſe ipsâ *Luc. 9. v. 58.* dixit vulpes foveas habent & volucres cœli nidos, filius autem hominis non habet ubi caput reclinet. Exemplum Chriſti imitatus eſt Abraham qui dives erat in poſſeſſione auri, & argenti, & tamen ad unam vocem DEI terram & cognationem ſuam deſeruit, ut verè ſpiritu pauper dici poſſet. Secundum gradum manſuetudinem Chriſtus pro profeſſione ſui magiſterii accepit *Matt. 11. v. 29.* diſcite à me quia mitis ſum & humilis corde. Sic manſuetus fuit David, qui leones & urſos confregit, nihilominus Saulem Regem juratum vitæ ſuæ hoſtem cum in ſpeluncâ habuiſſet in manibus, non vitam ſed oram chlamydis illius præcidit. Ut hoc ipſum argumentum miſericordiæ ſuæ exhibuerit DEO in teſtimonium ſuæ benignitatis dicens: Memento Domine David, & omnis manſuetudinis ejus. Moyſes pariter cum eſſet dux Iſraëlis audiebat mitiſſimus dicete ſcripturâ *Num. 12. v. 13.* Erat Moyſes vir mitiſſimus ſuper omnes homines, qui morabantur in terrâ. Luctum Chriſtus toto vitæ ſuæ tempore profeſſus eſt. Et qui nunquam riſiſſe legitur, fleviſſe ſæpius invenitur. Certè S. Paulus *ad Hebr. 5. v. 7.* in ipsâ cruce fleviſſe teſtatur, quando dicit ipſum preces pro ſalute noſtra ad DEum Patrem cum clamore valido & lachrymis obtuliſſe. Luxit etiam Jacob filium ſuum, & luctus iſte quem in figura Eccleſiæ mortem Chriſti deplorantis fecit, fuit laudabilis. Juſtitiam quis Chriſto negabit? Qui ut jus ſuum redderet æterno Patri, ſe ipſum in ſatisfactionem obtulit, pro mundi ſalute. Et verò qui dixit DEO reddenda eſſe, quæ DEI ſunt, & Cæ-

Octo beatitudines gradus ſunt per quos cœlum aditur

Chriſtus ipſe per hos gradus eſt ingreſſus.

Et Sancti per hos gradus in cœlum conſcenderant.

& Cæsari voluit dari, quæ sunt Cæsaris, justitiam se administrare clarè ostendit. Sic à justitiâ bene administratâ laudatus est in sacris litteris David, de quo *2. Reg. 8. versu 15.* Faciebat quoque David Judicium & Justitiam omni populo suo. Quintum gradum misericordiæ, super omnia opera sua Christus ostendit, utpote cujus omnia opera humanitatis quid aliud loquuntur & spirant, quam misericordiam & pietatem. Quid enim tot curati infirmi, leprosi & energumeni, quid restituti claudi, cæci, hydropici clamant, quam misericordiam & pietatem, quam illis præstitit. Certè mulier illa de adulterio accusata magnum est misericordiæ argumentum, quam tam dextrè accusantium subduxit crudelitati. Jobum misericordia celebrem fecit, qui non tantum adultus portionem suam cum egentibus dividebat, sed cum ipsâ ab infantiâ suâ adolevit *Job. 31. v. 18.* Quia ab infantiâ meâ crevit mecum miseratio, & de utero matris meæ egressa est mecum. Castitatis excellentiâ adeo rarâ eminuit Christus, ut licèt de variis culparetur summa DEI Sanctitas, adeoque falsis calumniis, & iniquis testimoniis Christi innocentia opprimeretur; tamen in puncto Castimoniæ in minimo nunquam notaretur. Unde etiam tam constanter Christus *Joan. 8. v. 46.* dixit: Quis ex vobis arguet me de peccato? Sic castitas celebrem fecit Patriarcham Josephum, qui à Dominâ suâ tentatus, etiam pallium reliquit in manu illius. Septimus gradus est pax & amicitia, quam Christus inter nos & Patrem etiam sanguine suo reconciliavit. Quam deinde velut tesseram victoriæ suæ à mortuis redivivus semper discipulis suis est precatus. Et *Joan. 16. v. 33.* quasi Testamento reliquit. Hæc locutus sum vobis, ut in me pacem habeatis. Considerate Patriarcham Josephum, qui cum fratribus suis posset bellum indicere, eosque in Ægypto opprimere, & penitus exterminare, tamen pacem coluit, & veniam fratribus liberalissimè concessit. In apice Supremi gradus cœlestis consistit Christus Dux noster, qui non tantum persecutiones passus est, quas mirandâ patientiâ pertulit, sed vel in ipsâ cruce pro suis crucifixoribus Patrem exoravit. Hoc scilicet patientis Christi ultimum fuit Epiphonema *Luc. 24. v. 26.* Nonne hæc oportuit Christum pati, & ita intrare in gloriam suam. Josephus à fratribus venditus injuriam patienter pertulit, In carcere innocenter positus, DEO non obmurmuravit, & ita à DEO exaltatus est, ut in regio quasi solio constitutus de persecutione fratrum suorum triumpharet. Hæc

viâ qui non graditur, à cœli januâ exerrabit. Bellarminus Cardinalis dicere solitus est, Portam sanctam à Pontifice Romæ aperiri solitam, tamdiu esse apertam, quamdiu durat Jubilæum. Hoc finito claudi, nec Regibus aperiendam. Christus summus Pontifex in vita mortali Jubilæum facit, & per crucem atque passionem suam cœli portam aperuit, clauditur hæc cum vita nostra; & per hanc clausam tardo & moroso peregrino in omnem æternitatem aditus non patebit. In urbibus bene moratis vesperi ante urbis clausuram campana vel alio modo signum datur, qui moras trahit, excluditur. quas sæpè incommoditates, quæ hostium pericula subire debent tunc morosi viatores? Quot suas, quas in hortis habebant, damnant delicias? Et parum fructuosam execrantur segnitiem? Habent tamen aliquando tuguriolum vel casam rusticanam, In quam se recipiunt. Qui à cœlo excluditur solum infernum habet, æternum arsurus. Nec obest quod apud *Matth. c. 7. versu 7.* dicatur: pulsate & aperietur vobis. Audite namque justam DEI indignationem *Joan. 7. versu 34.* Quæretis me & non invenietis, & in peccatis vestris moriemini. Alexander Macedo urbi, quam obsedit, facem accendit, quâ ardente gratiæ locum promisit, hac extinctâ nullum amplius misericordiæ locum superesse protestatus est; Sed omnia ferro, & igne est depopulatus. Fax ardet vitæ nostræ, festinemus ad cœlum. Magna est ejus severitas post judicium exclamat S. August. *serm. 22. de verbis Dom.* cujus ante judicium incessabilis est misericordia. *2. Reg. 2.* Joab cum Abner tota die prælio decertabat, sub vesperum inclinabat acies Abner, misit ergo caduceatores ad Joab. Sed audi quid Joab. Vivit Dominus, quod si locutus fuisset mane, recessisset populus persequens. Peccatores totâ vitâ cum DEO præliantur, ingruente vitæ vespere frustra inclamatur misericordia. Dum tempus negotiandi est, salutis merces comparemus; Cum nundinæ vitæ nostræ terminantur, clauduntur officinæ. Nundinæ æternitatis, vitæ nostræ momento stant, omnia hic vili, imò nullo quasi pretio væneunt juxta illud: Venite, emite sine argento. Bene omnino quidam dixit, videri sibi in mundo tantum duobus carceribus opus esse. Uno pro Atheis, altero pro insanis. Vel enim credit aliquis esse vitam, æternam, vel non? Si non credit Athæus est, & primo carceri includi debet. Si credit, & tamen peccat, seque cœlesti gloria privat, atque ultro se in infernum demergit æternis cruciandus

Porta Sancta non durat nisi durante Jubilæo.

In urbibus pulsatur campana ante clausuram.

Morosis cœli Janua non patet.

Alexander obsessæ urbi facem accendit.

Atheis & insanis solis in mundo opus est carcere.

dus flammis, stultissimus est, adeoque alteri carceri est mancipandus. Tu mi Christiane in negotio æternæ salutis cautè procede, ne hic ergastulo stultorum coercearis in terris, & ibi carceri includaris æterno. Rogavit aliquando S. Thomam Aquinatem Soror illius, quid esset cœlestis gloria? Respondit S. Thomas, antequam illam possideas, non scies. Dic obsecro quantum non impendimus? Quid non satagimus, ut nobis bene sit, vel ut infirmi à morbo & dolore liberemur? Ibi nullum doloris vel morbi erit periculum. *Apocal. 21. versu 4.* Et absterget DEus omnem lachrymam ab oculis eorum, & mors ultra non erit. Neque luctus, neque clamor neque dolor erit ultra, quia prima abierunt. Hoc est quod gloriosos Christi Martyres in passione sua & tormentis fecit invictos. Cum Joannes Crucius Carmelita discalceatus Segobiæ in Hispania familiariter ageret, interroganti Christo, quid pro laboribus suis vellet? Aliud non respondit, quam hoc; Domine pati, & contemni pro te. Quid enim facilius, quam pati hic in consideratione securæ felicitatis. Non miror ego Olympium senem, qui in cœnobio Gerasimi ad Jordanem caveam potius quam cellam inhabitavit, in qua præter tenebras, ingentem æstum solis, ciniphum & muscarum molestissimum incursum, rerum omnium penuriam patientissimè toleravit, interrogatus à quodam se visitante, quomodo hæc omnia perferre posset? Respondit: fili hæc levia sunt, si cum æternis conferantur, æstum enim hunc, & alia omnia tolero, ut effugiam ignem sempiternum, dicam Ego, ut refrigerium capiam in cœlo sempiternum. Hoc enim spondet Christus omnibus, qui sibi patienti compatiuntur. Barbara Mariæ de Victoria socia septemdecim annis aliud fere non egit, quam pro amore patiendi pro Christo continuis morbis & doloribus exerceri. Duobus ante mortẽ annis morbis gravissimis obruta lecto affixa hæsit, eaq; constantiã inter hos dolores vixit, ut nunquã gemere audita sit. Illius tam insignem patientiam probavit Christus, quando illi non solum cœlestem gloriam in proximo promisit, sed simul se ipsum illi spectabilem exhibuit, eiq; nomen Barbaræ in amabile nomen Dilectæ permutavit. Inde tanto cœli desiderio Dilecta exarsit, ut cuperet dissolvi & esse cum Christo. Quare rogavit jam moriens sorores ut Te DEum laudamus canerent, ubi verò ad illa verba: Per singulos dies benedicimus te, perventũ est placidissimè expiravit. Quam verè dixit Publicus Minutius, Ex præmii spe solatium

Soror S. Thomæ Aquinatis vult scire quid sit beatitudo.

Ibi nihil erit doloris, nihil morbi & miseriæ.

Joannes Crucius pro præmio pati desiderat.

Olympius in cœnobio miserè habitat, ut in cœlo melius delicietur.

Barbara S. Victoriæ socia pro cœlo quidvis patitur.

Spes præmii est solatium laboris.

 latium

latium fit laboris, quia ut inquit S. Aug. Minuit laborem ponderis, spes Prœmii. Unde bene S. Hier. *ad Eustoch.* Præsentis laboris ante oculos tibi pinge mercedem, quam nec oculus vidit, nec auris audivit. Pulchrè proinde S. Thomas à Villâ novâ exemplo Sancti Stephani Martyris nos animat. Martyr inquit Stephanus cœlos apertos vidit, hiantem gloriam, patentem paradysi januam, lætus agonem aggreditur, provocatus à prœmio. Cui insistit. S. Hilarius Arelatensis. Nihil de vulneribus suis loquitur, nihil de ictibus lapidum, quibus totus frangebatur. Vides quod spectantis intuitus armat constantiam triumphantis, & quasi dum occupatur in stupore & amore cœlestium, non turbatur ab imbre Saxorum. Plutarchus de Archimede refert, quod Marcellus in expugnatione Syracusarum interdixerit, ne Archimedes occideretur. Verum cum Syracusæ caperentur, & ipse animo ac oculis in terram defixis formas Geometricas describeret, à milite ignaro, quis esset, est interfectus. Terræ infixus Archimedes mortem non sensit. Quid mirum si Stephano, si tot gloriosis Martyribus lapides torrentis dulces fuerunt, enses & catastæ rosarum instar abblandiebantur, in cœlo namque defixi erant. Quare rectè Ægidius Columna *in Ep. ad Rom. c. 5.* si lædamur in istis rebus sensibilibus, non solum affligimur sed lætamur, si pressuram patimur in hoc mundo, operatur enim in nobis expectationem futuræ gloriæ. Quis enim illas cœlestis gloriæ delicias explicet, quas Paulus humano cordi impenetrabiles tam graviter affirmavit. Sunt qui molaris lapidis casum à cœlo Empyreo usque ad nos deorsum per tempus longum & dies plurimos suspendunt; tanta enim est cœli illius à nobis distantia. Et tamen in momento corpus gloriosum, sicut homo circumfertur cogitatione, ita circumferetur corpus agilitate donatum, sine omni impedimento quacunque libuerit. Neque enim avis tam pernici volatu librabitur in aëre, quâ corpus gloriosum circumferetur per extrema cœli terræque spatia. Expertus hoc est S. Theophilus M. qui Dorotheam per ludibrium imploravit, ut ex cœlorum viridario sibi rosas & poma mitteret. Vix illa sub ferro cecidit, & cœlum subiit, & ecce de cœlo adfuit angelus qui Theophilo rosas, & poma exhibuit. Quare sicut modo sunt angeli, & spiritus suo corpore exuti, ita erunt post resurrectionem corpora gloriosa, dicente Christo: Erunt sicut Angeli DEI. Quam verè proinde Paulus *ad Rom. 8. v. 18.* dixit: Non sunt condignæ passiones hujus temporis ad futuram gloriam. Quod expen-

Archimedes terræ infixus mortem non sensit, quid nos infixi cœlo.

Agilitas corporis gloriosi.

S. Dorothea Theophilo promissas paradysi delicias mittit.

expendens virorum fortissimus Thomas Morus Aloysiæ uxori roganti, ut se tempori accommodaret, dixit: Dic mea Aloysia bonis istis, quæ commemoras, quamdiu fruemur? Subdidit illa viginti forsan annis. At graviter reposuit Morus; abi stulta mercatrix, quæ me pro viginti annis æterna velis commutare. Si annorum viginti millia dixisses, esset hoc aliquid, & tamen hoc nihil est respectu æternitatis. Non inquit Morus ego tam brevem felicitatem æternæ præferam. Bene proinde in articulo fidei additur illa particula æternam. Ut à fugaci voluptate carnis aut vitæ nostræ momentaneæ blanditiis non seducamur. DEus æterna nobis spondet, huc animos, huc ora convertamus. Quæris, quid sit æternitas? Dicam quod sentio. Si millenis singulis annis guttam unam ex mari subduceres, citius exhaurires mare, quam æternitatem. Si mons esset, qui ad cœlum usque pertingeret, & singulis millenis annis avicula unicam arenulam tolleret, citius montem tolles, quam æternitatem. Quam prudenter dixit ille *in vitis PP. l. 3. §. 107.* qui à puella ad libidinem solicitatus eidem respondit: Sine me ut prius experiar an inferni pœnas possim sustinere? Et in candelam ardentem immisit digitos suos ordine, sed cum sustinere non valeret, en inquit pro inferno aptus non sum, adeoque me tanto peccato obstrictum non possum in infernum demergere. Si te mi Christiane invadat tentatio peccati, fac experiaris, an infernum possis tolerare. Verum cum has inferni pœnas perferre nequeas, ad cœli delicias te convertas, firmoque animo crede, te his in æternum fruiturum, si peccatum viceris, & illius tentationem magnanimiter represseris. Superant cœli deliciæ omnes mundi voluptates. S. Franciscus æger à Fratre Pacifico in sæculo insigni musico petiit, ut sibi in fidibus luderet: Excusavit se F. Pacificus, allegans scandalum, si luderet. Sed DEus S. Franciscum solaturus illi Angelum misit, qui eidem luderet. Lusit is & Franciscum dulcedo angelicæ musicæ vix non exanimavit. Quid plenus chorus in cœlo facturus est?

Thomas Morus æterna caducis præferre domet uxorem.

Vita, quam speramus, æterna est.

Æternitas quid?

Solicitantem puellam quidam digitos urendo reprimit.

S. Franciscus æger à cœlesti fidicine recreatur.

Laudat scriptura Tobiam, quod inter omnes, qui currebant ad vitulos, quos Jeroboam Rex Israel fecerat, hic solus fugiebat consortia omnium, & pergebat in Jerusalem ad templum Domini. Lyranus in hunc locum putat, quod non omnes omnino apostataverint à DEO, limitat proinde ad paucos, qui cum Tobia DEum secuti sunt, atque ab idolis recesserunt. Quotusquisque inter nos est, qui non

Plurimi hominum idola sequuntur suarum cupiditatum.

Vitulus est omnis cupiditas.

adoret vitulos aureos? Abbas Guixonensis dicit, vitulus est, quidquid in terrâ amabile est. Omnes quotquot sunt, ad hunc vitulum currunt, hunc adorant. S. Greg. Nyss. inquit: Vitulus noster libido est. S. Aug. verò dicit vitulus significat corpus omnium malorum. Annon omnes corpus, non verò animam curant? Hoc est, quod lamentatus est, *Micheas. c. 7. v. 1.* væ mihi, quia factus sum, sicut, qui collegit in autumno racemos, utique post terga colligentium. Hæc est persona Salvatoris inquit Glossa ordinaria, quia in toto orbe Salvator vix invenit opera digna suo sangvine profuso. Quasi post vindemiam racemi vix in aliquibus poterunt inveniri, qui fidem in tantâ vastitate servaverint. Clarius Lyranus dicit: Quia sunt valdè pauci respectu collectorum. Pergit ulterius Propheta in sensu literali in personâ Christi. Periit Sanctus de terrâ & rectus in hominibus non est. Omnes in sangvine insidiantur. Excusat divinam bonitatem S. Aug. in responsione ad articulos sibi falso impositos dicens: sine omni exceptione credendum est, quod DEus vult omnes homines salvos fieri. Ex quibus qui pereunt, ex merito peccantium est, & qui salvantur, salvantis est donum. Et sic ille idem intelligendus est *Tract. 26. in Joan.* Quando dicit, quarè illum trahat, & non illum. Noli velle judicare, si non vis errare. Certè S. Joannes Chrysostomus *hom. 40. ad pop.* exhorrescere fecit suos Auditores, dum dixit: Quot esse putatis in hac civitate, qui salvi fient? Infestum est, quod dicturus sum, verum tamen dicam. Non possunt in tot millibus centum inveniri, qui salventur; Imò & de his dubito. Cur hoc? Audite S. Aug. *l. 1. ad Simpl. q. 2.* Non odit DEus Esau hominem, sed Esau peccatorem. Nihil enim DEus in homine aliud odit, nisi peccata. Unde peccator non de DEO, vel Christo, vel alio quopiam queratur, se ipsum culpet, & suæ miseriæ authorem agnoscat. Esau primogenitus fuit Patriarchæ Isaac Patris sui, ad quem jure spectabat jus primogenituræ, & majoratus, sed jus suum pro scutellâ lentis vendidit fratri suo. *Gen. 25. v. 33.* Juravit ei Esau & vendidit primogenita. Et consequenter cum his omnes præcellentias nimirum sacerdotium, & reliqua bona quæ per majoratum consequuntur. Quarè cum Esau ad venationem abivit, prævertit Jacob fratrem suum, & pellibus Esau se induit, cibos morituro Patri obtulit, & benedictionem præripuit. Sed quid obsecro tot stratagemata? Nonne DEus absolutus erat Dominus & dominio supremo primogenituræ jus ab Esau revocare, atq; in Ja-

Pauci salvantur multi damnantur.

DEus non odit Esau hominem sed Esau peccatorem.

eob transferre poterat? Pulchrè Oleaster in hunc locum respondet. Quæso adverte Justitiā DEI exactissimam. Licet enim justè primogenituram possit ab Esau auferre, sicut modò facit, & regna, ac imperia ad libitum distribuit, noluit tamen auferre, ne posteà Esau de eo posset conqueri, & dicere: absque meà culpâ accidit; mera Domini DEI voluntas fuit. Hinc voluit ut eam spontè fratri suo venderet, quo sibi imputaret, quod eam à se abjecerit. Hoc ipsum cuilibet peccatori accidit. Nullum enim peccatum est, nisi sit voluntarium, atque adeo voluntariè per peccatum homo animam suam DEO subtrahit, & dæmoni vendit. Unde bene monet S. Paulus *ad Rom. 6. v. 13.* Sed neque exhibeatis membra vestra arma iniquitatis peccato. *S. Ambr. in commentar. suis* sensum ejusdem Apostoli declarat, ostendit Apostolus diabolum nos nostris jaculis impugnare. Occasio enim datur illi per nostra peccata, ut deserente nos DEO acceptâ potestate illudat, & nos mortificet. Scilicet tu dæmoni ipse arma subministras tuis peccatis, quibus te impugnet. Ut propterea dixerit *Isaias c. 50. v. 1.* Ecce in iniquitatibus vestris venditi estis. Ideoque de nullo alio conqueri poteris, si flammis adjudiceris æternis. Unde mirum non est, tantis augmentis infernum locupletari, dum pauci planè cœlo inscribuntur. *Apoc. c. 20.* vidit Joannes sedentem in throno Judicem DEum. *V. 12.* Et vidi inquit mortuos magnos, & pusillos stantes in conspectu throni. Paulo post subjungit. Et libri aperti sunt. tandem dicit: Et alius liber apertus fuit, qui est vitæ. Certum est, quod DEus non indigeat ullo libro, quia oculis divinis omnia patent, cui etiam ipsa præterita omnia sunt præsentia; omnia enim nuda & aperta sunt oculis ejus. Quid ergo tot libri? Bene Calamatus *Dom. 23. post Pentec.* Et libri, inquit aperti sunt, qui erant reprobi, quasi multi libri sint ad conscribendos reprobos. Pro vitæ libro unus sufficit. Quia scilicet impiorum Catalogus nec multis capitur voluminibus. Justorum autem numerus exiguo capitur libello. Unde tam solicitè S. Petrus *2. Petri 1. v. 10.* Satagite ut per bona opera vestra, certam faciatis vocationem vestram. Glossa ordinaria in hunc locum. Certam inquit facit vocationem suam, qui in bonis operibus perseverat. Pulchrè Origenes *hom. 34. super illud*: *Venite benedicti Patris mei.* Addit inquit Patris mei. Quod non addit, quando dixit: Ite maledicti; nam benedictionis ministrator est Pater, maledictionis autem sibi quisque est author, qui operatus est ea, quæ digna sunt maledi-

Nullum peccatum est nisi voluntarium.

Nos DEO arma quibus impugnemur, damus.

Multi damnantur pauci salvantur.


ſeductione. DEus enim quantum in ſe eſt, homines non ad perditionem creavit, ſed ad vitam. Peccantes autem conjungunt ſe diabolo. Audite ergo Euſebium Emiſſen. *ſerm. 6.* Noli attendere ad prædeſtinationem DEI, quam ignoras. Attende ad verba, quæ audis & intelligis. Si vis ad vitam ingredi ſerva mandata. Non quæras aliam prædeſtinationem, in his enim verbis omnis & vitæ & mortis prædeſtinatio conſiſtit. Veriſſimum namque eſt illud Pauli. Quod ſeminaverit homo, hoc & metet. Qui de carne ſeminat, de carne & metet. Filios Iſrael per deſertum deduxit columna ignea, quæ oſtendit illis viam ad terram promiſſionis. Sed hoc ſatis non fuit ad actualem ingreſſum. Movendi erant pedes, & longo fatigio ambulandum, ſæpiusque cum hoſte pugnandum. Terra lacte & melle fluens cœlum eſt. Columna eſt Chriſtus vel fides, ſed niſi nos æquis pedibus ſequamur, nihil nobis proderit. Vidiſſe & iviſſe in ejus luce requiritur, ut vitam conſequamur æternam. Amen.

Certa eſt prædeſtinatio ſervare mandata.

F I N I S.

Omnia ad majorem DEI gloriam.





IN-

INDEX
RERUM PRÆCIPUARUM.

A.

B.

BERCH-

395.

D.

S. Ju-

S. HIE.

JO-

L.

M.

N.

Q.

R.

nos

S.

T.

V.

VIR-

Errata sic Corrige.

PAg. 13. rimmam lege rimam. Pag. 21. in terris lege integris. Pag. 35. coctur lege docetur. Pag. 39. providat lege providet. Pag. 41. glorietur lege gloriatur. Pag. 51. Thalesis lege Thaletis. Pag. 58. Popul Israel lege populi Israel. Pag. 64. dosuitque lege posuitque. Pag. 66. conversus bis posuit. Pag. 68. Zachæus lege Zachæi. Pag. 74. gloriæ lege gloria. Pag. 78. Matthiam lege Matthias. Pag. 90. Clamamat lege clamabant. Pag. 92. sum lege cum. Pag. 135. Debelasse lege debellâsse: Pag. 159. neglectum lege neglectam. Pag. 171. Nostram

bis

bis ponitur. Pag. 178. Charitate lege claritate. Ibidem rectus lege relictus. Pag. 184. Magor. lege Mogor. Pag. 195. QuodDeus dixiſſet lege quod cum Deus dixiſſet. Pag. 201. venerunt lege venenum. Pag. 216. Docere lege doceri. Ibidem reddat lege reddit. Pag. 229. ſpirabat lege ſpirabant. Pag. 232. parebatur lege parabatur. Pag. 233. inſigne lege inſignes. Pag. 242. lucent lege luunt. Pag. 249. ad naturam fuit electa. deleatur. Pag. 253. Salvatorum lege Salvatorem. Pag. 267. vellis lege vexillis. Pag. 270. Aſſylum lege aſylum. Pag. 286. fuit lege facit. Pag. 300. blaſphemium lege blaſphemiam. Pag. 329. Unum lege unam. Pag. 334. Vovit lege voluit. Pag. 364. Uret lege Urit. Pag. 380. memoriâ lege memoria. Pag. 392. qua lege qui. Pag. 401. qua lege quia. Pag. 402. conciliis lege conſiliis. Pag. 412. nam lege non Pag. 427. vix lege nix. Pag. 432. quod lege quot. Pag. 448. pauculum lege paululum. Pag. 449. ille lege Illæ. Pag. 453. ſeveritate lege ſecuritate. Pag. 479. poſtolorum lege Apoſtolorum. Pag. 501. pluris lege pluribus. Pag. 535. lendet lege pendet. Ibidem eſt interiore lege in interiore. Pag. 552. Greatori lege Creatori. Pag. 560. Gregorii lege Georgii. Pag. 564. grogreſſi lege progreſſi. Pag. 570. Vita lege vitam. Pag. 576. ſuis ac ſanctis lege ſuis piis ac ſanctis. Pag. 580. juria lege curia. Pag. 605. poſſuut lege poſſunt. Pag. 620. inquit bis ponitur. Pag. 625. Macchab. lege Machab. Pag. 634. collata lege collatam. Pag. 648. dues. lege duces. Ibidem induces lege indues. Pag. 674. ſuas lege ſcias. Pag. 681. & omittatur. Pag. 688. magnum lege magnam. Pag. 690. ad pœnitentia lege pœnitentiam. Pag. 707. veneration lege venerationi. Pag. 708. Spoſpondit lege ſpopondit. Pag. 709. & bis ponitur. Pag. 724. promiſſiones lege promiſſionis. Pag. 728. regum lege regnum. Pag. 731. Hæc viâ lege hac viâ. Pag. 733. Publicus Minutius lege Publius. Pag. 736. deſideratur ſubſtantivum fontem.

Sunt & alia multa, quæ amuſis facile obrepunt, prudens autem ac benevolus Lector ipſe facile corriget. Qualia ſunt immutatione litterarum, intorrogavit pro interrogavit. ſerpertem pro ſerpentem. lucerat pro lacerat. tornente pro torrente. attople pro attolle. Synagopa pro ſynagoga. Omiſſione arguiis pro argutiis. myſteiis pro myſteriis. frigidiſſio pro frigidiſſimo. pauſibus pro plauſibus &c. Inverſione. Genins pro Genius qnam pro quam. corpns pro corpus. perſoua pro perſona. Augmentatione Pertimeſceut pro pertimeſcat. Denique repetitione quando idem Verbum bis ponitur.

